11-G
43

6
13 N
25

6-11-B-30

6-11-G-13

THEODOSIVS LUSITANUS,

SIVE

PRINCIPIS PERFECTI VERA EFFIGIES

Rerum ſub id tempus in Luſitania præclarè geſtarum nativis coloribus illuminata

A P. DOCTORE EMMANVELE LVDOVICO Pace-Julienſe

SOCIETATIS JESV.

EBORÆ.

Cum facultate Superiorum.

Ex Typographia Academiæ. Anno Domini M.DC.LXXX.

THEODOSIVS
LUSITANUS,
SIVE
PRINCIPIS
PERFECTI
VERA EFFIGIES

Rerum ſub id tempus in Luſitania præclarè geſtarum nativis coloribus illuminata

A P. DOCTORE EMMANUELE LUDOVICO
Pace-Julienſe

SOCIETATIS JESU.

EBORÆ.

Cum facultate Superiorum.

Ex Typographia Academiæ. Anno Domini
M.DC.LXXX.



THEODOSIVS LVSITANVS SIVE PRINCIPIS PERFECTI VERA EFFIGIES

Rerum sub id tempus in Lusitania praeclarè gestarum . natiuis coloribus illuminata

A.P. DOCTORE EMMANVELE LVDOVICO PACE-IVLIENSI

Societatis Iesu.

Ebora In Typographia Academia . Anno Domini . M.DC.LXXIX.

Tho: Dudley Anglus fecit Vlyssipone 1679

FACULTATES.

Ego Emmanuel Monteyro Provincialis Societatis Jeſu in Provincia Luſitana, poteſtate ad id mihi facta à R. admodum P. Joanne Paulo Oliva Præpoſito Generali Societatis Jeſu, facultatem concedo, ut liber inſcriptus, *Theodoſius Luſitanus, ſive Perfecti Principis vera effigies*, compoſitus à P. Doctore Emmanuele Ludovico ejuſdem Societatis, & gravium, doctorumque hominum judicio approbatus, typis mandetur. In quorum fidem has litteras manu noſtra ſubſcriptas, & ſigillo noſtro munitas dedimus. Ulyſſipone, Nonis Octobris, anno ſalutis 1672.

Emmanuel Monteyro.

Viſtas as informaçoẽs, que ſe ouverão, podeſe imprimir eſte livro, cujo titulo he, *Theodoſius Luſitanus*, & impreſſo tornarà pera ſe conferir, & ſe dar licença para correr, & ſem ella não correrà. Lisboa 30. de Outubro de 674.

Manoel de Magalhaẽs de Menezes. Manoel Pimentel de Souſa. Pedro Mexia de Mattos.

Podeſe imprimir. Lisboa 2. de Novembro de 1674.

Fr. Biſpo de Martyria.

Que ſe poſſa imprimir, viſtas as licenças do S. Officio, & Ordinario, & depois de impreſſo tornarà a eſta Meſa para ſe conferir, & tayxar, & ſem iſſo não correrà. Lisboa 12. de Janeyro de 1675.

Magalhaẽs de Menezes. Miranda. Carneyro. Roxas.

Tomus iſte in omnibus cohæret cum ſuo originali. Carmelo Ulyſſip. 18. Martii 1680.

Doctor Fr. Gregorius à Jeſu.

Pode correr. Lisboa 19. de Março de 1680.

Serrão.

Tayxão eſte Livro em dez toſtoẽs em papel, Lisboa 10. de Mayo de 1680.

Roxas. Rego. Lamprea.

ERRATA OMNINO CORRIGENDA.

Cætera minoris momenti Lector facilè animadvertet.

LIBER PRIMUS.

§	Linea.	Erratum.	Corrige.	§	Linea.	Erratum.	Corrige.
71	26	Alternatè	Alternare.	159	8	Collegiatio	Collegiatæ
77	2	bellvonem.	beluonem.	192	32	mortalibus	martialibus
97	27	rupta.	ruptæ.	208	18	Lutani	Luſitani
121	29	ſurgitur	ſurgitur	216	7	h bere	habuere
123	6	quanvis	quenvis	249	15	hind	hinc
152	26	multis	multus	429	9	deductum	deductus
158	28	ſacrum	ſacram	452	10	cæptæ	captæ


LIBER SECUNDUS.

§	Linea.	Erratum.	Corrige.	§	Linea	Erratum.	Corrige.
2	21	exquiſitam	exquiſitum	74	47	ſuo metu	ſuorum metu
36	5	hoſtium	hoſtilium	97	4	pius	plus
42	41	Sapientiſſimi.	Adde Principis	112	1	ege	egit
43	17	judicio	judicia	131	8	numeranda	muneranda
50	18	incurati	inaurati	131	26	repiciat	recipiat
52	52	capacitatis	rapacitatis	138	34	agitatum	agitato
59	21	in patibulo:	Adde latronem	142	34	obitus	obitu
64	4	palatium	palatinum	149	3	eum	cum
66	4	protractu	protracta	153	10	quædam	quadam.
74	22	etiam ad placendum	vivendum				

LIBER TERTIUS.

In titulo primi capitis: eximii, eximio

§	Linea.	Erratum.	Corrige.	§	Linea.	Erratum.	Corrige.
15	19	relictis	relectis	85	2	judicarii	judiciarii
20	23	commendantis	commendatis	89	3	affectus	effectus
37	6	recitarit	recitavit	109	17	non	nam
38	24	[illegible]	[illegible]	136	10	or	os
47	penult.	cogitante	cogitanti	163	in fine	exiſterit	extiterit
57	7	omnis	omnes	164	16	accumberet	ſuccumberet
59	49	filis	filii	175	26	vitæ	vita
69	11	numerantem	munerantem	187	33	is	iis
72	31	Luſitania	Luſitana	191	20	a ſe	aſſe
75	24	vero	vera	207	5	facti	fati
76	31	huic	huc				



BIBLIOTECA NAZ.
ROMA
VITTORIO EMANUELE

SERENISSIMÆ CATHARINÆ MAGNÆ BRITANNIÆ REGINÆ.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

PUblicis, privatisque rationibus ducor, immò compellor, Majeſtatis Veſtræ ambire patrocinium; non tam illuſtri huic ex ſe operi, in cujus prima fronte inſcriptum Sereniſſimi Principis Theodoſii auguſtum nomen, ſuſpiciendum illud univerſis, commendabile, acceptiſſimumque reddet; quàm mihi eo maximè indigenti, cui & ſuſcepiſſe perficiendum illud, & imperfectum planè, pro tanti argumenti dignitate, Majeſtati Veſtræ offerre, inſolenti audaciæ, temeritatique aliquis fortè tribuere non dubitabit. Non à me quidem probè conſcio meæ imbecillitatis tantum onus ſponte ſuſceptum, ſed à Sereniſſima Regina Matre Aloyſia meæ potius fidei commiſſum, quàm longè imparibus impoſitum fuiſſe viribus nemini, quàm Majeſtati Veſtræ certiùs eſt exploratum. Felicibus igitur auſpiciis à Sereniſſima Regina Matre quodammodo natum opus, cui aptiùs, quàm Sereniſſimæ Reginæ Filiæ nuncupabitur, quæ materni hæres, æmulatrixque affectus præ omnibus optat, ut effectum habeant bonorum omnium vota, optimi Principis vitam in lucem prodituram ardenter efflagitantium? Redi-

vivum Illum, hiſtoricæque immortalitati denuo redditum æquum eſt, ut prima omnium Majeſtas Veſtra intueatur, cui unicè ſunt immortalia curæ, quæque feliciori, qua in cœlo fruitur (ut par eſt credere) vita digniſſimum jam pridem judicabat. Dum Princeps in terris ageret, non ceſſabat Majeſtatem Veſtram ad cœleſtia & verbis, & exemplis invitare;
Lib.3. §.6. quod infra irrefragabili Majeſtatis Veſtræ teſtimonio referendum; eadem ut cæteris prior Majeſtas Veſtra per otium relegat, ſecumque voluptuosè reputet (ſiquid veri certa mens augurat) Princeps ipſe Theodoſius è cœlo annuit. Qui præcipuo, dum vixit, amore Majeſtatem Veſtram proſequutus eſt, propriaque vita multò habuit chariorem, quî æquanimiter patietur potiorem partem opere in tanto, & in ſua evulganda vita aliquem alium habiturum?

Accedit maximi apud me momenti ad id conſilium ineundum notiſſimus Principis Theodoſii erga Sereniſſimum Carolum ſecundum magnæ Britanniæ Regem digniſſimum amor plurimis, iiſque plurimi faciendis argumentis olim propalatus: in cujus celebrandis eximiis dotibus multus perpetuò extitit; cujus bellicam æmulari virtutem ita exarſit, ut ad arma capeſſenda Illius exemplo maximè provocatus proſiluerit; cujus tuendas pro virili partes adverſus rebellium Parlamentariorum formidabilem tunc potentiam ſeriò, ſtrenuèque ſuſcepit, multis pro ejus cauſa judicioſis quidem recitatis in ſupremo Ulyſſiponenſi Regio Senatu allegationibus; Sereniſſimis Palatinis Principibus omni ratione, indefeſſaque induſtria protectis, & adjutis, ma-

ximis præterea periculis re Luſitana objecta: cujus deinde ad Britannicum ſceptrum reſtitutionem, & ſecuturas poſtmodum maximas felicitates prævidit, ac prædixit; quarum nonnullas exultanter experti plures, & majores adhuc avidiùs expectamus: cujus tandem Regias cum Majeſtate Veſtra nuptias multò antea præoptavit, futurique certus prænuntiavit, ad utriuſque inclytæ Gentis, Britannicæ, Luſitanæque mutui amoris indiſſolubili nexu invicem copulatæ, ut nobis certa ſpes eſt, maximum incrementum. Quæ omnia hîc perſtricta ſuis alibi locis Lib. 1. §.
mihi erunt lentiùs commemoranda. Ea verò cùm 312. 397.
mihi jam diu ſint indubia, cur dubitarem aliis, quàm 399, & cap. 22,
Sereniſſimis magnæ Britanniæ Regibus, de Princi- & 23. per totum,
pe adeo benemerito, grata vice reddita, optimè pro- & §. 448
merendi cauſam dare? Cui alii, quàm Majeſtati Veſtræ Britannicæ ſimul, ac Luſitanæ dicarem res præclarè geſtas Principis Theodoſii, non minùs affectu Britannici, quàm ſanguine Luſitani? Non quidem dubito, quin Ille recenti hoc beneficio, & verè germana fraterni amoris exhibitione Majeſtati Veſtræ arctiùs obſtrictus Britannicas felicitates á ſe olim prævíſas, ſub Sereniſſimo Carolo, & Majeſtate Veſtra cumulatiſſimè adimplendas, intentiori adhibita ſolicitudine à Deo Britannis propitio impetrabit.

Ad hæc, ubi Perfecti Principis veram effigiem hujuſce libri titulo expreſſam Theodoſii factis, dictiſque veriùs exprimendam mente concepi, ſtatim Majeſtati Veſtræ omnibus titulis unicè illam eſſe debitam deliberavi. Sciebam enim (quod neminem latet) Majeſtati Veſtræ ad Regium Solium evectæ nihil eſſe optabilius, quàm præ oculis habere

aliquam perfecti Principatus formatricem imaginem, veris omnino depictam coloribus, quam adulterinis adulatio nullatenus inficeret, Regiis moribus ſedula æmulatione à Regibus, & Principibus Britannicis referendam. Id ipſum reſcivi expreſſiùs Regiis Majeſtatis Veſtræ monitis præventus, quibus dignata eſt ſeriò mihi præcipere, ut in ſcribenda Principis Theodoſii vita, ex illaque Perfecti Principis vera effigie delineanda, ſolius nudæ veritatis, poſthabitis omnino improbæ adulationis fucatis lenociniis, rationem unicè haberem. Quàm exactè, religioſèque Regiis hiſce mandatis obſecundarim, argumento erit, quo nullum poterit eſſe luculentius, poſt luſtratam, & introſpectam penitùs eam effigiem, Majeſtatis Veſtræ univerſis venerabile teſtimonium; quod ſi, ut ſpero, placidum, omninoque favens meis hiſce lucubrationibus habeam, nemo prudens inficiabitur veriſſima eſſe omnia, quæ adeo confidenter Sereniſſimæ Reginæ intemeratæ veritatis inſpectoribus oculis ſubjiciuntur. Et verò, præter alia, quibus data opera ſuperſedeo, duo in primis ſunt, quæ tum apud Majeſtatem Veſtram omnium pene actionum Principis Theodoſii apprime conſciam, tum apud cæteros vel partim, vel penitus inſcios, Scriptoris animum veritati aſſerendæ addictiſſimum evincant, & ab omni aſſentatione prorſus alienum maximè commendent. Primum ſit, ita me vel à minimæ adulationis umbra, ſpecieque abhorrere, ut certiſſima nonnunquam, quæ ſcribenti ſe ſponte objicerent, conſultò ſæpiſſime præterierim, ne vel è longinquo aliqualem aſſentationis notam, licèt immeritò, apud malignum aliquem

Zoilum

Zoilum fortè incurrerem. Hinc eſt, quòd eximias dotes, inclytasque virtutes Sereniſſimi Principis Theodoſii commemoranti affinia ultro ſæpe occurrerent exempla, quibus poſſem fraterna Theodoſii documenta, ſolito Hiſtoricorum more, nec ſine magna curioſi lectoris voluptate, multùm illuſtrare, commendabilioraque reddere. Verùm ab illis, etſi veriſſimè recenſendis, penitus abſtinui; tum ne alicui ſtudioſus laudator viderer; tum in primis ne gratiſſimum alioqui futurum opus ingratum ex parte accideret Majeſtati Veſtræ, cui tam diſplicet, etſi verè laudari, quàm aliis vulgò vituperari. Secundum eſto, frequenter à me vel præter, vel fortè contra ſancitas à majoribus nitidæ Hiſtoriæ leges, pro aſſerenda facti alicujus, dictive ſolidiori veritate, citari luculenta teſtimonia. Scio famigeratis Scriptoribus inſolitum eſſe hujuſmodi ſcribendi genus: at malui minùs Hiſtoricus haberi, dummodo confirmandæ veritatis plus nimio ſtudioſus à criticis dijudicarer.

Igitur Perfecti Principis Theodoſii veram ex integro effigiem cæteris Principibus ſtudiosè æmulandam, quò numeris omnibus abſolutiſſimi evadant, à reliquis certè ſuſpiciendam dignetur Majeſtas Veſtra tam libenter accipere, quàm ſuppliciter venerabundus eandem Majeſtati Veſtræ offert humillimus ejuſdem Scriptor, certus planè ob jucundiſſimi argumenti præſtantiam Majeſtati Veſtræ mirificè placituram. Diu [fateor] & Veſtræ Majeſtatis auguſta dignitas, & mea mihi ſatis nota indignitas ab hoc præſtando, etſi cunctis debito nominibus, obſequio abſterruit: ſed tandem excutiendi

venerabilis timoris, accedendique animosè ad Regii Solii amplitudinem, mihi fiduciam in primis fecit exploratiſſima Majeſtatis Veſtræ erga omnes, at præſertim erga univerſos Societatis noſtræ Alumnos benevolentia; mox acceptiſſimum fore hujuſce operis argumentum certa ſpes. In eo [niſi mihi facilè imponit mea exiſtimatio] voluptuoſum erit Majeſtati Veſtræ præcellentes amantiſſimi Fratris Theodoſii dotes, & virtutes tam perſpectas, quàm familiares denuo recolere; item Sereniſſimorum Parentum præcipua monumenta laconicis comprehenſa elogiis contemplari; mox illuſtrium Luſitanorum egregia facinora Britannicis auxiliis perpetrata recognoſcere; tandem ſat nota Majeſtati Veſtræ Luſitaniæ Oppida, Urbes, locaque rebus adeo præclarè geſtis multò, quàm antea celebriora memori, & nunquam Patriam oblitura mente peragrare. Id unum vereor, ne maximarum rerum narrationi ſtyli humilitas officiat, ac legendi voluptatem non nihil imminuat. Scio longè digniorem cothurnum, ſublimioremque ſcriptionis methodum Sereniſſimi Principis Theodoſii virtutes, & Luſitanorum inclyta facinora ſuo quaſi jure poſtulare: at Sanctiſſimis imperiis, quibus obſiſtere nefas foret, mihi neceſſariò fuit obtemperandum, majoraque infirmis viribus temerario fortè auſu aggredienda. Meam hanc qualemcunque temeritatem ex obſequioſa utique ortam obedientia ignoſcat, quæſo, & benevertat Majeſtas Veſtra: cui promptum erit Apellæo committere penicillo nativis coloribus ad vivum exprimendam hanc Perfecti Principis veram effigiem; in qua prima licèt rudia duxiſſe linea-

menta niſi mihi omnino ſit glorioſum, non erit quidem inglorium; cùm in magnis cæpiſſe magnum profectò haberi ſolcat. Interim ſummi erit momenti pro tanti operis optabili commendatione, immortalique gloria, ſi maximæ illud Reginæ auguſtum Nomen, & propitium Numen obumbret.

Emmanuel Ludovicus.

STUDIOSO, ET BENEVOLO

LECTORI

PRÆLOQUIUM.

1 NON paucis Te volo, ut cæteri vulgò Scriptores in ſuorum operum primo limine præfari ſolent, Amice Lector: cur enim paucis immorer de vita, & moribus Sereniſſimi Principis Theodoſii tam multis à me plurimà tandiù flagitantem? Is certè ille fuit, de quo multa neceſſariò prædicenda paucis dici nequeunt; niſi ab eo fortè, cui aureus ipſius ſtylus contigerit, vel breviſſimi ſui ævi (proh dolor!) compendiarius. Id Te in primis velim præmonitum; ne dum tot, ac tanta illuſtrium Virtutum monumenta brevi adeò annorum circulo ab eo comprehenſa demiraris, dubius hæreas Theodoſii ne Adoleſcentis, an longævi alicujus Neſtoris facta commemorem? Eadem eſt vitæ, ac ſtyli cujuſque ratio; ut enim ſcribendo, ſic vivendo nonnulli ea brevi explicant, quæ ſæculorum moram poſtularent. In utroque ſingularis extitit; utinam in compendioſa vita non tam foret Theodoſius! His adde; ad ſumma ita omnes ducentis naturæ inſtinctu eniti, ut ad illa quidam lentè procedant, alii raptim currant, pauci velociſſimè prætervolent: ex quibus unus fuit Theodoſius, qui divini Principis per quàm celerrimis inſiſtens veſtigiis: *Exultavit* Pſ.18.6.
ut gygas ad currendam viam: aut tanquam ſol, qui brevi unius anni revolu- Ptolom. l.
tione id conficit ſpatium, quod lentus Saturnus non niſi triginta propè an- 9. Almag.
nis abſolvit. c.3.&5.

2 Quæris fortaſſe, cur tam brevis vitæ adeo tardus, ac diuturnus Scriptor extiterim? Quàm cuperem poſſe verè tibi reſpondere, quod Agatharco ſe jactanti depingendi celeritate, cùm Zeuxis diutius immoraretur operi, reſpondiſſe fertur ipſe Zeuxis: *Diu pingo, quia pingo æternitati; citò nata, citò* Fulgor. l.
pereunt; diu elaborata ferunt ætatem. Vel cum Auguſto conſultiſſimè aſſerenti; 7. c.2.
Illud ſemper citò factum, quod cùm factum eſſet, bene haberet. Vel breviùs, eòque argutiùs cum Catone: *Sat citò, ſi ſat bene.* Verùm cùm talia mihi verè arrogare nec poſſim; nec ſi poſſem, vellem; id mei potiùs ingenii tarditati, quæ quanta ſit, ingenuè fateri non erubeſco, quàm alteriùs vitio velim tribuas: Illud certè, licèt foret acutiſſimum, in ſola Theodoſii contemplatione in-

genſi vel diutius caligaret, vel deſperata prorſus expreſſione cæcutiret.
Quid in cæteris ipſius eximiis dotibus, & virtutibus perſcrutandis, &
delibandis? Earum talis, ac tantus eſt fulgor, ut perſpicaciſſimæ cu-
juslibet aquilæ in ſe defixum perſtringat obtutum, & inſolita illuſtrium
radiorum evibratione conniventem diutiſſimè retardet. Quod ſi hac uni-
ca, eaque adeo probabili cauſa neque planè contentus, neque plenè
convictus alias præterea requiris, jam illas accipe: *Hiſtoria* (monet ap-
Tull. de leg. poſitè in rem præſentem Tullius) *nec inſtitui poteſt niſi præparato otio, nec*
exiguo tempore abſolvi. Quod cùm in quavis Hiſtoria maximè verum ſit,
in tanti Principis ſummo cuilibet retroactæ antiquitatis meritò confe-
rendi factis, & virtutibus commemorandis eſt longè veriſſimum; ma-
ximarum rerum ſerie cum Sereniſſimi ejus Parentis inclytis rebus geſ-
tis, & prodigioſis Luſitaniæ ſub eo eventibus neceſſariò delibandis con-
nexa tranquillum otium, animum cæteris curis liberum, ac diuturni-
tatem ad ſcribendum exigente. Mihi verò neque ad auſpicandum, pro-
movendumve, ne dum ad abſolvendum tantum opus, ex longo, fa-
teor, meæ commiſſum induſtriæ placidum otium, liberumque hactenus
tempus aut fuit, aut enixè utrunque roganti conceſſum eſt: oportuit fur-
tivis, ut plurimùm horis, ad Cleantis lucernam elucubrare opus ex illuſ-
tri argumento ſolis luce, cedroque dignum; dignius quidem futurum, ſi
Livii alicujus, Salluſtii, Cæſaris, Curtii, Florive aureum, ut expedi-
ret, non meum rudem planè calamum ſortiretur. Quare mirandum po-
tiùs erit prudenti cuilibet rerum æſtimatori, quòd provecta jam ætate,
ſexagenarioque à biennio major Hiſtoricus, opinione celeriùs illud exe-
gerit, quàm quòd invitus, impotenſque, plurimis, & graviſſimis reli-
gioſæ diſciplinæ curis aliorſum abripentibus, perpetuò impeditus, in lon-
ginquius diſtulerit. Non eſt mora longa, cùm id, quod æternitati diu
ſcribitur, tandem aliquando expetitam lucem haurit. Quæ egregia futu-
ra ſunt, ſerò proveniunt, & lentis ductibus abſolvuntur. Segnior qui-
dem, at longè dulcior fructus habetur, qui diutius expectatus, lentiùs
in arbore matureſcit. Adde licèt fortè dolenda ſit, non fuiſſe inutilem
publicæ expectationi eam qualemcunque moram, quæ uberiorem indies
ſcribenti, veritatemque illuſtrium exemplorum indaganti materiam ſup-
peditavit: *Nec ſerum eſt, quod verum* (inquit S. Cyprianus) *quæ in tenebris*
S. Cyprian. ſerm. de cœna Dom. *aliquandiu deliteſcunt, venturi temporis indicio certiora nonnunquam innotuere*.
Felicitatis tandem meæ fuerit citò non abſolvere hanc Theodoſii, ſeu Per-
fecti Principis veram effigiem; ne meritò poſſet quis mihi objicere, quod
olim ferunt Apellem objeciſſe imperito pictori, cui de celeritate glorianti, &
oſtenta tabula dicenti: *Hanc modò pinxi. Etiam ſi tacuiſſes* (inquit Apelles) *res ip-*
ſa loqueretur, quòd eam ex tempore ſubitò pinxeris.

3 Illud unicè ſummo, ac immedicabili dolore proſequendum, quòd
ſibi primò à Sereniſſima Regina demandatam hanc ipſam Provinciam, per
maxima, quandiu deinde vixit, quibus pene obrutus eſt, publica im-
pedimenta, & per immaturam paulò poſt mortem implere non valuit
R. P. Doctor Andreas Ferdinandus Societatis Jeſu Japonenſis Epiſcopus
deſignatus; idemque Principis Theodoſii Confeſſarius; cui propterea pe-
nitiores ipſius virtutes, & quælibet memoratu digniora nulli alteri for-
taſſis cognita, erant exploratiſſima; cujus præterea pereleganti, omni-

modèque

modèque commendabili ſtylo, quo nullum noſtra tulit ætas elegantiorem; ſi hæc Theodoſii effigies ad vivùm exprimeretur, ſuſpiceret certè admirabundus Orbis non modò eximium argumentum tali dignum Hiſtorico, ſed ex æquò tali, ac tanto Principi haud imparem Scriptorem. Nunc, quoniam concitatus illius obitus hanc Luſitaniæ, ſimulque Societati noſtræ gloriam invidit, eamque ille mihi multùm idcirco mærenti, neque minus immerenti penitus illibatam reliquit, ne uno quidem latino verbo relicto; oportet utrique debitum id undequaque obſequium à me ſolvi, pro meo tenui captu, non eſt ut omnino vellem, ſed ut maximè poſſum. Id pro virili me præſtiturum ſpero, ſpondeoque, ſcripta Sereniſſimi Principis Theodoſii vita, niſi aureo, ut decebat ſtylo, cujus inopia laboro, ſumma certè fide, quam ille dum vixit omni auro longè habuit pretioſiorem, quamque primam eſſe genuinæ Hiſtoriæ legem docet Romanus Orator: *Prima* (inquit) *lex Hiſtoriæ;* Tull. 2. de Orat. *ne qua ſuſpicio gratiæ ſit in ſcribendo, ne qua ſimultatis.* Huc induſtriæ nervos omnes intendi, ſedula, indefeſſaque perſcrutatione unicæ veritati explorandæ attentus, nequid temerè, aut à vero alienum proferrem: idque *Sine ira, aut ſtudio* (ut Taciti verbis utar) *quorum cauſas procul habeo.* Tacit. l. 1 Annal. in initio. Ut autem omnino pro comperto habeas à quibus potiſſimum Authoribus acceperim, quæ ſcribo, illorum illuſtria nomina tibi libens infra dabo; quò perſpecta eorum auctoritate indubia ſcribendis fides conſtet. Hic à §. 14

4 Nunc de ipſa ſcriptionis methodo, & ratione, nonnulla velim animadvertas; ut nimirum ſi optima tibi videbitur, favens annuas, cæteriſque ne abnuant, perſuadeas: ſin minùs, ut ſiquid à me fortè per imprudentiam peccatum judices, totum id pro tua ſingulari benevolentia boni vertas, aliorumque rigidiorem cenſuram tua mitiori emollias. In tres igitur libros, ſuis capitulis, vitandi tædii cauſa diſtinctos, univerſam Sereniſſimi Principis Theodoſii Hiſtoriam dividimus: quorum primus Ipſius vitæ ſeriem ab ortu auſpicatiſſimo ad flebilem exitum complectitur; Secundus Virtutes ejus morales, ſive politicas cunctis Principibus etiam Ethnicis, aut qualibet alia ratione infidelibus, Chriſtianiſque communes continet; Tertius Virtutes Illius Chriſtianas pluris faciendas dilucidat; eas verò ſic placuit appellare, quia earum nonnullæ ſint Chriſtianorum Principum (ut cum Philoſophis loquar) maximè propriæ, neque ab infidelibus coluntur, immò nedum agnoſcuntur, cujuſmodi ſunt Fides, Spes, Charitas, Chriſti Domini, & Deiparæ cultus, Humilitas, Virginitas, & ſimiles: aliis ex Chriſtiana profeſſione Orthodoxi Principes maximè omnium excellunt, v. g. obedientia, mundi, ac divitiarum contemptu, patientia, & ſimilibus. In hiſce verò tribus libris, præter alia, quæ me non latent, tria potiſſimùm occurrent nonnulli critico, in quibus ab Hiſtoriæ præfixis legibus abire ab aliquibus fortaſſe inſimulabor. Jam verò quò ipſi obſervata, Te Authore, measque partes agente, aut diſſimulent, aut benigniùs interpretentur (non enim inconſultò id à me factum) rationem conſilii mei Tibi libet aperire.

5 Primum, in quo Criticus aliquis poterit fortè offendere, illud eſt, quòd in primo libro Theodoſii vitæ ſeriem Sereniſſimi Parentis, rerum geſtarum, & aliorum ſub idem tempus eventuum commemoratione non ſemel interrumpam. At non immeritò, ſi attentè, placidèque ab omni præpoſtero affectu liber, ut ſpero, me audias.

Nihil certè à me inibi, aut præter illuſtrium Hiſtoricorum approbatum morem, aut ipſis rebus non exigentibus commemoratum invenies; univerſa vel maximè faciunt ad pleniorem, omninoque neceſſariam rerum Theodoſii explicationem; ſine quibus mutila prorſus foret, neque ab exteris planè intelligi poſſet Hiſtoria; cujuſmodi ſunt Regiæ acclamationis à me tantùm perſtricta brevi initia, progreſſus, finis, & ſimilia. In hiſce omnibus aliquid memoratu dignum aut agentem, aut proferentem Theodoſium animadvertes. Poſſem quidem abſque ulla prudenti nota, per univerſas Sereniſſimi Regis Joannis Quarti, easque clariſſimas res geſtas, memorabileſque ſub eo eventus, quandiu vixit Theodoſius, longiùs, & licentiùs evagari; cùm nihil ille magnum aut prudenter, animoſèque conceperit, aut feliciter demum confecerit, quin cum Theodoſio adhuc Puero, & mox Adoleſcente in conſilium privatim, publicève adhibito, per otium contulerit; ſive ad illius judicium in rebus arduis, & implicitis explorandum, ſive in poſterum inſtruendum; Ab iis nihilominus conſultò abſtinui, tum ne juſto longiùs à Theodoſio me ſibi totum vendicante aliorſum recederem; tum maximè relicto eo, cui me imparem agnoſco, ampliſſimo argumento, longè cultiori ſtylo, dignioribuſque impendiis ex integro pro dignitate, ut par eſt, proſequendo. Quidquid ex illo Theodoſii rebus valdè connexum delibo, nonnihil, ut puto, conducet, vel ad levandum faſtidium ex rerum ſimilium continenti narratione oriri ſolitum; vel ad conciliandam majorem ſtudioſo Lectori voluptatem, ex delectabili viciſſitudine vulgò natam; vel tandem pro alenda interim hiſce veluti nutrimentis publica expectatione Hiſtoriæ Luſitaniæ Liberatæ, qua nullam, niſi fallor, ſuſpiciet Orbis (modò illi dignus contingat Latinus
Hic §. 15. Hiſtoricus, Luſitanoque ſimilis de quo infra) plauſu, & admiratione digniorem. Quæ quidem quaſi aurea, gemmeaque fragmenta Moſaico planè artificio huic noſtro inſerta operi diſſecui vel ex Meneſſiana Aurifodina, vel ex veridicis relationibus publica fide, Regiaque auctoritate prælo commiſſis; quod moneo, nequa dubiæ veritatis ſuſpicio ſubeſſe poſſit.

6 Supervacaneum hic duco per otium illis occurrere, qui fortè judicabunt alienum eſſe à religioſo Hiſtorico, qualem profiteor, ſacra prophanis, & virtutum commemorationi res politicas, cruenta prælia, & ex illis ortas victorias recenſendo immiſcere. Jam pridem enim Sacer eos Textus convicit, cujus Canonici, & religioſiſſimi Scriptores divino planè inſtinctu prælia, victorias, & politica documenta ſuis paſſim interſerunt Hiſtoriis. Id ipſum laudabili deinceps æmulatione præſtitere plurimi ex omnigeno religioſo cætu venerabiles Hiſtorici, haud vulgarem exinde celebritatem apud prudentiſſimos quoslibet adepti. Quorum demum veſtigiis laudabiliter inſiſtentes ſatis multi, è noſtra Societate non modò Sacras, & Eccleſiaſticas, ſed etiam merè prophanas Hiſtorias ſanguinolentis vulgò præliis, & victricibus laureis ornatiſſimas profeſſi ſunt. Ex iis quinque ſupra quinquaginta Viros Religione, ac prudentia eximios cum debita maximi honoris præfa-
P. Aleg. in Indice Hiſtoria illuſtrata §. 1. tione adnumerat P. Philippus Alegambe in ſua Bibliotheca Scriptorum Societatis Jeſu; ipſamet Societate non annuente modò, ſed gratiſſimo ſibi operi mirificè adplaudente. Ibi verò, inter alios, tam exquiſitis, quàm veris encomiis cœlo inſerit primam P. Famiani Stradæ tunc unicè prælo datam Decadam de Bello Belgico; cui præcipuum argumentum bellici apparatus, Hiſpanæ, Belgicæque victoriæ ſuppeditarunt. Opus quidem à Religioſiſſi-

mo Viro conditum non plus ipſi, quàm Societati noſtræ, univerſæque Chriſtianæ Reipublicæ perhonorificum; idemque (quod magis mirere) victoribus ex æquò, victisque acceptiſſimum. Poſtremus omnium, at nulli veterum, aut recentiorum ſecundus P. Joannes de Buſſieres adhuc ſuperſtes Francicam Hiſtoriam quatuor tomis comprehenſam à Pharamundo Rege ad Chriſtianiſſimum Ludovicum XIV. inclytas Gallorum res geſtas, & memorabiles victorias continentem in lucem nuper edidit; quali, quantoque omnium plauſu, univerſus venerabundus Orbis ſuſpiciendi certè operis admiratione defixus atteſtatur. Eundem, poſt decerptos promeritæ gloriæ fructus ex ſuis Hiſtoriarum floſculis, ab Urbe Luſitaniam haud pridem repetens Lugduni reperi novum priori longè copioſius elaborantem Compendium annalium totius Orbis, cùi neceſſariò erunt, & veteris ab eodem Orbe condito, & noſtri ævi prælia, & victoriæ inſerendæ. Id verò non approbante modò, & imperante (quod ab ipſomet accepi) verùm etiam impellente Reverendiſſimo P. Noſtro Generali probè conſcio hujuſmodi bellicum argumentum nullatenus religioſum Hiſtoricum dedecere; modò illud verè quidem, & prudenter abſque ullius offenſa, omnimodèque ſapienter exequatur. Omiſſis igitur cæteris huc maximè facientibus, iiſque validiſſimis, ut in re prorſus evidenti, rationibus; cùm tam multi etiam è noſtra Societate viri adeo inclyti ſumma cum laude munus id ex profeſſo ante me obierint; dum ego pauca è multis ejuſdem generis, in quò poſſem liberiùs ſpatiari cautè delibo; verendum mihi potiùs erit, ne in recenſendis tranſcurſim aliquot nuperrimis Luſitanis præliis, & calentibus adhuc victoriis nulli non exploratis, plus nimiò parcus, quàm plurimus, ne dum immodicus à prudentibus ſim reprehendendus.

7 Secundum eſt, quod Te monitum velim, ac demiſsè rogem; ne mihi Theodoſii politicas, Chriſtianasque virtutes maximas in ſecundo, tertioque libro ſeorſim commemoranti, at interdum in minimis ejuſdem actionibus, dictisve immoranti ſuccenſeas; quaſi videar magna modis tenuare parvis, & maximi Principis opinioni multùm obeſſe rerum minimarum, publicaque expectatione minorum narratione. Toto, ut ajunt, cœlo veræ magnitudinis inſcius aberrat, qui me veritatis in indiviſibili conſiſtentis punctum, quo nihil minus dici poteſt, ferientem ab ſcopo aberraſſe, aut ſecum tacitus reputabit, aut apud alios idem fortè ſentientes licentiori objurgatione reprehendet. Non ſunt magna quidem, quæ imprudens vulgus externa ſæpe rerum minimarum ſpecie hallucinatum maximi facit, futilique nonnunquam æſtimatione ſupra modum immodicè amplificat. Ea certè magna ſunt, quæ ſapientes viri rerum optimi æſtimatores, ſingulaque rectæ rationis æquali trutina expendentes, internaque, unde vera emanat magnitudo, ſpeculantes, magna eſſe teſtantur: *Neque ſemper* (ut prudentiſſimi Plutarchi judicio me muniam) *clariſſima quaque res virtutes, vel vitia repræſentant, ſed exiguum ſubinde factum, dictumque, & jocus aliquis citiùs ſpeciem edat morum, quàm funeſtiſſima prælia, maxima acies, & urbium expugnationes, &c.* *Parva res dictu* (concinit judicioſè Florus) *ſed ad magnanimitatem populi Romani probandam ſatis efficax.* Quantò nervoſiùs D. Hieronymus:) *Non ſunt* (inquit) *contemnenda quaſi parva, ſine quibus magna conſtare non poſſunt.* Adde, in Principibus, & magnatibus omnia plerunque magna eſſe; ſicut in eorum vitiis, ita in virtutibus politica, ut plurimum, Philoſophia minima

Plut. in vita Alex. initio.

Flor. l. [illegible] c. 6.

D. Hier. tom. 1. ep. ad Lætam.

 non

non agnoſcit : iidem inſita ſibi magnitudine cœlum referunt, cujùs mathematica puncta longiſſimis terræ ſpatiis æquiparantur. Præterquàm quòd in cœlo ipſo perſpicaciores Aſtrologi non majoris tantùm, ſed minoris etiam magnitudinis ſtellas ſtudioſiùs quandoque obſervant; neque cœleſtium modò circulorum notant gradus, ſed exigua quoque longiſſimi temporis minuta. Maxima prætereà quæque corporea moles, vel ſolis conſtat, vel infinitis propè minimis, eòque minimè contemnendis indiviſibilibus, juxta diverſa Philoſophorum placita; qui non dubitant, ut de maximis, ita de minimis difficillimas excitare quæſtiones. Jam verò in re literaria quàm id ſit verum, quàmque minima quæque maximi ſint facienda diſertè docet magnus Baſilius: *Siquis* (inquit) *prima elementa, ut res minutas contemnas, quando ad perfectam perveniet Sapientiam? Næ, & non, ſyllabæ duæ ſunt; attamen, quæ rerum omnium potentiſſima eſt veritas, & quæ extremæ malitiæ linea eſt, Mendacium, frequenter his minutis verbis comprehenduntur.* Idem ad extremùm videre eſt in minimis, quibusque ſupputatoriis notis, quæ minimæ, breviſſimæque cùm ſint, ingentem pecuniarum, aut cujuſque alterius rei ſummam exprimunt; ſapienter id adnotante Ruffo Feſto: *Morem* (ait) *ſequutus calculonum, qui ingentes ſummas æris brevioribus exprimunt, res geſtas ſignabo, non eloquar.* Ex quibus manifeſtum eſt à maximo quolibet Hiſtorico nec minimas quidem prætermittendas virtutes, quin commendet, magni ſæpe animi ſive indices, ſive teſtes; neque ſimiliter minima contemnenda vitia quin redarguat; enim verò *Parva ſæpe ſcintilla contempta magnum excitavit incendium.*

D. Baſil. l. de Spir. S. c. 1.

Sext. Ruf. Feſt initio Breviar.

Q. Curt. l. 6.

8 Ita quidem ſe rem habere in politicis factis, & virtutibus nemo prudens inficiabitur. Quid in Chriſtianis longè majoris momenti? Nihil eſt adeo exiguum, ut cujusque temporis etiam longiſſimi momentum; & tamen terribilis vox illa, & formidabilis ſententia, *O momentum à quo æternitas* maximum omnium animis mortalium terrorem debet incutere; cùm ex ſupremo vitæ cujuſque momento bene, vel malè traducto pendeat uniuſcujuslibet vel æterna felicitas, vel ſempiternum infortunium. Certè, ut de virtutibus, quæ ad noſtrum inſtitutum maximè ſpectant, unicè loquar; à prudentibus minimæ cenſeri non debent, quæ maximè placent Deo; ex effectu maximo, non ex minimo effectu quælibet hominum opera æſtimanti, ac remuneranti; cujus item divina potentia, & providentia non minùs elucet in minimis, quàm in maximis progignendis; teſte parvula formica, vel exiguo culice, ampliſſimo cœlo (juxta veræ Phyſicæ vulgare aſſertum) nobilioribus. Immò à Chriſto Domino (quod eſt maximè obſervandum) cœlum ipſum, ſive cœleſtis vita non proceris arboribus, ſed omnium longe minimo ſinapis grano appoſitè comparatur: *Simile eſt regnum Cælorum grano ſinapis; quod accipiens homo ſeminavit in agro ſuo; quod minimum quidem eſt omnibus ſeminibus; cum autem creverit majus eſt omnibus oleribus, & fit arbor.* Certo nimirum indicio, maximam ſæpe virtutem in minimis actionibus eminere. Nihilque (juxta majorem Plinium) tam parvum eſſe, quod non gloriam parere poſſit. Id, quod multò confirmat elegantiùs nuper à nobis laudatus D. Baſilius: *At quæ (inquit) tu nobis exactè dijudicanda propoſuiſti, ſic minima ſunt, ut eadem ſint magna: prolationis quidem compendio exigua; ſed rerum ſignificatarum vi magna; ad ſimilitudinem ſinapis; quod cùm ſit minutiſſimum inter arida legumina*

D. Hier. in epitaph. Nepotiani tom. 1.

Math. 13. n. 31. & 32.

Plin. l. 15. c. 14.

D. Baſil. ibid. ſupra.

legumina ſi juſta cura adhibeatur, explicat vim in ipſo latentem; & exurgit in altitudinem ſuo ſe robore ſuſtentans. Qui præterea ex aliis Chriſti Domini verbis eodem loci nos ſcitè admonet, intutum eſſe in via ſalutis vel minima prætermittere. *Nam ſi ex lege (* proſequitur *) nec unum jota, nec apex unus præteribit; quomodo nobis tutum fuerit vel minutiſſima tranſiliiſſe?* Nonne improbi Hæretici non modò ex unius jota, ſed vel ex minimi apicis abolitione, adjectione, aut converſione maximam, & exitialem nonnunquam hæreſim effutiunt? Pro exemplo ſint ejuſmodi Auguſtini, cui vulgò tribuuntur verba: *Qui fecit te ſine te, non ſalvabit te ſine te.* Quæ quidem affirmativè prolata, juxta genuinum Sanctiſſimi Doctoris ſenſum, Catholicam efficiunt, valdèque ſalutarem noſtris componendis moribus ſententiam: eadem verò ab Hæreticis adulterata, modicæ interrogationis indicio ad finem ſuperaddito in hunc modum, *Qui fecit te ſine te, non ſalvabit te ſine te?* Hæretico, & execrabili planè ſenſu, lethale prorſus venenum inſciis propinant, & Chriſtianos omnino mores evertunt. Unde planum eſt, quanti vel minimæ quælibet Chriſtianæ virtutes præſertim magnorum Principum ſint faciendæ, nullatenusque ſilendæ, utpote quæ ad veram magnitudinem adſpirantibus maximo ſunt emolumento, eodem Auguſtino id alibi admonente: *Magnus eſſe vis, à minimo incipe.* Quæ quidem omnia, licèt in quemlibet Principem natura magnum meritò cadant, Principi Theodoſio, in quo ſumma fuere omnia, longè potiori jure aptiùs, veriùsque coincidunt.

Math. 5. 18

S. Auguſt.

S. Aug. ſer. 10. de Verb. Dom.

9 Tertium deinde adversùs meum ſecundum, ac tertium librum non imbelle quidem telum, at ſine ictu (niſi mea mihi facilè, ut in re propria, imponit exiſtimatio) contorquetur. In illis paſſim ex Sacro inſtrumento, ex Sanctis Patribus, ex Hiſtoricis, Oratoribus, & Poetis, ex probatiſſimis denique cæteris Authoribus deſumptæ allegationes proferuntur. Id verò quàm ſit à legitimo Hiſtorico alienum, is tantùm dubitabit, qui veteres, recentioresve optimos Hiſtoricos longè aliter ſe habentes aut nunquam legit, aut præfixas Hiſtoriæ leges nec à primo (ut vulgò dicitur) limine ſalutavit. Eſt enim juxta illas, Hiſtoria ſimplex, nuda, dilucida, & ſyncera præteritarum rerum narratio; eòque ab omni affectatæ eruditionis aliunde emendicatæ lenocinio prorſus abhorrens. Darem profectò manus validiſſimo argumento, niſi mihi auxiliatricem manum in tempore porrigeret Hiſtoriæ apprimè gnarus Plutarchus, cujus hæc ſunt verba ſub initium vitæ magni Alexandri haud abſimili ſibi factæ objectioni ſatisfacientis: *Neque enim (* ait ille*) hiſtorias, ſed vitas conſcribimus.* Ex quo planè liquet alias eſſe Hiſtorici, aliàs vitam magni alicujus viri ſcribentis leges, ab illo ſtrictiùs, ab iſto latiùs eas obſervandas, multaque vitam ſcribenti licere, quæ Hiſtorico nequaquam licent. Primum igitur noſtrum librum, ſi placet, eaque dignum appellatione judices, Hiſtoricum dices: alìter ſecundum, & tertium, ut maximè voles, appellabis. In primo igitur libro puræ, ſimplicisque hiſtoriæ leges obſervare ſtudui; nulla, niſi rarò admodum alluſione aut cum aliis facta obiter collatione, vel dum coram eruditiſſimo Principe ventilatas aliquot politicas quæſtiones commemoro eruditione ibi omnino neceſſaria confirmandas: quod legitimo Hiſtorico ſemper licuit, ſemperque licebit. In ſequentibus, dum in commemorandis eximiis Theodoſii virtutibus totus ſum, ad earum vel

Plut. in vita Alex.

natu-

naturam opportuniùs explicandam ; vel ad evincendum inſolitos aliquarum nonnullos actus Principem virum minimè dedecere ; vel tandem ad Theodoſii præſtantiam in hiſce omnibus propalandam, non temerè, ſed prudens, ſciensque Sacræ Paginæ, Sanctorum Patrum, & illuſtrium quorumlibet Scriptorum teſtimoniis, externis, patriiſque exemplis uti me oportere judicavi. Certè ſi alterius cujuslibet ineruditi Principis vitam, ac virtutes ſcriberem, libentiùs etiam ab hujuſmodi allegationibus abſtinerem; verùm Theodoſii Principis ſacra, prophanaque eruditione adeo præcellentis vitam, & virtutes ſcribenti, quo jure quis aliquali eruditione non affectata, longèque petita, ſed facilè obvia, ultroque occurrenti uti prohibeat? Non vulgaris, at in omni virtutum genere rarus, & (ut ita dicam) extraordinarius Princeps, non vulgari, ſolitoque, ſed inſolito ſcribendi ſtylo fuit, meo judicio, proſequendus. Si tamen hiſce adeo probabilibus rationibus adhuc minimè acquieſcens pergas improbare ſtylum ab Hiſtorico nonnihil alienum; qualecunque id vitium condones, quæſo, homini olim in Eborenſi Academia humaniores literas, Rethoricam, Philoſophiam, & Sacram Scripturam diu publicè profeſſo. Difficilè ſenes ea dediſcimus, quibus juvenes diutius aſſuevimus.

10 Plurima præterea (non dubito) multorum vellicationibus obnoxia deprehendes; meritò, an immeritò? Non valde curo; *Homo ſum, & humani à me nihil alienum duco*; immò, ut cæteros quoque mecum involvam, cum nobili Satyrico dicam *Homines non Dii ſumus*. Nemo unquam fuit, aut modò eſt, vel olim erit, qui omnibus ita placeat, ut plurimis non diſpliceat. Si tibi fortè meus qualiſcunque ſtylus aut rerum ordo non arridet; eumque judicas irridendum; illum tuo cultiori, & elegantiori corrige; habes à me multo quidem labore (id unum haud inficiaberis) niſi aptè diſpoſitam, coacervatam certè, uberrimamque ad ſcribendam materiam; illam confidenter arripe; aureoque, ut par erat, ſtylo aurei Principis vitam exprime, immortalitatique commenda: in eo rem tibi maximè glorioſam, gratam omnibus, mihique uni gratiſſimam effeceris. Id niſi facias, cave ne dum reconditæ eruditionis, criticique ingenii ex innocui Scriptoris adnotandis defectibus famam captare pergis, audaculus forſitan aliquis tibi verè objiciat mordacis Epigrammatarii aculeatum illud ſcomma: *Hæc mala ſunt, ſed tu non meliora facis*. Nihil quidem eſt in mortalibus aut natura perfectum, aut arte ad amuſſim elaboratum. Et tamen Theodoſium ſive Perfecti Principis veram effigiem in prima voluminis hujus inſcriptione tibi promitto: quàm verè, paucis, adverte, docebo.

Petron. in Satyrico.

Mart. lib. 1. epig. 7.

11 Summa cujuslibet Principis perfectio in vera ſapientia, omnigenisque virtutibus ſita eſt. Totius perfectionis regulam, ſi rectè ſentis, ex ſapientia, & virtutibus aſſumas neceſſum erit: neque hac in re me tantum, ſed Sapientiſſimum Petrarcham auſcultes velim: *Majus* (inquit) *tutiusque eſt virtute, quàm literis clarum fieri: itaque ſemper illud optabile, & ſæpe iſtud formidabile res oſtendit: quòd ſi ad virtutem animi literarum lux acceſſerit, tum demum conſummatum, atque perfectum eſt, ea quidem, ſiqua in rebus humanis perfectio eſſe poteſt.* Jam verò, quantum ſapientia, cæteriſque virtutibus tam politicis, quàm Chriſtianis excelluerit Theodoſius planè intelliges ſtudioſè perlectis tribus, qui ſequuntur, libris: nec du-

Petr. in Dial. de grav. ingen. tardit.

bito,

bito, quin fatearis talem fuiſſe Theodoſium, ut ejus unius vita omnium ſit diſciplina, & Perfecti Principis vera Effigies, cui proinde aptè convenit eximium præconium, quo Valerius Maximus Scipionem Africanum extollit, ſi hujus maximi Ducis, & Deorum immortalium, quorum meminit, nomen deleas: *Scipio* (inquit) *Africanus, quem Dii immortales naſci voluerunt, ut eſſet, in quo ſe virtus per omnes numeros efficaciter oſtenderet.* Val. Max. l. 6. c. 9. n. 3 Tot certè, ac tam eximiis dotibus, & virtutibus claruit Theodoſius, ut in eo voluerit immortalis Deus mortalibus oſtendere, qualis, quantaque ſit vis ejus divinæ gratiæ efficacis. Deſuere (fateor) Theodoſio per invalidam ætatem, & immaturam mortem propriis auſpiciis parti triumphi, quibus Illi multum excelluit Africanus; at ſuperfuere inclytæ virtutes, quibus tam Africanum, quàm veteres, maximosque orbis Heröas, facilè ſuperavit; & quas omnibus magnificis triumphis meritò præhabendas idem Valerius alibi pronuntiat: *Explica* (inquit) *totos faſtos, conſtitue omnes currus triumphales, nihil tamen morum principatu ſpecioſius reperies.* Val. l. 8. c. 15. n. 8.

12 Illud tandem in Principis Theodoſii vita, quod alibi rarò ſi ſedulò inſpicias, facilè invenies. Cùm nempe in omnibus virtutibus fuerit eximius, & ſingularis, eaſdem ita coluit, ut omnibus communes redderet. In reliquis Principibus virtutes nonnullas ſuæ magnitudinis proprias, in Theodoſio etiam eas, quæ videntur, at re vera non ſunt à principatu alienæ, ſuſpicies: non regalibus Illemodò, ſed religioſis etiam eminuit. Summas, infimasque ita complexus eſt, ut in ejus vita tanquam in cryſtallino ſpeculo infimi, ſummique contemplari ſe poſſint, immò debeant; ut ex inſpectis ibi Theodoſii exemplis ſua univerſi vitia emendent. Ea eſt ſpeculi natura, ut non vili tantùm plebeculæ, ſed Regibus etiam, & magnatibus ſe conſulentibus eos, quibus laborant, inficiunturque, nævos liberè, ac ſyncerè prodat. Similis Theodoſii vita omnibus ad æmulationem legenda; ex qua non Reges tantùm, Principes, magnates, ac Duces, ſed infimi quoque immò religioſiſſimi quique ſummæ perfectionis profeſſores, poſſunt ſuis perficiendis moribus commoda exempla mutuari. Hoc unum meæ indefeſſæ quidem induſtriæ velim acceptum referas: nihil enim poſt diuturnam, laborioſamque, at alioquin voluptuoſiſſimam mihi perſcrutationem de Theodoſio reperi apud probatos Authores, quin ejus vitæ libens infererem, tibique imitandi cupido communicarem.

13 Unum id tantùm (fateor) tibi ſæpe ſubtraxi, occultumque volui; eorum ſcilicet nomina, quorum perſtringenda ſunt vitia, cùm aliquod Theodoſii factum, dictumve memorabile recenſetur; tunc enim incerto, tacitoque Authore, crimen evulgatur; habita, ut par eſt alienæ famæ, charitatis, & juſtitiæ id ſilentium exigentium, ratione. Immò (quod fortaſſis, me tamen inaudito culpares) etiam in memorandis laudabilibus actionibus, quæ ad plurimos pertinent, aliquando eorum, qui geſſere conſultò nomina premo; & in victoriis rebusque maximis delibandis ſolius ſupremi Præfecti, vel paucorum in bellico principatu optimatum nomina profero: tum ne dum aliquos laudo, aliosque inſcia, & inculpabili prætentione relinquo illaudatos, plus ex iſtis odii, quàm ex illis gratiæ mihi colligam: tum ne dum primo loco aliquem

ſcribo, cæterorum, quos deinde ſubſcripſero, gravem offenſam, ex prænominationis prærogativa incurram. Glorioſus quidem (ne invidioſum, ut nonnulli præpoſterè, dicam) Luſitanorum genius eſt: tam ardenter amat unuſquiſque cæteris præferri quàm dolet vel uni tantùm poſthaberi: eorum idcirco nemine niſi rarò, rebus id exigentibus, nominato, nemini fiet injuria. Ita memorabili facto meum id conſilium approbante Magno Alphonſo Albuquercio; qui capta olim Malaca, conditaque inibi arce Urbi ampliſſimæ dominatura, illius frontem prægrandi, prominentique lapide reddidit auguſtiorem; in quo illuſtrium Luſitanorum nomina, qui ad expugnationem ejus urbis præcipuam operam contulerant, ſeriatim incidi juſſit. Verùm graves eorum expertus querimonias, qui aliorum nomina ſuis præferri ægrè admodum ferrent, extractum lapidem imperat eodem loco introrſum obverti, ac in extante denuo ipſius facie, pro honorifica, ſed odioſa veteri inſcriptione,

Pſ. 117. 22 aliam apponi ex Pſalmo Davidico: *Lapidem, quem reprobaverunt.* Hinc

Commentaria Alph. Albuq. 3. p. c. 31. alieno periculo factus ſapiens, à glorioſis plurimorum nominibus profe-rendis vulgò abſtineo, ne cum alicujus, licet immerita, offenſione publicæ, privatæque gloriæ inſerviam: præſtat aliquibus minus exultandi, quàm vel uni leviter dolendi cauſam dare. Illud pro Luſitanis; id pro Caſtellanis obſervare te velim; nimirum, ita plerunque à me illos appellari, non quia illuſtrem Hiſpanorum nomenclaturam (quod abſit) ipſis debita cum honoris præfatione ſemper à me habitis invideam; ſed ad tollendam omnino hiſtoriæ, ac rerum geſtarum ambiguitatem. Enim verò, cùm Luſitani, utpote in Luſitania præcipua totius Hiſpaniæ parte, nati, etiam Hiſpani appellentur; niſi utroſque diverſis penitus inter ſe vocabulis diſcriminarem, ingens ſæpe confuſio, vel æquivocatio Hiſtoriæ maximè inimica ſuboriretur. Ut autem omnino pro comperto habeas à quibus potiſſimum Authoribus acceperim quæ ſcribo, illorum illuſtria quidem nomina tibi libens offero, quò eorum perſpecta ſuſpicienda certè auctoritate, indubia ſcribendis fides conſtet.

E quibus fontibus Sereniſſimi Principis Theodoſii vitam, & virtutes hauſerim?

Lib. 2. à §. 26. 14 IN primis libros omnes, ſive tractatus ipſius Principis Theodoſii manuſcriptos, de quibus infra dicendum, quos reperire licuit, curioſus, & admirabundus lectitavi; ex quibus optimas non ſemel ſententias recitare optimum duxi, ut qualis ejus fuerit in ſcribendo ſtylus; qualis, quantaque ſapientia, qualis demum de ſcientiis, de virtutibus, & ſimilibus exiſtimatio univerſis innoteſceret. Mox Sereniſſimam Reginam ipſius Matrem, Sereniſſimamque magnæ Britanniæ Reginam ejuſdem Sororem reverenter, ac per otium conſului: utraque Majeſtas de Sereniſſimi Filii, Fratriſque dotibus, virtutibus, ac domeſticis exercitationibus pluríma ſcitu digniſſima mihi commemorare dignata eſt: inter quæ, cùm nonnulla ſint ſupra communem vulgarium Principum celebritatem, in quibus recenſendis laborare poſſet Hiſtoriæ fides, pro ea concilianda,

quoties res ipſa poſtulat, producere ſoleo hujuſmodi, vel ſimile aliunde irrefragabile teſtimonium. Cui acceſſit Ipſius Confeſſarii Epiſcopi Japonenſis non abſimile, nec minoris faciendum: quem poſt Principis obitum ſæpe audivi de ſummis Illius dotibus, & virtutibus differentem; cujus prætera legi, variiſque in locis tranſcripſi familiarem Epiſtolam datam Ulyſſipone die 8. Junii anni 1653. ad P. Franciſcum Araneam Rectorem noſtri Collegii Elvenſis, in qua maximas Principis Virtutes curſim perſtringit. Cujus tandem habeo tum breviſſimas remiſſiones, quibus in ſemifolio nuda pene virtutum, & exemplorum nomina committebat, amplam ſibi omnium conſcio futuræ Hiſtoriæ materiam in tempore ſuppeditatura; tum aliena, quæ collegerat ab illuſtribus, & religioſis intemeratæ fidei viris manuſcripta teſtimonia maximi quidem facienda, utpote illius approbatione ſtabilita. Poſt hæc tanti momenti adeo ſolida faciendæ fidei argumenta, plurimos denuo, quos referre longum eſſet, adivi egomet viros integerrimos; ex his illuſtriſſimos nonnullos Principis olim Ephebos pueros unà cum illo diu educatos; Cubicularios, ac domeſticos magni nominis eidem perpetuò adhærentes; medicos prætera; Belli, Trium Statuum, ac Supremi Concilii, quibus aut præfuit Princeps, aut ſæpe interfuit, Conſiliarios, ac Secretarios: qui omnes ſuis ſcriptis, aut verbalibus relationibus exploratiſſima ſibi de Principe memoranda mihi ſuggeſſere. Mox longa, diligentique indagatione collegi quaſcunque reperire potui tum conciones, tum latinas orationes quæ proximè à Principis exceſſu pro ſacris, Academicisque roſtris in templis, Academicisque aulis in ſumma omnium ordinum frequentia à magnis viris non niſi certiſſima proferentibus, habitæ ſunt.

15 Tandem, ejuſdem argumenti apud me habeo illuſtria planè monumenta, typis jam mandata, quæ placet indigitare, ut ſcias à quibus, quantiſque Authoribus, quæ ſcribo hauſerim, quod eſt ingenuum profiteri. Et quidem in his ſuo jure primum ſibi locum vendicat, qui primus in publicam lucem prodiit aureus planè liber, Romanæ typographiæ; Latinæ limatioris linguæ, Luſitanæque gloriæ in exiguo volumine maximum quidem meo judicio, & decus, & incrementum; cui titulus, *Tumulus Sereniſſimi Principis Luſitaniæ Theodoſii, ornatus virtutibus, opletus lacrymis; illius immortalitati à D. Ludovico Souſa Comitis Mirandæ Filio, uno ex intimis aulæ erectus.* Continet (niſi fortè vidiſti) liber per omnia eximius in præliminari facie inciſam æri elegantem Principis Theodoſii effigiem nativæ non nihil ſimilem, hoc diſthico animatam: *Vivit Theodoſius ſub pectore, vivit in ære; Ære manus vivum; pectore cudit amor.* Mox ſummam ejuſdem Principis vitam cultiſſimo expreſſam penicillo; deinde quatuor totius mundi plagas; Europam tauro inſidentem, Africam leonibus vectam, Aſiam Elephanti impoſitam, Americam tandem Crocodilo innixam, propriis cujuslibet inſignibus effigiatas, ſuiſque locis aptè diſpoſitas; miro, ingenioſoque artificio inducit certatim intentas Theodoſio fato immaturo prærepto juſtis mutuò perſolvendis, Illiusque ferali cœnotaphio lacrymis viciſſim impendendis. Earum quælibet, dum ſoluta, ligataque omnigena oratione juſtas plorandi cauſas proſequitur ſummas Theodoſii dotes, ac virtutes, exindeque conceptas ab univerſis mortalibus de Illo ingentes ſpes, quibus ſe fraudari efflictim dolet,

 miri-

mirificè proponit ante omnium lacrymabundos oculos ; quo præcellentis ingenii acumine, qua verborum proprietate, ſententiarumque multiplici elegantia, vix credi, ne dum dici poteſt. Eo inopere undequaque inſigni perficiendo deſudaſſe clariora Europæ ingenia, quæ tunc Romæ agebant tum Italica, tum Luſitana verè dixeris, ipſomet Authore id ingenuè atteſtante in ſuo ad Lectorem proloquio, elegantiſſimis hiſce verbis: *Paucis* (inquit) *ut in luctu, ò Lector, te volo. Lacrymæ ex oculis pretium habent. Quas hic expreſſas vides, ea à ſummis ingeniis precibus ſunt meis elicita. Unius ſunt generis, ſi dolorem; diverſi, ſi fontem ſpectes. Nam ubi terrarum præclarum aliquem novi exiſtere Fontem; illum ego ſubornavi ad fletum.* Ac mox idem: *Utinam par mihi dolori ingenium contingeret; non aliena rogarem; & quod illa precariò efficiunt, Ego ſponte redderem. Quod ex diverſis collectæ ſint oculis lacrymæ, nihilo tu magis vituperare poteris, quàm quòd è multis fontibus aquæ in unum fluvium corriventur, & confluant. Ut paulum variet ſtylus, certè omnium idem eſt, & impetus, & curſus.* Hujus tanti Viri ob egregia merita primò Hipponenſis Infulæ, jam Ulyſſiponenſis, & maximi Regii Sacrifici dignitatibus aucti, at longè amplioribus digniſſimi teſtimonio, ejuſdem limatiſſimis prolati verbis ſæpe, utor tum aſtruendæ fidei ergo in rebus vulgarem fidem ſuperantibus; tum maximè, ut meæ voluptatis, quam ex eo legendo inſignem percipio, te participem efficiam.

16 Sub idem ferè tempus 25. Auguſti anni 1653. Londini, ubi extraordinarium agebat Legatum excellentiſſimus Dominus Joannes Rodericus Sà Meneſius Comes Penaguianus, maximusque Sereniſſimi Regis Joannis Quarti Cubiculiarchus, Britannicos juſſit illuſtrari typos nobili funereo elogio Luſitano, in quo ab ortu ad occaſum, in breve compendium redacta Sereniſſimi Principis vita; demum à ſe ipſo ſupremos Illi rite perſolutos honores illuſtri Cenotaphio, ingenioſis emblematis, ac lacrymabili Epitaphio commendabiles commemorat. Simili profectò ille dignus: interim in Pace Auguſta, infra dignitatem jacenti pro glorioſo Mauſolæo ſatis ſit elegantiſſima verba hîc inſcribere tranſcripta fideliter ex illuſtri libello, cui titulus, *Elvia Obſidione liberata. Authore Alexio Collotes de Iantilles*, inclyto Scriptore, digniſſimo quidem cujus aureo, cultiſſimoque Latino calamo univerſa Luſitana Hiſtoria ſcribenda maximis præmiis, & honoribus cumulata committeretur: *Undecimo* (inquit) *Kalend. Novembris, vix dum aperiente ſe die hoſtes in Divi Franciſci cœnobium invaſere poſitum ad pilæ ſclopetaris ictum Religioſi Ordinis ſedem Familiæ Franciſcanæ, quam à pietate nuncupamus. In hoc veluti ſolitudinis pacatæ diverſorium receperat ſeſe valetudine morbo infracta, mortique proximus Ioannes Rodericus Sada Comes Penaguianus ab arcani ſtatus, & belli conſiliis, Sacri Luſitanorum Regum Cubiculi Præpoſitus, quique haud multis ante annis extra ordinem legatione ad Britannos functus erat. Modeſtia præpediente manum, vulgare prohibeor, quæcunque & in ſacros religioſæ domus parietes, & in ipſos incolas ſacrorum adminiſtros petulanter hoſtis admiſerit, exuta propemodum reverentia. Detur cæco irrumpentium militum ardori, noctiſque tenebris quidquid per inobſervantiam irreligioſè adverſùs ex peccatum eſt. Illud tamen ſilentio tranſmitti juſta non patitur ſcribentis indignatio; quòd agenti in extremis Penaguiano ingenita mortalibus commiſeratio haud pepercerit, cadavere ve-*

 rius,

rius, quàm ipſemet in captivitatem abducto: etenim paucis ille poſt amiſſam libertatem intercedentibus horis extinctus eſt: dignus utique memoria celebri, quòd ipſa genere mortis obſequia quaſi decore novo cumulaverit, quæ multa dum viveret Regi ſuo fide ſumma præſtiterat. Hujuſce pariter inclyti Domini, & de aſſerta Luſitania optimè meriti, rerumque Theodoſii apprimè conſcii, non ſemel profero quæ inibi de illo refert maximi facienda encomia.

Tribus deinde abhinc annis typographicam lucem hauſit Luſitanum aliud Elogium Authore P. Georgio Cardoſo Presbytero in ſuo Agiologio ad quintam decimam diem Maii in quam mors Principis incidit: ubi cœleſtibus faſtis egregias ejus virtutes inſerit; Luſitanis ipſe inclytis Scriptoribus, viriſque optimis jure optimo inſerendus: quorum illuſtria opera, factaque, ne unquam interirent, tribus luculentis tomis effecit; tres alios expectatiſſimos, quibus totius anni circulus clauderetur, nobis immatura ejus morte invidente: id quoque elogium, vel ab illo decerpta non nulla, pro confirmanda veritate, erunt nobis aliquoties allleganda.

Agiolog. Luſit. die 15. Maii.

Duo tandem ſunt clariſſimi Scriptores omni exceptione, commendationeque majores, quorum ſtrenua opera, & induſtria huic proſequendo operi, eidemque utcunque perficiendo multùm me profeciſſe fateor. Primus eſt Illuſtriſſimus Dominus Joannes Nonius à Cunia Principis Theodoſii olim Cubicularius, ipſiusque in Elvenſi expeditione individuus ſocius, poſtea Sancti Vincentii creatus Comes, Indiæque Prorex. Is eadem Sereniſſima Regina Matre jubente ſuſcepit Luſitano idiomate ſcribendam vitam Sereniſſimi Principis Theodoſii; cui ob egregias dotes fuerat acceptiſſimus, illiusque laudabilium actionum, ſive ad æmulandum, ſive ad ſcribendum eximius explorator: cujus præterea memorabilium operum, dictorumque plurimi certè faciendum ipſe confecit diarium, ex quo Principis obſequio addictus fuit, ejuſque Cubicularius à Sereniſſimo Rege deſignatus. Cœptum opus, longèque provectum abrumpere coactus eſt ad Interamnenſem exercitum, ubi tunc ſolitò atrocius bellum ſæviebat; ibique primis ineundæ pacis cum hoſte colloquiis, & ventilandis æquis conditionibus Caduceator electus eſt: ibidem non tam faventibus oculis, & maturis conſiliis, quàm auxiliatrice dextra ex Caſtellanis triumphis. Indicos auſpicatus; hìc terra Europeis, illic mari victrici haud ſemel claſſe Aſiaticis hoſtibus debellatis. Quem ſi fata virum, pace belloque inclytum domi, ac foris juxta ſuſpiciendum diutius incolumem nobis ſervarent, non dubium quin datam ſæpè à ſe fidem ſuo Principi propagandi apud Ethnicos orthodoxam fidem, omnigenoſque Infideles profligandi, exactè liberaret; ac demum ipſius vitam triumphali exaratam ſtylo æternitati commendaret. Verùm Luſitana expectatione celeriùs Goæ decedens, & glorioſè vivendi, & glorioſa ſcribendi lugubrem bonis omnibus finem fecit. Dum tamen ex ipſius ſcriptis mihi ab eo antea communicatis plurima ſeligo, ejuſdem frequenti facta mentione, cùm ad colligendam Hiſtoriæ fidem opus erit, ſiquid apud poſteros mea ſcripta valebunt, efficiam, ut in Theodoſii vita ejus ope abſoluta utriuſque poſthuma gloria & reviviſcat, & perennet,

19 Secundus, nulli certè aut illuſtribus à ſe rebus præclarè geſtis, aut alienis à ſe pro dignitate illuſtrandis ſecundus adhuc ſpirat illuſtriſſimus Dominus Ludovicus Meneſius, unus olim è præcipuis Principis Theodoſii ingenuis pueris; mox in Tranſtagano exercitu, quò ſe prima vix ineunte adoleſcentia feſtinus proripuit per univerſos militiæ gradus ab infimo ad ſupremos bellicis muniis ſumma cum laude obitis, ad extremùm rei tormentariæ Præfectus, nunc digniſſimus Eyriceriæ Comes, Idem plurimis partis victoriis; ac omnium longè maximis tribus poſtremis clarus, Elvenſi, Ameixialenſi, & Claramontana, quæ ſummam pacis, qua fruimur felicitatem nobis peperere, & quarum pars magna fuit; ignavum pertæſus otium, illuſtrioreſque adhuc palmas generoſa mente agitans, aſſuetam Caſtellanis triumphis victricem dextram, iiſdem ſcribendis accomodat; ſtylumque ferreum, quo hactenus ſtrenuos hoſtes ſtrenuiſſimè pupugit aureo planè commutat, quo ſuorum commilitonum inclyta facta, de quibus nulla unquam ætas, eo loquente conticeſcet, verè, ut oculatiſſimum indubiæ fidei teſtem decet, in lucem proferre ſatagit; ſuis interim eò vocaliori, quò modeſtiori ſilentio præteritis. Exorditur igitur, jam nunc nimis adultum Luſitanæ gloriæ, maximæque expectationis egregium opus, cujus hæc eſt inſcriptio, *Hiſtoria Luſitaniæ reſtaurata*, à primis ipſius Luſitaniæ ſub Sereniſſimo Alphonſo primo Rege incunabulis; quæ prætervolanti, at elegantiſſimo calamo, ſummis tantùm rerum maximarum apicibus delibatis ſeriatim deducit ad noſtri ævi annum quadrageſimum ſupra milleſimum ſexcenteſimum tam Caſtellanæ Monarchiæ climatericum, quàm Luſitanæ auſpicatiſſimum. Exinde Regiam Sereniſſimi Joannis Quarti acclamationem raris prodigiis admirandam, fortunatiſſimis domi, bellique eventibus confirmatam, illuſtribus paſſim Luſitanæ bellicæ virtutis denuò reviviſcentis oſtentis, inclytis victoriis, ac tandem optatiſſima pace ſtabilitam proſequitur. Ibidem Sereniſſimi Theodoſii præcellentes dotes, eximias virtutes, ac celebriores actiones ad illius immaturum uſque obitum interſerit. Quàm verè, dilucidèque, quàm fluidè, ac eleganter, quàm nervosè tandem; Ab eo faciliùs, ac voluptuoſiùs, quàm à me velim diſcas: modò venerabundus ſuſpicias Luſitanum in utroque Cæſarem eximium; cujus fulmineum dextra rotat gladium, ſcriptum dabit altera librum; gladium nempè verſatilem, & feriendis hoſtibus, & feriendæ paci exæquò expeditiſſimum; librum non qualemcunque, ſed liberatæ Luſitaniæ præclaras res geſtas explicantem; eundem ſcriptum intus, & foris, tum externis triumphis, tum internis militum, ducum, Principum, Regum Luſitanorum, at præcipuis Principis Theodoſii virtutibus illuminatum. Cui jure aptare valeas Junioris Plinii verba de Pomponio: *Idem tamen in hiſtoria ſatisfacit vel brevitate, vel ſuavitate, vel luce, vel ſplendore, vel ſublimitate narrandi.* Ex hoc certè nitidiſſimo fonte puros haurire latices, tibique ſitienti propinare nunquam ceſſabo; quandiu meus hic rivulus illius maximè fluentis auctus perennabit, & in amarum Theodoſiani obitus mare ſe demum exonerabit: utrobique ardentem omnium virtutum ſitim licebit tibi explere; ſi maliſè nativo Meneſii fonte, unde gratiores ebullient aquæ; ſin manantibus potiùs gaudes ex hoc meo fluviolo ab ea origine, aliiſque, quas tibi jam oſtendi placidiſſimè derivato.

Plin. epiſt. l. 1.

20 Habes igitur humaniſſimè Lector à quibus adeo puris fontibus aquas hauſerim planè cryſtallinas, ideſt, à quibus adeo famigeratis Authoribus ſcribenda fuerim mutuatus. Habes in omnibus exploratam conſilii mei rationem: eam ſi probes, ut tua mihi ſpondet ingenuitas, & mea promeretur ſynceritas, quâ licet æmulare quæſo, & præteritis, aut condonatis Scriptoris, vitiis, ad legendas, diligendasque Theodoſii virtutes curioſos oculos, & ſtudioſum animum imitandi, ut ſpero, aviſſimum ſimul intende. Id ut cum majori voluptate, utilitateque præſtare valeas, non te ampliùs mea longa quidem, at neceſſaria omnino prolocutione morabor.

Vale.

INDEX CAPITUM

LIBER PRIMUS

Series vitæ Principis Theodoſii.

ANTILOQUIUM.

CAput I. *Principis Theodoſii Patria, Parentes, Nativitas.* Fol. 1.

Cap. II. *Plauſus, & publicæ lætitiæ ſigna in ortu Principis.* Ibid.

Cap. III. *Principis Infantia.* 3

Cap. IV. *Principis ad ſeptennium pueritia.* 4

Cap. V. *Memorabiles per id tempus Brigantini Principatus eventus Principis apophtegmatis celebriores.* 6

Cap. VI. *Suprema Principis apud Villaviſſoſam virilis animi, & ſenilis prudentiæ documenta.* 10

Cap. VII. *Sereniſſimo Joanne IV. Luſitaniæ Rege proclamato Theodoſius Regni Princeps primis Ulyſſiponenſibus comitiis inauguratur.* 13

Cap. VIII. *Principis nova educatio ſub primis redeuntis Luſitanæ Monarchiæ primordiis.* 16

Cap. IX. *Quid Princeps, dum Sereniſſimus ejus Parens primo laureato exercitu Caſtellam invaſurus Eboram contendit* 21

Cap. X. *Primi Luſitani exercitus poſt aſſertam libertatem auſpicatiſſimi progreſſus, Theodoſii dictis, factisque illuſtrati.* 26

Cap. XI. *Recenſentur exercitia, quibus laxandi animi cauſa Princeps adhuc Puer vulgò indulſerit.* 33

Cap XII. *Commemorantur ſolidiora, etſi ludicra oblectamenta, quibus Princeps jam Adoleſcens ſtudioſiùs vacaverit.* 37

Cap. XIII. *Luſitanis ne, an Caſtellanis Montigienſis prælii victoria ſit adſcribenda? Militare problema, Principe Theodoſio,*

doſio, Præſide ventilatum. 40
Cap.XIV. *Varia, & multiplex ſcientiarum, ac virtutum à Theodoſio Braſiliæ Principe, Brigantinoque Duce renuntiato, exercitatio.* 49
Cap.XV. *Conſiliariis Status à Sereniſſimo Parente adnumeratur Princeps decimo tertio ætatis anno; & quomodo ibi ſe geſſerit?* 54
Cap.XVI. *Principis de optimo Conſiliario prudens judicium.* 57
Cap.XVII. *Ex gynæceo ad proprium traducitur palatium Princeps; ubi clariora edidit virtutum, ac ſapientiæ documenta.* 61
Cap.XVIII. *Evidenti vitæ periculo, unà cum Sereniſſimo Parente divinitus defunctus Princeps, Eucharistico Numini à Sereniſſima Regina erectum, ac dicatum templum latina inſcriptione reddit auguſtius.* 65
Cap.XIX. *Principem Theodoſium docendi ſimul, & vivendi finem facit ejus Magiſter: alium Ipſe privatim aſſumit. Utriuſque virtutes carptim proferuntur.* 70
Cap.XX. *De reformanda Republica ſeriò agit Princeps: ubi de Macariopoli ab Illo condita mentio habetur.* 79
Cap.XXI. *Sereniſſima Sueciæ Regina Chriſtina ſuam tranſmittit Macariopolim Princeps: & uberioris reformationis rationem denuò auſpicatur.* 83
Cap.XXII. *Palatinos Principes Robertum, & Mauritium impensè fovet, ac protegit Princeps.* 90
Cap.XXIII. *Palatinæ, Parlamentariæq; controverſiæ à Principe reſolutio; ejuſdemq; diſceptationis memorabilis exitus.* 93
Cap.XXIV. *Expeditionem Elvenſem deliberat, expetit, ac demum arripit Princeps.* 99
Cap.XXV. *Principis brevis Elviis mora, & memorabiles ibidem actiones.* 102

Cap. XXVI. *Suprema Principis apud Elvios virtutum monumenta.* 106
Cap XXVII. *Juſſu Sereniſſimi Parentis cogitur Princeps Ulyſſiponem redire.* 109
Cap. XXVIII. *Deliberat, ac exequitur Princeps reditum Ulyſſiponem; & qui ſe habuerit, donec Regni Archiſtategus fuit renuntiatus?* 117
Cap. XXIX. *Quomodo ſe geſſerit Princeps in ſuprema Luſitanæ militiæ Præfectura?* 120
Crp. XXX. *Supremi Principis ad arma conatus ipſius invalitudine intercepti.* 123
Cap. XXXI. *Admiranda nonnulla, quæ Principis obitum præceſſere commemorantur.* 127
Cap. XXXII. *Extrema Principis ægritudo, & invidendus è mortali ad immortalem vitam exitus.* 131
Cap. XXXIII. *Summus dolor in obitu Principis; ejuſdem funus, & exequiæ.* 138
Cap. XXXIV. *Prodigia, quæ Principis funus vel comitata, vel conſequuta ſunt.* 142

LIBER SECUNDUS.

De Principis Theodoſii eximiis dotibus, & virtutibus politicis.

ANTILOQUIUM.

Cap. I. *Theodoſii Principis indoles, genium, ingenium, cæteraque animi, & corporis dotes univerſim delibantur.* 146
Cap. II. *Mirabilis Principis ſapientia.* 148
Cap. III. *Monumenta, & obſervationes Principis ſapientiæ.* 153
Cap. IV. *Principis ſenilis prudentia.* 158
Cap. V. *Principis ad Juſtitiam propenſio.* 162
Cap. VI. *Principis Clementia, & Manſuetudo.* 165
Cap. VII. *Principis virilis Fortitudo, ac militaris virtus.* 169

Cap.VIII. *Principis generoſa Magnanimitas.* 174
Cap.IX. *Principis Liberalitas.* 177
Cap.X. *Principis Veritas.* 181
Cap.XI. *Mutuus inter Principem, & ſuos Luſitanos amor.* 186
Cap.XII. *Politicarum Principis virtutum analecta.* 192

LIBER TERTIUS.

De Principis Theodoſii Chriſtianis Virtutibus.

ANTILOQUIUM.

Cap.I. *Eximia Principis erga Deum Charitas.* 197
Cap.II. *Singularis Principis erga Chriſtum D. Amor.* 200
Cap.III. *Principis baptiſmalis gratia frequentibus Confeſſionibus, & Communionibus aſſerta.* 203
Cap.IV. *Cætera Principis erga Deum, Deiparam, ac Cœlites amoris, & pietatis documenta.* 206
Cap.V. *Principis erga Virtutē, ac Religionē ardens ſtudiū.* 210
Cap.VI. *Principis ſingularis amor erga Societatem Jeſu.* 213
Cap.VII. *Principis ardens Fidei, & ſalutis animarū Zelus.* 218
Cap.VIII. *Principis prompta Obedientia.* 222
Cap.IX. *Principis reſidua Obedientiæ ſupplementum.* 228
Cap.X. *Principis Chriſtiana, & generoſa Humilitas.* 234
Cap.XI. *Principis divitiarum, mundique contemptus.* 238
Cap.XII. *Principis Angelica planè Virginitas.* 242
Cap.XIII. *Principis Virtutes nonnullæ hujus Angelicæ cuſtodes.* 248
Cap.XIV. *Principis Orandi ſtudium, & aſſiduitas.* 252
Cap.XV. *Chriſtianarum Principis Virtutum reliquiæ.* 257
Cap.XVI. *Maximorum Principum, ſapientium, & prudentium de Principis vita, obitu, dotibus, & virtutibus recolenda judicia.* 260
Cap.XVII. *Memorabiles aliquorum obſervationes in Principis vitam, obitum, eximias dotes, atque virtutes.* 265

Proteſtatio

Proteſtatio Authoris.

SAnctiſſimus Dominus noſter Urbanus VIII. diverſis temporibus in Sacra Congregatione Sanctæ Romanæ, & univerſalis Inquiſitionis decretum edidit, & confirmavit circa librorum impreſſionem; ac tandem ita illud explicavit: ut nimirum non admittantur elogia Sancti, aut Beati abſolutè, quæ cadunt ſupra perſonam; bene tamen ea, quæ cadunt ſupra mores, & opinionem, cum proteſtatione in principio, quòd illis nulla adſit auctoritas ab Eccleſia Romana, ſed Fides tantùm ſit penes Authores. Huic ergo venerabili decreto, & illius declarationi omnino inſiſtendo, profiteor me ſenſu iis prorſus conformi omnia, & ſingula, quæ in hoc opere ſcribo, accipere, atque ab aliis accipi velle.

LIBER PRIMUS

SERIES VITÆ PRINCIPIS

THEODOSII.

ANTILOQUIUM.

NON felicis Arabiæ, ſed longè felicioris Luſitaniæ Phœnicem Theodoſium à Deo primùm olim datum, è propriis cineribus, ſeu potiùs virtutibus, nunc redivivum, orbi jam diu hanc ejus animatam effigiem anxiè flagitanti, in lucem edimus; ut cujus olim viventis memoranda exempla universus meritò ſuſpexit, ejuſdem nunc reviviſcentis eximias virtutes hiſtoricæ immortalitati denuo commiſſas, admiratione ſimul, & (quod caput eſt) æmulatione proſequatur. Primus igitur hic liber Theodoſii univerſam breviſſimæ vitæ ſeriem, partim illius virtutum monumentis, partim illuſtrioribus, quibus ipſe quomodolibet intervenit, Luſitanis eventibus, haud ingrato, ut ſpero, contextu variegatam explicabit: ſecundi, ac tertii libri multò utilius argumentum prima uniuſcujuſque pagina indicabit.

CAPUT I.

Principis Theodoſii Patria, Parentes, Nativitas.

EST in Luſitaniæ Tranſtagana Provincia nobile, ac pervetuſtum oppidum, cui adjacentis undique ſoli amæniſſima ubertas, ex manantibus paſſim fontibus, omnigenaque arborum, vitium, florum, ac fructuum varietate ſpecioſum Villaviſſoſæ nomen attribuit. Præter multa, quæ ad illius celebritatem maximè faciunt, habetque cum aliis communia, una eſt ſingularis clariſſimi oppidi gloria, qua vel primores Luſitani Regni Civitates longè præcellit: non enim alibi, quàm Villaviſſoſæ Principibus Brigantinis placuit auguſtiſſimæ ſuæ Domus jacere fundamenta; extructo ibi regali quidem palatio, munitiſſima inſuper arce opportuno loco impoſita, pro magnificentiæ oſtento pariter, & ampliſſimi Principatus firmamento.

3 Hic, non minùs domi, quàm militiæ clari per tercentos, & viginti propè annos, floruere octo Excellentiſſimi Brigantiæ Duces, à Sereniſſimo Joanne primo, Luſitaniæ Rege, magnoque Nonio Alvaro Pereyra principatus Brigantini Conditoribus, ad noſtram ætatem; in quam poſtremus incidit, non ſine certa faventis Numinis providentia, Sereniſſimus Joannes, hujus nominis ſecundus, ordineque octavus inter Brigantinos Principes: Idémque haud multò poſt Joannes ejuſdem nominis quartus, ſerieque decimus octavus è Luſitanis Regibus, majorum nulli, aut naturæ dotibus, aut virtutum, rerumque feliciſſimè geſtarum commendatione ſecundus. Attingebat verò proxima conſanguinitate clariſſimus Princeps univerſos propè tum Reges, tum Principes Europæ, per Sereniſſimam Dominam Catharinam ipſius aviam, Emmanuelis Luſitaniæ Regis neptem, Infantis Eduardi filiam; unde illi certum jus ad Luſitanam Monarchiam. Et quidem, nequid felicitatis fortunatiſſimo Heroi deeſſet, contigit illi ſub initium Principatus uxor Sereniſſima Domina Aloyſia, filia Excellentiſſimorum Ducum Medinæ Sidoniæ; in qua regale item genus, per longam illuſtrium Avorum ſeriem, ab Hiſpaniæ, Sueciæque Regibus altè deductam, cum egregiis animi, formæque præcellentis dotibus certabat, ad conſtituendam Heroinam tanto conjuge, ac imperio digniſſimam.

Fr. Ludov. Sà in ſuo funereo ſerm.

4 Hiſce Parentibus, anno à partu Virginis trigeſimo quarto, ſupra milleſimum ſexcenteſimum, octava Februarii die, hora quarta pomeridiana, & quindecim minutis Villaviſſoſæ, felicibus Luſitaniæ auſpiciis, in lucem editus eſt primogenitus Theodoſius: cujus vitæ ſeriem, ſeu Perfecti Principis veram effigiem; mox & virtutes Sapiente, Politico, Bellico, & ad extremum Religioſo Principe dignas, non Regibus modò, ſed Religioſis etiam invidendas omnium oculis jam ſubjicio; ea certè fide, quam ab Hiſtorico is Princeps exigit, cui ſuperſtiti veritate nihil unquam fuit antiquius, nihil fuco, & adulatione deteſtabilius. Decet extinctum Principem, cui noſter hic qualiſcunque deſudat labor, eiſdem potiſſimùm artibus promereri, quibus vivens unicè capiebatur. Præterquamquod adeo recens memoria Principis adhuc in omnium animis, qui hæc legent, viventis, eam mihi non niſi cunctis explorata imponit ſcribendi neceſſitatem, ut potiùs periculum ſit, ne parum diligens Scriptor incuſer, dum multa plurimis comperta, ſcituque digna inſcius premo, quàm, dum non nihil interdum licentiùs ſuperaddo, multus reprehendar. Antiqua, & à legentium oculis remota, ſine ſcribentis rubore, impunè, ac immodicè amplificari nonnunquam ſolent: recentiora, niſi ad exactam veritatis normam compoſita, abſque multorum offenſa, & ipſius Authoris infamia, liberè proferri vix unquam poſſunt.

CAPUT II.

Plauſus, & publicæ lætitiæ ſigna in ortu Principis Theodoſii.

5 PRimis Theodoſii vix dum naſcentis incunabulis ita plauſit, non modò Brigantina Domus, ſed univerſa etiam Luſitania, ut immodicæ lætitiæ inſolentia auſpicium certè fuerit affulgentis jam diu expetitæ felicitatis, quam ex longo haud dubia ſpe omnes conceperant, à regia Brigantino-

gantinorum Principum ſtirpe quandoque ſibi orituram. Acceſſit à Mathematicis, quibus Principes multùm deferunt, vulgus plerunque plus nimiò tribuit, multiplex, ac luculentum teſtimonium: eorum plurimi obſervata curioſiùs cœli facie genethliaca, ſtellarum poſitu, ac inter ſe aſpectu, planetarum denique in Principis ortu conjunctione, de illo magnifica, quæ perſequi non eſt otium, prædixere. Convenit inter omnes, à magnis profectò genitum Parentibus ad maxima naſci Principem, ita cœlum annuentibus placidè aſtris, planetiſque mutuò conſentientibus polliceri. Nec vana eos prænuntiaſſe, mox optimus prædictionum interpres, tempus edocuit.

6 Impar quidem tantæ lætitiæ Luſitania, proximam ſibi Caſtellam inundanti gaudio latè perfudit; magni fluminis inſtar, aut Oceani præter morem intumeſcentem alveum in finitimos agros, aut vicina littora exonerantis. Primus, ut par erat, publicam exultationem privata cumulavit Excellentiſſimus Emmanuel Alphonſus Peres Guſman, Dux Aſidoniæ, ad quem eadem ipſa natalitii die miſit Sereniſſimus Joannes Ferdinandum Rodericum de Britto Pereyra ſuum maximum Cubicularium, qui novam lætandi cauſam, ex recèns nato ſibi nepote, Avo Sereniſſimo gratularetur. Hinc brevi ad conſanguineas, & cognatas clariſſimorum Procerum familias, per univerſam Caſtellam diſperſas, jucundiſſimum nuntium derivatum omnium animos exhilaravit: raro, & vix unquam ſuperioribus ſeculis, audito exemplo, ut videret quis totam propè Caſtellam Luſitaniæ felicitatibus jucundiſſimè plaudentem.

7 Interim Villaviſſoſæ, cunctis ad mutuas intentis congratulationes, nullis parcitum impotentis lætitiæ ſignificationibus; ſolemnis inprimis eademmet die indicta pompa, Decano, & Capellanis Regiis longo ordine procedentibus ad templum Deiparæ, cui nomen à Gratia, Illi, jure ſuo, debitas grates relaturi pro accepto beneficio, quod paulò ante per novendialem ſupplicationem ante aram ipſius Deiparæ, Sereniſſima Parens Aloyſia, jam tunc voti compos, impetraverat. Feſtivæ mox diei jucunditatem inſequentis deinde noctis excepit hilaritas, tenebras procul eliminantibus pro domorum januis ſeriatim diſpoſitis luminibus. Ad hæc duplex illuſtrium turma equitum, ducibus Sereniſſimis Infantibus Eduardo, & Alexandro, elatis dextra, ſiniſtrave cereis accenſis, poſt longum per nobiliſſimas oppidi plateas diſcurſum, in latè patenti area, cui regium imminet palatium, connexis mutuò manibus, ſpectabili dexteritate, ſociatim procurrere. Poſtera, quæ ſequuta eſt, die in ſacello regio, pro incolumitate Matris Sereniſſimæ, Principiſque recèns nati, ſolemne ſacrum pontificio planè apparatu celebratum eſt. Multos præterea dies ea tenuit jubilatio, inter frequentes cymbalorum pulſus, tibicinumque clangores, & ſuaviſſimos muſicorum concentus, tripudiantes choreas, ac tandem crebras lætabundi populi acclamationes, cunctis Brigantinæ Domui ex auſpicatiſſimo natalitio ſummam felicitatem, ac Neſtoreum ævum adprecantibus.

8 Fidem auſpicio, communique omnium expectationi fecit luſtralis dies, Maji menſis vigeſimus ſeptimus, effuſiori quidem lætitia, regiaque pompa celebratus. Hæc verò quacunque procederet, ſericis, aureiſque periſtromatis parietes veſtiebantur: præibant multiplices choreæ, ac tibicines cum tympanis, omnigeniſque muſicis inſtrumentis: ponè ſequebantur Atrienſes, Clavigeri, Feciales, iis proximi tres Dynaſtæ illuſtriſſimi, præferentes neceſ-

ſariam ad baptiſmum ſupellectilem. Oblatum Dominus Ludovicus Noronia maximus Hipparchus; Salinum Vincentius Souſa de Tavorá; Gutturnium Ferdinandus Rodericus de Britto Pereyrá, maximus Cubicularius; Gereum in paropſide ferebat Antonius Correa Lacerda, Puer ingenuus. Mox Palatini omnes; poſteà illuſtres Pueri: poſt illos Prætoriani, dextra, lævaque frequentes; tum deinde quatuor ſupra viginti Cubicularii, prægrandes cereos dextra geſtantes. Ad extremum Sereniſſimus Infantulus præ cæteris conſpiciendus in manibus Roderici Souſa, in aula Brigantina Dynaſtæ omnium antiquiſſimi. Pompam claudebat auguſtiſſimus Joannes medius inter Sereniſſimos Infantes Eduardum, & Alexandrum, Patritiis plurimis, & religioſis Prælatis ſtipatus.

9 Ut ventum ad ſacellum regium, peractis ritè cæremoniis Eccleſiaſticis, inter modulatiſſimas muſicorum cantilenas, à Decano Regio Antonio Britto de Souſa, ſuſceptore Sereniſſimo Infante Eduardo, ſacris undis ablutus eſt Sereniſſimus Infantulus: Matre auguſtiſſima cum illuſtri virginum, & matronarum cætu, ex abſide omnia inſpectante. Inditum Principi auguſtum Theodoſii nomen, jam olim in Sereniſſimo ejus paterno Avo Theodoſio ſecundo, cujus tunc potiſſimum ratio eſt habita, conſecratum. Secum nempe omnes reputabant, ſi unquam aliàs, tunc maximè huic imperiali nomini venerandum ineſſe omen: ſic nominis etymon, quod, *à Deo datum*, ſive, *Donum Dei*, ſignificat, certò ſperare jubebat, difficillimis Luſitanæ Reipublicæ temporibus, datum à Deo Principem, amiſſæ jam diu libertatis præcipuum Aſſertorem. Memoria deinde recolebant, tres olim omninò imperaſſe Theodoſios, omni laude majores, quorum eximias dotes, & virtutes tertius hic Brigantini Principatus Theodoſius, nulli veterum, aut recentiorum ſecundus, ita feliciter æmularetur, ut tantùm majores natu famâ, & meritis ſuperaret, quantùm eiſdem tempore, ac ætate decederet. Et quidem haud inanem eam

Lib. 3. §. 230. fuiſſe ſpem alibi, non ingrato legentibus (ut puto) parallelo, erit à nobis confirmandum.

10 Sub veſperum luſtralis diei, equeſtri taurorum agitatione, publicæ lætitiæ, ac populi undique vel è longinquo confluentis expectationi factum ſatis. Nec appetente jam nocte à feſtivis ſpectaculis uſquam ceſſatum eſt: ſopiti hactenus natalitiæ noctis ignes, ardentiore flamma denuò excitati; & ad ſimilitudinem cœleſtium ſyderum tot aſtris effulſit illuſtriſſimi oppidi cœlum, quot accenſis per feneſtras luminaribus illuxit. Quin & artificioſis ex nitrato pulvere ignibus per aëra crebrò ejaculatis, innoxioque paſſim edito fragore, cœlum ipſum in plauſus ruere viſum eſt. Altera poſt die Auguſtiſſimus Joannes unà cum Sereniſſimis fratribus Eduardo, & Alexandro, cæteriſque quàm plurimis Brigantinæ aulæ Dynaſtis, ſummum attulit natalitiis celebritatibus incrementum. Conſcenſis enim omnes generoſis equis oſtro, auroque inſtratis, multiplici procurſu, & obequitatione ſpectantium oculos, animoſque mirificè tenuerunt. Cæteros ad lætitiæ complementum deſtinatos ludos intempeſtiva per eos dies pluvia primùm diſtulit: mox deinde ablata ſerenitatis ſpe omninò prohibuit. Quare omiſſis nos quoque ludis, ad ſeria progredi æquum eſt.

CAPUT III.

Principis Theodoſii infantia.

11 A Primo ſtatim ortu, ſolis inſtar orientis, clariſſima edidit Princeps Theodoſius futuri olim ſplendoris documenta. Nondum matura ferendis virtutum fructibus ætas, primitivos jam tunc flores, frugiferæ ſanctimoniæ indices proferebat. Antequam ſciret Puer vocare Patrem, & Matrem, Sanctiſſima Jeſu, & Mariæ vocabula, balbutiente adhuc lingua, jucundiſſimè iterabat. Interim, quia voce non poterat, eximiam erga cœlites pietatem feſtivis nutibus ſignificare; oculiſque ad eorum imagines intentis tenerrimo illas indice demonſtrare. Ad hæc, vix dum infirmis pedum inſiſtens plantis jam virtutum ſemitam inoffenſo decurrens pede, haud leviter impreſſa probitatis veſtigia nobis æmulanda reliquit. Certè non iis crepundiis, quibus reliqui infantes maximè capiuntur, delectari ſolitus: unicum illi erat, idque jucundiſſimum oblectamentum, oblati ſibi cœlitus libelli folia evolvere (Deiparæ Officium is libellus continebat:) in quo cùm effigies variæ occurrerent, Divina fidei noſtræ, ſimulque Virgineæ vitæ ad vivum exprimentes myſteria; incredibile dictu eſt, quanto gaudio delibutus in illis curioſè inſpiciendis totus, ac diu hærens deliciaretur.

12 In hujuſmodi verò Theodoſii deliciis liceat mihi parumper hærenti præter ſolitum diutius immorari. Et quidem dum mecum reputo immenſam propè aviditatem, qua olim flagrabit, nocturna, diurnaque manu evolvendi libros, eam ab hujuſce libelli revolutione duxiſſe auſpicium mihi facilè perſuadeo. Quis enim in tantilla ætate uni libello intentum videns Theodoſium dubitabit illum majorem jam natu ita fore unius (ut aiunt) libri hominem, ut in omni ſcientiarum genere unicus exiſtat? Si à teneris unguiculis irruptura olim generoſi leonis fortitudo, prudenti ſapientum judicio verè præſagitur; multò quidem certiùs ex tenerrimis Theodoſii ſtudiis conjicere nobis fas erit, evoluto aliquot annorum ſpatio, quàm ſit ipſe futurus librorum, ad per libros traditæ ſapientiæ, ſtudioſiſſimus. Quis neget ſimillimum illum infantulo Moyſi fuiſſe? quem ſcirpeæ fiſcellæ impoſitum, papyrionique applicitum, inter papyros hærentem, ac biblos, jam tum Biblia meditari prædicit ingenioſè Emmanuel Theſaurus in ejus elogio. Thes. in elogio Moyſ. Natura certè comparatum eſt, ipſa magiſtra experientia comprobante, illas arbores in maturos, ſed præcoces priùs fructus erupturas, quibus contigerit vernantes citiùs flores germinare. Prodigioſi planè fuere in Theodoſio ſapientiæ flores, fructus uberrimos matura jam ætate pollicentes; inſtar Jeſſæi floris à radice, id eſt ab initio, ſeu ipſius infantia pullulantes.

13 At libelli argumentum, cui evolvendo primam, etſi teneram, at ſtrenuam certè impendit operam Theodoſius, à nobis altiùs, & penitiùs expendendum. Deiparæ Sanctiſſimæ laudes (ut diximus) libello erant inſcriptæ: illas ex ore infantis, & lactentis adhuc Theodoſii jam tunc perfeciſſe Deum, nemo inficiabitur, cui explorata erit à nobis inferiùs commemoranda hujus Lib. 3. c. 4. Principis erga Deiparam, ejuſque laudes affectio ſingularis. Ut Beati olim Thomæ Aquinatis, ita Sereniſſimi nunc Theodoſii primam infantiam ſuis di-

catam obſequiis voluit Sanctiſſima Deipara, non abſimili utriuſque documento. Enim verò Thomas adhuc infans papyrum ſalutatione Angelica inſcriptam, manuque compreſſam, ori quaſi devorandam applicuit; Deipara, ut par eſt credere, ſuadente, quæ in ſui laudes, vel mutas infantium linguas facit eſſe diſertas. Theodoſius infantulus Virgineis laudibus dicatum libellum, non digitis modò ſtudioſè volutabat; ſed vel ipſis oculis, defixoque obtutu penè devorabat; non tam ſimilis Doctori Angelico, quàm Angelorum Do-
Apoc.4.9. mino, ac divino Agno; quem ſolum conſtat dignum inventum eſſe, qui myſticum librum cœleſtibus refertum myſteriis aperiret. Agnum quidem manſuetiſſimum ſe præbuit Theodoſius, de quo illud memoria dignum à non nullis obſervatum, nunquam ſcilicet per totam infantiam, vagitus infantibus adeo familiares, aut alienati animi ſigna, truci vultu edidiſſe. Obſervarunt alii fuiſſe in eo libello effigiem Regis Davidis, in cujus contemplationem, quaſi præ cæteris hæc una ſibi potiùs arrideret, intentiores plerunque oculos diutius admovebat. Quid mirum, mitiſſimum Principem Regis omnium mortalium manſuetiſſimi ſacra imagine tantopere delectatum!

14 Omiſſis tamen aliis minimè contemnendis aliorum obſervationibus, unum eſt, meo judicio, præcipua in tanto Principe obſervatione digniſſimum. Non temerè, ſed divinitus, ut dixi, factum crediderim, tam ſe addictum recitandis Deiparæ laudibus, evoluto ejus libello, præbuiſſe Infantem Theodoſium; qui ſingulari Deiparæ ipſius beneficio, ut ad infantiam deveniret, aſſequutus eſt. Concepto auſpicatiſſimè Theodoſio, cæpit illico Mater Sereniſſima improſpera uti valetudine; quam ut malè indies habenti reſtituant medici, nulla concepti fœtus habita ratione, parum ſano conſilio pharmacum ei ſuadent per dies aliquot adhibendum, ipſi fœtui exitiale procul dubio futurum. Et jam ſemel tentatum à ſe noxium remedium aperit Sereniſſima Domina Doctori Franciſco Moratto medicæ artis peritiſſimo, tunc fortè ipſam convenienti, cauſa impetrandæ veniæ ad longinquam nimis profectionem. Exhorruit ad mentionem lethalis planè remedii prudens ſanè vir, verusque illa maximè occaſione Hyppocrates: felicitati ſuæ in primis gratulatur, quòd adeo tempeſtivè opportunus illuc advenerit; mox manifeſtum aborſus periculum, cæteris perperam ſuadentibus incognitum; ſi pergat eo uti pharmaco, perſuadet: tandem, ut ab illo penitùs ceſſet, immò fomentis quibuſdam fœtui continendo aptiſſimis uti deinceps perſeveret, Matri Sereniſſimæ ſalutaris author extitit. Ita demum ſervatus cœleſti beneficio Theodoſius, nullum alioqui, vel difficillimum certè ad vitam, exitum habiturus.

15 Hujuſce autem adeo eximii beneficii originem ad Sanctiſſimam Deiparam haud dubiè referendam, eſt cur exiſtimem, omnibus perſuaſum eſſe debere. Per eos ferè dies Sereniſſimus Theodoſii Parens Joannes Villaviſſoſæ maximis expenſis operoſum templum, cum magnificentiſſimis regni conferendum, maximis auctum incrementis Virgini à Conceptione denuo conſecrabat; cujus Numini, ac nomini adeo impensè fuit addictus, ut ad regnũ feliciter evectus nihil priùs habuerit, quàm ut Deiparam à Conceptione regni Patronam tutelarem nuncuparet: quin illi regnum ipſum vectigale reddidit, impoſito ſibi, ſuiſque poſteris tributo ſingulis annis ſolvendo, ea ipſa die immaculatæ Conceptionis in templo Villaviſſoſæ, ex probatiſſimo argento excuſis, adſignari juſſis prægrandibus nummis, quorum altera facies imaginem Deiparæ à Conceptione, altera inſignia regni oſtenderet. Nimirum

hoc

hoc tantum immaculatæ Virgini à Conceptione præſtitum à Sereniſſimo Parente obſequium, concepto ſub idem tempus Sereniſſimo Filio multùm profuiſſe crediderim: hinc ſervatus ab imminenti periculo aborſus, in ſua conceptione Theodoſius; hinc immaculata ejus vita omni lethali macula prorſus immunis. Magna quidem hæc ſunt, ſed à magna Dei Matre beneficia profecta: maxima enim beneficiorum fluenta non niſi à maximo fonte ortum habere compertum eſt.

16 Innocens vulgò ex taciturnitate commendatur infantia; niſi muta penitus foret, culpa vacare omninò vix poſſet. Tam eſt loquacitas affinis ſceleri; tam eſt ſilentium virtuti cognatum. Verùm habet ſuas etiam voces infantia, non quas lingua proferat, naturæ vinculis conſtricta; ſed quibus frons, oculi, vultus frequenter latentis animi vitia, vel virtutes quandoque in lucem prodituras certò, ac diſertiſſimè prænuntiant. Hinc ſacras effigies, quæ aulicos parietes exornarent, avidè ſuſpicere, elataque dextra indigitare, illis reverentiam exhibere, voluptuoſèque oculos, & animum picturis paſcere inanimis. Optabat quidem Sereniſſima Parens, ut primum à ſuo Primogenito prolatum verbum Matrem ſonaret, quo exactam infantiam clauderet, pueritiam auſpicaretur, hujuſmodique ſigno immodicè amanti teneririmi amoris primitias ſibi unicè perſolveret. Hujuſmodi votis adimplendis, maternæque benevolentiæ colligendæ intenta Nutrix, ac reliquæ aulicæ fæminæ, Matris nomen ſæpius Infantis auribus ingeminare, quò acceptas jucundiſſimi vocabuli, memoriæque impreſſas ſpecies infantili voce aliquando redderet. Omnium expectationi, impenſæque induſtriæ longè quàm optarent opportuniùs reſpondit ad ſummam pietatem jam tunc erecta Infantis indoles; Matrem enim prima exultantis vocis irruptione ſemel, atque iterum balbutiens protulit, indicata pulcherrima Deiparæ imagine, quam Mater Sereniſſima ex Aſta, vulgò San Lucar, ſecum Villaviſſoſam attulerat; cunctis, qui aderant, præter morem ad primas Infantis editas myſticè voces plaudentibus, eaſque ad Sereniſſimam Parentem deducentibus; quæ voti compos ſibi mirificè complacuit unà cùm Sanctiſſima Deipara primitivæ vocis explicatione ſe à ſuo Primogenito ſalutatam; cujus tantilli tam multa alia veræ magnitudinis indubia ſigna maximè ſuſpicienda eò infantilis ætatis excellerent; & quidem eminebat jam tunc in Theodoſii ſerena fronte regalis planè majeſtas, quam nec inconditæ geſticulationes, nec trucis vultus aſperitas indecorè corrumperent. In oculis amorem conciliantibus, modeſtiæ individua comes virginitas; in totius denique pulcherrimi oris habitu, placidiſſima benevolentia; egregia morum compoſitio; ac tandem virtutum omnium certa ſpes emicabant: quæ omnia, qualis, quantuſque futurus olim Theodoſius, eloquenti ſilentio prædicabant.

CAPUT IV.

Prima Principis Theodoſii ad ſeptennium pueritia.

17 INfantiam egreſſus Theodoſius, prima virtutis poſuit rudimenta, pietatiſque haud leviter impreſſa veſtigia jam tunc emeritus, rudeque donandus Puer: cujus traductam ſumma cum innocentia pueritiam

qui apprimè velit cognoſcere, is Beati Ludovici Gonzagæ Societatis JESU pueriles annos recolat. Et quidem in ea maximè puerili ætate, ſumma fuit in utroque, prorſusque indiſcreta virtutum omnium conſenſio, eadem certè ad omnimodam pietatem conſpiratio. Unum tantùm extitit, in quo Gonzagæ diſſimilem Theodoſium, ſed propterea longè Illi præferendum meritò ſuſpicere debeamus. Enim verò Gonzagæ inter milites acta pueritia, ex illorum familiari conſuetudine labem contraxit, licèt innoxiam, at ipſius judicio perenni lacrymarum profluvio abluendam. Verba nimirum minùs pudica militari licentiâ prolata innocens alioqui Puer, inſciuſque ſignificationis incautè aliquando reddidit; eadem verò jam ſibi redditus per totius vitæ decurſum, quaſi maxima piacula, non modò profuſis ubertim lacrymis, ſed effuſo non ſemel è verberibus ſanguine expiavit. Quod quidem etſi Gonzagæ non dum perfectæ rationis uſu pollentis, innocentiæ nihil officiat; multùm certè facit ad Theodoſii eximiam laudem, qui nihil unquam tale, nec per imprudentiam admiſerit. Puerum Theodoſium ſatis conſtat, non ab impudicis modò, ſed vel à ridiculis, & jocoſis noxiè vocabulis perpetuò abſtinuiſſe: dignus profectò univerſarum gentium linguis celebrari, qui linguæ malorum omnium officinæ; immò univerſitati adeo potenter imperavit: non ultra puer appellandus, cui nullum pueriliter exultanti noxiè otioſum verbum exciderit, ſed perfectus planè vir, vel ipſo Divini oraculi teſti-
Jacob. 3. n. 2. monio: *Si quis in verbo non offendit, hic perfectus eſt vir.*

18 Sunt qui grandævi cum ſint, pueri tamen, aut infantes, vel ob infantilem innocentiam, vel propter inſcitiam puerilem, vocari ſolent: hujuſmodi præter alios fuit Rex Saul, qui ætate jam regno matura, Filius unius anni
1. Reg. 13. n. 1. erat, cum regnare cœpiſſet. E converſò Theodoſius in prima pueritia, infantis quam ſemper retinuit innocentiam, virili jam tunc ſapientia commendabat. Certè cum eſſet parvulus, non loquebatur, aut ſapiebat ut parvulus,
Luc. 2. n. 40. ſed inſtar Divini Pueri, puer ipſe creſcebat plenus ſapientia, & gratia Dei erat in illo. Pietas erga Deum, ac Deiparam, cæteroſque cœlites, ut ſumma in Theodoſio ſemper fuit, ſic in illo prima illuxit: inter alia puerilia crepundia Chriſti Domini effigiem aurea expreſſam lamina circunferebat; eam oculis, orique reverenter ſæpe admovere illi erat voluptuoſiſſimum. Nimirum nominis etymon, & menſuram ut impleret, æquum erat, ut à Deo datus (id enim Theodoſii nomen præ ſe fert) Divino cultui primitivos ineuntis ætatis flores obſequioſus redderet. Ergo ubi prima firmat pedum veſtigia tenellus admodum, ad ſacellum regium ducitur, ac Deo ſiſtitur, unà cum Sereniſſimis Parentibus ſacris quotidie affuturus. Hìc verò quanta geſtientis animi tum oblectatione, tum attentione ſe geſſerit, argumento ſit, quòd non contentus ex interiore abſidis parte Sacerdotem ſacris operantem inſpicere, emiſſo extra ferream cratem capite, ad omnes illius motus, & actiones ſedulò intentus ſingula curioſis ocellis obſervabat: neque verò ſtans, aut ſedens, ſed flexis genibus ſuppliciter, ſolo quaſi affixus, donec Sacerdos faciendi finem faceret; nullis interim, ut aſſurgeret, nedum ſederet, adductus, aut aulicorum precibus, aut ſuaſionibus Sereniſſimorum Parentum teneræ adeo ætati condolentium. Id à Sereniſſima Regina Matre referente accepi.

19 Aliud, quod ſub idem tempus frequenter edidit, non abſimilis pietatis documentum omnium, qui tunc Villaviſſoſæ agebant, ſermonibus celebratur. Non ſacris modò adeſſe quotidie, ſed ſacra ipſa ritè peragere, pia Sa-

cerdotum æmulatione, in deliciis illi perſæpe fuit. Erecto igitur, ornatoque in penetralibus altari, Puer Theodoſius, ſericis, & ad ipſum eleganter confectis indutus veſtibus, ſacra Sacerdotum veſtimenta referentibus, procedebat, miniſtrantibus aliquot pueris ingenuis: mox reverenter ad aram applicitus, nunc ritu pontificio, nunc minori per hebdomadam apparatu jucundiſſimè faciebat; expreſſis tanta venuſtate ſingulis celebrantis Sacerdotis tum vocibus, tum actionibus, ut univerſis, qui pro ſpectaculo frequentes aderant, non voluptati modò, ſed admirationi etiam foret. Sacris peractis, concionatores regii ſacelli, ſtatutis diebus perlibenter audiebat: ſed multò libentiùs ille à Sereniſſimis Parentibus, cæteriſque aulicis audiebatur, cùm è ſuggeſtu audita in concionibus adeo firma repeteret memoria, ut omnes ſibi facilè perſuaderent, Divino Puerum afflatum ſpiritu; illoque concionante cæleſtem vocem, ut olim in Thabore intonuiſſe: *Ipſum audite*. Mat. 17. 5.

20 Idem vix quarto ætatis exacto anno, cùm excipientem aulicorum confeſſiones quemdam noſtræ Societatis Patrem ſæpe videret, admirabundus primò quid illud rei eſſet? mox, ut erat omnia ſciendi percupidus, ſedulò à Nutrice quæſivit, quid ſedenti, & tacenti Patri, viri, quid viciſſim fæminæ ad aurem muſſitarent? Tunc pro puerili captu ab eadem edoctus de Sacramento confeſſionis à Chriſto Domino inſtituto; item de peccatorum atrocitate, aliquot eorum ſpeciebus enumeratis; quorum veniam ad confeſſarium accedentes abſolutionis beneficio impetrabant; illico velle ſe quoquè aſſerit ſua confeſſario crimina exponere, talique beneficio frui; modò illa pergeret, quid ſibi foret agendum, explicare. Nec mora, brevi peracta inſtructione, pœnitentis habitu, puellus Theodoſius confeſſarium adit (eum fuiſſe P. Emmanuelem Cordeyro ex probabili teſtimonio Villaviſſoſæ tunc agentium comperio) primò innocenti reo blandientem; mox maturi adeo judicii in tam immatura ætate crimina non ſua commemorantis, immò & amplificantis admiratione defixum; tandem inſignis adeo pietatis haud obſcuris ſignis attonitum. Finito demum pio adumbratæ confeſſionis ſimulachro ſæpiùs eà ætatis repetito pro impoſita ſalutari pœnitentia præmio donatus, collaudatus inſuper, lætabunduſque pro re bene geſta ſimulatus pœnitens, veruſque potiùs pœnitentiæ candidatus; & non tam criminum, quàm virtutum, & Chriſti confeſſor dimiſſus eſt.

21 At ulteriùs proceſſit inſontis Pueri eximia pietas, à qua certè impulſus, ut ad confeſſarii quoquè munus obeundum adſpiraret; magno ſimillimus Athanaſio, qui olim natu minimus ad majora prælusit; ſacerdotali munere, pluribuſque aliis eccleſiaſticis ritibus ritè obitis; ac præſertim coævis pueris baptiſmi Sacramento exhibito. P. Ribad. in ejus vita. Igitur enixè invitabat Theodoſius tum nobiles matronas, tum illuſtres puellas aulicas, ut apud ſe Parochi partes ritè peragentem ſecreta cordis aperirent, ſcelerumque maculas per confeſſionem eluerent. Nec dubitabant illæ piiſſimo Puero morem gerere; immò certatim ad illum accurrentes crimina modò vera, modò conficta libenter auſcultanti exponebant. Interim, mirum dictu, qua gravitate omnes exciperet; quàm blandè ſolaretur afflictas, quàm ſeverè alias haberet; quàm deniquè abſolutionis verbis disertè prolatis univerſas gaudio, & ſtupore plenas dimitteret. Ex iis una memorat ita ſe confeſſionem ſuam exorſam; confiteor me cibum perſæpe nimis calidum exſuſtare. Cui Princeps, *Mitte hæc,* (inquit) *quæ ad Galenum ſpectant; perge tua crimina exponere*. In iis unum eſt

præcipua

præcipua obſervatione digniſſimum. Ludos equeſtres, ac pedeſtres, aliaque ludicra ſpectacula frequens proſpectabat Theodoſius; & tamen ut hæc pueriliter æmularetur, nunquam induxiſſe animum viſus eſt; unicè ad pietatis oblectamenta, & æmulationem intentus.

22 Verum non pietatis modò, ſed virtutum etiam omnium, quæ Principem eximium maximè commendant, fundamenta jeclt in prima pueritia Theodoſius. Indole jam tunc fuit planè regia; cui ſingularis erga omnes affabilitas amorem, decensque Puerum inſita majeſtas, in tenerrima ætate reverentiam conciliabat. Summa Illi cum domeſticis, quorum frequenti uſui aſſueverat, facilitas; cùm extraneis, ſibique inſolitis maxima, ſed urbana ſemper majeſtas: unico id exemplo, innumeris aliis, & propè quotidianis omiſſis, confirmo. Veſtiendo, ut ſolebat, Puero ſedulam navabat operam nobilis quædam puella, cujus cùm Pater Principi acceptiſſimus tunc fortè interveniret, ad illius pedes flexo poplite venerabundus demittitur. In hujuſce collum involat Theodoſius, arctiſſimèque complexus mille blanditiis, & tenerrimi amoris ſignificationibus delenitum ſibi devincit. Interim pulſantur fores; inſciuſque Princeps, ex aulicisne intimus aliquis, an ex alienis veniret ignotus hoſpes? totum ſe ad gravitatem componit, & intermiſſam paulisper majeſtatem ſibi cum veſtibus induit: Cenſorinum Catonem, non puerum hactenùs familiariter blandientem, crederes. Ita ſe vulgò gerebat humaniſſimè gravem pro temporis, rerum; aut perſonarum opportunitate.

23 At non minùs, vel in minimis generoſum, juxtàque ingenioſum ſe per idem ferè tempus exhibuit. Quadriennium nondum expleverat, cùm aliquando Illum aulicæ fæminæ cæpere, ut ſimilibus mos eſt, interpellare, ex quanam potiſſimùm familia ſibi ſponſam tanto Principe dignam ſeligeret? *Non niſi ex Regia*, reſpondit generoſus Puer. Delectatæ prompti adeo reſponſi generoſitate pergunt inquirere, ex Hiſpanicane, an ex Gallica prole Regia? *Ex Gallica*, reddit iterum. Cur ita mi Princeps? Quibus Ipſe: *Quoniam ſi Catholici Regis filia mihi ſponſa contingat, nunquam intet nos ſatis bene conveniet; ſemper enim de regno Luſitaniæ à Caſtellanis Brigantinæ Domui erepto diſcordibus ſententiis diſſentiemus.* Atqui (ad extremum urgent illæ) ſi Chriſtianiſſimi Regis filia veſtræ Celſitudini ſponſa obveniet, certè non illam Gallici rudes idiomatis intelligemus? *Parvi refert* (inquit tandem ingenuus Puer) *Ego vobis ero Gallici ſermonis interpres.* Cum ingenti, ut par erat, plauſu excepta, & per aulam evulgata hujuſmodi reſponſa, genii ad ſumma quæque adſpirantis, & maximi pariter acuminis argumenta. Ab iiſdem aliàs generoſi Pueri genio explorando paſſim intentis hujuſmodi argutiis Illum comperio laceſſitum. Non Luſitanum eum, ſed Caſtellanum affirmabant, utpote cui ſanguinis Hiſpani Mater, ac ſimiliter Pater Hiſpana Matre genitus. Id verò quia inficiari verè non poterat, argutum adhibuit reſponſum, quo ſe facilè ab arguentium laqueis expedivit: *Modicus* (inquit) *mibi eſt* (*fateor*) *at virilis circum præcordia ſanguis Luſitanus, cujus tamen vel unica guttula copioſiori cuilibet alteri prævalebit.* Quid opportunius, aut è re nata generoſius à prudenti aliquo viro potuit exaudiri?

24 Sed æquè ſe liberalem præbere ſolitus, quem liberalis admodum facies, & Brigantini principatus amplitudo talem eſſe juberet. Unum etiam delibare argumentum, cæteris ad ſuum rejectis locum ſuperſedendum interim ſatius duco. Solemne fuit Brigantinis Principibus ſub finem prandii ap-

Lib. 2. 24. 94. ad 104

par

paratu planè regio exhiberi ſoliti, poſt habitas Deo grates, bellariis, quæ abundè ſemper ſupererant, ingenuos pueros menſæ miniſtros benevolentiæ, ac honoris ergo donato. Nihil certè Puero Theodoſio voluptuoſius, nihil dulcius inter epulandum, quàm poſt epulas haſce dulciarias reliquias inter ipſos illuſtres pueros diſpertire. Et quidem eo illum fungi munere, ſicque ad futuram olim prælůdere liberalitatem Sereniſſimis Parentibus magna inerat voluptas; tunc certè major, cùm oblata ſemel occaſione liberaliorem ſolitò Filium tenellum obſervarunt. Enim verò largè diſtributis in ſingulos pueros, ac penitus exhauſtis, quæ ſuperfuerant, bellariis, unus ex eo numero reliquus fuit, qui deficiente largiendi materia neceſſariò indonatus abiret. Hæſit primò incertus, quid ageret munificus Puer, cui valdè indecorum videbatur, ut olim Tito longævior, aliquem è conſpectu Principis abire triſtem, & communis largitionis immunem. Mox apprehenſa utraque manu ingenti argentea capſa, in qua diviſa modò bellaria ſervabantur: *Et quanvis* (inquit) *uni tibi defuerint bellaria, certè nec mihi, nec tibi Ipſe unquam deero: accipe bellariorum conditorium; & tibi tua longè potiori ſorte contentus.*

25 Interim (quod in quinquenni Puero magis mirere) ingentes jam tunc animos anguſto in corpuſculo verſabat planè robuſtus acri militia futurus adoleſcens. Magnitudinis animi, & fortitudinis proprium eſt nihil extimeſcere, Tullio verbis, Theodoſio factis, confirmante; qui vel terriculamentis horrificis injiciendo metui confictis imperterritus Ipſe terrori perſæpe fuit. Eſt in Villaviſſoſæ palatio, præter alias longè ampliſſimas, aula Herculea, in cujus aureo laqueari duodecim ſpirant Herculei labores, vivis coloribus animati, Brigantinorum Principum bellicam fortitudinem, quaſi adumbrata emblemata, exprimentes. In eam aulam dum ſolitò libentiùs divertit frequenter Puellus Theodoſius, incredibile dictu, quanta geſtientis animi alacritate curioſos oculos pictura paſcit inani: multus deinde in ſingulis introſpiciendis rogat, quinam ille generoſus infans, qui vel ipſis metuendos viris geminos angues, cunis ferociter adrepentes, adeo facilè, fortiterque eliſerit? Quinam vir tot immanium monſtrorum domitor? Mox de ſingulis Herculis facinoribus edoctus humana majorem concepit, ac præ ſe deinceps tulit excelſi animi generoſitatem: nunc Herculem gloriabundus ſe jactare; modò ejus æmulatione inflammari; denique ab omni prorſus metu alienum ſibi eſſe animum crebris ſermonibus prædicare: cujus ut aliquando periculum facerent aulici nonnulli perſonati, & horribilem in modum metuendis larvis efferati, ſe prætereunti fortè Puero improviſi objiciunt, inconditis inſuper, & horriſonis editis clamoribus; ſi fortè poſſint ab incauto metus aut conſternationis notas aliquot extorquere. Fruſtrà id tamen ab illis tentatum; enim verò Theodoſius, inſolitis nihilo commotus ſpectris, perſtat imperterritus; crucemque digitulis efformatam altè oſtentans: *Ecce* (inquit) *Crucem Domini, fugite partes adverſæ; vicit Leo de Tribu Iuda.* Audierat nempe hujuſmodi verbis, quæ nunquam illi exciderant, ſolitos effugari dæmones. Illis tamen larvis minimè cedentibus, immò ferociùs veluti oblatæ prædæ inhiantibus, evaginato Ipſe gladiolo intrepidus ſibi jam imminentes petit, mox fugientes inſequitur, ac tandem in latebras compulſis, quaſi parta victoria gloriabundus inſultat: mirantibus interim, qui ad ſpectaculum accurrerant, latentium inſidiarum probè conſcii, præcellentem Pueri Theodoſii generoſitatem, ſuique novi Herculis ferarum, & phantaſmatum debellatoris eximii triumpho plaudentibus.

Tul. lib. de Offic.

26 Re

26 Re tamen ad Sereniſſimam Parentem cum plauſu ab ipſiſmet authoribus delata; ut erat æquè prudens, ac generoſa, diſſimulata lætitia ex Filii magnanimitate concepta, graviſſimis eos verbis exagitat, qui Puero adeo probabilem timoris occaſionem inconſultè nimis præbuere: *Non eſt* (inquit) *in eas anguſtias temerè inducendus Princeps, ut niſi prodigioſa generoſitate confirmatus neceſſariò timere, conſternarique debeat;* E contra Theodoſius tantum ex illo quaſi primo bellicæ laudis oſtento gaudium cepit, ut non contentus unius
Florus lib. 2. cap. 2. tantùm diei trophæo, inſtar Romani Duillii primi navalis triumphi gloriam quotidie repetentis, quotidianis deinde invitationibus ſuos aulicos provocarit, ut quibuslibet terrificandi artibus excogitatis experirentur, quàm eſſet Ipſe omni metu, & conſternatione major. Et quidem experti ſunt frequenter: novis indies emicantibus in Theodoſio generoſæ indolis, magnanimitatis, & omnigenæ virtutis argumentis.

CAPUT V.

Memorabiles per id tempus Principatus Brigantini eventus, Principis Theodoſii puerilibus apophtegmatis, factiſque celebriores.

27 DUm puerilibus oblectamentis, & virtutum omnium compendio pro virili vacat Puer Theodoſius; longè diverſis ſtudiis illius educationem promovebant Sereniſſimi Parentes. Enim verò Mater Sereniſſima, cui olim regiam dignitatem, adhuc apud Caſtellanos agenti, haud ignobilis Author portenderat, Theodoſii regiam planè indolem omni arte, ac ſtudio fovens, aptiſſimis ad hunc maximè finem documentis indies proficientem, ſpiritu principali confirmabat. E contra Sereniſſimus Parens, etſi æquè generoſi, & excelſi animi, tamen privatæ vitæ, ac tranquillæ quietis dulcedine captus; ad hæc Brigantini Principatus regia certè amplitudine contentus, à regali faſtigio, etſi multis ſibi nominibus debito, at gravibus curis, innumeriſque periculis, & moleſtiis obnoxio, alieniſſimo prorſus animo abhorrebat. Hinc quidquid à publicis negotiis ſibi temporis ſupererat, totum id vel ad venationis laborioſum ocium, vel ad muſices, qua unicè capiebatur, indefeſſum ſtudium, conferebat: ad quæ identidem, ut propenderet Theodoſius, impensè adnixus eſt; pacis potiùs artibus, quàm bellicis ſtudiis Puerum aſſueſcere, Brigantino Principatui longè fore ſalutarius exiſtimabat. Diffidentibus in hunc ferè modum, non animis ſemper concordibus, at ſententiis in diverſa diſtractis, dubiam cauſam Matri Sereniſſimæ optima ſuadenti adjudicavit Deus; ſic diſponens omnia fortiter, ac ſuaviter, ut rebus ita poſcentibus, licèt invito, & reluctante Sereniſſimo Joanne, Luſitanæ Monarchiæ ſceptrum ad Brigantinam Domum rediret; Aloyſia Sereniſſima Conjuge, Natoque viam monſtrante, ſummiſque rationum, & conſiliorum momentis utrique quodammodo prælucente.

28 Prima veluti affulgens ineundi regni fax Eborenſi ex finitimo cœlo Brigantinæ Domui feliciter illuxit. Jam diu erat, ex quo haud contemnendæ

dæ auctoritatis viri Sereniſſimo Joanni authores fuerant, prima oblata opportunitate utendi, domoque aliquando exeundi; vel ad populi ſtudium colligendum, vel ſaltem ut qualis, quantuſque eſſet, non minùs ſibi, quàm aliis innoteſceret. Quis neget flumina non, niſi cùm extra alveum in finitimos agros redundant, meritò haberi magna? An non ipſe Deus, notus olim in Judæa tantùm, poſtquam exivit à Patre, cœleſtique patria, univerſo innotuit orbi? Certè Idem magno mortalium omnium emolumento, è cœleſti curia *Exivit vincens, ut vinceret:* primus Illius exitus ſumma eidem fuit victoria, & multiplicis triumphi omen. Non aliter exitum è Villaviſſoſa, & Brigantinæ Domui auſpicatum, & univerſæ Luſitaniæ ſalutarem fore illi pollicebantur. Juvit ſalubre conſilium optima, quæ per eos dies ſe dedit, adornandæ profectionis occaſio. Apoc. 6. 2.

29 Anno à Chriſti natalitio ſexcenteſimo trigeſimo quinto ſuprà milleſimum, nuptias cum D. D. Joanna Pimentel ex illuſtriſſima Marchionum à Tavora familia, ingenti bonorum omnium lætitia celebrabat excellentiſſimus D. D. Franciſcus à Mello, Marchio Ferrarienſis, de Brigantinis Principibus, quos proxima conſanguinitate attingebat, optimè meritus. Et verò ad conciliandam veritati fidem, cæteris conſultò prætermiſſis, unicum ſatis erit documentum obiter delibare. Catholicum Regem Philippum tertium, anno vigeſimo ſupra milleſimum ſexcenteſimum, memorabili, (quo nullum alibi videre Hiſpani auguſtiorem) triumpho Ulyſſipone olim exceptum comitabantur univerſi Luſitani Proceres certatim, ut ſolent, pro re quiſque ſua, familiari quàm poſſet maxima oſtentatione. Longè tamen inter omnes eminebat omnium facilè Princeps Sereniſſimus Theodoſius ſecundus, Brigantinus Dux ſeptimus, regio planè, quoties ad publicas functiones ſibi exeundum foret, apparatu. Eidem ubique frequentes aderant, debiti obſequii ergo è primaria nobilitate Luſitana plurimi, qui de illius conſanguinitate meritò gloriabantur. Cæteris, ut ſanguine propinquior, ita ſedulioribus præibat obſequiis prædictus Marchio Ferrarienſis. Hic ſemel ad regii palatii fores conſcendenti equum Sereniſſimo Theodoſio maximi Hipparchi munus, apprehenſa ſtapeda, enixè, diuque præſtare obluctatus eſt; comiter, obfirmatèque id tanti viri, etſi acceptiſſimum ſibi, miniſterium Theodoſio viciſſim deprecante. Id maximi certè faciendum mutuæ urbanitatis certamen cœpere nonnulli ex Caſtellanis optimatibus inter ſe obliquis ſermonibus vellicare, Brigantino Duci exhibitum id obſequium invidentes, quod uni Catholico Regi à tali, tantoque Marchione præſtandum judicarent. Nec ſatis, vel coram ipſo Marchione apud regiam aulam in ampliſſima plurimorum Procerum corona, nunc furtivis muſſitationibus, mutuaque cubitorum colliſione; nunc ironicis, quibus aulici multùm valent, irriſionibus factum illud, tantum indecens virum exagitare. Hîc generoſus Marchio ſeriò ſibi cum joculatoribus agendum ratus; exuta, longèque in pavimentum cum ſtomacho projecta chirotheca, gravique minacium oculorum conjectu ſingulis deſignatis: *En (ait) illam elevet, quiſquis audeat non ventoſa lingua, ſed ſtricto ferro defendere, poſſe mihi aliquid honorificentius eſſe mei Brigantini Principis obſequioſo miniſterio.* Videres mutis piſcibus taciturniores, quos Architæ crepitaculo videras hactenus loquaciores; & in mitiſſimos ſubitò agnos verti, horribilium antea leonum metuendos rictus diducentes; eorum nemine auſo, projectam chirothecam elevat Marchio; & inſalutatis ſociis aliò concedit, vel

eiſdem in ſumma deinceps habitus æſtimatione, metu venerationem extorquente. Hunc tantum, Brigantiniſque Principibus adeo addictum virum adire debiti amoris, & honoris ergo; ipſique egregiam gratulari Conjugem decernit Sereniſſimus Joannes; ſuiſque, ut ad viam ſe compatent, edicit Cum plauſu exceptum à Villaviſſoſanis clientibus ſui Principis conſilium, vel Pueri Theodoſii eo ætatis inſperatis, at urbaniſſimis precibus approbatum. A Sereniſſimo Parente enixè rogat; ut ſe itineris ſocium dignetur accipere; Sciſcitanti verò, cur ſimul ire vellet? Reſpondiſſe fertur: *Vt Marchioni Ferrarienſi de noſtra Brigantina domo benemerito cumulatior honor habeatur.* Digna profectò majoribus annis, non majori Principe vox: qua id aſſequutus eſt, ut nemo dubitaret, quantus olim futurus eſſet benemeritorum, & primariæ nobilitatis æſtimator.

30 Pro Theodoſio comitem ſibi adlegit Sereniſſimus Joannes germanum fratrem D. Infantem Alexandrum, illuſtriſſimis deinde Brigantinis aulicis ſtipatus; eo denique, qui talem Principem decebat, comitatu, ſic Eboram contendit; Marchione interim Ferrarienſi, cum ampliſſimis Dynaſtis, regio urbis Prætore, cum Primoribus civitatis, venienti, obviàm extra mænia longè procedentibus: effuſa inſuper circunquaque ad jucundum ſpectaculum frequentis populi multitudine: militaribus præterea copiis omni armorum genere inſtructis, quacunque pergeret, longo ordine diſpoſitis. Ubi ad forum maximum proceſſit, in quo conſtipatum agmen Sereniſſimum Principem opperiebatur; duces, ac vexilliferi, ſua quique inſignia; haſtati pila, ut moris eſt, prætereunte Rege, aut armorum Gubernatore, ſubmiſere; mox ſchiopetarii, exploſis ſimul æneis tubis, procedenti lævum intonuere; Hinc ad templum maximum progreſſus, à Decano, cæteriſque Capitularibus oblata, ſed non admiſſa umbella exceptus (qui honos non niſi Regibus haberi ſolitus.) Inde ſuppliciter propitiato Numine apud aram maximam; inter ſuaviſſimos muſicorum concentus, ad palatium Marchionis Ferrarienſis itum eſt: feſtivo interea per univerſam civitatem cymbalorum pulſu, jucundo lituorum, & tubarum ſtrepitu; lætis tandem populi undique accurrentis acclamationibus perſonante aëre. Nec verò ea, quæ lætiſſimum diem excepit, nox diurnæ jucunditatis finem, at denuo incipientis initium illuſtre tulit; luminaribus per frequentes domorum januas diei lucem, & lætitiam reducentibus: Sereniſſimo interim Principe ad Carthuſianum cœnobium, Brigantinæ munificentiæ monumentum, recepto; ubi lautiſſimè per eos dies, hoſpitis nomine, fuit habitus.

31 Triduum tenuit ea publica univerſorum ordinum exultatio, ſummi amoris, & obſequii ſignificationibus, dum Eboræ moratur, expreſſa. In templo maximo inter pompam ſolemnis ſacrificii, pontificio ritu celebrati, honorariam concionem habuit P. Gaſpar Correa noſtræ Societatis; qui ſub finem ſermonis Sereniſſimo Principi adprecatus eſt coronam gloriæ; tanto auditorum plauſu, ut ad Madritum ſonus invidioſè delatus optimum Patrem dicendæ pro ſe cauſæ adegerit. In foro maximo taurorum equeſtres dati ludi; quos celebriores præterea reddidere duo præferoces bubali ex Villaviſſoſæ ſylva cum tauris generoſè commiſſi; jucundiſſimo univerſis, quia inſolito ſpectaculo. In Collegio tandem Societatis JESU, ubi ſolidam, ſolitoque voluptuoſiùs duxit diem, effuſiùs exultatum. In primo templi aditu, tragico, ac ditiſſimo ſpecioſa ornatu Academia venientem gratulabunda

exce-

excepit: mox templum ineuntem, oblatamque iterum umbellam modeſtè recuſantem è ſummis hinc, inde templi feneſtris octo elegantes figuræ totidem Brigantinos Duces, Domusque Auguſtæ Conditorem referentes appoſitè ſalutarunt. Sacris peractis, ventum ad aulam Academicis, Doctoribus, Magiſtris, & diſcipulis frequentem; ubi gratulatoriam recitavit panegyrim P. Franciſcus Freyre noſtræ Societatis, eximii vir ingenii, & eruditionis commendatione in paucis clarus. Poſt opiparum deinde convivium, linguis omnium penè Gentium è ſuggeſtu plaudentibus; quod lætiſſimæ diei fuit reliquum, omnium expectationem implevit, edita in ampliſſimo theatro Tragicomedia, cui nomen *Euſtachius*, Authore P. Andrea Ferdinando, Rhetorices primario Magiſtro, humaniorum literarum gloria nulli noſtræ ætatis ſecundo, & vel ſummis antiquitatis viris conferendo. Certè hujuſmodi obſequia, certiſſimaque intimi amoris argumenta obſervabat Princeps prudentiſſimus, ſecum reputans, quantùm apud omnes gratiâ, & auctoritate valeret; quàm opportunum ſibi præbitum à ſuis conſilium, ut ſuæ dignitatis, & amplitudinis conſcius ſuis rebus conſuleret, ſi fortè difficillimis reipublicæ temporibus adverſa vocarent; aut occaſio ferret. Tandem Marchione, ac Eborenſibus valere juſſis, & in maximam erectis ſpem, quam tanti Principis ſingularis humanitas, & majeſtas facerent; Ipſe Villaviſſoſam rediit, major quidem urbana exhibita facilitate, quàm venerat regali oſtenſa majeſtate: Principi Divino perquàm ſimillimus, qui major dicitur ad cœlos aſcendiſſe humanitatis commendatione, quàm deſcenderat ſolius divinitatis oſtentatione.

32 Vixdum Villaviſſoſam attigerat Sereniſſimus Princeps, cum jam Illius Eborenſis triumphus apud Madritum malignis rumoribus, & calumniis, multò, quàm fuerat, auguſtior vulgabatur; odio nimirum, & æmulatione peſſimis conſultoribus invidiam Illi apud Catholicum Regem conflantibus. Eboram nempe, alteram Luſitaniæ Civitatem, iniiſſe Brigantinum Ducem apparatu planè regio; exceptum regali pompa; ſupremis cumulatum honoribus; ad hæc, effuſius longè in Joannem, quàm olim fuerat in Parentem Philippum eandem urbem ingreſſum, civium, & univerſi populi ſtudium: parum abfuiſſe, quin Illi ſceptrum deferretur; coronam certè ſimulato gloriæ additamento à Concionatore publicè oblatam, & à populo cum plauſu exceptam. Erupiſſe quidem manifeſta publicæ defectionis indicia, quæ niſi primo ſui ortu opprimantur, procul dubio in perniciem Monarchiæ, auctis indies viribus, convaleſcent. Prudentiæ fore ingruenti malo confeſtim occurrere, ne latiùs ſerpens in lethalem morbum degeneret, cordi, & capiti utique exitialem. Oportere ſcintillam, & ſi parvam, initio extingui, ne fortè contempta magnum, & inextinguibile poſtea excitaret incendium. Plectendum in primis urbis Prætorem regium, ſui muneris oblitum, immodicè præfixos honoris terminos excedentem: tum deinde Brigantini Ducis immoderatam auctoritatem quolibet prætextu minuendam, & ad clientis modum reducendam: hac unica ratione, cives, & populares Luſitanos ſui Ducis potentia plus nimio præfidentes, majorum pœnis deterritos poſſe, ac debere omnino in officio contineri.

33 His nihilo commotus Philippus Rex, cui ſatis exploratus erat Brigantini Principis animus ſceptri prorſus negligens; certus præterea, nihil Regiæ, immò nec Divinæ majeſtati derogare poteſtatibus dominari; quin

etiam Monarcham dici non poſſe, qui non foret Rex regum, & Dominus dominantium; è regia dignitate judicavit, mitiùs ſibi triumphum Eborenſem, & populares plauſus interpretandos. Igitur ſaniori aliter ſuadentium conſilio uſus literas dat regia manu ſignatas ad Prætorem Eborenſem, in quibus habitum honorem Duci Brigantino ſuo conſanguineo, quaſi hoc ſolo nomine exhibitum, ideoque ſibi acceptiſſimum, gratulatur. Tunc quidem maximè patuit Regum lenitatem multò eſſe firmiorem imperii anchoram, quàm ſeveritatem; & reipublicæ navem leniter ſpirantibus favoniis impulſam navigare feliciter, eandem adverſis agitatam procellis, ac turbinibus circumactam, excuſſo demum gubernaculo, infeliciſſimè naufragari. Enim verò evulgatæ regiæ epiſtolæ benevolentia, Luſitanorum ſibi jam diu devinctos animos reddidit ad obſequium promptiores. At brevis admodum fuit ea tranquillitas, quam haud multò poſt inſperata novi tributi mentio, ſparſuſque incerto Authore rumor de aliis brevi erupturis non turbavit modò univerſos Luſitanos, ſed ad nutum hactenus obſequentes, inſolitis primùm nutare motibus, mox de recuperanda libertate ſeriò deliberare, ac grave jugum excutere compulit. Ut diſcant futuri olim reges, malum diuturnitatis cuſtodem metum; contràque benevolentiam fidelem eſſe, vel ad perpetuitatem. Rei quidem memorabilis, ac iis, quæ mox à me neceſſariò dicenda ſunt, multum lucis allaturæ, perſtrictam brevi ſeriem jam evolvo.

34 Sub initium menſis Auguſti, anni à Virginis Puerperio milleſimi ſexcenteſimi trigeſimi ſeptimi, univerſam propè Transtaganam regionem, mox Orichienſem tractum, ac tandem illi finitimum Algarbiorum regnum Catholici Regis diploma, commotis popularium animis, libertatis ſtudio inflammavit. In eo imperabat idem Rex Philippus, ejus nominis quartus, regionum Prætoribus, ut recognitis ſubditorum ſibi facultatibus, annuiſque redditibus, quintam cujuslibet partem regio fiſco addicendam pro belli ſumptibus, ſedulò exactam in publicum ærarium inducerent. Primi Eborenſes hujuſmodi edicto quodam quaſi fulgure conſternati. Poſtquam in Senatu recitatum, indeque in vulgus emanavit, Tribuni plebis Seſinandus Rodrigues, & Joannes Barradas Prætorem conveniunt, ac demiſsè rogant brevem conſulendæ plebi, exorando Regi, immodicoque oneri deprecando moram. Tunc Prætore (is tunc erat Andreas Moraes Sarmento) juſtis Tribunorum precibus ſeveriùs, quàm par erat, abnuente; immò parum ſano conſilio, ut olim Roboamus, multò graviora, nimirum carceres, & ſuſpendia, imperata detrectantibus minaciter intentante, conclamatur à Tribuno Seſinando populus, qui frequens jam aderat; erumpunt inconditi clamores haud dubiam ad cædem minacem Prætorem depoſcentium: nec mora, furore obvia cuique arma ſubminiſtrante, lapidibus primùm prætorias feneſtras verberant; mox tumultuatim ad ſummas ædes facta irruptione; cùm nullibi conquiſitum diligenter Prætorem, per tegulas jam ad proxima latibula dilapſum, reperirent, univerſam ejus ſupellectilem, quæ ſubjecto mox igne conflagravit, in forum altè deturbant; Ipſum, niſi opportuno ſubterfugio ſibi conſuleret, haud dubiè præcipitaturi. Tandem gliſcente indies, ut fit, ex ſucceſſu licentia, per menſes aliquot auſi iidem Tribuni plebis fluctuantis reipublicæ gubernaculo aſſidere, jus præterea dicere, non ſine magna violati juris injuria; & ad extremum (quod in primis mirere) in miniſtranda æquitate univerſim tales ſe gerere, quales quis optaret, optimos, & legitimos juſtitiæ adminiſtros:

miniſtros: nemine interim, nec ex proceribus, nec ex patriciis, auſo regias palam tueri partes, & accenſam in Eborenſi foro ſeditionis flammam extinguere; præſertim, cùm hæc ad univerſam Tranſtaganam, Orichienſem, & Turdetanam regionem populari aurâ delata per univerſas propè urbes, oppida, & vicos latiùs jam ſerperet; facta ubique adverſus nova tributa unanimi frementis populi conſpiratione.

35 Jam verò, quæ adeo longè diſſitas regiones flamma comprehenderat, nil mirum, ſi proximiorem Eboræ, unde cæperat, Villaviſſoſam ſaltem afflaret; ubi major affulgebat expetendæ libertatis occaſio, promptiorque concipiendo igni materies. Nullus per eos dies, tum apud aulicos, tum apud populares, quàm de motibus Eborenſibus per univerſam Tranſtaganam regionem indies invaleſcentibus, frequentior ſermo inciderat; prudentibus effrenem impotentis vulgi rabiem improbantibus; aliis oblatam plebi à miniſtris regiis furiendi cauſam incuſantibus; univerſis inter metum, & ſpem dubium tantæ commotionis exitum ſimul, & ſui Principis nutum, quem unicè obſervabant, opperientibus; nemine interim vel ad populares, vel ad regias partes abſque illius bona venia palam auſo inclinare. Ægrotabat tunc Sereniſſimus Joannes, neque in publicum procedere, oppidanoſque officii admonere valebat, improſpera valetudine prohibente. Re tamen maximi momenti cùm Sereniſſima Uxore, cujus prudens judicium maximi faciebat, & cum paucis conſultiſſimis viris deliberata, jubet primogenitum Theodoſium, & ſi quadriennio minorem, apprimè phalerato equo imponi, illuſtrique procerum comitatu per univerſum, quàm magnum eſt, oppidum circumduci; plenus ſpei fore, ut Sereniſſimi Principis omnium animis acceptiſſimi repentinus aſpectus commotis, & nutantibus ſerenitatem reduceret, oppidanoſque à publica conſternatione revocatos, & ad privatam exultationem converſos penitus tranquillaret. Et quidem haud vanam eam fuiſſe ſpem imperatæ pompæ auſpicatiſſimus, & ſi nocturnus exitus comprobavit. Ubi enim ex ſparſo de induſtria rumore, tubarumque, ac lituorum præcedentium feſtivo ſtrepitu innotuit tenellum Principem è palatio proceſſiſſe, jamque per oppidum obequitare, tantus ad eum viſendum utriuſque ſexus ad januas, & plateas concurſus factus eſt, ut publici potiùs triumphi, quàm privati ſpectaculi ſpecies videretur. Hìc mirari univerſi non modò pulcherrimi oris elegantiam, ſed eminentem maximè in totius corporis habitu regiam planè majeſtatem: ad hæc elata leviter dextra dictatis à Sereniſſimo Parente verbis tranquillitatem ſuadenti plaudere, ac Neſtoreos annos adprecari: Sereniſſimi tandem Pueri multò efficaciorem adhortationem ſua pariter cumulare, qui eum proſequebantur, ſummæ auctoritatis viri; nonnullis obiter ad confluentem plebem, pro publicæ quietis commendatione, ſuperadditis è re nata rationibus. Sic ad novi Solis primitivos radios exerentis adſpectum, è Villaviſſoſano cœlo diſcuſſæ turbidæ ſeditionum nebulæ, quæ vicinis regionibus incubantes horridæ noctis tenebras ubique minabantur; unaque deinceps Theodoſianæ ſerenitatis recordatio vulgi ſermonibus celebrata veteris rumoris memoriam penitus abolevit. Ac veluti magno in populo cùm ſæpe coorta eſt ſeditio, ſævitque animis ignobile vulgus, tunc pietate gravem, ac meritis ſi fortè virum quem conſpexere, ſilent, arrectiſque auribus adſtant. Haud aliter hìc viſo Theodoſio virilem maturitatem in adeo immatura ætate præferente, quievit inquies popularis tempeſtas, quæ tractus

alios pernicioſiſſimè populabatur.

36 At hujus quoquè alibi tanta vis, quia conſilii expers, brevi tandem,
ut ſolet, mole ruit ſua: & quidem popularem eum primum motum, non ita
ſecundum, brevi finiendum multò antea prædixerat ſanctimoniæ fama ce-
Hoc lib. 5. lebris fœmina quædam Eborenſis, de qua infrà non ſemel recurret mentio.
55. & 58. Hoc incendium facilè, præter omnium ſpem, extinctum eſt, ſubtracta in pri-
mis tributorum, quibus alebatur, materia; deterritis deinde metu ſupplicii
ſeriùs, citiùsve affuturi popularium animis, à præterito jam furore collectis;
mox magnatum auctoritate, prudentiumque conſiliis emollito jam populo
ſalutaria ſuadentium; tandem à Rege impetrata Brigantini Principis aucto-
ritate, ac precibus indulgentia; promiſſaque ſeditioſis impunitate; (verè, an
ſimulatè?, incertum eſt). Certè Oquendi claſſis haud multò poſt juſſa Ulyſſi-
ponem appellere, militemque ibi exponere, ficto hyemandi prætextu, haud
dubiam fidem fecit, intutam eſſe à Regibus promiſſam veniam iis populis,
quos infidos aliquando experti ſunt. Satis conſtat, ut in Equo Trojano lugu-
bre Trojæ excidium, ſic in eà claſſe ſupremam Eboræ contineri everſionem;
exindeque data opportunitate duces, ac milites erupturos, qui ferro, & flam-
mis armati, Urbis pulcherrimæ ruina, & civium cruore, incendii præteriti, &
rebellionis maculam expiarent. In ventos tamen abiere truces minæ, irri-
tique conatus; ventis nimirum adverſis, velut agmine facto, pro Ebora de-
prælantibus, & deſtinatam Urbi cladem memorabili claſſis ultricis naufra-
gio prævertentibus. Stetit quidem Ebora, inſtabilis Oceani, & ventorum
illi commilitantium beneficio; ſeu potiùs, manifeſto Dei, cui venti, & mare
obſecundant, patrocinio.

37 Per eos ferè dies Villaviſſoſam ex Madritto venit nobilis quidam
Caſtellanus, privati negotii expeditionem præ ſe ferens; at publici ſtatus ex-
plorator vulgò habitus. Indicio fuere familiares illius cum nonnullis ſermo-
nes de Tranſtaganis motibus, Eborenſique tumultu: de cujus eventu curio-
ſiùs quandoque inquirebat; ſed in primis de Luſitanis magnatibus, ipſoque
Brigantino Principe; cujus regiam planè amplitudinem, & præcellentem er-
ga ſe humanitatem magnificè prædicabat. Tum verò ad invidiam populi
declinandam, & procerum colligendam benevolentiam, oneribus plus ni-
mìò gravatæ plebis iniquam conditionem, at ſuæ gentis perquam ſimilli-
mam conqueri; miniſtrorum deinde juſta Regis mandata injuſtè exequen-
tium ſupercilium excuſabilis alienationis irritamentum incuſare; mox no-
bilitatis, & procerum eximiam prudentiam nullis nutantis populi errori-
bus obnoxiam; ipſorum prætereà popularis mobilitatis flatibus inconcuſ-
ſam erga Regem fidem ſummis ab eo beneficiis cumulandam extollere: om-
ni denique arte, aſtuque in oppidanorum, quibuſcum ageret, intimos ſenſus
penetrare; ſi fortè ab incautis occultæ veritatis notas aliquot exprimeret; aut
veteris incendii ſopitos adhuc ſub cinere doloſo ignes, necdum penitus ex-
tinctas ſcintillas deprehenderet. Suis tamen illi artibus minimè proceden-
tibus, perſpectaque penitus nobilitatis Luſitanæ, procerum, ac in primis Bri-
gantini Principis innocentia, longè à populari contagio abhorrente: tandem
ab illo diſceſſurus Madrittum, impetravit, ut Theodoſii primogeniti; tunc
Barcellenſis Ducis, jucundiſſimo aſpectu frui, ejuſque manum oſculari ſibi li-
ceret. Adducto igitur coram ab aulicis Theodoſio, ad Illius pedes provolu-
tus hoſpes Caſtellanus: *Eſt ne* (inquit) *mi Princeps, in quo Caſtella redditus Ex-*

 cellen-

cellentia Veſtra poſſim morigerari. Eſt quidem Caſtellane (reſpondet Theodoſius totus ad majeſtatem compoſitus) Tum verò mirantibus, qui fortè aderant, vix dum quadriennis Pueri reſponſum; & quorſum illius vota ſpectarent, ſollicita expectatione ſuſpenſis: *Edicito* (ait) *Caſtellanis, ut frugi eſſe omnes curent; probi nanque beneficiis, improbi à me ſuppliciis ex æquo afficiendi.* Affecit quidem ſumma univerſos voluptate puerilis hæc Luſitani Areopagitæ vox, incredibilique excepta eſt plauſu; digna profectò, quæ Luſitanis, Caſtellaniſque commendationibus perpetuò celebretur. Idem poſt initum quinquennium, legendi, ſcribendique jam peritus, primis Grammaticæ præceptis à Præceptore, de quo infrà, imbutus, in iis percipiendis ſubtiliſſimi ingenii ſingulare acumen planè oſtendit, ſummamque ad reliquas ſcientias capeſſendas propenſionem: de quibus tamen cùm ſæpe alibi commodior nobis ad commemorandum locus ſe ultrò dabit, ſatis, ſuperque ſit hîc inſinuare, ita ſe habuiſſe Theodoſium, ut unicè ad omnigenas ſcientias natus, factuſque videretur; ac earundem ardens ſtudium, jam diu in recentiorum Principum animis, aut elangueſcens, aut propè mortuum, in uno Theodoſio revixiſſe. Hoc lib. §. 66.

CAPUT VI.

Suprema Pueri Theodoſii apud Villaviſſoſam virilis animi, & ſenilis prudentiæ documenta: Sereniſſimo ejus Parente oppidum Almadiam occupare juſſo.

38 PUerum etiam num Theodoſium, ad ſeptennium nondum exactum, liceat appellare; licèt ultra pueriles annos, generoſum animum, curaſque viriles, immò ſenilem prudentiam præ ſe ferentem: vulgari nobis Scriptorum more loquendum, pueros ab annis, non ex meritis, & virtutibus æſtimantium; ſed quia iidem, ut par eſt, multi aliquando ſunt, in eorum laudabiliter geſtis, etſi minimis, magnificè amplificandis; noſtri quoquè muneris fuerit, & legentibus, ut ſpero, haud ingratum, poſterorum memoriæ commendare Theodoſii adhuc minimi maxima quidem virilis animi, & ſenilis prudentiæ documenta; cùm præſertim hujuſmodi ea ſint, quæ in generoſo, & prudenti quolibet viro magna certè admiratione ſuſpiceremus.

39 Appetebat jam diu Luſitanorum votis expetitus, Caſtellæque fatalis annus Chriſti Domini quadrageſimus ſuprà mileſimum ſexcenteſimum, tot prodigiis, minimèque contemnendis prædictionibus celeberrimus; de quibus latè Doctor Gregorius Almeyda in ſuo de prodigioſa Luſitaniæ Reſtauratione libro lectu digniſſimo: idemque Hiſpanæ Monarchiæ hactenùs florentiſſimæ, at magna jam ſua mole nutanti planè criticus, ad illius inclinationem præpoſteris miniſtrorum conſiliis, longè à vero utili aberrantium, Divinæ providentiæ, ac Luſitanæ libertati famulantibus. Enim verò, quæ illi ſive regiæ auctoritatis zelo, ſive privata zelotypia ſtimulante, Brigantinæ amplitudinis deprimendæ conſilia inierunt, ea non modò invertit Deus præverſi conſilii diſſipator; verùm exinde oblata opportunitate uſus, deſtinatum ab ævo Brigantinis Principibus regale ſolium, eorum quaſi opera, & manibus elabora- Gregor. Alm. Luſit. Reſtaurata.

vit, qui ſummâ illud ope adniſi evertere in vanum quidem laboravere.

40 Validiſſimam per id tempus claſſem omnigenis fœtam armis, & numeroſo metuendam milite adornaverat Chriſtianiſſimus Ludovicus XIII Galliæ Rex; ad eam interim univerſis Europæ Regibus, ac Principibus ſedulò intentis; dum unuſquiſque deſtinatum ſibi navalis apparatus bellicum timet fulmen, & ditionis ſuæ maritimas oras Gallicæ naumachiæ fore theatrum reformidat. Cæteros, ut imperii longè, latèque patentioris magnitudine, ſic maritimas urbes, & oppida præſidiis firmandi majore quidem ſolicitudine ſuperabat Hiſpanus Monarcha, certus vaſtiſſimam Hiſpani imperii molem, maximi ad inſtar corporis ictibus plus obnoxii, hoſtium incurſionibus magis plerumque patere. Igitur Ulyſſiponenſis oræ cuſtodiam Brigantino Duci mandat; iis maximè ſuadentibus, qui Brigantinæ Domus immunitatibus offenſi ægrè admodum ferebant, non iiſdem, quibus ipſi, legibus Brigantinos Principes ſubjacere. Poſtquam diu Sereniſſimus Princeps declinandæ provinciæ ſibi demandatæ inſtitit ultrò, citròque miſſis ad Catholicum Regem epiſtolis, modeſtè proponentibus majorum ſuorum hactenus inviolata privilegia, qui non niſi Rege in aciem procedente domo unquam exire ſoliti: tandem cùm ſibi omnes ad Regem allegationes difficiles, omnes aditus arduos, ac penitùs interclyſos animadverteret, æmulorum invidia præpotente, cedendum tempori, parendumque Regis mandatis prudenter deliberavit.

41 Cunctis igitur ad bellicam expeditionem ritè comparatis, ex Villaviſſoſa demum diſceſſurus Almadiam, Oppidum è regione Ulyſſiponis in ulteriore Tagi Oceano jam interfluentis ripa ſitum, Sereniſſima Uxore, ac Liberis interim valere juſſis, ab extremis Theodoſii verbis auſpicatiſſimi eventus lætum omen excepit. Is familiaribus aulicorum per eos dies ſermonibus de profectione Sereniſſimi Parentis, occaſione hoſtilis claſſis, edoctus in hæc verba, non ſine magna omnium, qui aderant, admiratione prorupiſſe fertur: *Noli, quæſo, mi Parens, diſceſſu tuo Matrem meam ſolatio æquè, ac Domum noſtram Auguſtam, quæ in Te uno inclinata recumbit, præſidio fraudare. Vtrique præſens Numen adſis: Ego pro Te, ſi per Te mihi licet, tuum hoc munus obibo; paratus quidem abire; ſatis Ipſe, ſuperque repellendis hoſtibus, & patriæ propugnandæ.* Plauſere omnes, ut par erat, ad inſperatam Luſitani Herculis generoſitatem majora tenellis viribus audentis, & ſubſidiarios immenſo jam tum oneri pares humeros fortiſſimo, nec dum laboranti, Atlanti pollicentis. Plauſit ante omnes Sereniſſimus Parens Joannes, plenus ſpei fore, ut majores ſuos præclariſſimos non æquaret modò, ſed facilè olim ſuperaret Theodoſius, qui talibus virtutis maſculæ documentis adeo tantillus excelleret. Relicta demum Villaviſſoſa brevi Almadiam tenuit, ubi ut ſubſiſteret, Illi fuerat à Rege Catholico imperatum.

42 Mihi verò Theodoſium unicè ſuſpicienti, cæteris, quæ ad Sereniſſimum ejus Parentem ſolummodo ſpectant, aut omnino prætermiſſis, aut breviſſimè delibatis, ea tantùm commemoranda, quæ vel Theodoſii propria, vel utrique communia; cujuſmodi ſunt regiæ acclamationis initia, & incrementa, quæ Theodoſio hactenus Barcellenſi Duci Luſitaniæ Principatum pepererę. In iis autem recenſendis nullo me privato, aut publico affectu impelli, ſed ſimplici nudæ veritatis, quæ nemini fraudi eſſe debet, ſtudio planè adduci; quod ſemel jam initio ſum profeſſus, iterum hìc ſanctè polliceor.

43 Fidem

43 Fidem omnino ſuperat, quantus fuerit erga Sereniſſimum Joannem Almadiæ agentem univerſorum ordinum amor; qualiſque animorum conſenſus, ac penè conſpiratio. Benevolentiam Illi in primis conciliavit inſolens Brigantinæ Majeſtati mira certè, ac incredibilis humanitas, qua ſe magnatibus æqualem, nobilitati facilem, vulgo ipſi gratioſum, nemini gravem, omnibus ex æquo amabilem exhibebat. Hinc frequens ad Illum inviſendum magnatum concurſus, quos Ille non modò inſita urbanitate alliciebat, ſed affectata etiam nonnunquam præter ſolitum comitate omnium ſibi animos alliciebat; promptos nimirum ad obſequium Regis, patriæque tutelam, ſiquando adverſa vocarent, hac maximè ratione habiturus, probè conſcius haud poſſe difficilem Imperatorem faciles ad nutum milites, cùm res poſtulet, experiri.

44 Hujuſmodi confirmandæ benevolentiæ haud parum profuit exhibitum quadam die frequentioribus ſolito Proceribus pomeridianum epulum; illi ſimile, quod reconciliandis Vvalonum Provinciis, eorum Legatis lautè olim in Belgio appoſuit Alexander Farneſius; qui ſub finem epuli convivantibus ſuperveniens, ac blandè queſtus, inſcio ſe, manus conſeri à ſuis, primo in ea pugna loco, uti Ducem decebat, aſſumpto, mirificè obvia illa comitate convivarum animos ſibi devinxit; auditique ſunt, cùm dicerent: *Agreſtes ſe plus nimio viſum iri, niſi adeo benigni, amabiliſque ingenii Viro manus darent.* Longè urbaniori facilitate, multùmque diſpari eventu ſuos hîc Brigantinus Princeps convivas arctiſſimè obſtrinxit: quibus genialiter accumbentibus ſtans Ipſe miniſtranti ſimilis improviſus adfuit; arreptoque, ac deguſtato, qui ſe prior obtulit, parabili cibo: *Immeritò* (inquit) *abeſt à convivali ſocietate belli, & periculorum haud dubiè futurus ſocius: abſque commilitone militare claudi convivium non oportet.* Ad inſperatam inſolitæ benevolentiæ ſignificationem, commotis haud leviter animis, aſſurgunt humaniſſimo Principi convivæ: nec verò contenti, mutuis, & longè hilarioribus provocatum populis, quaſi Regem convivii ſalutare (quia voce hactenus intutum erat) oculis, ac nutibus ad Luſitanum ſceptrum deſignant; dignum certè imperio æſtimantes, qui tam probè ſciret, & ſuis imperare affectibus, & Brigantinam planè Regiam Majeſtatem adeo commendabili urbanitate attemperare. Quæ tamen dum reliqui ſecum taciti reputant, auſus quidam ad fidiſſimi, ſibique proximè aſſidentis aurem in hæc verba muſſitare: *Rex profectò erit, vel ſolius tantæ humanitatis commendatione.*

P. Strad. de bello Belg. Dec. 2. l. 1.

45 At multis præterea nominibus Luſitanæ Monarchiæ Illum maximè opportunum exinde ſuſpicere omnes cæpere; virtutibus regno digniſſimis regias Sereniſſimi Principis actiones quotidie commendantibus. Ad hæc, altè conceptam animis poſtliminiò reſtituendi Brigantinis Dominis regni opinionem Theodoſii jam tunc fama, & expectatione acriùs ſtimulante: de cujus aurea indole, eximiiſque virtutibus, dum Brigantinos aulicos frequenter differentes auſcultant; apud ſe tandem ſeriò deliberant, fortunatiſſimum certè fore Luſitanæ Reipublicæ ſtatum, ſi Parentem Sereniſſimum diu avito ſceptro potitum, adeo ingentis ſpei tantus Princeps aliquando exciperet. Hujuſmodi verò ſtabiliendo tanti momenti conſilio prorſus neceſſariò colligendam populi Ulyſſiponenſis omni arte benevolentiam, è re maximè fore viſum eſt. Id autem ut facilè aſſequantur, Brigantino Principi, ſuſcepti clam conſilii hactenus inſcio, perſuadent per intimum, cui multum deferebat,

bat, Ulyſſiponem ut palam adeat, inviſurus Auguſtiſſimam Margaritam, Mantuæ olim Ducem, tunc pro Philippo Luſitaniæ Gubernatricem. Ab ea primùm impetrata venia, qua convenerat die, florentiſſimo, tum Brigantinæ Domus, tum Ulyſſiponenſium Dynaſtarum comitatu longè conſpiciendus è regia ſcapha in littus deſcendit; indeque triumphantis more in Urbem invectus eſt, incredibili univerſi populi undique ad ſpectaculum confluentis frequentia, & lætitia; cunctis incedenti, veluti victori, plaudentibus; tunc maximè, cùm è ſuperiori loco palatium ingreſſurus, ad populum converſus, detecto mira comitate capite, univerſæ multitudini gratulatus eſt.

46 Attonitam inſolito popularis auræ afflatu, nobilitatiſque, ac Procerum inſolenti comitatu Gubernatricem, brevi, ac urbaniſſimè alloquutus Almadiam eadem die repetiit; majore quidem nobilitatis, ac Procerum officioſè blandientium pompa, nec minore Caſtellanorum è palatii januis proſpectantium, ipſiuſque in primis Gubernatricis æmulatione; cujus ea tunc vox exulcerati animi index erupiſſe fertur: *Non putabam duos eſſe in Luſitania Reges.* Marchione de la Puebla illius maximo æconomo identidem in hanc ſententiam ingemiſcente: *En ſuſcepti perperam conſilii à me toties improbati certè pœnitendus exitus: cur ſopitum jam diu ignem, populari exſufflandum aura, in noſtram perniciem, per ſummam imprudentiam objecimus? Camarinam profectò movimus, peſtifero nobis halitu nocituram; amoto ex Villaviſſoſa ſylva, qua contentus perpetuò continendus erat, Brigantino Leone, oblata præda jam inhiante, quam haud dubiè devorabit, niſi ſimulata benevolentia vinculis conſtrictus ſua ipſe cavea cautè admodum teneatur. Monendus quidem eſt noſter Monarcha, ſua maximi referre, quantocius Luſitanorum oculis, quoniam animis mutuò cohærentibus vix jam poßit, ſubduci Brigantinum Ducem, Eborenſi olim, nunc Vlyßiponenſi triumpho elatum; neque albis modò Eborenſibus currentem equis; ſed remis etiam, veliſque Vlyßiponenſibus ad Regiæ dignitatis faſtigium, niſi properè, ac opportunè occurrerit, properantem.*

47 Hæc, multòque acerbiora Madrittum delata graviter admodum Philippi animum diu conſilii dubium affecere. Poſt longam cum miniſtris ſpectatæ fidei conſultationem; demum ſedit, non aperta vi, ſed prudenti conſilio periculoſæ plenum aleæ negotium conficiendum; cæcoſque hactenus conſentientium animorum motus, & nondum in lucem edita ſuſpectæ conjurationis initia occultis clam machinis opprimenda. Hinc diſſimulato interim metu, imperatum eſt Brigantino Principi, ut maritimas Ulyſſiponenſis oræ arces accuratè Ipſe inſpiceret, ſedulòque proviſis ad illarum munitionem neceſſariis, Regem de omnibus faceret certiorem. An, ut in earum aliqua fortè interceptus manifeſtis criminationibus, & æmulorum invidiæ pateret? incertum. Id certè conſtat ſeriò Illum à fideliſſimis monitum, ſub honoris ſpecie ingens ſibi, ſuiſque intendi periculum; quod niſi ſolerti declinatione prudens præcaveat, actum eſſe omnino de Brigantina Domo, cui diruendæ, ac propè devorandæ Luſitani aliquot, Caſtellani plures æmuli avidiſſimè inhiarent. Hæſit diu imperterritus; nec loco, aut ſententia dimoveri potuit Sereniſſimus Joannes, nullius ſibi conſcius criminis, ſatis, ut credebat, ſua tectus innocentia: donec importunis amicorum precibus, & ſuaſionibus exoratus, ſimulata improſpera valetudine, Villaviſſoſam denique paucis comitantibus improviſus conceſſit: ubi à Sereniſſimis Uxore, ac Liberis peramanter exceptus, inſolentiori quidem, ut ſolet, ex inopinato adventu lætitia. At eam brevi corrupit emiſſus à Catholico Rege nuntius, Brigantinum

num Principem, cæteroſque Luſitani regni Dynaſtas, ad Catalaunicum bel-
lum ſimul evocante.

48 Neminem latuit, quò iſthæc intempeſtiva evocatio collimaret; conſ-
ciis jam penè omnibus habiti haud pridem apud Madrittum conſilii, de Lu-
ſitani Regni majeſtate ad Provinciæ formam, & anguſtias deducenda: hac ni-
mirum ratione, ſublatis è medio, longèque amotis, qui unicè repugnare poſ-
ſent, facilem ſterni viam, ad patrias leges effringendas, ad regias immunita-
tes minuendas, ad clariſſimæ gentis illuſtre olim nomen, & gloriam penitus
abolendam. Cur in tanto periclitantis publicæ libertatis diſcrimine ignavi
ceſſarent? Cur Brigantinum Principem iiſdem, quibus ipſi, laqueis jam pro-
pè irretitum non adirent? Cur oblata opportunitate uti, regnumque Brigan-
tinæ Domui multis nominibus debitum, armis, & vi ſibi ereptum, capeſſere
dubitaret? Cur vel invitum, & reluctantem non ipſi compellerent, ut ſibi,
ut ſuis, ut patriæ denique nutanti opem ferret? Hæc, & ſimilia ſecretis in-
ter ſe colloquiis pauci admodum agitantes (neque enim pluribus res tanta
committi debuit) è fidiſſimis unum demittunt ad Sereniſſimum Joannem,
vario tunc curarum æſtu fluctuantem, nec tutam ſatis, expeditamque ratio-
nem patriæ, ac Brigantinæ Domui conſulendi reperientem, cum hujuſmodi
mandatis: *Certum porro ſibi eſſe, omnia patriæ incolumitati poſthabere; cujus liber-
tatem Caſtellanis machinis validiſſimè oppugnatam, vel fortunarum jactura integram
tueri, vel ipſius capitis periculo illibatam aſſerere non dubitarent. Si hæreditarium Lu-
ſitaniæ ſceptrum Sereniſſimis Avis Dominæ Catharinæ, ac Ioanni Conjugi extortum
velit arripere, ſe ipſos quidem præſtò eſſe, quò reſcunque caderent; promptos deinde ad
obſequium tum nobilitatis, tum univerſæ plebis animos haud dubiè polliceri: neque ad
hoc ipſum auxilia externa è Gallis, Anglis, Hollandis, & Suecis, non expetita modò, ſed
oblata jam diu defutura. Sin minus ſibi fixum, immotumque animis ſedere, Caſtellano
excuſſo jugo, liberæ reipublicæ Ariſtrocatiam conſtituere, æquiſſimis firmatam legibus,
optimis conſiliis validam, armis denique Luſitanis, & auxiliaribus præpotentem. Ro-
gare ſe demum, ut habita fide Legato cætera enucleatiùs relaturo, per eundem ſibi digne-
tur ex votis omnium reſpondere.*

49 Certè non minùs hic ab Ulyſſipone, quàm nuper ex Madritto miſ-
ſus nuntius turbavit Sereniſſimum Joannem, regnandi penitus incurioſum,
eòque incertum, majuſne ſibi ab amicis Luſitanis, Regnum pollicentibus, an
ab inimicis Caſtellanis, ſubdolè inſidiantibus, periculum intenderetur? Ergo
poſt multiplicem cum Ulyſſiponenſi Legato de ſumma rerum diſceptatio-
nem; inextricabilis negotii magnitudine aciem intentionis pariter, & elec-
tionis abrumpente; ab eo ad deliberandum opportunum tempus nactus, Se-
reniſſimæ Conjugi Aloyſiæ, cujus ſingulari prudentiæ, virilique prorſus ani-
mo plurimum tribuebat, reconditæ cauſæ implicitam ſeriem palam aperit;
cum eaque, (ut olim cum uxore Porcia magni Catonis filia M. Brutus) ſuſ- Lipſ. exem
ceptum de liberanda patria conſilium confert. Magnum profectò fœmineæ pl. polit. c.
laudis par utrunque documentum: at longè majus, & ſupra omnem fidem, 6. n. 5.
quod ſubnecto.

50 Aderat ſecretis hiſce tanti momenti colloquiis Theodoſius Puer, ſep-
tennio nondum expleto; in prætexta ætate Papyrio Prætextato in Senatu Macrob. l.
olim Romano, communi prudentiſſimorum hominum conſenſu, conſilio- 1. Saturn.
rum omnium ſummum ſecretum exigentium, & rerum quarumlibet maxi- c. 6.
marum, quæ illic agitabantur, participi meritò conferendus, publiciſque con-

ſiliis

filiis jam tunc Togatus Senator admiſſus. Compertum nempe habebant frequenti experimento Sereniſſimi Parentes, parvuli Theodoſii fidei tutò committi poſſe qualecunque, vel tanti ponderis ſecretum, inviolabili ab eo ſilentii Arpocratici fide continendum. Nec illos ſua ſpes fefellit; ita enim commiſſi ſibi ſecreti fuit tenax, ut nemo unquam ab eo audierit, talia ſe à Sereniſſimis Parentibus audiviſſe. Adeo ut nonnulli ſummæ auctoritatis, ſpectatæque prudentiæ viri, Theodoſii rerum apprimè conſcii, mihi hæc tam inſolita, & à ſe hactenus inaudita, commemoranti fidem adhibere primò addubitarint; mox ſummam Sereniſſimæ Reginæ Matris auctoritatem producenti aſſentientes, obfirmatè quidem negabant, è regia dignitate fore, licèt alioqui verum, factum id evulgari; quòd vix ſeptennis Pueri prudentiam etſi præter modum attolleret, Sereniſſimorum tamen Parentum hujuſmodi ſecretum Illi committentium non parum deprimeret: ab Hiſtorico veritatis in primis, at ex æquo decori habendam rationem; cui nimirum falſa proferre nunquam liceat; vera nonnunquam Regum exiſtimationi contraria ſilere prorſus oporteat. Hæc illi conſultiſſimè quidem. Re tamen cum iiſdem, aliiſque prudentiſſimis viris maturiùs deliberata, demum ſedit, nullatenus rem tantam ingrati ſilentii tenebris involvendam; quin ad memores poſteros, pro ſecreti obſervandi commendabili exemplo, tranſmitteretur; ſtandumque potiùs prudenti judicio Sereniſſimæ Reginæ Matris, non modò id mihi referentis, ſed ut ſcriberem præcipientis; utpote quæ glorioſum ſibi, ac Sereniſſimo Conjugi duceret talem, ac tantum ſibi contigiſſe Primogenitum; cui tantillo, at jam à vulgari garrulæ pueritiæ more penitus immuni, citra omnem indecoræ imprudentiæ notam, tantum ſigillum tutiſſimè credi potuiſſet. Nec mihi certè foret animus rem prorſus incredibilem poſterorum fidei, & memoriæ commendare, niſi ſumma Sereniſſimæ Matris auctoritas intercederet; de qua dubitare nefas ſit. Illa mihi Theodoſii præclaras res geſtas ſedulò ad ſcribendum indaganti, hoc inauditæ prudentiæ, admiratione potiùs, quàm imitatione proſequendum, exemplum non ſemel commemorare dignata eſt: pro cujus complemento addidit; rogatum à ſe interea Puerum Theodoſium; quid arctiſſimis, dubiiſque rebus optimum factu judicaret? Mirabili fiducia, & Divina propè ſapientia reſpondiſſe: *Fiat voluntas Dei*. Quâ demum voce à Puero Theodoſio quaſi divinitus prolata; prudentiſſimis inſuper Sereniſſimæ Aloyſiæ monitis; ad hæc Secretarii Antonii Paes Viegas ſibi meritò acceptiſſimi conſiliis (quæ per otium perſequi noſtri non eſt inſtituti) confirmatus Sereniſſimus Joannes; certuſque ad Luſitaniæ avitum ſceptrum recuperandum, ſe licèt invitum à Deo manifeſtis indiciis haud dubiè vocari; evocato ſeorſim Ulyſſiponenſi Legato: *Edicito* (inquit) *fidiſſimis ſociis, me nulla regnandi ambitione, ſed unico liberandæ patriæ ſtudio ductum, velle Deo in primis ad avitum Regni ſolium ducenti, ipſis deinde fidelem operam pollicentibus morem gerere: pergant porro promiſſa implere; ſuſceptæque non minùs glorioſæ, quàm difficili provinciæ, ut ſtrenuos viros decet, coronidem imponere ne morentur; ſciant deliberatis ſemper nocuiſſe, vel tantiſper differre.* Tali reſponſo, inaugurati Regis manu reverenter ad oſculum expetita, licèt tunc minimè obtenta, mirificè lætus Ulyſſiponem feſtinus rediit, ſolicitis inter ſpem, metumque ſociis rei bene geſtæ jucundiſſimus certè nuntius affuturus.

CAPUT

CAPUT VII.

Sereniſſimo Ioanne quarto Luſitaniæ Rege proclamato, Theodoſius Regni Princeps primis Ulyſſiponenſibus comitiis inauguratur.

51 INcredibilem attulit lætitiam Luſitanæ libertatis Aſſertoribus ex Villaviſſoſa raptim advectus nuntius; cunctis ſibi mutuò reſponſum optatiſſimum Sereniſſimi Principis gratulantibus, Legatoque in primis plaudentibus magnificè extollenti SereniſſimiJoannis generoſos planè ſpiritus, Luſitanæ Monarchiæ regendæ pares; tum Auguſtiſſimæ Aloyſiæ commendabilem certè prudentiam, doteſque cæteras ſupra fæmineum ſexum longè præcellentes;Theodoſii tandem ad ſumma natiRegiam ſanè indolem. Quibus denuo confirmati, & in ampliorem affulgentis jam libertatis erecti ſpem, plures ſibi quiſque ex promptiſſimis, intimiſque adſciſcunt ſocios; quorum animos eadem periculorum ſocietas, ut ſolet, facilè copulavit. Satis conſtat Fœderatorum numerum vix quadrageſimum æquaſſe; adeo exigua manu tantum facinus non tentatum modò audacter, ſed confectum feliciter, præclaro poſteris documento, ad maxima perpetranda non tam numerum, quàm virtutem valere. Tunc iidem inertes moras, ſemperque paratis noxias omnino præcidendas rati, diem peragendo memorabili facinori dicunt ad proximas Kalendas Decembres exeuntis anni Chriſtiani ſexcenteſimi quadrageſimi ſupra milleſimum, Luſitanis exinde faſtis perpetuò inſerendas. Pridie hujuſce diei præcipuas magnæ Urbis regiones armis eodem tempore occupandas inter ſe Fœderati partiuntur; palatium in primis Gubernatricis Margaritæ reverentia æquè, ac Prætorianis cohortibus præmunitum; Tribunalia deinde magiſtratuum conſiliis, & auctoritate obfirmata; arcem denique Urbi undequaque imminentem,valido Hiſpanorum militum præſidio, & duodecim majoribus tormentis (Apoſtolos vocabant) formidabilem. Rebus ita in ſequentem diem rite diſpoſitis, ad ſuam quiſque dilapſi domum,quod ſupererat adultæ jam noctis,confirmandis Commilitonum animis, armiſque expediendis inſomnes propè traducunt.

52 Ubi ex omnium votis ſerò quidem, at auſpicatò demum illuxit, expiatis antea per confeſſionem animis, teſtamentiſque confectis, ut opus erat manifeſtum vitæ diſcrimen animosè adituris; omni deinde armorum genere ad omnem fortunæ eventum inſtructi, rhediſque, aut lecticis, ut cuique moris antea fuerat, invecti ad loca ſingulis deſtinata progrediuntur. Hîc dato ſigno ab horologio templi maximi hora octava matutina, uti convenerat, univerſi demandatam ſibi provinciam impigrè, ſtrenuèque ſimul obeunt. In iis, qui expugnandi palatii curam ſuſceperant, ad illius cuſtodiam excubantes Prætorianos ſubita, inſperataque irruptione conſternatos priùs armis exuunt, quàm exutos ſe, ac inermes animadverterent. Felicibus adeo auſpiciis longè feliciorem exitum ominantibus exultantes ad ſecretiores palatii ædes convolant (*Forte* vulgò appellant) ubi agebat Michael Vaſconcellos,

Luſitani ſtatus Secretarius, alludentis jam diu fortunæ, ad extremum illudentis maximum noſtra, patrumque memoria documentum; probroſa idem morte, quàm glorioſè traducta vita, poſteris longè notior; cui demum erga Hiſpanos miniſtros adulatoriis, ut vulgò ferebatur, artibus, & gravibus regni oppreſſionibus parta gratia ſummam potentiam ſuperbè nimis exercitam, indeque apud Magnates indignè habitos invidiam, apud univerſos ordines plus nimio vexatos acerbum odium, ac tandem fœdum exitum comparavit.

53 Jam ad illum rumor pervenerat ſpoliatos armis Prætorianos; jam ſtrictis mucronibus circumquaque volitare, nemine obſiſtente, Dynaſtas: mox ſcelerum conſcientia præmonitus ſe unum haud dubiam deſignari ad cædem; poſtquàm nec paratæ defenſioni locum, nec tutum ſatis patere ſibi effugium animadvertit, armatis univerſos exitus intercludentibus (quod unum reſtabat) obſeratis ipſe foribus occulta ſibi proſpicit latibula; in quibus deploratæ jam ſalutis ſpem unicè collocarat. Interim Fœderati fractis repagulis, poſtibuſque à cardine convulſis intromiſſi, ſingula diligenter ſcrutantes in ſuis tandem latebris deprehenſum Secretarium, proprio jam metu exanimem paucis admodum vulneribus facilè conficiunt; extractumque cadaver ſolas adhuc minas, inſitamque ferociam ſpirans ab eminenti feneſtra in ſubjectam palatii aream altè deturbant: ubi aliquandiu jacuit omnibus inviſum caput; cui ab infima plebecula per ſummum dedecus omnigenis opprobriis, & ludibriis ad ſatietatem uſque inſultatum: nonnullis interim è prudentioribus infelicis hominis lugubre fatum cum perſimili exitu Comitis Joannis Ferdinandi Andeyro meritò conferentibus. Et quidem uterque
D Gregor. Alm. p. 2. c. 3. regni tunc Gubernatricibus Reginæ Eleonoræ, Margaritæque Mantuanæ perquam gratioſus; uterque, liberandæ mox patriæ univerſis plaudentibus, prævia, gratiſſimaque cecidit victima, iiſdemmet (quod magis mirere) Kalendis Decembris: in utroque (miſericordia, & juſtitia ſic exigentibus) diu ſcelerum diſſimulator, ſed ad extremum ultor Deus dillati ſupplicii tarditatem atrocioris pœnæ acerbitate compenſavit.

54 Occiſo tandem, qui unus credebatur, ſi vivus adhuc extaret, multùm poſſe publicæ libertatis conatibus obſtare, ac populum, cui ob nimiam potentiam, inſitamque ſævitiam erat maximè formidabilis, deterrere; frequenti jam multitudini undique confluenti novum Regem Fœderati renuntiant Sereniſſimum Joannem quartum, hactenus Brigantinum Ducem; cujus audito nomine commoti animis non ſine numine univerſi unanimi conſenſu proclamant: *Vivat Rex Ioannes quartus.* His demum clamoribus excita penitus Gubernatrix, primi jam tumultus rumoribus, & Secretarii vulgata cæde haud leviter perculſa, mirabili ſanè fiducia procedit obviàm armatis; ſi fortè poſſit mollibus verbis iras frangere, compoſitaque oratione invaleſcentem indies tumultum, ne ſerpat latiùs, prohibere. Univerſos igitur officii, ac promiſſæ fidei erga Hiſpanum Regem monitos enixè rogat: *Ne ſibi deinceps deſint, contentique ſat merita pœna improbi hominis, tandiu illorum patientia adeo impotenter abutentis, ſe ipſos ſibi, tranquillitatemque turbata Civitati reddant. Si quid in Regem fortè peccatum, illius miniſtro interfecto, id certè ſe ipſa deprecante impune fore, juſto dolore illatas injurias perſequentibus.* Plura præterea in eandem ſententiam proſequi paranti ſilentium à Fœderatis indictum; eamque faciunt certiorem: *Certum ſibi eſſe nullum alium Regem, niſi Sereniſſimum Ioannem quartum revereri, ſic (jubente Deo) juſtitiam jam diu ab annis ſexaginta pro Brigantinis*

Princi-

Principibus reclamantem; ſic ad extremum violatas à Caſtellanis patrias leges, & immunitates, in quas juraverant, poſtulare. Quocirca non eſſe, cur ampliùs ſuccumbat gravibus adminiſtrandi regni curis; quæ alii jam incumberent; imperandi tempus abiiſſe: parendi novi Regis mandatis certam; & inevitabilem urgere neceſſitatem. Ad quas voces, amiſſa omni prorſus dignitatis priſtinæ retinendæ ſpe, ad privatas ædes conceſſit, nobiliori, quàm unquam aliàs, illuſtriſſimorum Procerum ſatellitio ſtipata. Relicto demum ad Gubernatricis cuſtodiam ſub honoris ſpecie opportuno præſidio, nequid illis abſentibus in aula turbaretur, ad conficiendum negotium, quod opinione celeriùs, ac præter ſpem feliciùs illis hactenus ceſſerat, rapidiſſimè feruntur; opportunam ſociis opem, ſi uſquam res poſceret, allaturi.

55 Interim aliorum ſtrenua opera compulſis facilè ad novi Regis acclamationem Tribunalibus, commotaque univerſa, quàm magna eſt, Civitate ad inſperatæ rei novitatem; cunctis undique ad palatium confluentibus; illuc jam è templo maximo ſolemni procedebat pompa Illuſtriſſimus D.D. Rodericus à Cunia Ulyſſiponenſis Archipræſul; à Fœderatis comitantibus rogatus, ut Urbis, totiuſque Regni Gubernatorem ageret, quandiu Villaviſſoſæ abeſſet Sereniſſimus Rex propediem affuturus. Erat is ob illuſtriſſimæ proſapiæ claritudinem, ob ſapientiæ, cæterarumque virtutum commendationem, maximèque ob eximium, ac nulli non exploratum erga Patriam affectum, & univerſæ plebi, & primariæ nobilitati ex ipſius nutu pendentibus longè omnium acceptiſſimus. Ventum erat ad limen D. Antonii, cùm ſacra effigies Servatoris optimi; è Cruce Pontificia, quæ præcedebat, refixa repente dextra, cunctis mirabili ſpectaculo intentis novam effuſiùs exultandi, feliciùſque ex inſolito prodigio ominandi cauſam obtulit. Contendebant nonnulli, *Extenſa Chriſtum dextra quodammodo indigitare Sereniſſimum Ioannem, in omnium animis, & vocibus jam præſentem, in cujus amplexus rueret; eundem certè illum eſſe, quem olim ſimili è Cruce Alphonſo primo novi Conditorem imperii prænuntiarit. Alii* Vaſc. In ejus vita n. 5. & Monarch. Luſit. 3. p. l. 10. c. 5. *non abs re viſum eſt, Divinum Aſſertorem; liberata è Cruce dextra veluti generoſum facinus confirmantem, Luſitanæ libertatis Aſſertoribus benedixiſſe. Nec alia fuit aliorum mens, quibus placuit Cœleſtem Regem, clavo quaſi calamo arrepto à Fœderatis lata pro Sereniſſimo Ioanne ſententiæ ſubſcripſiſſe. Plurimi ſibi plaudebant ex promiſſa Luſitanis Divinæ dexteræ expedita protectione. Omnibus denique omnino ſedit, non niſi dextrum, auſpicatiſſimumque, primis ineuntis regni auſpiciis, à Divina dextra extenſâ portendi omen.* Novam prodigio admirationem, publicamque oblectationem conciliavit ſubſequutum paulò poſt juramento confirmatum D.D. Franciſci à Mello Marchionis Ferrarienſis teſtimonium. Is verè atteſtatus eſt Eboræ multò ante regiam acclamationem ſibi prædictum id prodigium à fœmina ſummæ apud omnes venerationis, ob eximiam probatæ virtutis opinionem (de qua infra iterum nobis agendum) quæ incredibili gaudio delibuta ſibi olim renuntiarit: Lib. 1. §. 58 *Æquum eſſe, ut ſimili, qua illa, exultatione Luſitani afficerentur, quoniam videbat Chriſtum Dominum prope Vlyſſiponenſe D. Antonii templum ex parva Crucifixi effigie dextrum brachium ſuper Luſitaniam extendentem.* Id verò per idem tempus ſibi per literas ab eodem Marchione revelatum: fidem quoque irrefragabili jurejurando fecit ipſi conſanguineus, & familiariſſimus Franciſcus à Mello Venatorum Præfectus maximus. Ita Doctor Gregorius D. Greg. Alm. Almeyda in ſuo libro, cui titulus *Reſtauratio Luſitania prodigioſa.* Tali, adeoque evidenti faventis Numinis oſtento alacriores Fœderati, deducto ad re-

 giam

giam novo Gubernatore, ibique relicto, per univerſam diſcurrunt civitatem, elato regio vexillo, vitam, & ſummam felicitatem novo Regi, exitium Illius hoſtibus imprecantes; cunctis, quacunque pergerent, non modò annuentibus, ſed inſolentiori plauſus, & lætitiæ ſignificatione publica gaudia cumulantibus; nemine interim ulla ratione palam obniti, vel contra leviter muſire auſo.

56 Solius urbanæ Arcis hactenus inconcuſſæ vel deditio, vel expugnatio ſolicitos tenebat Fœderatos. Et jam primo ſuperiori congreſſu, illorum monitis obſecundans Gubernatrix Præfecto Arcis præceperat, ne in ſubjectam urbem detonaret; verita (ut vulgò creditum eſt) ne tormentorum licèt inani fragore provocati popularium animi ad ſui, ac ſuorum certam perniciem inflammarentur; vel damni leviſſimi ſenſu conceptum ex longo dolorem ad vindictam maximam ſtimulante. Nec aliam fuiſſe cauſam exiſtimo, cur eadem Gubernatrix, iiſdem ſuadentibus Fœderatis, haud multò poſt imperavit ipſius Arcis deditionem; quæ feliciter peracta eſt poſtridie Kalendas Decembres; ſummo quaſi exundantis gaudii, Ulyſſiponenſeſque propè obruentis cumulo; maximo exinde proventu ad reliquas totius regni arces, urbes, oppida, & pagos derivato: ubi enim liquidò conſtitit Ulyſſipone renunciatum Regem Sereniſſimum Joannem, Ulyſſiponenſemque Arcem munitiſſimam ultrò Illi ceſſiſſe, neque vi, neque pecunia expugnatam, illico ſe Illius arbitrio ſubmiſere tredecim maritimæ arces, Caſtellanis præſidiis propè inexpugnabiles, octodecim urbes, octingenta oppida, ad quindecim pagorum millia præter transmarina; idque ſolo Joannis audito nomine, poſt hominum memoriam inaudita, poſteriſque prorſus admiranda felicitate. Cujus quidem maximum, & longè mirabile fuit complementum, finitus eadem, qua cæperat, die talis de re tanta motus; commota ſimul, repenteque ad priſtinam tranquillitatem redeunte una è maximis totius Europæ Civitate. Ad hæc ſumma jurati ſecreti religione inter tot conſcios, momenti maximi peractum facinus; unius tantùm Secretarii cæde; nullius rapinæ, vindictæ, ſceleriſve, aut contagio pollutum, aut indignitate maculatum. Quis non miretur in promiſcuo tantæ multitudinis concurſu, expoſitis ubique mercibus; & tentoriis præ timore paſſim derelictis? Nec minori certè dignum admiratione intermiſſas olim multorum amicitias, publica tantùm lætitia conciliatrice denuo redintegratas; obvios item inimicos ad mutuas antea cædes intentos, nemine concillante, niſi ea occaſione, in gratiam ultro rediiſſe. Tandem cùm plurima tunc in Ulyſſiponenſi portu minimè contemnenda navigia Caſtellana hyemarent, nullum eorum bellicum tormentum explodere auſum eſt; univerſa novi Regis imperio ſe dedidere.

57 Dum hæc Ulyſſippone geruntur, ſequenti mox die Sanctiſſimo Xaverio ſacra, quæ tunc in primam Adventus Dominicam incidit, lætus nuntius à Fœderatis miſſus ſub veſperum Villaviſſoſam appulit. Hic literas totius rei pridie apud Ulyſſiponem proſperè geſtæ ſeriem continentes tradidit Sereniſſimo Joanni, tunc in ſacello regio veſpertinam D. Xaverii ſolemnitatem rite, ac ſolito de more peragenti. Reſignatis literis editum in vulgus illarum argumentum; incredibile dictu, quàm inſolito, præ immodica lætitia, geſtientium animorum motu, ab univerſis exceptum. Redditæ in primis Deo pro ſingulari beneficio grates, canticum *Te Deum laudamus* modulatiori, quàm unquam aliàs, concentu muſicis proſequentibus. Gratula-

tum deindè Sereniſſimis Joanni, & Aloyſiæ, veneratione Regibus haberi ſolita. Eam, quæ ſequuta eſt, noctem omnigena plauſus regii ſignificatione traductam poſtera excepit dies, qua rebus Villaviſſoſæ brevi compoſitis, Ulyſſiponem raptim profectus eſt Sereniſſimus Rex, paucis admodum comitantibus, in iis Marchione Ferrarienſi, Comite Vimiozenſi, Petro Mendoſſa, & Georgio à Mello, illuſtriſſimis Dynaſtis; quorum primi ex Ebora primis regiæ acclamationis rumoribus exciti gratulatum advenerant; duo poſtremi ex Ulyſſipone, perfecta jam acclamatione, quam maximè promoverant, maturandæ Sereniſſimi Regis profectioni à Gubernatore, ac Fœderatis miſſi fuerant. Hujuſmódi (quis credat?) exercitu viginti hominum vix numerum excedente, ad exturbandum Luſitano regno per annos ſexaginta poſſeſſo Hiſpanum Monarcham, omnium ea tempeſtate in Europa longè maximum, proceſſit Sereniſſimus Joannes, nullo prætereà ſatellitio, quàm ſuorum amore, ac Divino in primis præſidio circumvallatus, & abundè tutus. Ita expectatione celeriùs Ulyſſiponem, ac regium palatium repentinus, & penè inopinatus iniit ſexta die Decembris; qua obſervatum eſt ab eruditis deceſſiſſe olim Sereniſſimum Regem Alphonſum primum Luſitani Regni Authorem, anno à Chriſti ortu octogeſimo quinto ſupra centeſimum mileſimum; ut planè conſtaret legitimum ſuceſſorem eſſe Alphonſi primi Sereniſſimum Joannem quartum, dum eadem, qua Ille die à vivis abiit Conimbricæ, Hic Luſitanum regnum auſpicatò adiit Ulyſſipone. Monarch. Luſit. 3. p. l. 11. c. 38.

58 E regia deſcendenti ſcapha Sereniſſimo Joanni (quod maximè obſervandum) D. D. Franciſcus à Mello Marchio Ferrarienſis ſupplicem porrexit dextram, revocata Illi mentione cujuſdam minimè contemnendæ prædictionis, de qua Illum antea fecerat certiorem: *Impleamus* (inquit) *illius perſonæ vaticinium.* Cui Rex: *In præſentiarum certè id ipſum metum animo volvebam, quod mihi à Te prædictum de fatidica ea fœmina ritè recordor; demus igitur dextras* datiſque mutuò manibus, per pontis lignei gradus ibidem expoſitos conſcendere. Fuit verò hujuſmodi fœmina Eleonora Rodrigues Eborenſis, illuſtrium virtutum, & prædictionum veritatis ſcopum collimantium multiplici commendatione celeberrima, quæ haud pridem Eboræ deceſſerat Aprilis die undecima ſuperioris anni trigeſimi noni ſupra milleſimum ſexcenteſimum: eam, dum vitam ageret minimè vulgaris ſanctimoniæ opinione ſtabilitam, plurimi, religioſi maximè, primariique viri convenire frequenter, ejus apud Deum precibus magni momenti negotia commiſſuri. Cum eadem privatis de cauſis familiares ſæpe ſermones conferre ſolitus Marchio Ferrarienſis, cui multa diverſis illa temporibus, certo poſtea ſubſequuto effectu, prædixerat. Et primum omnium, viſum à ſe illum prope aquam in quibuſdam ligneis gradibus ſupra ſcamnum deſcendenti ex ſcapha Regi cuidam dexteram porrigentem. Quis vera eam prædixiſſe neget? Iterum videre ſe quendam in Luſitania Regem, unicamque ſupereſſe Sereniſſimi Regis Emmanuelis ſobolem (haud dubiè Sereniſſimum Regem Joannem quartum) cui, ſimulque Luſitaniæ Regno maxima divinitus forent incrementa deſtinata. Aliàs, filios ſibi futuros (nullum hactenus Marchio ſuſceperat) eiſdem prorſus, quibus eos nunc videmus, oris lineamentis, & coloribus deſignatos; quorum prætereà capitibus Rex quidam manum ſuperimponeret; quod quidem impletum eſt; cum idem Marchio geminos poſtea natos D. D. Nonium Alvarum Pereyra, nunc Ducem Cadavalenſem, & D. D. Theodoſium à Barganſa Sereniſſimo

niſſimo Regi Joanni quarto Ulyſſipone obtulit, ab eodem, impoſita illorum capitibus regia manu, indulgentiſſimè habitos. Tandem videre ſe in ejuſdem Marchionis Eborenſi palatio confertiſſimam virorum multitudinem, ex quibus nonnullos Eboræ notiſſimos ipſa probè agnoſceret, lætis acclamationibus perſonantes. Item in ejuſdem palatii ſecretiori conclavi à ſe viſum regium diadema undequaque clauſum. Ex his primum certò eveniſſe conſtat, qua die Sereniſſimus Rex Eboræ acclamatus eſt, Marchione regium vexillum præferente, ſtipatoque innumerâ omnium ordinum multitudine, apud ejuſdem palatium cunctis novo Regi plaudentibus, felicitatemque adprecantibus. Secundum, de cujus probabili effectu majus Marchionem tunc dubium inceſſerat, certiſſimè impleri obſervatum poſtea, Sereniſſima Regina Aloyſia in eodem palatio excepta, dum ex Villaviſſoſa per Eboram in Ulyſſiponem progrederetur. Si libet, hæc omnia leges apud Doctorem Gregorium Almeyda ſingula uberiùs explicantem in ſuo curioſo quidem libro, cui titulus *Reſtauratio Luſitaniæ prodigioſa*. Hiſce adeò certis prodigiis, certioribuſque faventis Numinis indiciis commendabilis novus, omnibuſque expectatiſſimus Rex Ulyſſipone, regioque palatio exceptus eſt, incredibili omnium ad inſolitum ſpectaculum confluentium exultatione.

D. Greg. Alm. p. 1. c. 18.

59 At ne temerè, impetuque tumultuario tantùm conclamatus Rex videretur, è re Luſitana viſum eſt, ſuſceptum à paucis libertatis publicæ conſilium communi omnium ordinum conſenſu, & juramento ſolemni confirmare. Igitur die decima quinta ejuſdem Decembris, in ſumma Ulyſſiponenſis populi frequentia, conveniunt in ampliſſimum theatrum juxta palatii januas longè protenſum, omnes penè regni Proceres, ac Dynaſtæ, Duces, Marchiones, Comites, Titulares, Archipræſules, & Præſules, qui tunc fortè Ulyſſipone agebant. Hic ſolito ritu, regioque apparatu, regalibus ornatus inſignibus, totius Luſitaniæ Rex Sereniſſimus Joannes renuntiatur; jurata priùs ab eodem regni ſibi commiſſi defenſione, fidelique immunitatum omnium obſervatione: præſtito Illi viciſſim à Magnatibus, & Titularibus, ac plebis Tribunis prædictis debiti obſequii, ac promiſſæ fidei juramento. Inde regali pompa itum ad templum maximum, Deo ſummo, & maximo gratulatum; reditumque ad palatium inter feſtivas effuſæ multitudinis gratulationes.

60 Dum Sereniſſimus Rex Ulyſſipone fovendis omni arte Luſitanorum in ſe ſtudiis, & conſtituendo novo Imperio ſedulus incumbit; ex Villaviſſoſa, rebus ibi ſingulari prudentia ordinatis, demum excedit Sereniſſima Regina, vigeſima prima Decembris die: ambigeres, auguſtiorne multiplici, planèque regio comitatu, an triplici prole regia? Tribus certè Sereniſſimis liberis Theodoſio, Joanna, & Catharina, certiſſimis Luſitani regni pignoribus, tergeminiſque quaſi honoribus aucta, omnium oculis affulſit; velut inter ignes pulcherrima Luna minores. Per Eſtremotium primùm, mox Eboram, deinde Montem Majorem tranſeunti, univerſoſque, quà pergeret, ad inſolentioris lætitiæ, ac plauſus indicia, placidiſſimo aſpectu compellenti, demum occurrit Sereniſſimus Rex cum univerſa Ulyſſiponenſi curia obviàm expectatiſſimæ Reginæ, procedenti duodecim ab Urbe milliariis. Hìc redintegratis mutuæ lætitiæ ſignificationibus, tandem ad crepidinem oppidi, vulgò *Aldea Gallega*, conſcenſa ſimul regia ſcapha, cui navalis triumphi more velificanti, ventis, undiſque certatim obſecundantibus, innumeræ aliæ adremigabant, nobilibus, popularibuſque graves, Ulyſſiponem brevi appul-

ſum

ſum eſt, die vigeſima ſexta ipſiusmet Decembris, Sanctiſſimo Protomartyri Stephano ſacra, cujus laureati nominis etymon, coronam præ ſe ferens, triumphuſque aperto cœlo invectus, ſimiles Sereniſſimis Regibus felicitates planè ominabatur. Nec minores quidem pervigilium B. Joannis Evangeliſtæ, in eandem incurrens diem, quod Sereniſſima Regina Tutelari ſuo ſacrum præcipua ſemper coluit veneratione; at longè indulgentiori obſequio, poſtquam recenti obſtricta beneficio experta eſt eandemmet diem, & Joanni dilectiſſimo cœleſte regnum proximè proſpicienti, & ſibi Luſitanum ineunti auſpicatiſſimam. Inſignem certè Matris Auguſtiſſimæ pietatem erga B. Evangeliſtam, nemo ex Sereniſſimis ipſius Liberis tam expreſſit, quàm Primogenitus Theodoſius, ea maximè die, qua inſtar dilecti Diſcipuli, Filium Tonitrui ſe probavit; dum crebros, & horrendos tonitrus à majoribus tormentis, mari, terraque paſſim editos, & à ſe hactenus inauditos, omni prorſus timoris, & conſternationis indicio, haurit imperterritus, immò lætabundus auſcultat: cunctis interim inſperatam in ſeptenni vix Puero generoſitatem meritò demirantibus.

61 Invectis Ulyſſiponem, ac palatium Sereniſſimis Regibus denuo plauſit orbis in Urbe Domina gentium; quæ veteri ſuo ſplendori, priſtinæque Luſitanorum Regum reddita majeſtati, quaſi ad corpus redeunte, quam ab annis ſexaginta Caſtellana ſervitus abſtulerat, anima, divinitus certè revixit, cæpitque, certiore indies ſpe, deſtinatum ſibi jam diu orbis imperium agitare. Interim appetebat inſequentis anni quadrageſimi primi ſupra milleſimum ſexcenteſimum proximus Januarius, in cujus diem vigeſimam octavam, indicta paulò antea fuerant prima Ulyſſipone, felicibus redeuntis regni auſpiciis, habenda comitia; in quibus ab univerſis ordinibus reſpublicà ordinari, de ſumma rerum agi, & in commune ſtatui oportebat. Igitur præfixa die comitiorum prima, longè celebriori totius regni conventu in ampliſſima regii palatii aula, cui à Germanis cohortibus, ibi perpetuò excubantibus, nomen, tertiò ſalutatus eſt Rex Sereniſſimus Joannes quartus, non modò à Fœderatis, annuente, ac plaudente Ulyſſiponenſi populo; iterumque ab Ulyſſiponenſibus Dynaſtis, & Præſulibus, ut paulò antea, ſed tandem hac die, ab univerſis regni ordinibus in comitiali ſolemnitate; præſtito Illi ab omnibus firmiori toties promiſſæ fidei juramento. Sic revocato memorabili Alphonſi primi exemplo, qui ter etiam Rex fuit proclamatus; primùm in Orichienſi agro à Ducibus, & militibus; mox Conimbricæ tunc Luſitanæ Curiæ à civibus, & curialibus; tandem in Lamecenſibus comitiis ab univerſo regno. Uterque ſanè, vel eo ſolo nomine, Rex ter maximus, ambo ter, & ampliùs feliciſſimi.

Vaſcone. in ejus vita, 6. & Monarch. Luſit. 3. p. l. 10. c. 1. & 13.

62 Una tamen, ea maximè die, Sereniſſimi Joannis fuit, nulli alteri (quem ſciam) è ſuperioribus Luſitaniæ regibus communis, at communicata cum Sereniſſimo Filio Theodoſio, ſingularis gloria. Cæteri Luſitaniæ Principes, aut multò provectiori ætate, aut certè non eadem, qua Parentes, die regni hæredes fuere inaugurati. At Theodoſius in ſeptennio, ſeptuagenarii jam præmatura prudentia commendabilis, dignus eſt habitus, qui primis regni comitiis, eademmet die, qua Sereniſſimo Parenti Joanni reſtitutum eſt Luſitanæ Monarchiæ avitum ſceptrum, ſpecioſo Principis hæredis titulo conſecraretur. Sedenti ergo ad ſiniſtram Sereniſſimi Parentis Theodoſio, ſub regio peripetaſmate reverenter procubuere omnes regni Magnates, Dynaſtæ,

Tituli; mox urbium, & oppidorum populares Legati; ad extremum infulati Proceres; emiſſo priùs ab omnibus inviolabili juratæ fidelitatis ſacramento, quo ſe non modò Sereniſſimo Joanni Regi, ſed inſimul Sereniſſimo Theodoſio Ipſius legitimo hæredi, ac Luſitaniæ Principi libentiſſimè obſtrinxere, utriuſque dextera de more oſculata. Id verò quò ardentiori ſtudio præſtarent obſequioſiùs, invitabantur aurea planè indole Theodoſii, Regiæ amplitudinis jam tunc maximè capaci, cujus per eos dies haud obſcura ediderat argumenta. Certè cùm in ſeptenni Puero nihil puerile, præter ætatem, animadverterent, tantamque in immatura adeo ætate morum, & ſenilis prudentiæ maturitatem haud levibus indiciis obſervarent, maturandum Principis nomen, Theodoſioque, multis nominibus debitum, deferendum omnino deliberarunt. Illorum nos veſtigiis, & prudenti conſilio inſiſtentes, quem hactenus Barcellenſem Ducem nonnunquam, poſthac nonniſi antonomaſticè Principem Sereniſſimum Theodoſium appellabimus.

CAPUT VIII.

Principis Theodoſii nova educatio ſub primis redeuntis Luſitanæ Monarchiæ primordiis.

63 AD conſtituendum avitum imperium hactenus ſub aliena ditione diu, multùmque jactatum unicè intentus Sereniſſimus Rex Joannes; licèt multiplici gravium curarum æſtu attentionis aciem abrumpentium in diverſa diſtraheretur, Principem Theodoſium maximam auſpicati regni ſpem regiis, ut par erat, artibus imbuendum præcipua cura ſatagebat. Igitur ſolvendis comitiis nuper Ulyſſipone habitis, mittendis per univerſam Europam Legatis, militibus toto regno conſcribendis pariter, & exercendis; claſſibus ornandis; maritimis æquè, ac terreſtribus arcibus, vel reficiendis, vel denuo excitandis; tandemque ad immenſos imminentis belli ſumptus pecuniæ undique colligendæ ſimul, & ſedulò invigilans, omnibus quidem par, immò ſuperior; nihil tamen priùs habuit, quàm Luſitanæ Monarchiæ hæredem ad ſumma natum ſic inſtituendum curare, ut quantùm cæteros dignitate, tantùm imperatoriis virtutibus antecelleret: certus nimirum eam fore longè optimam, & feliciſſimam rempublicam, cui optimus, omnibuſque numeris abſolutus Princeps contingeret; cætera ſi fortè deſint, aut devient, poſſe facilè ab induſtrio Principe vel ſuppleri, vel corrigi; Principis defectus quaſi ſolares ab omnibus quidem, at irreparabiliter obſervari.

64 Juvat quidem optimam indolem prima pueri cujuſque inſtitutio, quæ naturam vincit, aut ducit; nam vel feras ipſas contra ingenium ſuum mitigat. Cuſtodis ſui oſcula tigris patitur; & immunem manum magiſtri leoninus rictus ſervat inſertam ori. Elephantes juſſi ſubſidere in genua parent minimo Æthiopi. Adeo poteſt educatio in extranea humanitatis animalia; quantùm poterit in viſcera propria? Nam ſicut ſocordia dotes naturæ labefactat, ita & doctrina corrigit pravitatem. Dabit ſedula cura parentum,

quæ

quæ parca natura negavit filiis. At quanti ſit facienda, quàm utilis, immò & neceſſaria omnino ſit optima puerorum educatio, non poterit certiùs exprimi, quàm ipſius Theodoſii jam grandævioris aureis planè latinis verbis in ſuo de Mathematicis diſciplinis tractatu, ubi ſic Ille: *Oraculum eſt Platonis; hominem rectam nactum inſtitutionem diviniſſimum, manſuetiſſimumque animal effici; ſi verò vel non ſufficienter, vel non bene educetur, eorum, quæ terra progenuit, fero-ciſſimum.* Hæc ille. *Niſi igitur ſerpentes, & belluas in matris viſcera graſſaturas reſpublica alere conſtituerit, curam diſciplinarum in ſe ſuſcipiat: rectè enim Poeta: Adde quòd ingenuas didiciſſe fideliter artes, emollit mores, nec ſinit eſſe feros. Quemadmodum enim equi indomiti, qui nec frænum pati, nec ſeſſorem ferre didicit, nullus eſt uſus; ita quoque cive non eget reſpublica, qui diſciplinarum induſtria feritatem non exuit. Procurator rei familiaris conſtituitur, vineis cultor præficitur, & jumenta ſub cuſtode ſunt, ingenii cultura negligitur. Manibus, viis, pontibus, armentariis ſunt præpoſiti magiſtratus, diſciplinarum cura in relictis habetur. Omnibus natura dedit fundamenta, ſeminaque virtutis, at ſi irritatrix induſtria acceſſerit, tunc illa animi bona velut ſopita excitantur. Impetus eſt à natura, ſed eruditione, conſuetudine, exercitatione perficiendus, & regendus. Quantùm verò reipublicæ conferant ſcientiæ, facilè intelligitur, quia ſine illis lapis ſuper lapidem ſedet. Atque quantùm Socrates Batto, Atticus Bambalioni, tantùm reſpublica polita literis præſtat inerudita.* Quid prudentius, vel elegantius ab ipſo Platone, aut Socrate dici potuit? Id verò ab optimo authore P. Hugone Sempilio ſe accepiſſe, tranſcripſiſſeque ibidem ingenuè profitetur.

Tract. de Math. diſcipl. lib. 1. c. 6.

Plat. lib. 6 de leg.

65 Primùm omnium lectiſſimos quoſque ab illuſtriſſimis familiis ingenuos pueros Principis clientelæ Rex deſignare deliberat; illos maximè, quorum parentes, & conſanguineos ad aſſerti nuper Imperii tutelam, vel affectu propenſiores eſſe, vel ad effectum promptiores in tempore fore cognoverat: quò nimirum familiari Principis convictu devinctis utrorunque filiis, Parentum animos arctiori amoris, & fidelitatis vinculo ſibi conſtringeret. Regiis (ut plerunque ſolet) exploratis votis, tunc maximè velificata eſt Procerum obſequioſa ſedulitas; univerſis ad aucupandam Regis, ac Principis gratiam, oblato filiorum miniſterio, certatim conſpirantibus. Tam multi certè orientem Solem adoraturi è primaria nobilitate pueri confluxere, ut potiùs in eorum optimis ſeligendis, cæteriſque non indecorè arcendis, quàm in nonnullis invitandis laborandum interim haud mediocriter fuerit. Cur eorum hîc nominibus ſuperſedeam, in Prologo ſatisfeci. Sic Luſitano quondam florentiſſimo veterum Regum palatio priſtinus ſplendor brevi rediit; Proceribus novo Regi, eorum filiis recenti Principi obſequioſè cohærentibus: cunctis interim meritò demirantibus ſubitam, ac mirabilem certè rerum converſionem; aulam haud pridem Caſtellanam, jam penitus Luſitanam, ſic ſub Sereniſſimo Joanne quarto, ut olim ſub Joanne tertio, nullo prorſus diſcrimine, iiſdem, immò amplioribus Regiæ majeſtatis appendicibus florentiſſimam. Prol. §. 13.

66 Et verò non diu fuit deliberandum in eligendo Præceptore, qui Theodoſio liberalibus diſciplinis inſtituendo, ſimulque ingenuis pueris in eaſdem cum Illo artes intentis præficeretur. In aula olim Brigantina facilè inter alios eminebat prudentiæ, doctrinæ, cæterarumque virtutum commendatione, D. Petrus Puëros natione Irlandus, nobiliſſimis ortus parentibus, ſed illuſtriori fidei ab hæreticis inconcuſſæ teſtimonio illuſtriſſimus: quem valde puerum unius catholicæ fidei cauſa paternis exutum bonis, & à patria

profugum,

profugum, variis pelagi, terræque circumactum erroribus impotens Calviniana procella, tandem ad placidiſſimum aulæ Brigantinæ littus, certumque laborantis fidei aſyllum impellendo immaniſſimè, auſpicatò, at præter intentionem compulit. Ubi à Sereniſſimo Theodoſio ſecundo, vel ea propter, indulgentiùs habitus; cujus deinde ſumptibus in Conimbricenſi Academia per varios ſcientiarum gradus ad ſummum Theologiæ apicem provectus majorem indies tum ipſius Principis, tum Palatinorum omnium gratiam, & æſtimationem promeruit. Illum ob eximias haſce dotes ſibi acceptiſſimum Sereniſſimus Rex Joannes jam pridem Villaviſſoſæ præ omnibus dignum judicavit, cujus magiſterio quinquennem adhuc Theodoſium primis Grammaticæ rudimentis initiandum committeret. Quod in vigeſimam nonam Novembris diem anni 1639 incidiſſe, qua primis Grammaticæ præceptis imbui cæpit Theodoſius, quintum agens ætatis annum, inſuperque decem menſes, author eſt P. Joannes Alvarus Frovo regius Bibliothecarius, in ſuo mihi tradito teſtimonio manu ſcripto; ubi obſervat notabilem eam fuiſſe diem illius pervigilio, in qua obierat Sereniſſimus Princeps Theodoſius, ſecundus ejus nominis, Duxque Brigantinus ſeptimus, noſtri Principis Theodoſii Avus. Igitur eundem muneris ritè obiti experimentò ſatis approbatum, omnium deinde ſuffragiis electum, tandem Principis ipſius votis, ac precibus expetitum, cæpto Villaviſſoſæ feliciter Magiſtri officio, feliciùs Ulyſſipone proſequendo conſultiſſimè deſignavit: quanta ipſius gloria, quàm uberi Theodoſii,
Lib.2.c.2. & 3. ſimulque illuſtrium puerorum ſub illo merentium fructu, paucis hic, pluribus alibi à nobis ſuo loco dicendum.

67 Longè fuit operoſius, non quidem invenire, ſed facilè inventam evincere Nutricem maximam generoſæ Principis educationi neceſſariò adhibendam. Ad id maximè muneris citra ullam controverſiam opportuniſſima vulgò credebatur Illuſtriſſima D. D. Mariana de Alencaſtro; quam Regius Brigantini ſanguinis ſplendor, ætas venerabilis, ad hæc eximia prudentia omnigenis virtutibus cumulata optimam fore Principi ſibi conſanguineæ educatricem promittebat. Eam ad hoc munus jubet Sereniſſimus Rex amplis, & magnificis promiſſis invitari; è contra illa obniti, multiplicique ſubterfugio impoſiti ſibi honoris maximi onus declinare; jam grandævam ætatem obtendere, jam improſperam valetudinem cauſari, palatinarum artium imperitiam, geniumque ab aula prorſus abhorrens ingenuè profiteri; hac tandem munus ex ſe magnum imparibus certè viribus majus enixè deprecari. Deplorata res erat, niſi Sereniſſimo Regi Mariana reſponſione anxio feſtivum ad ſpeciem, ſed opportunum ſatis conſilium ex aulicis quidam, emunctæ naris vir in tempore ſuggeſſiſſet: *Specioſas* (inquit) *at minimè veras excuſationi ſuæ cauſas obtendit D. Mariana: quam longè alia ratione duci, ne alio abducatur, exiſtimo. Illa quidem ex iis una eſt, qui Sebaſtiani Regis propediem, ut aiunt, adventuri ardenti deſiderio, & interminabili expectatione contabeſcunt; pudet, ni fallor, generoſam, & conſtantem matronam, ſi fortè interveniens Sebaſtianus alterius Regis obſequiis addictam deprehendat, ab eoque indecora mutabilitatis nota idcirco inuratur. Quandiu hæc illi ſpes non evaneſcet, in vanum laborabit, quiſquis eam à ſuſcepto propoſito dimovere conabitur.* Aulicorum plauſum ad expectati Sebaſtiani mentionem affricat prudens Rex; & ut erat verſatilis ad ſeria æquè, ac jocoſa ingenii, ad unum ex primariis converſus: *Abi citò* (inquit) *edicitoque meo nomine D. Marianæ, me eadem, qua illa, expectatione diſtineri, paratum venienti Patruo meo Sebaſtiano*

no

no obviam procedere, ac ſuſceptum à me interim illius tantùm gratia regnum libenter eidem cedere: quare ne dubitet ſub ea conditione Principem educandum ſuſcipere. Nec mora; mandata Regis exequenti nuntio, ejuſque promiſſa commemoranti fidem adhibet D. Mariana, dataque ſibi nomine regio fidei manus dedit hactenus inexorabilis; ad palatium è veſtigio concedit Principis Theodoſii edutionem curatura: magna interim gratulatione univerſæ Curiæ, ad quam lepida maximam Nutricem expugnandi ratio populari etiam plauſu, & feſtivis dicteriis celebrata dimanarat.

68 Cui tandem regendæ Principis conſcientiæ cura fuerit demandata, non hìc omittam dicere, cùm in eo Divino planè munere rite obeundo, & privata ipſius Principis, & publica regni cujuslibet ſalus ſita ſit. Unde in optimo eligendo Confeſſario præcipuam à prudente quovis Rege impendi ſolicitudinem, in primis æquum eſt: eum verò ſingulari prudentia, doctrina, reliquarumque virtutum commendatione præditum eſſe oportet; aliter ſuo perſæpe muneri, ac publicæ utilitati defuturum. Talem fuiſſe, qui primus fuit à confeſſionibus Theodoſii, nemo dubitabit, qui exploratum habeat factam eam electionem à Sereniſſima Regina Matre Aloyſia, quæ Villaviſſoſæ dignata eſt primum ſibi aſſumere Confeſſarium R. P. Fr. Jacobum à Leyria ex Seraphica Sancti Franciſci familia, & ex Pietatis Provincia, virum ad id miniſterium numeris omnibus abſolutum. Eundem puerilibus haud multò poſt in lucem editi Theodoſii excipiendis confeſſionibus præfecit, cujus ſalutaribus monitis primigeniæ pietatis initia, jactaque virtutum omnium fundamenta, quibus operoſa totius perfectionis à ſe poſtea conſtructa moles incubuit, debere Theodoſium indubiè fatendum eſt. Ei ſub annum 1647 in Sancti Præcurſoris pervigilio vita functo ab eadem Sereniſſima Regina ſuffectus eſt R. P. Joannes Nonius noſtræ Societatis tunc Ulyſſiponenſis Tyrocinii Rector, vir eximiæ ſanctimoniæ, ſpectatæque prudentiæ fama in paucis commendabilis. Sub eo Theodoſius mirum quibus virtutum incrementis adoleverit, unà cum ætate auctis indies omnigenæ virtutis exemplis. Ad extremum è materno conſortio corpore, non corde Illi ſemper adhærente ſejunctus, & proprii palatii jam incola, nactus ea, de qua infra dicam, occaſione virum juxta cor ſuum, per omnia ſibi mirificè acceptum R. P. Doctorem Andream Ferdinandum noſtræ quoque Societatis, eum Japponenſem Epiſcopum electum à Sereniſſimo Parente, ſibi Confeſſarium ipſemet elegit, ſummoque ſemper in pretio habuit ob eximias dotes, & ſingulares virtutes: cujus cùm frequens nobis mentio neceſſariò incidet, in præſentiarum id tantùm indigitaſſe ſatis erit; ut ſub quibus inſtitutoribus primò cæperit, deinde profecerit, & ad ſummum virtutum omnium culmen tandem evaſerit, planiùs innoteſcat, ſuaque unicuique certa laus conſtet. Lib. 1. §. 220. 221, & 222.

69 Ex iis pro ſe quiſque ſibi commiſſi Principis inſtitutionem ſeriò ſuſcipiens, eam omni ratione promovere, ad optatumque omnibus exitum perducere ſatagebat; unum, idemque omnium erat ſtudium, eademque ſolicitudo Principis animo virtutum amorem, vitiorum odium inſtillare, eumque opportunis, prout res, & occaſio ſe daret, conſiliis ita inſtruere, ut in eo perfecti Principis effigiem, qualem Luſitana Monarchia exigeret, magiſtra manu delinearent. Neque verò difficile fuit votorum ſummam aſſequi, uberrimumque collocatæ induſtriæ fructum percipere, Theodoſio molliſſimæ inſtar

tar

tar ceræ ad virtutis cujuslibet ſuſcipiendam impreſſionem facillimo. Quocunque Illum aut Magiſter, aut Nutrix, aut Confeſſarius leviter impellerent, eò ſponte currere, ac non ſemel monentes præcurrere. Ad omnia pietatis munia inſita propenſione univerſos prætervolantem difficilius erat continere, quàm incitare. Interim exultare Magiſter ſuæ apud Villaviſſoſam educationis animadverſo proventu; dolere Nutrix, quòd ſibi adeo facilem, immò voluptuoſam educationem aliquandiu recuſarit; utrique congratulari Confeſſarius ad ſumma natum Principem, in puerili ætate jam virilis animi virtutes præ ſe ferentem: commilitones pueri Theodoſium ſuſpicere, illiuſque laudabili æmulatione ad virtutis, ac ſapientiæ aſſecutionem inflammari: Eum non ſtudiorum ſocium, ſed Magiſtrum revereri, haud dubii, quin omnibus in ſtadio currentibus unus Theodoſius præriperet bravium. Et quidem viſu erat jucundiſſimum, tot illuſtres pueros futuros olim Luſitanæ reipublicæ lumina ſimul, & fulmina præeuntis Theodoſii coætanei veſtigiis inſiſtentes intueri; quos Ille mira complexus benevolentia ita in poteſtate habebat, ut quocunque vellet, facilè inflecteret, ſibi morigerandi cupidiſſimos. Hinc univerſos multò efficaciùs exemplo invitatos, verbis quoque ad inſiſtendam virtutis ſemitam adhortari; eos, qui rectè procederent, laudibus proſequi; ſiquis fortè deviaret, aut alicubi laberetur, ad viam reducere, ac tempeſtivis monitis erigere, nonnunquam ſolius nutus, vel obtutus ad gravitatem compoſiti redargutione. Eos denique per hoſce, ac inſequentes pueriles, adoleſcentiæque annos in adipiſcendis virtutibus tum politicis, tum chriſtianis, fecit progreſſus, ut Sereniſſimos Parentes ad ſingulare gaudium, Palatinos in admirationem, univerſam Luſitaniam in ſummam ſpem erigeret. Nullius conſultò virtutis peculiaria hìc exempla commemoro, univerſa duobus, qui ſubſequentur, libris commodiùs propriis inſerta capitulis explicanda.

70 Interim ſatis ſit uti elegantibus æquè, ac veris verbis Authoris Theodoſii Tumuli, de quo in Prologo, quæ Ipſius ad virtutes inſtitutionem mirificè illuſtrant: *Virtutes* (inquit) *ad religionem, pietatemque ergà ſuperos ſpectantes molliſſimo animo impreſſæ quò altiùs ibant, eò eminentiùs extabant; ſi facilitatem accipientis documenta virtutis attenderes, ceram diceres; ſi conſtantiam retinentis, æs appellares: Nemo eſt, qui innatas, & ingenitas virtutes habeat, quòd corruptam communis Parentis vitiò naturam accipit; Theodoſius in hac miſera conditione, quam vitare non potuit, ſic inſtitutus eſt, ut non gravatè ad honeſta traduci videretur: libenter ſancta audiebat, profana invitè; rectè facta adamabat, ſecus reſpuebat.* Earum virtutum maxima incrementa ex Divina gratia, Euchariſtico gratiarum omnium fonte, tum primùm à Principe hauriri cæpta, originem duxiſſe facilè adducor, ut credam. Enim verò in ſequenti anno 1641 ſeptennio jam expleto dies Sanctiſſimo Joanni Evangeliſtæ ſacra Theodoſio perpetuò extitit commendabilis, prima hujuſce Divini epuli refectione; illud ubi prævia eximia præparatione, majorique, quàm puerilis, at magnus jam tunc exigeret captus, animi exultantis affectu percepit: poſt cumulatiſſimam gratiarum actionem, *tria ſibi*, dixit, *ea die ſummæ jucunditatis argumenta divinitus accidiſſe. Primum ex ſummi boni, quo majus eſſe non poſſet, fruitione; ſecundum ex eo quòd in diem Sancti Evangeliſtæ ſui Tutelaris cæleſte hoc, & voluptuoſiſſimum epulum incideret; tertium, quòd à Magiſtro ſuo D. Petro ſibi fuerit miniſtratum.* Eodem temporis una ipſamet Octobris die anni 1641 in regio Larario aulicis, Optimatibuſque frequenti ab

Prol. §. 15.

Tumul. Theodoſ. pag. 19.

Illuſtriſ-

Illuſtriſſimo Domino Roderico à Cunia Ulyſſiponenſi Archipræſule Confirmationis ſuſcepto Sacramento, & à Sereniſſimo Rege Parente militaribus Chriſti inſignibus inſtructus, omnimodè Chriſtianus miles authoratus eſt.

Nec minore interim ardore addiſcendis liberalibus Artibus totus incubuit. Nemo Principum, quem ſciam, vel ex retroacta ſtudioſæ antiquitatis memoria, pluribus, amplioribuſque aut indulgentis naturæ dotibus, aut ſedulæ artis, curioſæque induſtriæ præſidiis adjutus, ad comparandas univerſas ſcientias unquam acceſſit; ideo nullus eorum plures aſſequutus, nullus certiora ſapientiæ propè incredibilis monumenta reliquit, ab eo brevi annorum curriculo (quod magis mirere) conſummata. Id verò quoniam lenctiùs alibi expendere animus eſt, objecta legentium oculis ſumma Principis ingenii, judicii, memoriæque vi, ac dexteritate, ſimulque memoratis omnibus, quas comparavit, Scientiis, & earum inclytis monumentis; hîc ſolùm nimia ejus ſedulitas, & ad literarum ſtudium à primis ad extremos ejus breviſſimæ vitæ annos aſſidua intentio erit à nobis commemoranda; ut ſiquis admirabilem profectò Theodoſii ſapientiam eò loci evulgandam audeat vocare in dubium, perſpectis, quibus ad eam comparandam uſus eſt, tum nativis inſtrumentis, tum efficacibus mediis, & exercitiis; non illam eſſe incredibilem fateatur. Ex ſe vulgò alios metiuntur imperiti, propriæque inſcitiæ conſcii, ac turpi languentes otio, ſimili omnes torpere vel exiſtimant, vel exiſtimare percupiunt; cùm illos potiùs ſuæ ignaviæ oporteret, alienæ pudet induſtriæ, cujus ductu eò aliquem penetraſſe nollent, à quo ipſi per ſummam deſidiam longiſſimè abſunt. (Lib. 2. c. 2. & 3.)

72 Summa è contra fuit Theodoſio vel à prima pueritia omnia ſciendi aviditas, ac propè hydropiſis; ut enim ea laboranti quò plus ſunt potæ, plus ſitiuntur aquæ, ſic Theodoſio inſtar rapidiſſimi cervi deſiderantis ad fontes aquarum, avidè hauſti optabilis ſapientiæ latices non ardentem ſitim ſedabant, ſed immodicè incendebant. Veritatis alioqui (de qua fiet à nobis infra mentio) amantiſſimus, eam à Principum aulis vulgò exulem, in bibliothecis abditam, ibique cum Scientiis, & earum profeſſoribus voluptuosè agentem ſedulò inveſtigabat; una inventa quaſi margarita pretioſa in cæteris perquirendis nullum finem faciebat: ad utrunque Illum ingenii humano majoris ſubtiliſſimum acumen, cui occultiſſima quæque facilè pervia, nihil impenetrabile, acribus ſtimulis inceſſanter urgebat. Jam verò, ut ſemel dicam, quanta fuerit ejus mirabilis ingenii vis, ac modeſtia, id non poterit meliùs explicari, quàm luculento ipſiuſmet Authoris Tumuli Theodoſii teſtimonio. Sic ille: *Nemo minùs aut Magiſtro ad ſcientias, aut Pædagogo indiguit; ſic mente acutus, ſic voluntate bonus erat, ut utrunque præcurreret, & doctrinam indole præoccuparet; ſed eos tamen ſuſtinuit, ne aut conſuetudinem temnere, aut gloriam aucupari crederetur: quod non exigebat neceſſitas, urbanitas admiſit. Alii Magiſtri, & Pædagogi ferunt diſcipulos, & alumnos, dum errores, & delicta corrigunt, & emendant; Theodoſius Magiſtros, & Pædagogos ferebat ſuos, cùm ab iis acciperet documenta, quæ per ſe Divina tantùm ope adjutus poterat percipere. Patientia erga ipſos comi, & humana utebatur, dum ſe aliorum inſtitutioni, & doctrinæ accommodabat; quam ſi natura excellentis præſidio uti vellet, negligeret, & repudiaret. Videres in Theodoſio Aquilam velociſſimam, acutiſſimam, acerrimam ad volandum, & intuendum, ab accipitre inſtitui, & ſuſtinere impetum, contrahere pennas, volatum cohibere, ſeque librare, dum expecta-* (Lib. 2. c. 19. — Tumul. Theodoſ. pag. 19.)

ret, ut ſe Magiſtri ſequerentur. Solem ille ſapientiæ propiùs aſpiciebat, & poterat aciem oculorum tenià deſigere, ſed removebat ſe induſtria, & claudebat lumina, nictabatque, & præceptoribus ſe inſtruentibus connivebat. Laudares patientiam, & cùm ingenium noſſes, virtutem commendares. Certabat cum acumine judicium, cum perſpicacia maturitas, cum ingenio indoles contendebat. Si ætatem ſpectares, dubitares, quâ ratione tot, & tanta ſcientiarum documenta præſtaret? Si ſcientiam expenderes, ambigeres, an Ipſe extra annos, & tempora poſitus ad æternitatem pertineret? Niſi corpus videres, expertem corporis eſſe putares: Momento percipiebat, quæ ſeculorum moram ad addiſcendum exigerent; neque opus erat mora volanti; itaque alius nemo, multò minùs ſtimulos, addere poterat, cùm & præverteret pennis, & ſtimulos dedignaretur, &c.

73 Igitur quod ſibi à ſpiritualibus, honeſtiſque aliis, & neceſſariis exercitiis reliquum erat tempus, id omne literarum ſtudio voluptuoſiſſimè impendebat; cujus cùm ne minimam quidem particulam inerti otio tereret; per ſingula momenta multùm brevi progrediebatur. Aliqui tamen de Principis valetudine valde ſoliciti, exiſtimantes poſſe Illi noxiam eſſe nimiam in ſtudendo contentionem; nullum non movebant lapidem, quò Illi vel à legendis libris ceſſationem, vel ſaltem ſalutarem interdum remiſſionem ſuaderent; quibus Ille crebrò id monentibus, ſeque plus nimio ea propter aliquando urgentibus, hujus modi reſponſis faciebat ſatis: *Quam pro mea valetudine curam geritis, hanc pro me, quæſo, deponite: quod ſapit, nutrit, neque illi nocere poterit, quod animum delectat, erigit, incredibilique afficit voluptate; in legendis libris eam certè percipio, quam in aliis oblectamentis, ad quæ me invitatis, reperire non poſſem: illis nonnunquam indulgeo, non tam mihi, quàm Magiſtro meo, vobiſque morem gerendi cupidus; ab iis tamen abſtineo libentiùs, quàm à libris, in quibus ſuavitatem omnem, & dulcedinem deprehendo; non aliter, quàm eam in ſuo cœleſti olim manna veteres Hebræi experiebantur. Quid enim dulcius, quàm lacteo Eloquentiæ fonte manantem Tullium attentis auribus auſcultare? Quid ſuavius, quàm cum eodem, ſimilibuſque prudentibus, & eruditis viris, jucundiſſimos miſcere ſermones? Quid voluptuoſius, quàm legendis Hiſtoricis, & Mathematicis univerſum mente peragrare orbem, immò per ampla ipſius cœli ſpatia pervagari? Quid tandem in iiſdem, ut cætera taceam, præteritos ab orbe condito mortalium omnium eventus intueri, ex illiſque futuros prudenter conjicere? Si me (ut credo) amatis, ne mihi adeo ſynceras delicias pergite invidere; quas ſi mecum aliquantiſper delibabitis, non dubito, quin earum dulcedine prægustata, me deinceps ad proſequenda ſtudioſiùs, quàm ad intermittenda remiſſiùs ſcientiarum exercitia veſtro etiam exemplo compellatis.*

74 Et verò non verbis modò Puer adhuc Theodoſius, verùm ſcriptis etiam jam adoleſcens, objecta ſibi ab aulicis adverſus nimiam quibuslibet ſcientiis addictionem ſic evicit. Ipſius Latina verba, maximè quidem facienda, ex tractatu de Mathematicis diſciplinis tranſcripta ſunt, quæ ſequuntur:

Theodoſ. Lib.1.c.6. *Sed contra omnes ſcientias, & præcipuè contra Mathematicas audio non ſapientes, ſed aulicorum quoddam faſtuoſum, & ineruditum genus objicere, hoc ſtudiorum genus obeſſe politicæ prudentiæ, togatæ, & militari; quia homines ſubtiliſſimis demonſtrationibus aſſueti eaſdem in republica lineas tenent, cùm tamen æquitatem, epikeam, diſſimulationem, aliaque verſatilis illa orbium rota poſtulet. Reſpondeo rem iſtam potiùs ad perſonas, quàm ad ſtudia ſpectare; literarum non eſſe errorem, ſed literatorum, qui licèt ſæpe in rebus exiguis, & externis, ut vultu, geſtu, inceſſu, ſermonibus quotidianis, & hujuſmodi deficiant in obſervando decoro, tamen rerum magnarum, & politicarum apprimè gnari invenientur: & ideo ego de his, quod Plato de ſuo præceptore Socrate; quem*

haud

haud abſimilem dixit Pharmacopolarum pyxidibus, quæ exteriùs inducebantur ſimiis, alulis, ſatyriſque, intus verò pretioſos liquores, & nobilia medicamenta recondita habebant. Hujus autem objectionis alibi à nobis fiet mentio, illique ex integro, ut ſpero, ſatisfiet. Lib.2.§.33.

74 Hiſce, ac ſimilibus rationum momentis convicti aulici jam non audebant Principis exploratæ voluptati palam obſiſtere. Non ita ejus Magiſter veritus, ne ſiquid fortè improſperæ valetudinis Principi accidiſſet, ejus nimiæ ſtudioſitati, ſibique in primis illius moderandi rudi tribueretur. Quare animadverſo Principis ſuæ fidei commiſſi genio, induſtriæ nervos omnes intendit, ſi quà poſſet prævolantis ingenii pernicitatem ita ſuſtinere, ut medio tutiſſimus iret, neque Icari more, dum majora viribus audet, ſapientiæque ſoli propiùs accedit, illius ardentibus radiis impar conflagraret: hinc cum ad honeſtos aliquot cum ingenuis pueris ludos invitare; hinc ad majorem jam natu de induſtria expectatæ probitatis, & prudentiæ adoleſcentes, aut viros immittere, qui Principem mutuis colloquiis diſtinerent; eundem ipſe frequenter adire, vel quotidianæ lectionis penſum exacturus, vel alia captata occaſione modum immodicis ſtudiis poſiturus. At ſi unquam aliàs, tunc maximè innotuit, quàm ſit difficile alicujus Principis, vel ad optima procurrentis, nativum impetum retardare; ad inſtar concitatiſſimi fluvii præterfluit, quem ſi ab eo, quo cæpit, curſu deflectere objectis aggeribus adlabores, in ſe tantiſper collectis aquis præter ſolitum intumeſcens, violentior evictis obicibus ad naturam, rapidiſſimumque alveum redit. Haud aliter Theodoſius hiſce Magiſtri artibus, quaſi quibuſdam oppoſitis impedimentis, nonnihil retardatus, tandem inſita propenſione ſuperante, iiſdem, quibus ad minorem Magiſter, ad majorem Ille intentionem diſcendi utebatur. Ludis à Magiſtro præſcriptis ita vacabat, ut ludricis miſcere ſeria, & Ludi Magiſtrum vel inter ludendum agere non ceſſaret; ſe verò convenientibus, poſt mutuam ſalutationem, curioſas proponebat de re literaria quæſtiones, ſi docti eſſent, ab eis edocendus, ſi indocti, eoſdem edocturus. Magiſtro ſe adeunti vel recitabat, quæ legerat, vel difficultates ab eo enodandas ſciendi cupidus objiciebat, inventa in ipſa ſtudiorum ceſſatione ſtudioſiùs proficiendi ratione; ſic demum ſoliciti Magiſtri artes induſtrii Diſcipuli artificiis evincentibus. Aliis præterea eundem ſæpe fuiſſe uſum mihi exploratum eſt, ad vitandam Magiſtri, cujus erat obſervantiſſimus, offenſionem. Non illi erat liberum à libris omnino abſtinere, quandiu ſolus ageret; ne verò à Magiſtro toties deprehenderetur, quoties illis operam daret, uni, à quo id accepi, ſæpe injunxit, ut venientem ad ſe Magiſtrum è longinquo ſpecularetur, ſibique renuntiaret, quò clauſis interea libris illi, ut ſolebat, ultra tres, aut quatuor aulas honoris, & amoris ergo occurrens, ipſius ſolita jurgia declinaret.

75 Principis præterea ſtudia, tum ejus ſuperſtite Magiſtro, tum eodem vita functo, multùm, diuque provexit R. P. D. Andreas Ferdinandus, de quo ſupra; idem non minori, quàm Magiſter, ſolicitudine juſtum illis modum ſtatuere adnixus eſt. Ea, qua valebat apud Principem, gratia, & auctoritate in hunc maximè modum frequenter Illum admonebat, ſatis eruditis apud eruditiſſimum Principem uſus rationibus. Natura quidem comparatum eſt rebus omnibus inditos eſſe modos, non modò ad ornatum, ſed rerum ipſarum conſervationem; ornatum, ſive pulchritudinem expreſſit, qui rectè dixit: Hoc lib.§. 68.

xit: *Omnibus in rebus modus eſt pulcherrima virtus*; conſervationem pulchrè attigit alius, cujus ea eſt vox: *Eſt modus in rebus, ſunt certi denique fines, quos ultra, citraque nequit conſiſtere virtus*; neque ineptè ille, qui cecinit: *Quod caret alterna requie, durabile non eſt*. Et meritò, quomodo enim abſque debito modo res aliqua omnimodè perfecta diu durare poterit? Ipſius certè ſolis adeo benefici radios à ſublunaribus modificari qualitatibus neceſſe eſt, ne ſumma intenſione vibrati noxii ſint. Amuleta præſentiſſima immodicè hauſta ſæpe nocent; è contra moderatè ſumpta ſæpe ſalutaribus immixta venena juvant. Quòd ſi cæteris corruptibilibus rebus modus ineſſe debet, longè potiori jure

Prov. 9. n. 1. ſapientiæ, de qua Divinum extat oraculum: *Sapientia ædificavit ſibi domum, miſcuit vinum*: quo niſi quis moderatè uſus fuerit, certè inebriatus rationis uſu ſpoliabitur; exercendæque ſapientiæ inutilis prorſus reddetur. Sapientiam præterea eſſe animæ cibum ſapidiſſimum, quo illa ſuaviſſimè paſcitur, is dubitabit, qui neſciat, ut nimia edacitas corpori, ſic immodicam ſtudioſitatem eſſe animæ valde inſalubrem; unde illud: *Omnis ſatietas mala, ſtudiorum autem peſſima*. Deſipit profectò, qui plus ſapere contendit, quàm oporteat ſapere ad ſobrietatem. Ille meo, & prudentum omnium judicio ſapit, qui ſapientiæ interna exercitia ita cum externis utilibus alternatè novit, ut ex unis ad alia delectabili viciſſitudine in orbem ſe circumagens cœleſtes orbes hac maximè ratione rebus ſublunaribus ſalutares æmuletur. Huc reſpexiſſe credo veteres Sapientes, dum Palladem ſcientiarum Deam, nunc togatam, nunc armatam effinxerint, modò literariis, modò militaribus exercitiis præſidentem. Eam à Jovis capite in lucem editam iidem aſſeruere, à prudentia nempe in capite reſidente nutriendam. Ad hæc, ad Scientias univerſas comparandas neceſſariam omnino eſſe Dialecticam Sapientum eſt omnium concors ſententia; eam verò nemo neſcit circa modum differendi verſari, propoſitioneſque modales ſapientiæ canditatis diligentiùs addiſcendas explicare. Quæ omnia, pluraque alia, quibus ſuperſedeo, facilè convincunt, in ſtudio literarum, adipiſcendiſque ſcientiis oportere omnes modum ſervare, at Principes in primis, quorum eſt ſe ipſos, ac ſuos moderari; unde moderatores vulgò ſoliti appellari. Siquis verò à me quærat optimum ſtudia moderandi modum, à Scholaſticorum noſtræ Societatis prudenti petendum Regula mihi perſuadeo: *Ultra duas horas nemo, aut legendo, aut ſcribendo labori incumbat, quin*

Ex communib. Reg. 11. *ſtudium intermittat aliquantulo temporis intervallo*. Quæ ſi prudenter obſervetur, moderato, intermiſſoque per intervalla ſtudio, animæ, corporique ſalutaris comparabitur ſapientia; quam Sapiens Rex, non contra, ſed ſupra ſalutem monet diligendam: *Supra ſalutem, & ſpeciem dilexi illam*. Aliter plus nimio ſtu-

Sap. 7. 10. dioſus plurimis erit, & gravibus morbis obnoxius; valetudinarius, macilentus, decolor, ac brevis ævi; immoderatum enim ſtudium exhaurit optimos ſpiritus, calorem à ſtomacho avocat ad cerebrum; unde oriuntur ſtomachi indigeſtio, cruditas, flatus, phlegmata, vertigines, hemicrania: quibus tam vellem meum Principem liberum, quàm libris, at non niſi prudenter, id eſt moderatè, indulgentem.

76 Hæc, iiſque affinia documenta à conſultiſſimo Viro attentè, libenterque audiebat ſæpe Theodoſius, illaque præſtare, quantùm Ipſius inexplebilis ſapientiæ ſitis pateretur, ſeriò deliberaverat. At multò libentiùs cum eodem non præſente modo, ſed etiam abſente ſua ſtudia conferebat. Ea propter illi præceperat, ut quotidie certis veſpertinis horis ſe indubiè conveniret:

cum eo difficultates Latinæ linguæ Rethoricas, Philoſophicas, & Theologicas communicare, omnigenamque eruditionem excutere; in ſingulis per otium immorari, Latino ſemper ſermone comparandæ facilitatis cauſa. Neque verò cum eodem jam abſente, in domumque ſe recipiente literaria colloquia intermittebat. Paſſim ad eum mittere codices à ſe compoſitos multiplicis argumenti, quos vel probaret, vel corrigeret: quæſtiones, ac dubia, quæ legenti occurrerent, illi decidenda proponere: tandem repetitis ſæpe literis quæſtionem aliquam Philoſophicam, vel Theologicam ventilare. Ex iis unam habeo, ad finem ſequentis libri tranſcribendam, characteribus tum ipſius Patris, tum viciſſim Principis exaratam, cui titulus *Pro experiendo ingenio, &c. Exercitatio prima, De Vbi Euchariſtico.* In qua in primis Pater ſuppoſito quæſtionis ſtatu, & peculiaris cujuſdam doctrinæ reſolutione, contra illam ſtrenuè argumentatur; Princeps verò ingenioſè reſpondet: mox contra reſponſionem Principis vehementior iterum inſurgit Pater quinque conglobatis efficaciſſimis argumentis, quibus ſeriatim Princeps plenè, planèque ſatisfacit. Hæc prima pro experiendo ingenio exercitatio ſatis indicat frequenter ſimiles alias ſubſequutas, non modò cum hoc ſapientiſſimo Viro, ſed cum aliis aliarum ſcientiarum profeſſoribus. Adducor, id ut mihi perſuadeam, ex altera, quam ſimiliter reperi, charta Principis manu ſcripta, in qua rationem ſatis difficilem exigit à viro certè perito de quadam muſices quæſtione, hiſce verbis: *Redde rationem, cur tantùm ex quinta perfecta reſultat quarta imperfecta, cùm à reliquis prout perfectæ, imperfectæve ſunt, perfecta, vel imperfecta reſultent?* Interroganti Principi reſpondit vir ille; cujus tamen reſponſionem duobus deinde argumentis Princeps exagitat: quibus adhibitam ſolutionem ibi non invenio; inhibito fortè propugnatore, vel arguentis Principis reverentia, vel immedicabilis plagæ ab eodem inflictæ recognitione. Lib. 2. à §. 194.

77 Cum cibi foret parciſſimus, vel in eo moderatè ſumendo librorum ſe profiteri belluonem non dubitabat: menſæ aſſidenti, non regiæ cum Sereniſſimis Parentibus, ſed privatæ aliquàndo, cùm ægrotaret, legebatur quotidie Ipſius juſſu brevis Sanctorum vita, quorum mors feliciſſima in eam diem inciderat, ex libello elaborato à Joanne Cnobbaert noſtræ Societatis, cui titulus *Faſti Mariani*, cujus lectione dulciùs animum, quàm cibo corpus reficiebat, neque ullum ei ſuavius erat epularum condimentum, quàm è Sanctorum ibi commemoratis exemplis expetitum. Somni quoque moderatiſſimum fuiſſe conſtat, quem cùm omnino devitare nequiret, humanæ fragilitatis conditione id quotidiani laboris placidum otium, & curarum opportunum effugium exigente, illum quoque librorum prælectione invitabat. Igitur cùm non niſi adulta jam nocte in lecto decumberet, cæteris aulicis in proprias domos, & ſtationes abeuntibus, unicum ſibi ſupereſſe juſſerat frequentiùs Antonium Rodericum Almeyda ipſius Clavigerum, quem aliquem ſibi vel hiſtoricum, vel ſpiritualem librum legentem attentè auſcultabat, donec legentis placido ſuſurro ſomnus invitatus vigilantibus oculis ſenſim fine ſenſu obreperet. Juvat hìc Ariſtotelis meminiſſe, de quo tradit Laertius fuiſſe in lucubrando, ſtudio infatigabili: *Qui cùm cubitum ſe conferret, in manus globum æneum capiebat, ut cadentis in pelvim globi ſono excitaretur.* Uterque verè Princeps, Theodoſius Luſitaniæ, Ariſtoteles Philoſophiæ; utrique tam fuit ingratus ſomnus, quàm grata ſapientia: ſomnum tamen Ariſtoteles ſummi, at violentioris vir ingenii, ænei globi ſono effugabat; eundem mitioris, ſanioriſ- Laert. in ejus vita.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

quis genii Theodoſius librorum lectione conciliabat; quo cum vigili ſapientiæ conciliaret, dum eidem, quas proximè audiendo hauſerat, ſcientiarum ſpecies fovendas committeret, à quibus modico ſomno decoctis, animoque altiùs impreſſis utiliùs, quàm ab æneo globo neceſſariam quietem turbaturo excitaretur. Evigilans ergo poſt largè fuſas ad Deum ſcientiarum omnium Authorem preces, ſomno quaſi cinere ſuperinjecto commiſſum ſapientiæ ignem pauliſper ſopitum nova lectione accendebat; dum enim à Cubicula-
Lib. 2. §. 33. rio veſtibus indueretur, librum, de quo infra dicendum, ſibi legi præcipiebat, ne tantiſper ab ſtudendo vacaret; utque voluptuoſam præteriti ſomni quietem voluptuoſior lectio exciperet, eademque vigilanti ſomno initium ſimul, ac terminum definiret. Quid mirum igitur tam citò ad ſummum abſolutæ ſapientiæ culmen evaſiſſe Theodoſium, qui prævolantis ingenii expanſis alis concitatiſſimè ad illam contenderit; indefeſſoque ſtudio diu, noctuque inter ludorum, & epularum oblectamenta, nulla prætermiſſa diſcendi, aut docendi occaſione, perpetuò ſedulus incubuerit? Quàm ſedulò, deliciosèque vel in ipſis delicioſis locis, ac temporibus librorum, & literarum
Hoc lib. 1. c. 12. à §. 133 ad 136. ſtudio vacaverit, infrà dicemus.

CAPUT IX.

Quid Princeps Theodoſius, dum Sereniſſimus ejus Parens, primo laureato exercitu Caſtellam invaſurus, Eboram contendit?

DUm Theodoſius togatæ Palladi, Sereniſſimus ejus Parens eidem armatæ indoffeſſa contentione totus invigilat, duo primi, qui regiam ipſius acclamationem excepere, anni univerſo imminentis belli cogendo apparatu, regnique totius confiniis, quà munitionibus, quà militum præſidio firmandis, & frequentibus neque incruentis ubique velitationibus conſumpti ſunt. Patent mutuis circumquaque irruptionibus tum maritimis, tum terreſtribus ſibi ubique contigua, nulliſque aut Alpibus, aut Pyrenæis viciſſim diſſociata Luſitaniæ, Caſtellæque Regna, facili hinc, inde ad omnem hoſtilem excurſionem aditu, nec difficili ut plurimum exitu; quæ una res, præter alias, etſi utriuſque Regni difficillimam defenſionem, noſtri certè reddit eandem, & difficiliorem ſimul, & glorioſiorem: enim verò Luſitanæ ditionis quinque modicis Provinciis, Ciſtaganæ, Tranſtaganæ, Beirenſi, Tranſmontanæ, Interamnenſi, & Algarbienſi Regno, quibus unicè, præter ultramarina longè ampliora, Luſitanum Regnum conſtat, ex adverſo reſpondent totidem Hiſpanæ ditioni ſubjecta, eaque maxima Regna, Caſtellæ veteris, Caſtellæ novæ, Beticæ, Legionis, & Galliciæ, noſtris provinciis conſinia. Illarum cuilibet ſuum præfecit armorum Gubernatorem Sereniſſimus Rex Joannes, ſeriò monitis ſingulis, ne hoſtium finibus primi arma inferant, illata ſibi ſtrenuè propulſent. At non diu ab armis ceſſatum, primis Caſtellanis vicinæ prædæ, aut conceptæ vindictæ cupiditate Luſitanos fines infeſtanti-

tantibus; deinde Luſitanis eoſdem primò repellentibus, mox eorum terminos vice reddita populantibus: tandem ex vicinia iniquò indies Marte recrudeſcente, ferro, flammiſque in obvia quæque ab hoſtibus adeo impotenter ſævitum, ut legitimi jure belli non ſemel violato, barbaris, belluiſque, quàm Chriſtianis militibus, propriora facinora frequenter ederentur. Nullo ſexus, ætatisve diſcrimine, pueri, fœminæ, invalidique ſenes Luſitani furentium hoſtium effrænem rabiem nonnunquam experti ſunt. Ab iiſdem ſacra templa per ſummum nefas aliquando irreverenter habita, expilataque Divinam ultionem provocarunt; ſæpe maturis frugibus, aut in manipulos collectis immiſſus ignis magnum excitavit incendium, non niſi tanti ſceleris Authorum multo effuſo ſanguine reſtinguendum. Nonnullis præterea inermibus ruſticis in patrio fortè ſolo, deſertaque ſolitudine deprehenſis idem Stygius planè ignis intra miſerorum oſſa nitrato pulveri applicitus ſpiritum interclufit; fœdum facinus vel ipſis feris è longinquo exhorreſcentibus: aliis Luſitanis meſſoribus non gladio, ſed ab eorum manibus extortis falcibus demeſſæ per ſummam ſævitiam fauces. Thyeſtæa hæc omnia ſanè, ac non niſi ex ipſius Erebi faucibus mutuata execrabilia documenta; non illa quidem Hiſpanis, ut reor, militibus generoſis, & catholicis, nedum eorum Imperatoribus viris inclytis, ſed infidelibus, aut barbaris ex infima hominum fæce auxiliaribus tribuenda. Ego certè libentiùs ab ingrata hujuſmodi mentione penitus abſtinerem, ne illuſtribus Theodoſii virtutibus, mox à me commemorandis, tot immanium ſcelerum cimmerias tenebras intempeſtivè offunderem, niſi præmiſiſſe omnino neceſſarium judicarem, tum Bellonæ deteſtandæ ſimilium monſtrorum feraciſſimæ, tum maximè, ut poſteris exploratum ſit, quàm juſtis de cauſis Sereniſſimus Rex Joannes Divini, humanique juris vindex, ad perſequendas ſacris ædibus illatas injurias, ad infringendum, comprimendumque hoſtium plus nimio ſævientium impetum, ad innocentum inermem imbecillitatem protegendam, ad vim vi repellendam, tandemque ad invadendam juſto exercitu Caſtellam fuerit, non minùs ſuorum lacrymis, quàm hoſtium inſultibus, præſens auxilium juſtam ex æquo vindictam exigentibus, provocatus.

79 Hiſce, ac ſimilibus graviter admodum commotus Sereniſſimus Joannes, Fœderatis præterea Principibus belli hactenus remiſſi maximam intenſionem pro ſuo utili ſuadentibus, gratum facturus, in militari primùm, deinde in ſupremo Senatu deliberat, è re Luſitana, communique amicorum fore, adverſus Caſtellam movere, inſtructaque in Tranſtaganis confiniis acie, ubi mutuis excurſionibus, & cladibus atrociùs bellum incaluerat, de ſumma rerum decernere. Suis præire, ac Imperatoris obire munus ea in expeditione animoſus Rex concupivit, enixèque inſtitit; verùm univerſis conſiliariis unanimiter in contrariam ſententiam obnitentibus acquieſcens, Eboram ſaltem Caſtellæ, ac exercitui ex Elviis prodituro proximiorem adire conſtituit, ſuo exemplo, quàm imperio efficaciùs nobilitatem è toto Regno, ac Ulyſſipone maximè in aciem educturus, opportunioremque illinc ſuis opem, ſi res poſceret, allaturus. Ubi certò conſtitit de regia profectione, mirum dictu, qualis, quantusque ad Regem proſequendum animorum motus ſubſequutus eſt; adeo ut ad inhibendam tantæ Urbis ſolitudinem, univerſis propè ab illa exitum adornantibus, non mediocriter fuerit adlaborandum; neque minùs in Theodoſio interim detinendo. Is nondum ſuperato noven-

nio, at ſupra annos animum gloriæ cupidum, curaſque viriles præ ſe ferens ita Sereniſſimum Parentem dicitur alloquutus: *Audio de adeunda Ebora, militarique apparatu ex Elviis in aciem deducendo cogitare Majeſtatem veſtram; utrunque ut ex votis auſpicatò eveniat, ſed me ſocio, Deum optimum generoſi hujuſce conſilii Authorem enixè rogo, ſimulque Parentem amantiſſimum, ne me tantæ laudis immunem patiatur. O liceat mihi, meaque illuſtrium puerorum minimè contemnendæ cohorti majoribus noſtris digna edere documenta, primis bellici tyrocinii ſub tanto Imperatore poſitis rudimentis: libet ſub Te tolerare Magiſtro militiæ, & grave Martis onus, tua cernere facta, è teneris aſſueſcere: Meminerit, quæſo, Majeſtas veſtra parum abſimili ætate*
P.Guer. in funebri ejuſdem concion. *Sereniſſimum olim meum Avum Theodoſium ſuæ anno undecimo unà cum Sereniſſimo Rege Sebaſtiano ad Marrochianum bellum profectum, indeque pro rei militaris uſe ſtrenuè obitæ monumento glorioſum in adverſa fronte vulnus retuliſſe, Regio diademate ſibi multis nominibus debito longè illuſtrius: non ero generoſo Parenti degener Filius, aut pœnitendus comes, neque glorioſi adeo Avi ſolo nomine ſimilis, ſed ut ſpero, & futuri præſaga mens augurat, parta victoria fortunatior Theodoſius.*

80 A Principis verbis grandævi jam tum Herois martialem virtutem, & avitam magnanimitatem ſpirantibus incredibilem hauſit Sereniſſimus Parens voluptatem, indubiumque auſpicatiſſimi eventus omen. Eidem, ut par erat, pro meritis, coram aulicis, & Proceribus admirabundis, collaudato jocoſa urbanitate pollicetur in tempore, rebus exigentibus, ſi (quod abſit) ad Triarios ventum erit, ſtrenua Ipſius, ſuæque cohortis opera ſe uſurum: interim Regiæ aulæ, Sereniſſimæque Matri, ſe abſente, rerum potituræ præſidio ſimul, & conſilio ſe Ipſum eſſe oportere: ad hæc potentiores eſſe Caſtellanos, quàm ut ſuſceptum cum illis bellum unico prælio conficiatur; plura deinceps futura, in quibus jam major natu digna ſuis majoribus, & ſuorum expectatione facinora ſibi liceat perpetrare, partiſque ſui unius auſpiciis trophæis opportuniùs, & glorioſius triumphare. Sic demum Theodoſio placato, & in maximam futuræ olim opportunitatis ſpem erecto; Sereniſſimæ Reginæ commiſſo rerum civilium regimine, deſignatis, qui ſe unicè proſequi deberent, rebuſque Ulyſſiponenſibus rite compoſitis, militari conſilio, plurimiſque Proceribus comitatus magnis itineribus contendit Eboram, ſummo incenſam deſiderio excipiendi jam Regem Sereniſſimum Luſitaniæ, quem ante annos octo adhuc Brigantinum Principem exceperat (ut ſupra
Hoc lib. à §. 29. ad 31 meminimus) regio planè apparatu. Urbem eam iniit ſemel noctu data opera, die vigeſima ſecunda Julii anni chriſtiani quadrageſimi tertii ſupra milleſimum ſexcenteſimum, univerſa Curia nondum Eboram invecta, cereis accenſis, luminaribusque per totam Urbem ſeriatim diſpoſitis, obſcuræ noctis tenebras evincentibus, & militari habitu conſpiciendum Sereniſſimum Regem meridiana luce clariùs oſtentantibus; iterum ejuſdem menſis die trigeſima, hora quarta pomeridiana, ſolemniori apparatu, omnibus jam ad Regii pompam introitus rite comparatis: utrobique incredibili plauſu, & confluxu etiam ex diſſitis longè oppidis ad jucundiſſimum ſpectaculum. Cætera tum urbana, tum Academica, quæ officioſi Eborenſes pro exquiſitæ lætitiæ, debitique obſequii argumento publicè decreverant Sereniſſimo Regi exhibere, prohibuit Ipſe palam, prudentiſſimèque profeſſus, non hoc iſta ſibi tempus ſpectacula poſcere, totum militaribus exercitiis, & bellicis apparatibus impendendum. Contentus interim per inſequentes proximè dies Urbanum Senatum, Eccleſiaſticum Capitulum, Regiam, & Pontificiam Academiam,

miam, Sanctæ Inquiſitionis Tribunal; cæteroſque tum ſecularium, tum Religioſorum hominum cætus, ſibi præſtandæ fidei, & gratulationis ergo viciſſim advenientes, manifeſtis regiæ benevolentiæ ſignis excipere.

81 Ex iis tamen unicum publicæ, privatæque lætitiæ oſtentum libenter admittere dignatus eſt pro unici erga Societatem noſtram amoris maximo documento; quod omnino ſilere prohibet vilis ingratitudinis turpis nota, ingenuo cuilibet Scriptori maximè pertimeſcenda: illud pro dignitate referre vetat longiſſima illuſtriorum rerum ſeries, minorum commemoratione minimè abrumpenda; utriſque tamen paucis facturus ſatis; ad illa majora, hiſce minoribus, at maximi faciendis laconicè delibatis, jam progredior. Igitur pridie Kalendas Auguſti, cui Sanctiſſimi Parentis noſtri Ignatii ſolemne quotannis feſtum recurrit, unà cum univerſa Curia ad auguſtum Societatis noſtræ templum procedit Sereniſſimus Rex, vel ab Hiſpano, ſtrenuiſſimoque olim Cantabro Duce certum ſibi auxilium imploraturus. Veſtibulum ante ipſum tragico, at militari habitu conſpicienda Eborenſis Academia venienti obviàm procubuit, plauſitque gratulabunda. Poſtquam introgreſſus, regiis de more cæremoniis rite peractis, ſimile iidem obſequium præſtitere octo ex totidem ſummis templi feneſtris tragicæ, bellatriceſque figuræ, Alphonſum primum, Joannem ſimiliter primum, magnum Nonium Alvarum Pereyra, Angelum Regni Cuſtodem, Luſitaniam, Galliam, Caſtellam, ac tandem Victoriam ipſam, inter Sanctiſſimi Ignatii, & Xaverii ad vivum expreſſa ſimulachra; aptis veſtibus, & inſignibus, longè aptioribus ad rem, Regemque præſentem ſalutationibus referentes: quanta Sereniſſimi Regis voluptate; quali univerſæ Curiæ, populique illuc ea die undique accurrentis plauſu, & gratulatione, haud vacat per ſumma rerum faſtigia prætervolanti recenſere. Tandem inter ſuaviſſimos regiæ muſicès totius Europæ optimæ concentus in ſacello maximo coram Sanctiſſimi Parentis effigie fuſis precibus, mox ſub regio peripetaſmate pauliſper aſſidenti ex alto dilapſæ prædictæ figuræ, ad Regios provolutæ pedes, jucundiorem apud Curiales oblectationem ex veſtibus auro illuſis, omnigeniſque gemmis aptè diſpoſitis, apud Sereniſſimum Regem ſummæ voluptatis, nec minoris æſtimationis ſignificationem excivere. Illum deinde ad palatium noſtro Collegio proximè imminens Curialibus immixti ex univerſis ordinibus plurimi, neque pauci è noſtratibus grandævioribus gratulabundi proſequuti ſunt.

82 Dum hæc auſpicatò Eboræ geruntur, Elviiſque conſtituendo juſto exercitui ſelectiores ex reliquis regni totius ad arma exciti Provinciis militares turmæ, cohorteſque jam adventantes expectantur; Ulyſſipone Theodoſius datam Sereniſſimo Parenti Eboram abeunti fidem pro virili generoſus Puer liberabat. Literariis exercitiis vacare interim; at militaribus curis exercitum Elvenſem reſpicientibus minimè omnino vacuus; Romanis, Græciſque Hiſtoricis Livio, Cæſare, Curtio, Plutarcho, cæteriſque optimis perlegendis diurnam, nocturnamque operam impendere; in quibus cùm bellicos apparatus, urbium expugnationes, commiſſas inter ſe acies, illuſtria ducum, militumque facinora, memorabiles victorias, trophæa, triumphoſque paſſim lectitaret, incredibile dictu, quo ardore ad ſimilia incenderetur; neque verò minori, dum Virgilianam tubam Arma, Virumque magnis pelagi, ac terræ defunctum periculis, Italicis clarum triumphis, perſonantem attentè auſcultaret. In literariis Idem concertationibus cum ingenuis Pueris apud

Magiſ-

Magiſtrum quotidianæ lectionis penſum ab omnibus exigentem ad bellica certamina præludere; ab iis primaria ſemper longè ſuperantis ingenii laude, laureaque Apollinari prærepta. Cùm iiſdem Theodoſius ſingulis propè ſub veſperum diebus aſſiduum ſtudendi laborem mutuò intermiſſurus ad puériles, ac Martios jam tum ludos, eòque libentiſſimè procedebat. Hîc militari habitu, affabrè factis armis inſtructis omnibus, lituo, tympanoque raucum perſonantibus præire Ipſe, Ducis partes agere, pilis, æneisque fiſtulis humero impoſitis lentè progredi, aliquando ſubſiſtere, ordines, & vexilla explicare, præmonitis ſingulis, ut pro ſe quiſque ſuum munus impigrè obiret: mox in duas veluti acies in diverſa diviſis, ſuos Ipſe vel meditata, vel ſubita pro re præſenti oratione ad rem ſtrenuè gerendam, ad laborantis tutelam patriæ, eorumque præſens auxilium implorantis, adhortari; eoſdem ingenitæ nobilitatis, gloriæ, laudis, majorumque facinorum, hoſtium à ſe aliàs devictorum imbecillitatis admonere; interdum ſalutaribus conſiliis inſtruere: *Ordines ut ſervarent, illos aliquo infelici eventu ruptos redintegrarent; fortiter, animoſèque, at unanimiter, in hoſtes irrumperent, ſubjectis parcerent, ſuperbos debellarent; turpis prædæ præpoſtera cupidine victrices manus, inhibito annuentis victoria curſu, ne fœdarent; nuſquam, niſi poſt hoſtes penitus profligatos, & victoriam ex integro adeptam, collectis ſpoliis: fugientibus inſtarent quidem, at plus nimio ne inſiſterent; ſuorum denique (quod caput eſt) ducum dictis, immò nutibus promptè obtemperarent.* Tunc ſigno dato, ad arma utrinque, ſed innoxia concurrebatur, ſimulatæque pugnæ ſimulachra (ut verbo dicam) omnia ciebantur; nunc prælio in acie commiſſo; nunc expugnata, nunc propugnata munitiſſima qualibet arce. Ad extremum comparata ſemper à Theodoſianis ducibus, & militibus victoria, captos, aut ſponte deditos hoſtes perhumaniter habere, ſuos ampliſſimis, aut ab hoſte raptis, aut propriis largè ſpoliis cumulare; univerſos pro re bene geſta gratulatoriis laudibus excipere, Martialiſque gloriæ acribus ſtimulis agitatos ad majora in poſterum inflammare. Solemnia hæc fuere Theodoſio ad futura olim prælia, quæ agitabat, præludia jam diu ſibi jucundiſſima; ſed eo maximè temporis ardentiùs inter ludendum exercita: quæ ſiquis ut puerilia parvi faciat, is quæſo meminerit ex hiſce adumbrati belli puerilibus rudimentis, & quaſi crepundiis veros paucis poſt annis prodiiſſe viros, immò Heroas inclytos, qui memorandis factis majorum illuſtria facinora non aſſequuti modò, ſed ſupergreſſi orbi palam fecere, quàm illis profuerit prima hæc adeo generoſa ſub Theodoſio educatio. Ille quidem ingenioſo apologo à ſe ipſo ſcripto palam fecit, quantùm valeat à teneris laudabili nonnulli exercitio aſſueſcere: *Iuxta* (inquit) *ruſtici cujuſdam caſam creſcebat cupreſſus, ad cujus ramos non pauca confluebant aves; ruſtici verò filius puer quotidie aucupii gratia conſcendere arborem, ac viſcum tendere. Contigit, ut quadam die vir quidam venatum illuc uſque acceſſerit: procera jam cupreſſus erat, & ruſtici filius nihilo ſegniùs ad aucupandum eam conſcendit; venator ergo miratus (ſcilicet inacceſſibilem putabat Arborem) rogabat, equanam arte illud efficeret? Reſpondit ruſticus pro filio. Quid tu vocas artem? Nulla hoc non fecit die, ex quo cupreſſus adolevit. Fabula docet à teneris aſſueſcere magnum eſſe.*

83 Per idem tempus ex nova, eaque virili prole regia, ingens publicæ, privatæque Sereniſſimorum Regum lætitiæ cumulus acceſſit, Ulyſſipone in lucem edito, vigeſima prima Auguſti menſis, die Veneris anni 1643, ſeptima matutina hora, addito quadrante, Sereniſſimo Infante Alphonſo; cujus ortus,

tus, luſtraliſque deinde dies, Theodoſio ſuſceptore, inſolentiori plauſu, & inſignis exultationis ſignificationibus exceptus eſt. Placuit Sereniſſimæ Reginæ ingenioſo artificio tanti nuntii gaudium Sereniſſimo Regi Eboræ tunc agenti cumulatiùs propinare, ut quoniam recèns natum Infantem intueri abſens haud poterat, præſentem in ipſius nativa effigie, quam ab eximio juſſit pictore delineari, voluptuoſiori obtutu delibaret. Inſuper Theodoſius, cui nobilis pingendi ars erat tunc maximè in deliciis, eaque nullius Magiſtri, ſed ſolius ingenii inſito ductu eminebat, ſua quoque magiſtra planè manu elegantem vix dum nati Fratris effigiem Sereniſſimo Parenti pro monumento, & pignore fraterni æquè, ac filialis amoris mittendam elaboravit; addita prætereà minimè à me hìc prætermittenda epiſtola, in qua veriùs inſitæ ſibi generoſitatis, quàm in Apellæa ſua tabula Sereniſſimi Fratris effigiem expreſſit. In ea poſt auſpicatiſſimi ortus, & Matris Sereniſſimæ à partu bene valentis gratulationem, multus eſt in impetranda ſibi, ſuiſque commilitonibus Elvenſi, aut ſaltem Eborenſi expeditione: *Iam ſuæ Majeſtati divinitus alterum conceſſum Filium ampliſſimæ Luſitanæ Monarchiæ ſucceſſorem: ſibi verò ex tempeſtivo Fratris ortu natam optimam opportunitatem ad arma proſiliendi; tùm jam non uni ſibi futuri principatus moles incumbat; promptiorem ſe ad parendum, ſi jubeat ire, quàm ad imperandum fore, militiæ jam, licèt in immatura ætate, præmaturum. Meminiſſe dignetur, & Annibalis valde pueri hoſtium ultionem apud aram Patri jurantis; &* Florus lib. 2.c.6. *Scipionis Africani, qui protectum Patrem prætextatus admodum Filius ab ipſa morte in prælio adverſus Annibalem rapuiſſet: hæc & ſimilia exempla ſibi haud pridem perlecta non leves ad æmulandum ſtimulos addidiſſe. Non defuturos ſibi militaris viæ comites, ſuos inprimis commilitones quotidianis à ſe velitationibus exercitatiſſimos, promptis animis Majeſtatis ſuæ placidè annuentis minimum nutum unicè opperientes, anxièque expetentes.* Neſcias certè, quid in iis primùm admirari debeas; fatidicamne fatalis olim futuræ ſucceſſionis Fraternæ prædictionem, an præſentis adeo animi ad belli pericula ſubeunda præcocem nimis, & generoſam planè toties repetitam oblationem? Miſſus feſtinatò ex Ulyſſipone cum duabus depictis tabellis, Theodoſiique gratulatoria epiſtola, nuntius Regem Sereniſſimum, univerſam ejus Curiam, & in plauſus, gratulationeſque mutuas ruentem Civitatem Eborenſem, incredibili affecit gaudio; maximè cùm perlecta Theodoſii privatim epiſtola, primùm in aulicos, mox in vulgus emanavit Illius bellicum argumentum, illuſtrium victoriarum certum omen ex triumphali magnanimi Principis ſtylo univerſis accipientibus. Interim mirari omnes Regii Apellis manum, ductaque ſcientiſſimè à Theodoſio lineamenta veram recèns nati Fratris effigiem nativis coloribus exprimentia. Eam alterius, etſi eximii, pictoris imagini præferre in omnibus, aulicorum nemo dubitavit; vel ſolito aulicæ adulationis more Principum res immodicè attollentis, vel revera (ut potiùs reor) Theodoſianæ picturæ præſtantia meritis aulicorum encomiis expeditiſſimam ad eas laudes viam præmuniente.

84 Aliam à Theodoſio, etſi multò antea, graphicè delineatam D. Michaelis effigiem ei, de qua modò diximus, non abſimilem juvat hoc loci appendere, curioſiſque inſpiciendam oculis exhibere; omiſſo interim Sereniſſimi Parentis ad ejus gratulatorias, & ſupplices literas reſponſo, priori Ulyſſipone nuper eidem reddito perquam ſimillimo. Supra §. 41. & 80. Elegantem, eoque, quo vulgò ſolet, militari habitu, & inſignibus conſpicuam Archangeli Michaelis effigiem Eccleſiæ militantis Principis, eminenti caſtello ſuperimpoſitam annò

ſupe-

ſuperiore vivis coloribus Princeps Theodoſius expreſſerat; eam cùm admirabundis aulicis, & Michaelis Angeli reviviſcentis manum ſuſpicientibus oſtenderet, ſimul adjecit: *Ne picturam modò adſpicite, ſed ænigma in ea expreſſum intraſpicite; ſiquis veſtrum divinaverit, is mihi erit magnus Apollo.* Tunc univerſis ad explorandum obſcuri ænigmatis ſub adeo illuſtri figura latentis ſenſum intentis, poſt diutinam moram, multiplicesque abeuntium in diverſa explicationes, cùm nemo verum à Principe propoſitum ſcopum collimaret; *Accipite* (inquit Ille) *mei ænigmatis germanam, eamque luce ipſa clariorem explicationem: Archangeli Michaelis Eccleſiæ Romanæ Principis triumphalis imago Caſtello ſuperimpoſita, qualis Romæ viſitur in arce vulgò dicta Caſtello Sancti Angeli, ſignificat D. Michaelem Portugallenſem, Epiſcopum, ſive Principem Eccleſiæ Lamecenſis, Romam nuper à Sereniſſimo Parente meo primum Legatum miſſum pro debita præſtanda obedientia Sanctiſſimo Vrbano ejus nominis octavo: eandem vero Caſtello, ſive Caſtellæ illius legationi ſe opponenti, ſua, Divinaque maximè virtute ſuperinpoſitum. Gladius fulminens, utraque parte acutus, & verſatilis, quem ad inſtar primi Cherubini olim Paradiſi Cuſtodis victrici dextra rotat, planè ſignat heroicam ejuſdem Legati fortitudinem, qua paucis admodum, at ſtrenuiſſimis auxiliaribus Gallis, pauciaribus comitatus Luſitanis plurimas armatorum hoſtium in ſe irrumpentes cohortes non fudit modò glorioſè, ſed pudenda ipſorum ignominia confudit, multis eorum occiſis, pluribus cæſis, cæteris in fugam converſis; orbe in Vrbe hæc omnia inſpectante, virtutique Portugallicæ applaudente. Statera, quam in ſiniſtra geſtat, juſtitiæ ſymbolum, cujuſque duæ ſunt æqualiter libratæ bilances, indicat Sereniſſimum Parentem meum, juſtitia partum, & paſtliminiò ſibi redditum Luſitaniæ regnum juſtitiâ gubernantem. Diaboli tandem livida, ſubtriſtisque facies Michaeli ſuppedanea non obſcurè innuit Velleſium Marchionem, qui non ſuo, nedum Catholici Regis inſtinctu, ſed ipſius Dæmonis (quod potiùs reor) ſuaſu tentavit indignum catholico nomine, illuſtrique proſapia facinus; nempe intra Sanctæ Vrbis mœnia coram Sanctiſſimo ſacrum Præſulem, ineoque jus omne Divinum, & humanum armata manu temerare; quod non niſi ſuadente Diabolo quis unquam auderet.* Sic Theodoſius, cujus ingenioſæ à ſe conditi ænigmatis explicationi mirificè plauſere tunc, qui aderant, univerſi, plaudetque in poſterum orbis univerſus: cui quò ſit olim exploratior hæc Theodoſii explicatio in præſentiarum nulli non perſpecta; factum ex ſe infandum, & à me libentiùs premendum, quàm promendum, quia tamen in Urbe Chriſtiani Orbis Domina luce palam geſtum eſt, quàm brevi poſſum, ſyncerè omnino abſque ulla exaggeratione (vellem etiam abſque ullius offenſa) commemorabo.

85 Inito regno Sereniſſimus Rex Joannes quartus ſub initium Decembris anni quadrageſimi ſupra milleſimum ſexcenteſimum, primùm omnium Romano Pontifici (is tunc erat Urbanus octavus) debitum, ſolitumque ab inauguratis Regibus præſtari, per ſuum Legatum exhibere obſequium deliberavit: ad id verò munus omnium ſuffragiis opportuniſſimus viſus eſt Dominus Michael Portugallenſis, Epiſcopus Lamecenſis, Filius Comitis Vimiozenſis, cujus Regius Brigantini ſanguinis ſplendor, animi, corporiſque augusta majeſtas plurimis aliis dotibus, & perſpecta in primis prudentiâ commendabilis, felicem hujuſce legationis exitum ominabantur. Vix Romam attigerat, cùm Marchio Vellenſis Catholici Regis inibi tunc Legatus, ſive alienis conſiliis, ſive diabolico ductu ad id impulſus, gratum utcunque ſuæ ſe genti facturum falsò ratus, nullum non movit lapidem, ut Illi omnes ad Sanctiſſimum aditus, acceſſuſque præcluderet, immò ut indignè habitus ab

Urbe

Urbe demum indecorè pelli cogeretur; adhibitis (quis credat?) ad ſupplices allegationes, ubi eas nihil proficere videt, ſupremis inſolentium minarum terriculamentis: è contra Luſitanus Legatus nihil non tentare, omnia rite, ſtrenuèque obire, quò voti compos injunctâ ſibi tandem legatione fungeretur; Sanctiſſimo interim inter utrunque medio, tempeſtivam, ut par eſt credere, opportunitatem opperiente, donec longiori mora concoctum acerbum adeo negotium matureſceret, Ipſeque demum, illæſa juſtitia, communis omnium Parentis à Deo ſibi munus impoſitum citra ullius juſtum dolorem tutò poſſet exercere. Hujus tamen moræ impatiens Hiſpanus, qui ſuis unicè partibus addictum vellet Pontificem maximum, flectere dum nequit Superos, Acheronta movere non perhorreſcit. A Neapolitano Prorege numeroſum, & ad audendum projectiſſimum impetrat militem; cui omni armorum genere inſtructo, nativa inſuper ferocia, maximè contra inermes, ſolito prætumidiori, exarmatum Epiſcopum clericali comitatu ſacras paſſim ſtationes obeuntem, & nihil minùs, quàm hoſtilium armorum furorem in Pontificia Urbe, aut metuentem, aut ſuſpicantem, ſacrilegis manibus apprehendendum, vel Neapolim raptim abducendum, vel reluctantem jugulandum edicit. Deſtinata eſt ignobili facinori peragendo Auguſti vigeſima tertia dies anni quadrageſimi primi ſupra milleſimum ſexcenteſimum, quà fortè inermis, prorſuſque incautus Epiſcopus Luſitanus amoris, & obſequii ergo palatium Marchionis Fontanenſis Legati Chriſtianiſſimi Regis ipſum ſalutaturus adiverat. Hìc poſt familiares in longum protractos ſermones certior fit Fontanenſis Marchio, curioſè obſervatos Legati Luſitani currus ad uſque ipſius palatium à Caſtellano ſpeculatore, confeſtimque ad Velleſium Marchionem feſtinatò rediiſſe: à quo mox conſtitit ultra centum armatos, partim ex domeſticis, partim ex Neapolitanis militibus in inſidiis, quà Legato Luſitano neceſſariò redeundum foret, ad ſubitam eruptionem collocari juſſos.

86 Crevit animus inclyto Fontanenſi, & generoſo Lamecenſi ex inſperati diſcriminis indignitate; mox in utriuſque domeſticos, triginta Gallos, & quatuordecim omnino Luſitanos obviis, quæ ſors obtulit, diſpertitis armis, ſuos brevi hortatur Fontanenſis: *Vt ſi res poſcat, & ab Hiſpanis provocentur, eiſdem ſat nota Gallicæ virtutis documenta exhibeant; in aſſerenda Fœderati Regis Luſitani auctoritate, amicique Legati incolumitate non ſe Gallos modò, ſed Luſitanos eſſe meminerint, illorum fortitudinis æmulatores; neque, niſi aut è loco pulſis hoſtibus, aut in loco viriliter ad internecionem cæſis, ad ſuum conſpectum redeant glorioſiores.* Similiter ſuos viciſſim Lamecenſis, & ſi numero exiguo, at multiplici virtute præſtantes: *Vt Gallicæ, Luſitanæque gloriæ memores in tuenda Sedis Apoſtolicæ per ſummum dedecus ab hoſtibus violata, ſuaque minimè violanda dignitate, familiarium Gallorum fortitudini non inferiora ſequantur; quo res cunque cedant, ita ſe ſtrenuos probent, ut ab eorum terribili aſpectu exanimati, fugientesque hoſtes planè fateantur auxiliaribus Gallis immixtos Luſitanos fore ubique inſuperabiles.* Igitur habitis pro inſigni beneficio gratiis Chriſtianiſſimo Legato, conſcendit cum paucis ſuorum geminos currus Luſitanus, Gallis è longinquo, à fronte præeuntibus, & à tergo ſubſequentibus. Ut ventum ad plateam vulgò Eſtuvarum, ſub finem proximæ ad Sanctam Mariam in via, proſpiciunt ſubſiſtentem Marchionis Vellenſis currum, ex quo ille indubiæ ſibi vel illaqueandæ, vel mactandæ prædæ inſpector eſſe optavit: mox moventi ſe, ac prætereunti ejuſdem cur-

rui Gallis comiter cedentibus, ex Caſtellanis unus, quaſi ſigno pugnæ dato, ſclopetum explodit; ſtrenuè vicem reddunt Galli, etſi numero longè inferiores, cauſa, & virtute multò potiores in confertiſſimos Caſtellanos, eoque ictu minimè fruſtrato, ſuis mutuò tubis æneis exoneratis. Exiliunt è curribus ad primum ſclopeti ſonitum commoti animis; juſtaque ira incenſi Luſitani, omnium primo profiliente Legato ipſo, auguſta, giganteaque proceritate majorem adhuc animum ſpirante, ſuisque inſolitam audaciam faciente. Erumpunt viciſſim ex inſidiis Neapolitani milites ſcutis, fiſtulis, & ſtrictis gladiis præferoces: atrox conſeritur pugna, quâ nullam fortè à longo vidit Roma intra Beliſarii mœnia ſæviorem; tribus totius Europæ bellicoſiſſimis nationibus inter ſe commiſſis, æqualibus utrinque odiis, pro gloria, pro publica, privataque ſalute concertantibus. Et jam ceſſante fiſtularum mutua grandinatione, ſtrictis comminus gladiis, quibus maximè omnium eminent Luſitani, res agi cæpta eſt: ii quidem impigris Gallis permixti, validiſſima in obſtantes hoſtium cuneos facta impreſſione, jam proximè ad Caſtellani Legati currum viam ſibi ſtricto ferro aperire præcipuo ardore ſatagebant. Qui ubi ſe unum intentatis mucronibus maximè peti, ſeque infelicis pugnæ nodum Gordianum Alexandri alicujus, aut Gallici, aut Luſitani gladio diſſolvendum, animadvertit, celeri per adverſum ſui triumphalis currus poſticum in proxima latibula dilapſu, Gallorum ſimul, & Luſitanorum ultrices manus cluſit. Illum ex metuendis Neapolitanis promptiſſimi quique abeuntem ſpecioſo ſui Ducis tuendi prætextu proſequuntur; cæteris, qui ſupererant, nec jam ultra victorum minaces vultus, nedum ipſorum ſtrictos mucrones, ſuſtinere valentibus, ſui Ducis, ac Neapolitanorum exemplum, eventumque ſequutis. Hic certè fuit Vellenſis Marchionis inauſpicatus finis, hic exitus illum ſorte tulit, miſerandam ſuorum ſtragem, ſeptem ex ſtrenuiſſimis occiſis, plurimis aliis graviter cæſis; Legatum Luſitanum Romæ triumphantem, amiſſis tantùm ex ſuis quatuor, tribus Luſitanis, unoque Gallo milite; Gallos, & Luſitanos victores opima ſpolia colligentes indignabundis oculis è longinquo aſpicientem. Qualis poſt eum tragicum eventum fuerit Sanctiſſimi ſenſus; qualis Gallorum, & Luſitanorum gloria; quàm juſtus Caſtellanorum dolor; quæ bonorum omnium exiſtimatio, & exultatio; quæ tandem memorabilem eam pugnam conſequuta ſint, aliorum erit Luſitanos Annales perſequentium, non meum Theodoſii tantùm factis, dictisve inſiſtentis, commemorare. Id quidem delibare duxi omnino neceſſarium pro pleniori ejuſdem ingenioſi ænigmatis explanatione. Illud à nonnullis obſervatum minimè hîc omittendum; primam eam Victoriam Romanam cæterarum, quas deinceps adepti ſunt, fuiſſe Luſitanis felix auſpicium, ſimulque faventis eiſdem Numinis manifeſtum argumentum; quod ſequenti mox capite, ac ſæpe aliàs, erit maximè recolendum.

CAPUT

CAPUT X.

Primi Luſitani exercitus poſt aſſertam libertatem auſpicatiſſimi progreſſus, Theodoſii dictis, factisque illuſtrati.

87 Nihil unquam magnum, niſi propitiato priùs Numine, aggreſſum conſtat Sereniſſimum Joannem Regem. Id, ſi unquam aliàs, in auſpicando bello ardentiùs, & ſtudioſiùs; certus nimirum à primis belli rite initi auſpiciis feliciſſimum pendere ipſius exitum, & extrema plerunque optimis, pravisve initiis reſpondere. Quid mirum à Deo ſingula rectè auſpicanti, ex votis omnia vel difficillima, univerſo ſtupente orbe, proceſſiſſe? Igitur coacto jam Elviis exercitu, qui duodecim peditum millia, equites duo mille numerabat, priuſquam in aciem deſcenderet, votivas toto regno ſupplicationes indicit, Eboræ maximè, ubi aderat, Ulyſſiponeque, ubi pietatis, ac Divini cultus, ut in ampla, & prædivite Urbe, præcipua ratio haberi ſolet. Publica præterea, & privata Sanctiſſimæ Deiparæ à Conceptione regni Tutelari, cæteris Divis, at in primis Divo Georgio in bellis contra Catholicos Luſitanæ militiæ Præſidi, ſolemnia vota nuncupat. Totius deinde exercitus Ductori maximo D. Vaſquio Maſcareniæ Obidorum Comiti præter alia impenſiùs per literas commendat: *Vt omnigenas Dei offendendi occaſiones, at inprimis ſcorta certiſſima turpis ignaviæ nutrimenta, longè à Martiali exercitu avertat; ante conflictum ad criminum expiationem, Divinique Numinis præſens auxilium implorandum, milites per ſacros Curiones adhortetur; in urbium, aut oppidorum, prout res tulerit, expugnatione templa, & cœnobia Monialium maximè, tuta cuſtodia præmuniat contra inſolentium militum inhibendum furorem; neque minimam perſonis, aut rebus ſacris injuriam inferri patiatur; infirmo cuilibet ſexui parci curet; cætera, quæ ad militarem diſciplinam, ad bellum aut remittendum, aut intendendum, ad victoriam demum ubique proſequendam, partaque ſapienter utendum ſpectant, pro virili advigilet, ſeque de omnibus faciat certiorem, opportunum auxilium aut miſſurum, aut, ſi reſpoſcat, allaturum.* Sic tunc, ac ſemper aliàs, prudens, magnanimus, & ex æquo religioſus, eòque perpetuò invictus Rex Ductorem maximum admonere. Tunc maximè, ac ſemper aliàs, Sereniſſimi Joannis primi egregius æmulator; qui cum Caſtellanis olim pro vindicanda Luſitana libertate apud Algibarrotam congreſſurus ſimilia edidiſſe, ſuiſque commendaſſe religionis, & pietatis documenta perhibetur. Vaſc. in ejus vita n. 6.

88 Neque Sereniſſimo Parenti abſimilis interea Theodoſius ſuis aulicis non verbis modò, ſed exemplo præire. Et nunc Sanctiſſimo apud regium Sacellum expoſito diuturnus adeſſe, ac pro felici Luſitani exercitus exitu Divinam opem ſedulò, & ſuppliciter deprecari; nunc militare, de quo ſupra diximus, quotidianum exercitium ſtudioſiùs iterare; ac tandem ad illuſtrium victoriarum ſpem omnium animos erigere, appoſitisque rationibus inflammare. Erant nonnulli (ut in aula vulgò ad improbanda domeſtica facili; ad

 eadem

eadem probanda etſi optima difficili) qui apud Theodoſium, ejus auſcultandæ reſponſionis, & explorandæ generoſitatis cupidi, noſtras nondum explicatas acies hujuſmodi obliquis ſermonibus è longinquo, ut timidi ſolent, impetebant. Minorem regia expectatione, ſummaque hoſtium potentia noſtrum eſſe exercitum; nihil magnum à parvis copiis vel timeri, vel ſperari poſſe: plura certè numerari ſub Caſtellana ditione Regna, quàm ſub Luſitana Urbes; ex quibus ſi brevi Catholicus Rex militem ſcribi jubeat, cum ſubitò conflandum exercitum, qui ſola multitudine, nedum inſità bellicoſiſſimæ genti fortitudine, præterquamquòd noſtrum facilè obruet, univerſam inſuper Luſitaniam exundantis more fluminis inundabit. Quid juvat in utranque aurem dormienti Herculi invalidos Pygmeos inſultare, quos expergefactus ſternutamento deterrere, vel halitu difflare poſſit? Quid proficit quartana laboranti leoni, aut caudam vellere, aut jubas molli manu attrectare, quas ſi ea ſolutus febri valida excutiat cervice, horribileſque metuendi oris rictus exerat, væ temerario auſu illum vellicanti! Utinam eſſet aliquis prudens rerum, qui Sereniſſimum Regem ultra vires audentem in tempore admoneret, parta ut tueri contentus à mittenda in ſegetem alienam falce abſtineret: unde illum, non maturum implendis Luſitanis horreis triticum, verùm leves ad ſummum paleas, hoſtili certè igne conflagraturas, par ſit credere, collecturum.

89 *Parcius iſta, me coram*, (occurrit Theodoſius, Luſitanaſque attenuantem vires, & Caſtellanas plus æquo magnificantem irridendo convincit) *Certè* (inquit) *ſi Caſtellanus eſſes, haud mirarer tumidas projicientem ampullas, & ſeſquipedalia verba; nunc Luſitanum adeo ineptire quis æquanimiter ferat? Neſcis, ut à Sapiente, Laconicoque viro multa vulgò paucis dicuntur, ſic à paucis frequenter, at ſtrenuis militibus plurima, eaque illuſtria facinora perpetrari? At falsò credis paucos eſſe noſtri exercitus milites, cùm illorum quilibet plurimis hoſtium prævaleat: non quidem numerandi, ſed æqua trutina ponderandi ſunt Luſitani, probato ſimiles auro, cujus vel exigua particula ingenti leviſſimæ lanæ mali præponderat; unius ſimiliter margaritæ pretioſo valori conferri nequit innumerabilium lapidum acervus. Pauci quidem ſunt, quos æquus amavit Iupiter; ſeu ut veriùs ipſius Veritatis utar teſtimonio: Multi ſunt*
Math. 20. 16. *vocati, pauci verò electi. Multi ſunt, ſemperque fuere Caſtellani, at multoties à paucis Luſitanis olim debellati. Quis noſtrorum adeo inſcius annalium, quin ſciat? Meritò illos tumenti flumini aſſimilas, ſed in tot rivulos longè, latèque deducto, ut vix perenni alveo alicubi præterfluat, nedum exundet: Leones quidem ſunt generoſi, ſed leonem gallus, aut ignis deterret. At ſint ſtrenuiores adhuc, quàm re vera ſunt, & haberi amant; ut nullam de hoſte ignavo, ita maximam de ſtrenuiſſimo habet victoria laudem: cur igitur eorum multitudo, quæ difficilè admodum è diſſitis adeo regionibus, nec niſi magnis impendiis, cogi poterit, nobis erit formidabilis? Cur noſtra paucitas tam multis aucta triumphis parvi facienda, maximè ſub Sereniſſimo Parente meo, qui unus cùm ſit, ad inſtar bellatoris inclyti Regis Davidis, pro decem millibus computatur? Quid tandem, quòd manus Domini exercituum cum illo eſt, quàm noſtro promptam auxilio Regiæ acclamationis die à Cruce refixit, nunc ex Ebora, ubi noſtri exercitus Ducem agit, illique jam Elvenſes campos inſidenti, eadem porrecta dextra omnia, & auſpicatiſſima pollicetur? Nil deſperandum Duce tali, atque auſpice tali: ſi Deus pro nobis, quis contra nos?* Hactenus Theodoſius; cujus extrema verba (ne dubites) ſignificant
Lib. 1 §. 55. & infra §. 105. Sereniſſimum Regem ſecum ex Ulyſſipone adduxiſſe miraculoſam Chriſti Domini Cruci affixi effigiem (de qua ſupra) unica victrici dextra

multi-

multiplices nobis victorias ſpondentem. Sed jam noſtris ex Elviis prodeuntibus copiis quàm verè feliciſſimos prædixerit eventus Theodoſius, brevi à nobis edifferendum, ad Illumque poſt multiplices partas victorias quantocius redeundum.

90 Auguſto menſe jam exeunte, appetebat Septembris dies quarta, cùm ex primaria nobilitate, ex lectiſſimo quoque totius regni milite collectus exercitus, omni armorum, & militarium inſtrumentorum genere inſtructus, ex Elviis primùm exire cæpit, eo maxime fine, ut munitiſſima, nobisque proximiora hoſtium oppida, unde frequentes in confinia noſtra irruptiones, aut ferro, igneque deleret, aut opportunis præſidiis occuparet. Aderat tunc ea in Urbe luſtrandi novi exercitus cauſa illuſtriſſimus Gallus Dominus Laniel Chriſtianiſſimi Regis apud Sereniſſimum Joannem Prolegatus, ſingulari prudentia vir, in pauciſque per omnia verſatiſſimus. Is præter alia in Luſitani exercitus commendationem ſolitus vulgò aſſerere, *Quemlibet vel è gregariis Luſitani exercitus, non militis, ſed ſtrenuiſſimi Ducis ſpecimen præſe ferre.* Ita in alacri, generoſoque cujuslibet vultu certa victoriæ ſigna, & ſpes eminebant. Igitur per Oliventiæ extremos Luſitanæ ditionis terminos prætergreſſus exercitus, quartis ab Elvenſi exitu caſtris, prope oppidum *Valverde* prima in Caſtellæ terris fixit tentoria, poſt ſeptuaginta ſupra centum annos à Sereniſſimo Alphonſo quinto illic ad id tempus inſolita. Nobile, ac peramœnum oppidum, cui primum belli fulmen deſtinabatur, præalta foſſa, validoque circumquaque munitum vallo, Bœticæ Provinciæ clavem indigenæ appellare ſoliti, primos in Luſitaniam aditus facilè aperientem, eoſdemque in Caſtellam tutò præcludentem. Præter ſeptingentos oppidanos mille, ac quingentos numerabat eo temporis Neapolitanos ſelectos milites, quibus præerat D. Joannes Baptiſta Pinatellus, vir militari diſciplina, & virtute præclarus; cui ex Pace Auguſta nuper in mandatis dederat Comes Sancti Stephani ſummus Caſtellani belli Arbiter, ut ſi ab exercitu Luſitano tentaretur, ſex tantùm horis obſidionem pro virili ſuſtineret; ſeque præſenti auxilio mox affuturum indubiè opperiretur. Hinc ad reſiſtendum per ſex integros dies orta fiducia; noſtroque Imperatori deditionem oppidi exigenti, & ni faceret, extrema minitanti ſuperbum à Pinatello redditum reſponſum.

91 Tunc Obidanus Comes admotis propiùs caſtris, præoccupatiſque ſingulari ſtrenuiſſimæ cujuſque cohortis virtute, nec minori omnium periculo, proximis, opportunioribusque ad verberandum undique oppidum collibus, legionum in primis Tribunos primam aciem, mox Patritios ferè omnes primum in qualibet legione ad invadendum locum certatim, glorioſèque (ut mos eſt Luſitanis) ambientes, non ſine maximo labore componit; cæteros ad arma conclamantes, cohibitioneque magis, quàm adhortatione indigentes, in ſuas ſtationes diſponit. Per totos deinde ſex inſequentes dies confertiſſima ex æneis tormentis, ac tubis utrinque jaculatione fulminatum eſt; obſeſſis in obſidentes, iis in obſeſſos impigrè, inceſſanterque, non ſine mutuæ cædis horrore, detonantibus. Poſt validam impreſſionem indignari interim noſtri, jam vallo proximiores, tandiu circa unum oppidum, etſi prævalidum, regium pendere exercitum; & ab Imperatore per applicitas ſcalas ad ſumma evadendi, nulla hactenus aſſiduo decem tormentorum impulſu facta ruina, veniam ardenter flagitare: è contra Ille prudenter ſingulos ad-

 mone-

monere, ſe ipſos ut ad majora ſervarent, neque hanc hoſti gloriam darent, ut fortiſſimus quiſque in prima, minùſque glorioſa expugnatione fortè caderet; duobus maximis tormentis ex proxima Oliventia jam à ſe accerſiri juſſis, facilem mox aperiendum aditum, quò tutiùs poſſent, longèque utiliùs facta irruptione, ab obſtinatis plus nimio Neapolitanis meritas pœnas ſumere. Interea Pinatellus promiſſi à Sancto Stephano auxilii re vera miſſi, at noſtri equitatus vias omnes præcludentis metu retardati, omni ſpe amiſſa, extremis inſuper Obidani minis indubiam univerſis cædem, ni actutum ab armis ceſſarent, ſeriò per tubicinem edicentis, deterritus, oppidi tandem ſub honeſtis conditionibus deditionem die decima tertia ejuſdem Septembris paciſcitur. Exeunt ergo ex oppido ad noſtri exercitus in prælii ſpeciem explicati adſpectum Neapolitani primùm equites, Duce Pinatello, mox pedites armati utrique; viginti carris, qui eorum utenſilia portarent, ſubſequentibus. Hinc à noſtris Eſtremotium uſque delati, ubi armis exuti ſunt; indeque per longiſſimi ambages itineris ad Caſtrum Marinum, ultimum Luſitanæ ditionis oppidum in Algarbienſi regno, uti convenerat, paratis ibi Caſtellanis cymbis imponendi, deducti ſunt, ex mille quingentis numero triginta ſupra ſeptingentos; cæteris partim proxima propugnatione abſumptis, partim noſtræ militiæ ſponte addictis, aut in propria, neceſſarios ſumptus Sereniſſimo Rege abundè ſuppeditante, dilapſis; qui mos deinde cum cæteris, aut captis, aut deditis, quandiu bellum tenuit, religiosè obſervatus eſt.

92 Oppidanis interim, qui ſupererant, facta, prout cuique libuit, abeundi poteſtate, victor exercitus in oppidum invehitur, permiſſa exultanti militi præda, præter duo tormenta colubrina, cæterumque bellicum apparatum; injectus domibus ultor ignis, everſa funditus munimenta, quò cæteris deletum *Valverde* memorabili foret documento, ſi hæc in viridi fierent, in arido quid faciendum? E noſtris tredecim omnino glorioſè occubuere, ultra quinquaginta vulnerati; hoſtium numerum recentis victoriæ lætitia prohibuit recenſere: cujus mox (ut ſolet) longè, latèque pervagata fama omnium, quos afflavit, animos pro re feliciter auſpicata non mediocriter exhilaravit. Per quatriduum apud ſemiuſtas diruti oppidi ruinas immoratum, dum redirent legiones, & cohortes Neapolitanorum conductrices. Mox habito militari concilio, ex omnium ſententia demum ſedit, movendum in Pacem Auguſtam, duodecim illinc milliaribus diſſitam, ſecundoque belli fulmine vel feriendam, vel terrificandam hoſtium Urbem facilè principem militaris Curiæ ſedem, ubi armis præeſſet Comes Sancti Stephani; illum provocare, ſi æquo dare ſe campo, atque obvia ferre arma deliberet, cum ejus copiis confligere; aliquaque fortuita opportunitate uti: ſin minùs, in ipſius proſpectantis oculis finitimos uberrimæ regionis terminos populari, tam Caſtellanis armis probroſum, quàm Luſitanis fore glorioſum, maximumque conciliandæ apud exteras nationes auctoritatis momentum. Itaque mota exinde caſtra ſequenti die undevigeſima ejuſdem Septembris poſita ſunt prope Urbem ad ſclopeti ictum; plumbea interim grandine aſſiduè noſtros divexante, at non prohibente, quominus juſſi ad muros propiùs accederent, obnoxioraque hoſtium impreſſionibus loca vel occuparent, vel ſemel occupata ſtrenuè tuerentur: difficilius hîc, & ſæpe aliàs, noſtro Imperatori cum ſuis præſertim è Primariis, quàm cum hoſtibus, fuit certamen. Ex illis

ſex notæ virtutis propria cohorte derelicta, & alieno manipulo ſummi periculi plenam ſtationem juſſo inſidere, ſe clam inſerentes, jubet primò revocari, mox recuſantes, nec niſi cum univerſis manipularibus exinde recedentes, glorioſo addicit carceri, haud indecoram culpam nobili cauſa extenuante, ac ſupplicii minimè pœnitendi qualecumque dedecus abolente: quorum tamen nomina cæteroqui memoranda, publicisque relationibus celebrata, conſultò à me premenda hîc duxi, ne intemeratæ obſervantiæ profeſſor militaris inobedientiæ, quantumvis generoſa documenta, quæ ſummi Duces meritò improbant, milites gloriæ cupidi non ſemel edunt, immeritò videar approbaſſe. Hiſpani è contra pro mœnibus, ac pomœrio, propugnaculisque frequenti ex tormentis, ferreisque fiſtulis exploſione in noſtros inceſſanter fulminare; aliquando proximioribus propellendis animosè inſtare concito ex antemurali egreſſu, & concitatiori eòdem regreſſu à noſtris ſtrenuè propulſati.

93 Dolere interim noſter equitatus, immodicèque angi, nullam ſibi hactenus rei ſtrenuè gerendæ oblatam occaſionem; quare hoſtiles ad id temporis penitus immotas turmas, ne omnino bellicæ laudis immunis foret, impetu repente facto aggreditur: atrox, & memoranda certè, niſi expectatione celeriùs terminaretur, pugna utrinque committitur; Caſtellanis tamen compoſitè primùm, mox inconditè cedentibus, breviùs, quàm noſtri cuperent, intermiſſa: vel quia eorum inflammatum ardorem diutiùs ferre non poſſent, vel ut ſe violentiùs inſequentes noſtros ad uſque Urbis portas, ſui à mœnibus liberiùs fulgurarent; id verò nè fieret, à noſtris ſclopetariis tempeſtivè accurrentibus confertiſſima plumbei globi emiſſione prohibitum. Hinc Luſitanus equitatus ægrè abductus, per proximos, latèque patentes agros diffunditur, conceptasque juſtæ indignationis flammas, quas in ſubtrahentes ſe hoſtes effundere haud poterat, in eorum amœniſſimos hortos, & voluptuoſas villas exonerat: omnia tandem ferro, igneque promiſcuo depopulatur; ſi fortè miſerabili ſuarum facultatum incendio poſſit Dominorum ex edito proſpectantium animos ad ferendum ſuis rebus auxilium, eàque ratione ſopitum, cui ardenter inhiaret, prælium excitandum inflammare. At cùm prudentiores eſſent Pacenſes, quàm obſidentium exprobrationibus, ne dùm minoris facienda facultatum jactura, moverentur, ad propugnationem Urbis, è qua ſumma belli penderet, unicè intenti; & ex adverſo, poſt ſedulam tum à peritis rerum militarium, tum à ſe ipſo factam Urbis ampliſſimæ luſtrationem, ei omnino circumvallandæ impares eſſe noſtras adeo exiguas copias Obidanus Comes animadverteret, coacto demum militari concilio, quid optimum factu inquirit.

94 Tres primi, Joannes Saldanha, D. Nonius Maſcarenias, & Matthias Albuquercius, glorioſè cæptis inſiſtendum, nec à Pace Auguſtâ regio exercitui temerè aliò declinandum, niſi priùs Sereniſſimo Regi haud procul Eboræ agenti rationum pro utraque parte momentis expoſitis, eoque demum deliberante, judicarunt. Ad hæc, omnium nuper ſuffragiis admotum Paci Auguſtæ regium exercitum, integris adhuc pollentem viribus, eundem felicibus hactenus eventibus animoſiorem, indubiè augendum, promiſſis à Sereniſſimo Rege auxiliis, quibus majus aliquid Pacenſi expugnatione tentari poſſit. Urbem eam invalidis, utpote vetuſtis, cingi muris ad primos bombardarum ictus ruituris; non foſſa, non recèns extructis munimentis præ-

 muni-

munitam; ab ejus latè patenti circuitu longè difficiliorem reddi ejuſdem defenſionem; brevi commeatuum difficultate laboraturam; inutili, militiæque rudi numeroſa plebe redundantem, nullis denuo intromiſſis; præſidiarios duces, ac milites eos eſſe, quos nuper experti eſſent minimè valentes, aut noſtros ſibi è proximo inſultantes propellere, aut eorum validum impetum ſuſtinere; externa indubiè auxilia expetenda; ſed quæ neque Provincia poſſet ſufficere, ut ex interceptis pridie literis planè conſtabat, neque Catholicus Rex Catalaunico, Gallicoque bello implicitus in tempore ſuppeditare; ſi qua tandem aliquando ſubmitterentur, nullius fore momenti, collecta ex inerti, ac involuntario milite ad fugam, quàm ad invaſionem promptiore. Quare, cùm nihil novi accidiſſet, cur à ſuſcepta ſemel ſententia recedere oporteret? Immò cùm felicem obſidioni Pacenſi exitum omnia pollicerentur, ab ea non abſtinendum; niſi fortè conſultus Sereniſſimus Rex juberet. Cæteri legionarii Tribuni, eorum ſuffragiis annuente ad extremum Joanne Mendeſio Vaſconcellos caſtrorum Præfecto, in contrariam ſententiam, haud contemnendis ducti rationibus, abiere. Non ſatis militum nobis eſſe ad juſtam ampliſſimæ Urbis obſidionem, cui triginta millia vix ſufficerent, quæ difficilimè cogi, difficiliùs, & non niſi ſummis impendiis, diu ali poſſent: non præſto eſſe muralia tormenta mœniis, etſi vetuſtis; at prævalidis antemurali terrapleno confirmatis, concutiendis; cùm ea, quæ ſecum ferrent, infirmiora eſſent, quàm ut dediti haud pridem oppidi vallum aliqua ex parte intromittendo militi labefactarent. Numero quidem eſſe noſtris inferiores præſidiarios milites, qui Urbem tuerentur, at ſatis, ſuperque ad invadendam, fortèque diſrumpendam, facta irruptione, unam è noſtris ſtationibus, ab aliis longè diſſitam, ſi exercitus obſidendæ Urbis cauſa foret neceſſariò dividendus; Catholicum Regem, comperta ea obſidione, ad ſummas anguſtias compulſum, nihil non tentaturum, ut opportunum auxilium ſuppeditaret obſeſſæ Urbi, quæ una eſſet obſtaculo noſtris copiis, quominus per univerſam Caſtellam Madrittum uſque victricia ſigna circumferant. Cur potentiſſimo Monarchæ difficile, ac propè impoſſibile credamus, quod noſtro tot regnis, & provinciis minimè dominanti adeo promptum fore non dubitamus? Id ſi eveniat, quis neget in maximum diſcrimen, & incertam dubii Martis aleam (ut ſunt varii eventus belli) res noſtras, nemine cogente, ultro conjiciendas? Sat gloriæ Luſitanis armis comparatum, hoſte in ſua militari Metropoli provocato, ibique tot Martiæ virtutis oſtentis attonito, nec exinde nobis obviàm exire auſo: partam gloriam utilioribus expeditionibus, etſi minùs glorioſis, at longè tutioribus, cumulandam; ne dum ad majora fruſtra enitimur, ab iis, & à minoribus ſimul, neque minùs utilibus, excidamus. Jam verò ſolutam à nobis ingloriè obſidionem, inductis hactenus circumvallationis lineis, neminem verè exprobraturum; meritò tamen, ſi diutiùs hîc nihil magnum aliquid aggreſſi, ulteriùs inutilem fruſtra moram protraheremus.

95 Hanc ſententiam, ut potiorem, & tutiorem ducit Obidanus; ſalutatoque tormentorum exploſione Imperatore Sancto Stephano, jubet die vigeſima quinta Septembris illico in oppidum *Alconchel* inſtructam dirigi aciem, per quinque tantùm dies Paci Auguſtæ illius diſceſſu reſpiranti hactenus incubantem: Cujus progredientis noviſſimum agmen aliquandiu proſequendo aggredi auſus eſt, at non impunè, Pacenſis equitatus, noſtro, dum propiùs

accedit,

accedit, multorum cæde audaciam vindicante; neque verò abſque noſtrorum pro tanta gloria levi jactura, octo ſupra viginti tum hîc, tum apud Pacem Auguſtam, nobili fato ereptis, pluribus haud indecorè vulneratis. Interea Sereniſſimus Rex non à Comite Obidano, ſed aliunde omnium factus certior ægerrimè tulit, ſe inconſulto, applicatum Paci Auguſtæ regium exercitum, exindeque ſe inſcio aliò traductum; ſive deſtinatum generoſo animo proſequendæ obſidioni miſſurus auxilium, ſive nihil magnum ſuo injuſſu aggrediendum è re ſua maximè ratus. Igitur, ne in poſterum ſimilia quis tentaret, antea rarum admodum, poſterisque ſuſpiciendum, at rariſſimè, non niſi rebus id omnino exigentibus, æmulandum edit inſolitæ magnanimitatis exemplum. Jubet ſimul, ut Matthias Albuquercius regendo exercitui præficiatur, ſumma rerum militarium poteſtate iiſdem commiſſa; ut Comes Obidanus, unàque caſtrorum Præfectus Eboram actutum veniant, ſibi de admiſſa ea omiſſione rationem reddituri. Dictum, factum: armorum regimen ſuſcipit Albuquercius; feſtinatò Eboram concedunt duo ſummi armorum Præſides, indeque Ulyſſiponem exauctorati, at non inglorii, ſuo munere in cæteris glorioſè functi, proficiſcuntur. Et quidem, ſiquid fortè inadvertenter peccavere, non potuit Sereniſſimus Rex in eos duriùs animadvertere, quàm militaris gloriæ, regiique obſequii amantiſſimos viros à ſuo, hoſtiumque conſpectu, ablata pro ſe ſtrenuè præliandi occaſione, amovendo. Quàm multæ, quantæque in uno memorabili facto ſpecies virtutum emicant, haud ſilendæ, attentamque oculorum aciem ſimul præſtringunt! In Rege nuperrimo externis per id tempus, domeſticiſque inſidiis obnoxio quàm præſens inconcuſſi animi fortitudo, qui non dubitaret à ſupremis muneribus exercitus hoſtile ſolum prementis amovere inclytos viros, armorum potentia fultos, militibus acceptos, rebus à ſe, ac à majoribus geſtis claros, illuſtriſſimorum conſanguinitate, cognatione, aut familiaritate venerabiles; certus tamen ſui unius nutum hiſce omnibus præhabendum, & à nemine non religioſè (ut factum eſt) obſervandum! In hiſce verò Luſitani belli hactenus duobus fulminibus, quàm memorabilis, omnique laude major erga ſuum Regem obſervantia, cujus primis, iiſque difficillimis mandatis, nulla objecta excuſatione, vel interpoſita mora, eodem, quo accepère, momento adultæ jam noctis religioſiſſimi obtemperarunt! In cæteris ſive belli magiſtratibus, ſive gregariis militibus qualis erga eundem Regem, ac inter ſe mutuus animorum conſenſus, qui reliquis magnis viris præteritis præfici omnibus legionarium in eodem exercitu militem, licèt alioqui de regno, Regeque optimè meritum, & per omnia eximium, non æquanimiter modò paſſi ſunt, ſed exultanter ejuſdem ſe arbitrio regendos ſubmiſere! Certè ſi tunc Hiſpano Regi prudentiſſimo, at ſimilium plerunque inſcio, ea omnia innotuiſſent, non dubium, quin prorſus abſtineret à bello cum ea natione gerendo, in qua inſuperabiles adeo virtutes eminerent.

96 Neque verò minùs fuère ſuſpiciendæ, quas deinceps exhibuit Albuquercius Luſitano exercitui jam præpoſitus. Certum mihi erat eodem, quo hactenus, ſtylo univerſa, quæ ſub eo à noſtro exercitu præclarè geſta ſunt, laconicè perſequi; verùm tot, tantaque deinceps noſtri edidere bellicæ virtutis portenta, ut ipſa ſibi obſtet rerum multiplex magnitudo, integro libro, ne dum brevi capite, longè amplior. Parcant inclyti Heroes ad Theodoſium, ut par eſt, prætervolanti, ſi nuda propè nomina oppidorum, & arcium, quæ

ſub

ſub Albuquercio virtute incredibili expugnarunt, tantùm expreſſero, prætcritis eorum heroicis planè facinoribus, quæ proprium, & luculentiorem jure ſuo exigunt Scriptorem. Conſtabat recenti Gubernatori in animo eſſe Comiti Obidano tria noſtro exercitui proximiora oppida, *Alboſeyra, Almendral, & Torre*, per Magiſtrum Equitum Franſciſcum à Mello, militum prædæ, aut ignis violentiæ pro meritis ſubjicienda: id ipſum illi committit exequendum, præter equitatum additis mille ſclopetariis. Hoc primum edidit Albuquercius haud vulgare inſolitæ prudentiæ documentum, non inverſo (ut vulgò ſucceſſores) ſui prædeceſſoris regimine, ſed iiſdem, quibus ille, veſtigiis laudabili fiducia inſiſtendo. *Alboſeyra* igitur ob leve paucorum militum reluctamen direpta primùm, mox incenſa, ejusque munitiones everſæ. Haud aliter, immerito quidem, in Turrim minimè reſiſtentem ſævitum: primum oppidum quingentos, ſecundum ſexcentos incolas numerabat. Cum oppido amœniſſimo *Almendral* inter duo flumina longè protenſo, uno ex optimis ejus Provinciæ, clementiùs actum eſt; oppidanis ſe ſponte dedentibus, habita tribus cœnobiis, Monialium duobus, Fratrum uni, reverentia, iiſdem in captæ prædæ ſocietatem perhumaniter admiſſis; univerſis tamen aliò juſſis immigrare. Hiſce brevi, facilèque peractis, ad exercitum iterum reditum eſt, jam moventem in oppidum *Alconchel* ſeptingentis ut plurimùm vicinis conſtans, valida lorica, præaltaque circumfoſſa tutum, inexpugnabili tandem arce munitiſſimum. Eminet ea in ſublimi rupe, ſpecieque pyramidali rotunda, ſolis avibus pervia, ultra centum ulnas à ſummo ad infima, horridis quoquoverſum ex continenti ſaxo præcipitiis inacceſſa. Arcem tormentis, omnique armorum, & munitionum apparatu apprimè inſtructam inſederat D. Joannes Soutomajor Marchio Caſtri Fortis, ejus oppidi Toparcha, ſtrenuiſſimis Ducibus, & numeroſo milite ſtipatus. Idem in ipſius oppidi meditullio Parochiale templum molliter aſſurgens in alterius arcis morem foſſis, valliſque, quatuor inſuper validiſſimis reductis, multiplici mæandro ad maximæ arcis radicem pertinentibus, juſſerat præmuniri, ſuorum incolumitati, & ſuis maximè rebus ea ratione conſulturus; cùm ex oppido locupletiſſimo, ejusque adjacentibus uberrimis campis quatuordecim millium aureorum ſumma ſibi quotannis proveniret.

97 Hujuſce adeò prævalidi oppidi, arcisque arduam ſanè, immò probabili multorum ſententia temerariam expugnationem, majoribus ſolito animis, ut res tanta poſcebat, Albuquercius aggreſſus eſt, ejuſdem Septembris die trigeſima: eandem intra quatriduum (incredibile dictu) mira felicitate confecit, uſus & propria induſtria, & ſingulari ſuorum virtute, ſi unquam aliàs, hìc certè inſolentiori. Poſitis nanque caſtris, occupatisque inter flammeas, & fumantes horribilium globulorum nubes proximioribus oppido colliculis, eodemque temporis ſupra editi montis ſummæ arci oppoſiti verticem, quò expeditus eques vix tutò poſſet conſcendere, majoribus tormentis præter omnium ſpem improbo labore, mirabilique ingenio elevatis; mox ducibus imperat, ut ab oppugnatione arcis interim omnino abſtinentes, validiſſima undique facta impreſſione in vallos, vicinasque domos, injectis circumquaque ignitis malogranatis, terrorem latè ſpargentes, fæminas, ſenes, pueros, invalidosque oppidanos in arcem compellerent, libero ad eam relicto aditu, quò nimirum ab inutili multitudine brevi abſumptis commeatibus, inteſtina demum fame cogente, caperetur ars, quam externa vi capien-

dam

dam nemo ſperaret. Dicto citiùs optima prudentis Imperatoris mandata impigri milites; præeuntibus Tribunis, ac Ducibus exequuntur; ſuptisque, aut conſcenſis intrepidè vallis, igne, ferroque obvia quæque turbare, neque interim Æthnæi montis ad inſtar fulgurantis perpetuò arcis, flammarumque globos eructantis fragore turbari. Tunc fugientes oppidanos, & ſui Marchionis fidem implorantes, in arcem miſeratùs ipſe admittit; miſerandus certè, qui non prævideritq quantum ſibi damnum, receptis incautè amicis, quantum hoſtibus id unum maximè optantibus, conflarit emolumentum. Certè Albuquercjus præmeditato ſucceſſu alacrior, in arcem diu fruſtra, mox in arci ſubjecta munimenta, feliciter tormenta explodere; deinde mortario ignitas pilas frequenter in arcem immittere, qua ruptæ fragmentis ſtrenuos milites, metuendo fragore invalidos, exanimabant; fæminis, puerisque denuò intromiſſis inconditum clamorem extollentibus, arcisque deditionem miſero ejulatu ſuadentibus. Tandem noſtri ſub admotis arci tabulatis protecti, etſi cadentibus paſſim è ſummo flammis obruti, at nequaquam deterriti, cuniculos agere, apertis foraminibus nitratum pulverem inſerere; mox ora ſtrictim obturare, conceptura deinde ignes arcem everſuros: hìc Albuquercius obſeſſos inſtantis è cuniculis jam peractis ſupremi periculi adinonere; arcis miſerabili ruina involvendos quantocius omnes, ni ſe illico dedant, ſeriò minitari; adhæc, honeſtas deditioni conditiones ſanctè polliceri. Quibus fractus Marchio, ſublata pacis teſſera, mittit, qui pro ſe, ſuisque paciſcantur; neque fuit difficile inter optantes mutuò convenire, ſtabilitis brevi conditionibus, quas lentiùs proſequi non eſt otium: exeunt non indecorè obſeſſi, præeunte Marchione, in oppidum *Figueyrà de Vargas* ad noſtra præſidia deductis octoginta præſidiariis, quibus adempta in Luſitanis confiniis arma: iidem per quadraginta quinque dies apud nos, ut conventum fuerat, ſubſtitere. Antea egreſſæ mille, ac ducentæ fæminæ lugubri ſanè ſpectaculo, vel ipſis victoribus miſerando; pueros viciſſim lacrymabundos præferentes, & quidquid ſecum poterant aſportantes: mox ducenti oppidani ſimiliter, cæteris ſive præſidiariis, ſive oppidanis non ſuo fato ſublatis. Miles interim opulenta ſatis præda potitur, inexpugnabili arce Albuquercius; qui memorabilis facinoris gloria contentus quintam ſpoliorum partem ad ſe pertinentem victori, ac exultabundo militi cedit: Arcem recognitam, omni commeatuum, armorumque genere abundè refertam, tribus inſuper puteis, ſive ciſternis aquam largè ſubminiſtrantem, quadringentorum militum præſidio recenter firmatam, fidei Emmanuelis à Sylva Peyxoto legionarii legati committit; in cujus locum Sereniſſimus Rex mox Antonium à Mello ſubmiſit.

98 Aberat ſex ab *Alconchel* milliaribus oppidum *Chelles* haud ignobili caſtello munitum: cujus præſidiarii milites mutuo, neque unquam per proximum quatriduum intermiſſo, tormentorum, & ſclopetorum fragore arrecti, ubi demum præter ſolitum tonitrus ceſſaſſe animadvertunt, id, quod erat ſuſpicati, & poſt expugnatum *Alconchel* nihil uſquam Luſitanis armis impervium prudentiùs, quàm fortiùs, conjicientes, turpi fuga propriæ ſaluti conſulunt; eorum exemplum oppidanis æmulantibus. Quos raptim fugientes noſtri oppidi *Monſaràs* præſidiarii conſpicati, tranſmiſſo interjacente Ana fluvi, oincruenta præda, nemine prohibente, potiuntur. Certior factus Albuquercius Ducem Joannem à Mendonſa Zuniga cum opportuno præſidio

mittit,

mittit, qui derelicto caſtello præficiatur. Mox D. Roderico à Caſtro totius equitatus Legato maximo imperat, ut cum ſexcentis equitibus oppidum *Figueyra de Vargas* occupare pergat, cujus propugnandi curam ſuſceperat D. Gabriel à Sylva, & Vargas ejuſdem oppidi Dominus: is ex primis exploratoribus equitibus animadverſis univerſum exercitum adventare ſuſpicatus, dubius promptæ defenſionis juſſit, qui pro deditione oppidi quindecim dierum inducias ſuppliciter exorarent; verùm unius tantùm horæ brevi ſibi conceſſo ſpatio, intra illud illinc feſtinus; oppidanis acerbè dolenti Domino ingemiſcentibus comitatus, erupit. Pulchrum ſanè, ac perjucundum oppidum militum prædæ permiſſum; intrant noſtri, caſtelloque ex more antiquo turribus, propugnaculis, & valida lorica ſatis præmunito præficitur cum præſidiariis Dux Petrus Monteyro ex legione D. Nonii Maſcareniæ. At non diu tenuit ea Præfectura, caſtello paucis poſt hebdomadis juſſo everti, ſuppoſitoque multo nitrato pulvere, igne admoto in ſolutos propè cineres abire. Ultimus noſtro exercitui adhuc apud *Alconchel* ad ſextam Octobris diem ſubſiſtenti reſtabat labor, planè Herculeus, *Villa nova del Freſno*. Quò eadem ſub veſperum die movere cæpit; ſequentique mox ad oppidi nobiliſſimi à noſtro equitatu jam recogniti adſpectum caſtra poſuit.

99 Claudebat oppidum in eminenti ſitu poſitum depreſſis hinc, inde vallibus difficillimum aditum prohibentibus, ſimplex, at prævalidus murus, extantibus, ſeque mutuò reſpicientibus per modica intervalla turribus circumſeptus. Eidem ab oriente quadrata figura imminebat Arx quadruplici murorum ambitu, internis externa excedentibus planè horribilis: ad hæc, ſubterraneus meatus Pacem Auguſtam ad uſque productus; inde auxilii ſpes, hoſte invito, minimè contemnenda. Ad propugnationem præterea oppido, ejusque arci neceſſaria omnia ſuppetebant; at in primis ſtrenuiſſimi quique præſidiarii milites ſub expertiſſimo, exploratæque virtutis Ductore D. Franciſco Geldres, cui aderat D. Franciſcus Aguero Tribunus, & militarium machinarum peritiſſimus; Marchione à Barcarrota oppidi Toparcha ſolicitè cuncta providente, ne quindecim millium aureorum annuo exinde proventu fraudaretur. Tandem inſolentiores animos tum præſidiariis, tum oppidanis fecerat recens adhuc memoria duorum Luſitaniæ Regum, Alphonſi quinti, & Joannis primi, à quibus olim diverſis temporibus tentatum armis, at fruſtra, id oppidum gloriabantur. Inexpugnabile prorſus illud haberetur, niſi fortè incolarum multitudine jam diu laborans numeroſum oppidum in proximum poſt mœnia ſuburbium porrigeretur, ubi ſexcentæ, aut plures ædes numerabantur, quæ licèt profunda foſſa, editoque vallo undique circummunitæ, faciliorem tamen noſtris aditum, & acceſſum ad quatienda mœnia, etſi maximo bellicæ virtutis, & militaris induſtriæ impendio comparatum præbuere. Quibus acceſſit appetentis jam hyemis inclementia, bellicis muniis, ea maximè regione, perincommoda. Hinc longa viginti propè dierum mora in eo præter ſolitum oppido expugnando; diuturna quidem, ſi cum aliis conferas, at ſatis brevis, rei magnitudine, ſummiſque difficultatibus æſtimatis. Nullibi certè acriùs utrinque pugnatum; nullibi obſtinatiores ad reſiſtendum hoſtes noſtri experti ſunt: neque unquam aliàs prodigioſis raræ fortitudinis oſtentis illuſtriùs Luſitani claruere; fulminis more, cui quò fortiùs obſiſtitur, eò validiori impreſſione obſtantia quæque comminuit.

100 Albuquercium in primis oppoſitæ maximarum difficultatum moles non tardiorem, ſed iis ſuperandis animoſiorem, ſolitoque ſeduliorem reddidere. Jubet igitur ex Elviis, Oliventia, & Mourano majora, quàm primùm, trahi tormenta, validiſſimæ arci concutiendæ, oppidanisque mœnibus evertendis: ex Ebora mox auxiliarem legionem accerſiri ſupplendo militum numero, qui præteritis congreſſibus vel occubuere, vel vulneribus ad præliandum inutiles facti, vel tandem per varia præſidia ſunt diſtributi. Neque idcirco ab armis interea alicubi erat ceſſatio; noſtris in arcem, in oppidum, in ſuburbium diu, noctuque ſimul irrumpentibus, quò in diverſa diſtracti hoſtes impares defenſioni redderentur; iis tamen noſtrorum impetum ubique ſuſtinentibus, & ſtrenuè repellentibus, captum primò ſuburbium ad oppugnandos ex proximo muros oppidi, mox ad verberandum ex viciniori arcem viam aperuit. Tum verò per invia domorum interiora maximo labore occulta complanata via, primis Optimatibus ad operarum, & foſſarum munia exemplo, & propoſitis præmiis, præeuntibus; iiſdem immenſi ponderis maximum tormentum unà cum ignobili turba ſubcollantibus, & ad ſupplendas valentium equorum, curruumque vices planè giganteas vires ſufficientibus. Hujusce tormenti conſtructis denuo aggeribus impoſiti repetitis ictibus corruit tandem haud modica pars oppidani muri, noſtrisque id unicè, anxièque attendentibus turmatim illac irruendi fecit audaciam, ſimulque oppidi ulteriùs tuendi præſidiariis in arcem celerrimè ſe recipientibus ſpem ademit. Suburbio jam, & oppido noſtri potiti ad fulminandam, expugnandamque undique arcem univerſas vires contulere: cum illa flammas, & incendia, globorumque ignitas paſſim nubes aſſidua fulguratione jaculante à noſtris diu, multùmque colluctatum, tormentis, mortariis, tubis æneis infima, ſummaque pulſantibus; adhæc, inceſſantibus viciſſim exploſionibus reſpirandi, nedum placidè aliquandiu quieſcendi, hoſtibus adempta poteſtate: quò nimirum diurnis, nocturnisque laboribus, & vigiliis fatigati, confectique ad extremum, qui parabatur, arcis inſultum invalidiores invenirentur.

101 Cæteris, quæ infinitum foret recenſere, tacitis interim inclytis facinoribus, quæ vel noſtri obſidentes, vel hoſtes obſeſſi edidere, unum, aut alterum omnino poſterorum memoriæ invidere nefas duxi. Prægrandes ignitæ pilæ in noſtras legiones, tum intra, tum extra oppidum excubantes ex arce irrito, at horribili plerunque fragore jaciebantur: earum quædam ruptis ſupremis tabulatis fortè deſcendit in eam domum, ubi univerſus nitratus pulvis aſſervabatur; quem ſi leviſſima ſcintilla pilæ flammas orificio evomentis fortè comprehenderet, præter proximæ legionis certam ſtragem, cæteras longiùs agentes incendio, & vicinarum ædium longè, latèque ſparſa ruina certè involveret; ſimulque noſtris ſclopetariis, ac tormentariis pugnandi uſum penitus inhiberet, abſumpto eo, quo illorum arma unicè aluntur, nutrimento. Id tamen tantum, adeoque multiplex, & metuendum periculum unius gregarii militis ſingularis virtus avertit; qui nitrati ejuſdem pulveris cuſtodiæ impoſitus, animadverſa, quæ ceciderat, ardenti pila, commune diſcrimen proprio redempturus, paludamento in primis furenti pilæ, certum incendium, ac exitium minitanti, ſuperinjecto, generoſæ animæ prodigus ſe demum ſuper ipſam animosè projecit, aut extincturus, Superis annuentibus, ardentem flammam, aut eadem certiùs conflagraturus, & in

fruſta, ſi (ut vulgò ſolet) rumperetur, diſcerpendus. At extinctæ flammæ ſuperſtes, ac Divino liber auxilio miles ab evidenti periculo ſocios liberavit; ſulphureo (ut par eſt credere) igne heroicam gregarii militis virtutem reverito, & obſtupeſcente. Cujus tamen memorabile nomen, immortali fama digniſſimum, nobis penitus eſſe ignotum, acerbè dolendum; ne verò poſteri acerbiùs doleant noſtræ incuriæ meritò ſuccenſentes, ſi placet, appellandus deinceps Fulmen Luſitanum; ut enim è ſuccuſſa nube cadit flammis involutum fulmen, ſummas exciſurum arces, ita Fulmineus profectò Luſitanus ſupra hoſtiles flammas provolutus, iis extinctis, evertendæ mox hoſtium arci profutura flammea nutrimenta tutatus eſt. Etſi maximum, at privatum cujuſdam ignoti militis id factum fuit; quod ſubnecto, publicum, & ad plurimos, eosque notiſſimos Heroas, ac Duces, vel ex eo ſolo æternitati commendandos pertinuit.

102 Jam primus, ac ſecundus arcis murus, duobus adhuc integris, aſſiduo tormentorum impulſui cedens, aliqualem fecerat labem; qua viſum eſt Albuquercio, diutinæ moræ impatienti, poſſe audaciſſimos quoſque aditum in arcis intima reperire. Se ducem ipſe glorioſi facinoris, ſi commilitones gloriæ cupidi ſuperſint, vel aggrediendi certus, vel ea ratione ſuos ſtimulaturus, profitetur. Primus ſe offert in adeundis ſummis periculis nulli ſecundus Joannes Rodericus à Sà Comes Penaguianus, maximus Regii cubiculi Præfectus, cui mox, ut ſæpe aliàs, nobili ſtimulante invidia, plures additi celebri fama, & virtute præſtantes viri, quorum nomina æri, auroque incidenda præter ſolitum mihi eo, quo deſcripta ordine apud probatum Scriptorem reperi, hîc inſerenda putavi; ne unquam obliviosi fati damna ſentiant, qui adeo animosè indubiæ ſe morti pro Patria devovere non dubitarunt. Hi ſunt Emmanuel à Gama, Leonardus Barbòſa, Franciſcus Ribeyro, Emmanuel Baſto, Niculaus Ribeyro, Antonius Pinto Freyre, Dominicus Souſa, Andreas Lupus, Emmanuel Toſcano, Blaſius Rodericus, Emmanuel Britto Barreto, D. Petrus Albuquerque, Fulgentius à Matos memorando facinori Dux deſignatus; cæteri omnes aut cohortibus præerant, aut in eis regendis præcipua munia exercebant: longè plures extitiſſe glorioſi facti participes, poſt ſedulam ſcrutationem, prædictus, cui adhæreo, Author ſibi penitus ignotos proteſtatur. Igitur opportunis armis inſtructi adulta jam nocte, quæ diem decimam quintam Octobris excepit, inter horrificos tormentorum boatus, conſultò à noſtris editos, ne ab hoſtibus progredientium ſtrepitu excitatis deprehenderentur, proximæ arci admoventur; mox ad ulteriora procedere audentibus prima occurrit profundæ ſuperandæ foſſæ difficultas, qua tamen evicta, conſcenſiſque per confraga, & abrupta mœniis, jam ad ſumma evaſerant, non expectato unicæ ſcalæ ab iiſdem illuc aſportatæ commodiori aſcenſu, Dux Fulgentius à Mattos, Joannes Rodericus à Sà, Emmanuel à Gama, D. Petrus Albuquerque, Dominicus Souſa, Emmanuel Britto Barreto, Niculaus Ribeyro, Emmanuel Baſto, & Antonius Pinto Freyre; cæteris aut arcti aſcenſus anguſtiæ implicitis, & in foſſam prolabentibus, aut in eadem Ducis mandata opperientibus, nec minori periculo expoſitis. Interim hoſtes noſtros in muris, & arcis limine adeſſe præſenſere, in quos exploſis illico ſclopetis, jactiſque ignitis confertim malogranatis miſerandam ſtragem edidere; nec minorem noſtri, ubi ſe jam obſervatos animadvertere. Ad impediendum eorum, qui jam in muris eminebant, deſcenſum recens accurrit ſclopetariorum manipulus,

Joan. Salgado Araujo lib. 4. c. 17.

pulus, in paucos, qui extarent, exploſione pauliſper cohibita ; donec aucto aſcendentium numero certiùs,& funeſtiùs detonarent: hinc illi ſervati,& ne pauciores adhuc ad exercitum remearent, divinitus (ut credo) effectum. Tunc Penaguianus Comes,& Emmanuel Britto Barreto certæ mortis horrido aſpectu minimè deterriti, ſed animoſiores redditi, ne inulti prorſus occumberent, ad irrumpendum per obſtantes hoſtes ſtricto ferro, & multiplici eorum cæde ſibi, ſuiſque parentandum ſe mutuò cohortari. Eorum tamen ardorem tempeſtivè, prudenterque inhibuit Dux Fulgentius,qui evidenti,jamque inutili periculo tandem occurſurus, receptui canit,& cum paucis ſuorum ſuperſtitibus, eorum quatuordecim amiſſis, reliquis hoſtili ferro, igneque haud leviter ſignatis, ad exercitum ſe proripuit, cuncta è proximo per obſcuræ noctis tenebras proſpicientem, ac prodigioſæ commilitonum virtuti, gloriæque non ſine invidia plaudentem; attonitis interim hoſtibus,ac temerarium Luſitanorum auſum in poſterum exhorreſcentibus. Neque verò ex eo memorabili facinore haud penitus infructuoſo, injectum eorum animis terrorem, ad proximam invictæ arcis deditionem,parum momenti contuliſſe, rerum prudentes poſtea credidere.

103 Ex ſuorum dolenda quidem jactura, hoſtiumque diu obfirmatè reſiſtentium pertinacia incenſus ira Albuquercius urgere intentiùs obſidionem deliberat. Certè quidquid poterat eſſe virtutis bellicæ ſtrenuiſſimi ejus Duces, & milites certatim effuderant; quidquid militaris ars in arcium expugnatione præſtari jubet, in ea ſcientiſſimus Ipſe propemodum exhauſerat: novem expugnationum à ſe tentata genera, totidem ab hoſtibus ex æquo propugnandi peritiſſimis fruſtrata, irrito hactenus effectu, non mediocriter angebatur. Juſſerat tormentorum Præfectis, magnis propoſitis præmiis, ut hoſtilia tormenta, immiſſis per eorum orificium globulis, redderent inutilia, quò propiùs, tutiùſque noſtri ad arcem accederent: fruſtra id quoque; utriſque ſumma dexteritate pollentibus: argumento ſint ex adverſis tormentis ad hunc finem exploſi non ſemel ferrei globi, medio in aere ſibi mutuò concurrentes, horrendo prorſus tonitru minutatim dilacerati: aliàs immiſſo è noſtris globo per os adverſi tormenti hoſtilis, concepto intra gravidum alvum igne,abortivo partu duplicem fœtum non inſperato multiplicati fœnoris redditu in noſtros admirabundos effudit. Ad Triarios tandem ventum eſt, ſingularique noſtrorum virtute occupata foſſa, urgendis tribus cuniculis inceſſabilis opera impendi: quatuordecim Holandi ejus artificii peritiſſimi,non ſine ingenti diſcrimine, inſanum eum laborem aliquandiu ſunt proſequuti, ſolutis in ſingula illorum Capita pro quâlibet hora ſingulis aureis nummis, ſat quidem meritis pro evidenti periculo, & memorabili effectu mox ſubſequuto. Enim verò ex iis uno pleniſſimè abſoluto, juſſit Albuquercius, ut, audito duplicis bombardæ ſimul exploſæ ſonitu, ignis cuniculo admoveretur. Duplicem ea fortè nocte bombardam ſimul hoſtis exploſit, auxilii à Sancto Stephano implorati ſignum: quare noſtras eas eſſe bombardas is, qui cuniculis præerat, arbitratus,datumque ſibi certum ignis applicandi ſignum, illico illum admovit, noſtris nondum in tuta receptis. Conceptus ignis intra viſcera aperti deinuo ſpecus, nitrato pulvere fœcundi, brevi cum primo ſibi proximiori arcis muro eluctatus, maximo edito fragore, magnam ejuſdem partem ſolo æquavit,ingentibus immanium ſaxorum molibus per ſummum aërem ſparſis, noſtro exercitui planè innoxiis, obſeſſis in arce multùm

exitialibus. Tum verò illi, aſſiduis per dies viginti diu, noctuque fracti congreſſibus, & vigiliis propè confecti, omni deinde promiſſi, ſperatique auxilii ſpe prorſus abjecta; noſtrorum præterea proximæ audaciæ memores, certique indubiè liberiorem nactos aditum in arcem audaciùs irrupturos, terrificis denique Albuquercii minis, ni actutum arcis prompta deditio fieret, deterriti, impotentia, timoreque utilia ſuadentibus, arcis deditionem paciſcuntur ſub honeſtis quidem conditionibus, eorum nimiæ contumaciæ, inhoneſtis verò, eorundem eximiæ fortitudinis habita ratione.

104 Igitur ubi mutuò de conditionibus convenit, undevigeſima Octobris die ab arce, oppidoque Gubernator, ac Tribunus primi, ſeptuaginta equitibus, & mille quadringentis ſeptuaginta peditibus præſidiariis comitati, excedunt, armati omnes, quam quiſque ferre poſſet ſupellectilem aſportantes; cæteris, quorum incertus numerus, bello abſumptis, in regni confiniis exuendi armis, & apud nos ad libitum, ac beneficium Sereniſſimi Regis per quadraginta quinque dies, ut convenerat, retinendi. Oppidanis permiſſum, ut liberè, prout cuique liberet, vel abirent, vel remanerent ſub Sereniſſimi Regis clientela. In oppido, & arce præter duo tormenta, & octoginta equos, magna vis armorum, munitionum, & commeatuum reperta ſunt; reliqua præda potitus miles: everſum mox ſuburbium, refecta demum arx cum opportuno præſidio committitur Benedicto Maciel Parente; at paulò poſt Sereniſſimi Regis juſſu Andreæ Albuquercio Cintræ Præfecto. Rebus ita ordinatis poſt expugnata intra duos menſes octo Bæticæ Provinciæ longè optima oppida, noſtris confiniis proximiora; quorum diruta nonnulla, præſidiis firmata plurima, victor exercitus, nullis à S. Stephano interim turbatus auxiliis, Sereniſſimo Rege ſic ſtatuente, armorum ceſſationem hyemis inclementia ſuadente, motis ex Villanova Caſtris die vigeſima tertia Octobris ad Tranſtagana confinia, unde fuerat egreſſus, revertitur: Luſitanis pro feliciſſimo exitu mirificè lætis, ſibique mutuò congratulantibus; è contra Caſtellanis miſerandam tot illuſtrium oppidorum, rerumque ſuarum jacturam debito, & acerbiſſimo dolore proſequentibus.

105 Albuquercius legionibus, equitatuque in propria hyberna dimiſſis Villaviſoſam rectà contendit, quò Sereniſſimus Joannes ex Ebora diverterat, Regium palatium, & natale ſolum recogniturus; maximèque Sanctiſſimæ Deiparæ à Conceptione Regni Tutelari apud ipſius magnificum templum tot victorias, & felicitatum indies augeſcentes cumulos gratulaturus. Ibi Albuquercium mirificis regiæ benevolentiæ ſignificationibus exceptum, infirmaque per eos dies valetudine affectum apud ſe jubet ſedere, ſuique palatii hoſpitio frui; eundem magnificis, quæ paulò poſt effectum habuere, promiſſis amplificat; omniumque ab eo, cæteriſque rerum benegeſtarum ſeriem ſedulò inquirit. Inde Deipara ſalutata, Ducibus, & militibus valere juſſis Eboram primùm, mox Ulyſſiponem inter feſtivas applaudentis populi, quacunque pergeret, gratulationes exultabundus feſtinatò repetit. Ulyſſiponenſi ripæ appulſus die ſeptima Novembris univerſorum ordinum triumphali comitatu ad templum maximum, ante initam regiam, militari habitu invectus eſt, Immortali Deo, & victrici Chriſti Domini Crucifixi Imagini, quam ſecum tulerat, ac retulerat, immortales gratias acturus, quas ſequenti die longè ampliori pompa, & auguſtiori triumpho apud idem templum maximum Theodoſio Principe, cæteriſque Curialibus ſtipatus iterum religioſè perſolvit.

106 Dum

106 Dum pro ſe prælianti Deo, raptoſque à potenti hoſte triumphos, ac opima ſecum ſpolia dividenti, gratiſſimum ſe præbet Sereniſſimus Rex Joannes, eidem plaudere, congratularique non modò Luſitani, ſed Fœderati quoque Reges, & Principes, quorum non minùs, quàm noſtris utilitatibus, exercitus ille adeo auſpicatò, & è communi omnium re militaverat. At multò jucundiùs, & ſolidiùs Cœlites interim Principi Theodoſio plaudebant, majora viribus audenti, & glorioſiorem de ſe, quàm Sereniſſimus ejus Parens de hoſtibus, victoriam eo ferè temporis reportanti. Non licuit per ætatem novennium non dum excedentem externis hoſtibus vim inferre; internis cupiditatibus, quæ militant adverſus animam, inferre inſtitit; ac dum Caſtellanos Leones bellica undique cinctos indagine noſtri edomarent, Tartareum Theodoſius leonem Divini amoris igne, quo exarſerat, objecto, non deterruit modò hactenus rugientem, & in Erebi latebras compulit, ſed penitus profligavit. Oppugnabant noſtri munitiſſima Caſtellæ oppida, dum Cœlum, quod nonniſi violenti rapiunt, Theodoſius expugnaret. Ille quidem inceſſantibus per eos dies precibus, dum noſter exercitus in acie verſaretur, Dei, Deiparæ, Cœlitum omnium, ac præſertim Cœleſtium Angelorum præſens auxilium implorare; mox ſecum reputans, qua poſſit maximè ratione Sanctiſſimam in primis Deiparam Regni Tutelarem, militiæque Cœleſtis præſides Angelos demereri; ubi demum intellexit nihil puris Spiritibus tam placere, quàm animi ab omni ſceleris labe alieni ſummum nitorem; nulla re tam placari Deiparam, Angeloſque integerrimos, quàm intemerata corporis, animæque integritate, illam omni modo deinceps profiteri non utcunque, ſed emiſſo etiam voto deliberat; cùm interim, novennio non dum penitus expleto, ea virtute adeo brevi conſummatus expleret jam multorum temporum diuturnitatem. Verùm de hac præſtanti immaculati Principis virtute Lib.3.cap. 10.& 11. alibi lentiùs, & copioſiùs non ſemel dicturo ſatis hìc ſit, eam è longinquo indigitaſſe, ne ſacra profanis, & cœleſtibus terrena miſcentes, alieno tempori, ac loco valde inter ſe diſſita inſeramus. Quare his, quæ hactenus diximus, affinia perſequendo, memorandis, generoſiſque Theodoſii dictis expoſitis, & illuſtribus noſtrorum militum factis, & ſatis longo capiti coronidem imponamus.

107 Nullus per eos dies tam apud aulicos, quàm apud populares niſi de recentibus victoriis, ac de noſtrorum Ducum, militumque bellica fortitudine ſermo percrebuerat; unoquoque modò hujus, modò illius inclyta facinora, prout præſens viderat, aut abſens audierat, efferente. Cùm hujuſmodi apud Regem, primarioſque viros ſermonibus Theodoſius jucundiſſimè intereſſet, ac quid de bellicis rebus rogatus exiſtimaret, ſatis prudenter diſſereret; ſic ad Illum Rex: *Quid, quæſo, Principi Theodoſio agendum, ſi à Caſtellæ Principe Balthaſare ad ſingulare certamen provocaretur? Si duello certare liceret* (promptè reſpondit Theodoſius) *licèt ille me annis longævior ſuperet, nunquam virtute à majoribus accepta ſuperaret; mihi certè, ac Majeſtati veſtræ non deeſſem; & vel ego illi, vel ille mihi vitam, non rei bene geſtæ gloriam eriperet.* Non potuit, etſi diutiùs meditatum, generoſius eſſe ſubitò editum reſponſum, omnium, qui aderant, feſtivis plauſibus, & adorea cumulatum; nec dubito, quin animoſa verba longè animoſioribus factis æquaret, ſi fortè hujuſmodi ſe daret occaſio. Interim obſervanda maximè conditionalis clauſula (*ſi liceret*) à Theodoſio in ſuo reſponſo non temerè, ſed conſultiſſimè appoſita; ſciebat enim abſolutè

ſub graviſſimis anathematis pœnis prohiberi duellum Canonicis, & Pontificiis legibus: ideo ſub ea conditione, neque aliter acceptandum ſapienter pronunciavit. Immò natu jam major ſeriò expendens ſumma incommoda, quæ Luſitanis maximè nobilibus, ad concipiendam iram natura promptis, ad effundendam promptioribus, improbum duellum afferre ſoleat, illud penitus abolere, ac barbarum morem tollere ſumma ope adniſus eſt; primò validiſſimis rationum momentis, mox acerbiſſimis pœnis indictis, execrandam eam peſtem evincere. Fatuos quidem, totiusque rationis prorſus expertes judicandos eos aſſerebat, qui evanidæ gloriolæ falſa ſpecie decepti æternæ ſalutis indubium ſubire diſcrimen minimè dubitarent; qui per ſummam amentiam veteratori potiùs Diabolo noxia, quàm vero Deo ſalutaria ſuadenti obſecundarent. Eoſdem ignaviæ, imbecillitatiſque turpi nota meritò inurendos, qui vindictæ, iræque impotenti cupiditati ſuccumbentes, priùs ab invalidis affectibus victi, fruſtra veræ fortitudinis adverſus legitimos hoſtes exhibendæ ſpecimen contra indigenas præbere contendunt. Ipſoſmet viles, ac degeneres jure habendos, & veterum gladiatorum ignobili turbæ, non illuſtribus, aut nobilibus majoribus adnumerandos, à quorum generoſitate longè ſe abeſſe palam profitentur, dum non pro patriæ publica ſalute, ut illi, ſed pro inani lubricæ opinionis aura captanda, pretioſas alioqui animas vili adeo prodigere diſpendio non erubeſcunt. Contemnendi certè à prudentibus, dum temerè morte contempta vitam maximi faciendam, & ad maxima pro ſua, & ſuorum incolumitate ſervandam, nihili faciunt, & pro nihilo lucrifaciendo præpoſterè perdunt. Inter perduelles tandem illos recenſendos, qui præ duelli execrandis legibus, barbarorum, Andabatarum, & belluarum propriis, ſacroſanctas, quibus coercentur, in ſummoque pretio habendas ſanctiones parvi pendunt. In hujuſmodi monſtra veriùs, quàm homines, niſi manifeſtis adeo rationibus, & latis contra ſtultum adeo ignarum, probroſum, penituſque abominandum crimen legibus, reſipiſcentes parere velint; quàm acerbiſſimè vindicandum indubia bonorum publicatione, irrevocabili honorum exauthoratione, perpetuo exilio; & ſi ad tuendam reipublicæ tranquillitatem oportere judicetur, irremiſſibili pœna capitali, quæ ſi, vel ſemel tantùm, uni è Magnatibus tanti criminis reo infligeretur, quàm multis aliorum cædibus, maximiſque incommodis omnino aditus præcluderetur!

CAPUT XI.

Recenſentur exercitia, quibus laxandi animi cauſa Princeps Theodoſius adhuc Puer vulgò indulſerit.

AD hyberna otia (ut moris eſt) poſitis interim armis, noſtro exercitu jam dilapſo, juvat Principem quoque Theodoſium à literariis concertationibus pauliſper ceſſantem, & amotis ſeriis lucubrationibus, honeſtis ludis, genioque indulgentem, per otium contemplari: certè non minus Illum ludricis vacationibus, quàm Martialibus, aut Palladiis de-

ditum exercitiis ubique Principe digna peragentem ſuſpiciemus. Neque verò Hiſtorico indignum quis reputabit, hoſtili ſanguine adhuc madentem calamum, & illuſtribus recenſendis victoriis hactenus aſſuetum puerilibus excribendis ludis aptare; cùm Virgilianam tubam (ut de cæteris taceam) modò Arma, Virumque canentem, modò Trojanos pueros Trojam ludentes ſimili cantu impellere haud dedignantem, venerari æquum ſit. Homerus quoque ingenii cœleſtis Vates non aliud ſenſit, vehementiſſimis Achillis manibus canoras fides aptando, ut earum militare robur leni pacis ſtudio relaxaret. Nec minoris babendum Valerii verè Maximi prudens judicium, qui eodem aureo planè ſtyllo illuſtrium Heroum inclyta narrat facta, & mox eorundem laudabile otium, ac puerilia oblectamenta in virili, aut ſenili jam ætate commemorat. Ex his profert in medium, in primis par illud veræ amicitiæ clariſſimum, Scipionem, & Lælium, qui ut actuoſæ vitæ iter æquali gradu exequebantur, ita animi quoque remiſſioni communiter acquieſcebant: conſtat nanque eos Cajetæ, & Laurenti vagas littoribus conchulas, & umbilicos lectitaſſe; idque Lucius Craſſus ex ſocero ſuo. Q. Scævola, qui Gener Lælii fuit, audiiſſe ſæpe numero prædicavit. Mox ejuſdem Scævolæ meminit, qui ut in rebus ſeriis, ita & in ſcurrilibus luſibus hominem ageret, quem rerum natura continui laboris patientem eſſe non ſinit; idem optimè pila luſiſſe traditur, alveo quoque, & calculis vacaſſe interdum dicitur; quia videlicet ad hoc diverticulum animum ſuum forenſibus miniſteriis fatigatum transferre ſoleret. Ad extremum eximium illum virum, cui nulla pars ſapientiæ obſcura fuit, Socratem producit, qui non erubuit tunc, cùm interpoſita arundine cruribus ſuis, cum parvulis filiolis ludens ab Alcibiade viſus eſt; ſe verò propterea irridenti Alcibiadi: *Noli* (inquit Socrates) *cuiquam dicere, quod modò à me videris, donec ipſe tibi etiam liberos procreaveris.* Horum, & ſimilium Heroum veſtigiis inſiſtens puer, & adoleſcens Theodoſius, ut tempeſtiva laboris intermiſſione ad laborandum vegetior efficeretur, ludis non nunquam vacare ſolitus, non quibus evaneſcit virtus, ſed quibus recreatur. E contra illorum perpetuò deteſtatus eſt ignavum otium vilibus, Principeque indignis miniſteriis addictum; quale fuiſſe perhibetur Artaxerxis fæmineo more fila ducentis; Vianti Lydorum Regis ranas piſcantis; Auguſti cum pueris par impar ludentis; Domitiani muſcas ſagittis transfigentis; Solimani acus elaborantis. Ab hujuſmodi adeo vilibus, generoſoſque animos dedecentibus, oblectamentis penitus abhorrens Theodoſius, iis tantùm aliquale tempus utiliter impendere, quæ vel exercendo ingenio, vel firmandis viribus, vel valetudini curandæ, refocillandoque animo ſtudiis feſſo quomodocunque profutura judicaret. Theodoſio ipſo jam grandiori apertè id in ſua Macariopoli pueris, & adoleſcentibus permittente: *Semper* (inquit) *adoleſcentiæ aliquis ludus, aliqua delectationes ſunt toleranda; modò nil præter venuſtam jocationem contineant; nam ſi ex arbore evellis flores, fructus non expectare neceſſe eſt.*

Virg. lib. 1 Æneid.

Idem lib. 5

Valer. Max. lib. 8. cap. 8.

Saaved. emprez. 72.

Macariop.

109 Voluptuoſum in primis Illi adhuc puero utile, ac generoſum id fuiſſe, de quo ſupra diximus, militare exercitium, ſatis conſtat, caſtra locare, movere, inſtruere, milites exercere, ducere, ac inter ſe committere; arces aut oppugnare, aut propugnare, omnigenæque militiæ ſimulachra ciere, ſtrenuiſſimi, ac peritiſſimi Ducis perpetuò victoris partibus rite, impigrèque à ſe obitis; non mediocri tum ſe cùm Principe mutuò exercentium nobilium puerorum, tum ad jucundiſſimum ſpectaculum vulgò ex aulicis accurren- lib. 1. §. 82.

 tium

tium, voluptate; at majori eorundem, Luſitanæque militiæ proventu, cùm ex ea puerili, aulicaque Theodoſii ad bellum præludentis ſchola inclyti Duces, cum eo educati, haud multò poſt in aciem proceſſerint, qui memorandis rebus geſtis Theodoſii ſe olim digniſſimos commilitones præbuere. Aliud honeſti oblectamenti genus, cui per idem tempus libentiſſimè dedit operam Princeps, pictura fuit, nobilis quidem ars, per quam etiam poſt obitum claris Heroibus ſpiritus, & vita redit meliùs, quàm per poeſim; hæc enim auribus, illa oculis eorum inclyta facta objicit; & quidem ſegniùs irritant animos demiſſa per aures, quàm quæ ſunt oculis ſubjecta fidelibus. Hinc meritò ab eruditis pictura dicitur poeſis tacens, & è contra poeſis appellatur
Hoc lib. 4. 83. & 84. pictura loquens. In ea quàm excelluerit, duæ, quas ſupra dedimus, ipſius manu expreſſæ imagines ſatis evincunt: plures voluptariis horis, eaſque ut plurimùm Chriſti Domini, Deiparæ, cœlitumque cœleſtis planè Pictor delineavit: ab eo tamen pingendi munere ſibi alioqui jucundiſſimo haud multò poſt penitus abſtinuit, audito ſemel Sereniſſimo Parente, hujuſmodi aculeatis verbis delineatas à ſe imagines expungente: *Vellem, ut perfectum potiùs Principem, quàm abſolutum Pictorem Princeps ageret.* Nec pluribus opus apud Theodoſium Sereniſſimo Parenti morigerandi ſtudioſiſſimum. Aliò ſtatim pueriles curas transfert, Mathematicisque diſciplinis haud leviter jam tum imbutus, elaborandis arte magiſtra parvulis horologiis ſedulò incumbit, & genialibus horis elegantiſſima ex auro, argentoque conficit horaria; ea verò adeo exacta, ut ejus artis peritis eſſent admirationi; eadem quiſquis ex familiaribus, aut commendaret, aut ſibi ſummopere placere leviter inſinuaret, illicò ſibi aſſumere à Principe jubebatur; cui tam erat gratum in domeſticos ea munuſcula dividere, quàm ingratum aulicis laudibus adulationem ſapientibus deliniri.

120 Muſices præterea, ſed non niſi Eccleſiaſticæ, ſuaviſſimis concentibus mirificè Theodoſius capiebatur. Ad impudicas, & profanas quaslibet cantilenas omnino ſurdas præbere aures, ſacris cantibus attentiſſimas accommodare; illos non avidè auſcultare ſolùm; ſed modulatiſſimè nonnunquam proferre Ipſe. Author eſt Doctor Joannes Piſſarro, artis muſicæ peritiſſimus, & Regii chori Pſaltes eximius, auditum ſæpe Theodoſium cum Sereniſſimis Sororibus Joanna, & Catharina modulos aliquot utriſque familiares mirabili triplicis vocis concordia concinentem, Principe interim gravi, & canora melodia præeunte, ſimulque manichordium dexterrimè pulſante. Idem memorat vel excogitatum, vel in frequenti uſu habitum à Principe ſatis ingenioſum inſtrumentum, in quo ſemitonum multipliciter dividebat; ità ſive caſu, ſive induſtriè compactum, ut in eo cantatiſſima duplicis chordæ ſympatia deprehenderetur; pulſata enim una, quæ ab alia quatuor digitorum ſpatio diſſideret, ea illico abſque ullo tactu harmonicè reſponderet. In cæteris conſonè percurrendis muſicis inſtrumentis, Divino maximè cultui ſervientibus, dum vacationis hora in orbem rediret, multus erat, iiſque coram aulicis, & familiaribus quibusque voluptuosè vacabat. Summa ſemel, ut ſæpe aliàs, dexteritate pulſanti claviorganum Principi nonnulli fortè aderant; ex quibus unum ſibi maximè acceptum, præcipuæque apud Ipſum auctoritatis animadvertit Princeps, intempeſtivi doloris ſigna, cæteris mirificè exultantibus, truci vultu, & ad inſolitam mæſtitiam compoſito, præ ſe ferentem. Quærit ab illo adeo alieni ab eo loco, tempore, comitatuque

doloris cauſam? Mox eam evulgare, artificioſè renitentem precibus, juſſis, omnique ratione urget. Tunc ſic ille. Volvebam animo, Sereniſſime Princeps, dolendam quidem noſtræ Luſitaniæ conditionem, cui devorandæ potentiſſimis undique hoſtibus inhiantibus, contigit Rex in componendis muſicis pſalmis, hymnis, & canticis inſignis, unàque Princeps in pulſandis organicis inſtrumentis dexterrimus; cùm præſtaret in acie componenda, in propulſandis ad martialium tympanorum pulſum hoſtibus, utrunque unicè deſudare; id eſt, quod me, intempeſtivè fateor, immodicè angit, ac medullitùs excruciat. Si liberiùs, quàm par erat, juſſus tamen à veſtra Celſitudine, rerum imprudens deſipui, alieno, quæſo, indulgeat amori, dum proprio indulget genio; conceptaque à fideli zelo dicta boni conſulere, ac indulgenter interpretari dignetur. Brevi, ſed in rem præſentem ſatis appoſitè reſpondit Princeps Martiali conſultori; *Omnia tempus habent. Tempus belli, & tempus pacis; aderit tempus animosè, ac viriliter cum hoſtibus confligendi; nunc tempus eſt animum, vireſque colligendi. Non ſemper imbres nubibus hiſpidos manant in agros; neque ſemper arcum tendit Apollo: aliquali omnibus, ſed Regibus, & Principibus in primis opus eſt remiſſione, ac laboris, quietiſque opportuna viciſſitudine; aliter perpetua contentione intentus arcus brevi rumpendus: licèt quotidiana, ſatis brevis eſt Sereniſſimi Parentis ad Muſicem addictio, non publicis negotiis, ſed proprio ſomno ſubtracta; mea quàm ſit brevior, nemo neſcit, eritque deinceps nulla, ſi fortè ita expedire prudentes judicabunt, ne tuam, aut ullius unquam, etſi nullo meo merito, levem offenſionem incurram: id implere meum erit; alterius explicare, quàm ſit, ac ſemper fuerit muſica moderatum ſtudium maximis quibuſque viris, etiam ſummis Ducibus, vel in ipſo belli conflictu dignum, & meritò iiſdem familiare.* Hæc Princeps; qui præterea ſub finem capitis 6. in ſuo tractatu de Mathematicis diſciplinis, inter quas muſicam meritò adnumerat, D. Chryſoſtomi aurea verba citat: *Nihil* (inquit) *animam æquè erigit, & alatam quodammodo efficit, & à terra liberat, & exſolvit à vinculis corporis, & amore ſapientiæ afficit, &, ut res omnes ad hanc vitam pertinentes irrideas, perficit, ut verſus modulatus, & Divinum canticum numero compoſitum.*

Eccleſ. 3. n. 1. & 8.

121 Quare in gratiam ipſius Principis ita expreſsè jubentis, liceat ejus Scriptori, nonnulla de hujus adeo Heroicæ planè artis Regibus, Principibuſque digniſſimæ præſtantia, cæteris omiſſis, delibare. Conſtat primum omnium ſub primam conditi orbis veluti pueritiam à Jubale Lamechi filio inventam muſicem, ſacro id atteſtante Chronologo: *Ipſe fuit pater canentium cithara, & organo.* Ille nempe cœleſtis harmoniæ ſectatus imaginem, ſacrum planetarum concentum furatus, cœlitum delicias mortalibus propinavit. Eandem multò poſt David Rex egregius Muſicus, & inſignis bellator, expulſo non ſemel è Saulis corpore, animoque muſicis concentibus Dæmone, divinis laudibus condito Pſalmorum libro, conſecravit; ut Sacra paſſim prodit hiſtoria. Ipſammet multitudo Cœleſtis exercitus, quæ cum Angelo facta eſt in ipſo Chriſti Domini natalitio, uſurpavit; immò Deipara Sanctiſſima in ſuo cantico, & poſtea ipſe Chriſtus Dominus cum Apoſtolis hymno dicto, ſive cantato, commendabilem reddidere. Eam tandem D. Ambroſius Mediolanenſis, D. Gregorius Magnus, ac cæteri Summi Pontifices univerſali Eccleſiæ invexere. Ad hæc, canendi ſtudium Angelis, & Cœlitibus eſſe maximè in uſu, tum ex Sacra pagina, tum ex Sanctis Doctoribus, eſt manifeſtum; Quibus quid poteſt ad muſices commendationem illuſtriùs, aut dici, aut excogitari?

Gen. 4. n. 21.

Luc. 2. n. 13.

cogitari. Extat haud pridem Luſitanis typis mandatus de muſices encomiis luculentus tractatus compoſitus à R. P. Joanne Alvaro Frovo Regio Bibliothecario, ejus artis peritiſſimo; in quo ex Sacræ paginæ, Sanctorum, & illuſtrium Authorum teſtimoniis diſertè probat, præter alia, eſſe hanc Artem Regibus, Sapientibus, & maximis quibusque viris digniſſimam. E multis, quæ adfert, pauca ſeligo, cætera vide apud ipſum, vel apud alium tractatum ejuſdem argumenti in lucem editum, juſſu Sereniſſimi noſtri Regis Joannis quarti, cujus ibidem meminit: *Apud Græcos* (ait ille) *celebris fuit is verſus. Nullus in cælo Deorum eſt, Muſa quem non mulceat.* Item ille: *Regium nihil Rege in illo, qui Camenas negligit.* Tandem ille alius: *Conjuncta regno maxima eſt res muſica.* Concinit Hieronymus Oſorius hiſce verbis: *Non igitur ſolùm Regi colenda muſica eſt, ut animum à labore recreet, aut naturæ vehementiam leniat, atque temperet, ſed etiam, ut ex muſica legibus intelligat florentem, atque*
Plut. com. de anim. genit. *beatum ſtatum in juris, & ordinis moderatione conſiſtere.* Plutarchus docet nullam Deos, & Principes Scientiam magis decere, quàm muſicam, & har-
Julian. ep. 56. moniam. Julianus ſic habet: *Si qua res ſtudio noſtro digna eſt, ejuſmodi eſſe ſacra muſica videtur.* Eccleſiaſtici verò cap. 44. habetur: *Laudemus viros glorioſos in*
Eccleſ. 44. n. 5. *peritia ſua requirentes modos muſicos* n. 5. Cæteris apud eruditum virum legendis ſuperſedeo.

122 At ſunt præterea minimè contemnenda de muſices maximi faciendæ laudibus apud ſummos viros tum ſapientia, tum bellica fortitudine præcellentes teſtimonia. Divinus certè Plato, ejus diſcipulus Ariſtoteles, ac Tullius utriusque veſtigiis inſiſtens, qui de reipublicæ optima inſtitutione luculentiſſimos libros edidere, muſicam mirificè commendant, cuilibet reipu-
Ariſt. l. 8. de rep. cap. 4. blicæ utiliſſimam. *Quippe quæ poſſit* (verba ſunt Ariſtotelis) *ut gymnaſtica corpus bene conſtituit, ſic animam bene efficere conſuetudine honeſtæ voluptatis, aut certè ad vitæ degendæ rationem, prudentiamque aliquid valet.* Addit verò ibidem: *Rectè muſicam & in conſuetudine, & in congreſſibus, & in vita degenda adhibent homines, quod voluptatis ſit effectrix; hæc enim ad animi relaxationem valet, omnique ætati, om-*
Petrarch. dialog. 23. *nibusque moribus uſus ejus gratus eſt.* Concinit latiùs eximius Petrarcha: *Hinc Beatorum jubilus, & cantus Angelici, atque illa cæleſtis harmonia, quam Pythagoras ponit, Ariſtoteles evertit, Cicero noſter inſtaurat; tibi autem pietas, fidesque ſuggerit eſſe ibi perpetuas, ac prædulces voces, etſi non cælorum, at cæleſtium incolarum, Primam illam, & Æternam Cauſam ſine fine laudantium.* Et paulò poſt: *Nec ſine ulla cauſa Divini Plato vir ingenii muſicam arbitratus eſt ad ſtatum, ſive correctionem morum reipublicæ pertinere.* Hinc Authore Polybio muſicam nullus veterum Arcadum
Polyb. l. 4. omittere audebat, ſed neceſſariò colebat: neque fateri neſcire auſus eſt, quia ejuſmodi imperitia turpiſſimum quid apud eos putabatur. Jam verò effectus
Caſſiodor. optimos cujusque muſici concentus peculiares exequitur Caſſiodorus: *Dorius* (inquit) *prudentiæ largitor eſt, & caſtitatis effector; Phrygius pugnas excitat, votum furoris inflammat; Æolius animi tempeſtates tranquillat, ſomnumque jam placatis attribuit; Lydius intellectum obtuſis acuit, & terreno deſiderio gravatis cæleſtium appetentiam inducit bonorum operator eximius.*

123 Proſequitur deinde citatus Petrarcha tum ex Ciceronis, tum ex aliorum ſententia mutuatis rationibus, & exemplis illuſtrium Heroum, qui ſummo in pretio muſicam habuere: *Liberalibus ergo* (inquit) *percipiendis artibus ſine controverſia muſices neceſſaria cognitio eſt; ſed quid ego diſciplinis commodam eſſe commemorem? Cùm laborum etiam quies vel opportuniſſima ſit, & quod contra-*

rium

rium huic eſt, ad labores, armaque capeſſenda, vel quanvis ſummum ſubeundum laborem, incitamentum ſit; & unde claſſici in bello conſonant, & tympana remugiunt: quæ omnia ſunt ad pugnam hortamenta jam pridem utiliſſimè, opportuniſſimèque inventa. Sic nautæ, ſic vinitores, ſic viatores, ſic denique alicui labori alligati, omnes cantus unicum ſolamen invenerunt. Et mox: *An non Homerus quoque nos docuit muſicam, quam à Chirone acceperat, atque didicerat, iram Achillis concoxiſſe? Hæc antiqui torpentes ad bellum animos ſuſcitarunt; hæc curas ex animo excuſſerunt, hæc juſtitiam docuerunt, hæc virtutibus inſignes meritis laudibus proſequuti ſunt; corporis ægritudines & conſolati ſunt, & abſterſerunt; hæc ſe denique Deo conjunxerunt. Hinc legimus Epaminondam Græciæ Principem fidibus præſtantiſſimè ceciniſſe. Proinde Themiſtocles, cùm aliquos annis ante in epulis recuſaſſet lyram, habitus indoctior. Sed & Lycurgus quanvis duriſſimas Lacedemoniis ſuis leges injungeret, muſices tamen ſtudium egregiè videtur amplexatus. Quin & artium veluti præſtantiſſima Divinis ſe inſeruit rebus. Quid? quòd Socrates jam ſenex inſtitui lyra non erubuit? Socrati adde Solonem, qui, cùm ejus nepos ex fratre inter pocula carmen quoddam Sapphûs ceciniſſet, delectatus eſt illa cantilena, & juſſit adoleſcenti, ut eam ſe doceret; cùm autem quidam interrogaſſet, quam ob cauſam hoc deſideraret? Reſpondit, Vt poſtquam ipſam didicero, moriar. Adde iiſdem Ageſilaum, qui cuidam roganti, cur Spartiatæ ad tibiarum cantum inituri prælium exercerentur? Vt cùm ad numerum* (inquit) *incedunt, appareat, qui formidoloſi ſint, qui fortes. Adde Xenophontum, qui certis muſicis modis Alexandrum ad arma ſolebat concitare.* Suet. in ejus vita c. 84. *Adde Auguſtum Cæſarem, de quo Suetonius: Pronuntiabat* (inquit) *dulci, & proprio quodam oris ſono, dabatque aſſiduè phonaſco operam.*

124 Hiſce adeo claris viris adnumerandos, immò præferendos, ob ejus artis longè præſtantiorem laudem, exiſtimo Sereniſſimum Regem Joannem quartum, ejusque Filium Sereniſſimum Principem Theodoſium, quorum de cauſa longiùs, quàm in ſimilibus ſolemus, in aſſerenda muſica neceſſariò excurrimus. Et quidem Sereniſſimus Joannes conſtanti omnium ſententia ita hujusce nobiliſſimæ artis peritia excelluit, non modò inter ſui ævi Principes, ſed inter cæteros retroactæ antiquitatis, ut nullus ei conferendus meritò judicetur. Tres quotidie horas, etiam poſt initum regnum, muſices ſtudio, & compoſitioni ſolitus libentiſſimè impendere, duas antelucanas, tertiam pomeridianam, dum à ſe compoſita ſummo mane opera cum regiis cantoribus experiretur. Idem improbantibus nonnullis id ejus adeo nimium ſtudium, reſpondere ſolitus: *Si eo temporis, ut cæteri Reges, immò nobiles, & populares, placidò ſomno indulgerem, nemo certè meritò me reprehenderet; cur igitur mihi reliquum ex integro tempus publicis negotiis impendenti eſſe plus nimio vigilantem vitio, non laudi tribuendum?* In eo quidem Rex religioſiſſimus ſuo jure laudandus, qui ex tam multis muſicis compoſitionibus, quæ in ſummo apud eruditos pretio habentur, ne unam quidem ad profanos, univerſas ad Eccleſiaſticos, & Divinos uſus contulerit. Admiranda etiam ſumma ejuſdem animi conſtantia, cui nec immenſa negotiorum moles, nec hoſtilium undique armorum circumſonans fragor horribilis, neque tandem crebrò intentata Illius capiti pericula obſtare valuere, quominus id quotidianum voluptuoſæ muſices otium placidiſſimè ageret; quaſi ſumma pacis tranquillitate frueretur, eaque ratione adeo proximos ſibi, & potentiſſimos alioqui hoſtes facillimè à ſe, non tam præliando, quàm modulando, vinci poſſe mirabili fiducia profiteretur. At multò Ille admiratione digniorem Filium Theodoſium prædicabat, quem in ſua etiam ſcientia, qua cæteris mortalibus anteire credebatur,

tur,

tur, ſibi non modò æqualem, ſed ſuperiorem ingenuè fateri compulſus eſt. In cæteris Scientiis eximium Illum venerabatur, at Muſicæ omnino expertem credebat, nativo tantùm genio ad illam, ut ad cæteras, præpollentem: verùm cùm aliquando nonnullas ei muſicas quæſtiones, aut experiendi, aut ſciendi ergo proponeret Theodoſius, & inter loquendum ea de re difficultates maximas, quas nulli mortalium ſatis perſpectas exiſtimabat, facilè dilucidaret, miratus Rex *Mirabilis quidem* (inquit) *eſt iſte Adoleſcens, cui Scientiarum nihil impervium, omnia etiam occultiſſima luce meridiana ſunt clariora.* Neque verò minùs evidens eſſe debet, ac omnibus exploratum, planè hallucinatum,
Hic §.120. ac vehementer erraſſe præclarum alioqui virum illum, de quo diximus, Muſicæ honeſta oblectamenta Theodoſio exprobraſſe; niſi fortè nimium ejus ſtudium voluit improbare, juſtæque relaxationi modum ea exprobratione imponere. Parcat, quæſo, utcunque familiariſſimus quidem mihi vir, Scriptorique amico indulgeat veritatem amicitiæ præhabenti.

125 Non dubito poſſe pro ſua opinione plurima eruditum virum allegare, mihique objicere ex iiſdem fontibus promanantia paſſim argumenta; ac in primis ex citato à nobis Petrarcha: Nam eo ibidem referente, licèt Sanctus Ambroſius pietatis appetens, ut caneretur, inſtituerit; Sanctiſſimum è contra Athanaſium interdixiſſe conſtat: Auguſtinum verò utrunque ſe paſſum, & difficile hinc ſibi negotium dubietatis exortum inter confeſſiones ſuas piè meminiſſe. Alcibiadem deinde ab avunculo Pericle tibiæ ſtudio traditum apud Græcos honeſtiſſimo, ut inter liberales artes hanc quoque condiſceret: ſed verecundum pueri laudandum potiùs ingenium, qui cùm ab inſigni tibicine ad id ipſum accito oblatas ſibi tibias ori applicuiſſet, & collecto ſpiritu genas inflaſſet, animadverſa deformitate vultus erubuit, atque abjectas tibias fregit. Occupavit quidem olim aliquorum Principum, at peſſimorum maximè, animos muſicæ ſtudium; Cajus quippè cantandi ſtudioſiſſimus, ſaltandique fuit: Nero quantùm citharæ deditus fuerit, & quantam curam vocis habuerit, incredibile dictu eſt. Id enim ſtultum eſt, atque ridiculum, quòd nocte illa, quæ ſibi vitæ ultima, mundo autem reſpirandi vel modicùm prima fuit, inter querelas, quas vicina mors, & præſens metus, dolorque dictabant, illud crebriùs, atque miſerabiliùs deflevit; non quòd tantus Princeps, ſed quòd tantus muſicus periret. Ejus potiùs Magiſtri Seneſcæ vox attentè audienda: *Doces me* (inquit) *quomodo inter ſe acutæ, ac graves voces conſonent; quomodo nervorum diſparem reddentium ſonum fiat concordia. Fac potiùs, quomodo animus ſecum meus conſonet, nec conſilia mea diſcrepent. Monſtras mihi, qui ſint modi flebiles; monſtra potiùs, quomodo inter adverſa flebilem non emittam vocem.* Audiendi etiam ſunt Antiſthenes, & Ateas viri clariſſimi; Antiſthenes quibuſdam admirantibus Iſmeniam, quòd eſſet inſignis tibicen: *Nequam* (inquit) *hominem eſſe oportet; nam ſi bonæ frugis eſſet, non eſſet egregius tibicen.* Judicabat non poſſe bonos viros evadere, qui tantum operæ ejuſmodi artibus impenderent. Ateas verò cum Iſmeniam tibicinem optimum in bello cepiſſet, juſſit illum canere, ac cæteris admirantibus ipſe juravit per ventum acinacem, ſibi jucundius eſſe audire hinnitum equi.

Senec. ep. 88.

126 Ariſtoteles quoque à nobis citatus, aliquando rogatus, quid de muſica ſentiret? Reſpondit: *Iovem neque canere, neque citharam pulſare.* Senſit nimirum hoc ſtudium parum utile hominibus eſſe, quo Dii non etiam delectentur. Quid Demaratus, & Archidamus? Demaratus quidem, cùm audiret can-

cantorem quendam oſtentantem artem ſuam; nihil aliud laudis illi attribuit, tantùm ait: *Mihi videtur non malè nugari.* Tantus erat contemptus artium, quæ licèt eſſent operoſæ, tamen ſolùmmodo delenirent aures, nullam ſeriam utilitatem afferrent reipublicæ. Archidamus, cùm quidam prædicaret citharœdum, ejusque in canendo facultatem admiraretur: *Heus* (inquit) *vir optime, quid honoris, ac præmii abs te ferent boni viri, cùm tantoperè prædices citharœdum?* Rectè taxavit non vulgi modò, verùm et Principum præpoſtera judicia, qui plerunque pluris faciunt mimum, aut morionem, quàm ſapientem, fidique conſilii virum: citharœdum verò, cujus ars non reipublicæ, ſed utilitati ſervit, adeo non judicavit prædicandum, ut nec inter bonos viros habendum duceret. Tandem Gelon in convivio cùm lyra circumferretur, cæterique ordine canerent (nam id apud Græcos honeſtum habebatur) equum juſſit adduci in convivium; facilèque, ac leviter in illum inſiliit, ſignificans hoc eſſe regalius, quàm lyra canere. Hiſce tamen, & ſimilibus, quæ pro contraria ſententia pluribus adduci poſſent, facilè ſatisfaciet, quiſquis verè dicat, à clariſſimis hiſce viris, etſi durioris genii, at minimè amuſis, non damnari quidem muſices uſum, ſed abuſum; eorum ſcilicet, qui ſpretis utilioribus ſcientiis, aut exercitiis, totos ſe delicioſæ muſicæ devovent. Eam ſcitè quidam appellavit egregium ſtudiorum condimentum; verùm, ut in aliis, ita hîc quoque à nonnullis aliquando peccatur, qui hujuſmodi illecebris plus nimio capiuntur: horum meritò præpoſtera damnanda ſententia, incuſandumque abſurdum genium, non minùs, quàm illorum, qui ſalutaribus contemptis epulis, ſolis obſoniis, & epularum condimentis indulgent. Longè aliter Theodoſius, qui Scientiarum ſtudio, aliiſque utilibus exercitationibus penitus addictus, ſobriè, moderatèque muſica, & ſimilibus quaſi condimentis, non quaſi epulis utebatur. Illum provectiori jam ætate honeſtis, at utilioribus ludis ſeriò intentum proſequamur.

CAPUT XII.

Commemorantur ſolidiora, etſi ludicra, oblectamenta, quibus Princeps Theodoſius jam adoleſcens ſtudioſiùs vacaverit.

A Gelone convivante nuper audivimus multò eſſe regalius, Principique honeſtius equos, quàm muſica inſtrumenta, tractare; quare hiſce interim ſilentibus, ad equeſtria munia cæteros Principes albis (ut aiunt) equis Theodoſium præcedentem aliquantiſper, etſi pedeſtri ſtylo, ſubſequemur. Generoſum, nobile, ac planè regium eſt equitandi munus, univerſis vulgò Regibus, Principibus, & nobilibus familiare, at Luſitanis in primis peculiare; ſive inſita glorioſæ Genti generoſitate ad id maximè propendente, ſeu nobilium equorum feraciſſima Luſitana regione totius Europæ optimos equos ſuis indigenis ſubminiſtrante. Hinc ad fluviales Anæ, Mundæ, Tagique maximè ripas, ac per univerſam Tranſtaganam longè ubertimam Provinciam paſſim nati equi, ea præditi velocitate, ut eos Favonii afflatu con-

Plin. lib. 8. c. 42. n. 40 ceptos perniciſſimo curſu ventos prævertere major Plinius aut pro certo habuerit, aut certè prodiderit. Præcipuus eorum in bello uſus, ubi expediti, aut cataphracti bellicoſæ Gentis Martiam virtutem ex æquo ferocientes ipſi vel æmulantur; vel accendunt. Ad omnia pacis oblectamenta iidem non minùs habiles; ſive in ampliſſimo circo præferoces juvet agitare tauros; ſive Trojam ludere, aut haſtiludium committere; ſive concitato curſu certatim contendere, aut appenſo annulo argenteo haſtam immittere; ſive tandem eoſdem malis contractis, aut demiſſis ſtapedibus ad quælibet alia equeſtrium ludorum genera Luſitanis uſitatiſſima; vel laxis habenis impellere, vel reductis circumagere. Quàm citò cœperit Theodoſius hac nobiliſſima equitandi arte delectari vidimus ſupra, cùm quadriennio nondum expleto, ad Illum per publicas obequitantem plateas, & prima erupturi tumultus initia ſupprimentem univerſa confluxit admirabunda Villaviſſoſa. Exinde à primo felici exitu concepta (ut vulgò fit) inſolita voluptate, nihil Ipſi erat jucundius, quoties occaſio excundi ſe daret, quàm equitem numeris omnibus (ut illa ferebat ætas) abſolutum exhibere. Equitandi Magiſtrum nactus eſt Antonium Galvanum adhuc ſuperſtitem Regii equitatus Præfectum minorem, at equeſtri peritia in paucis magnum, omnibusque, quos noſtra vidit ætas ea in arte præſtantes, æquiparandum. Ab eodem id mihi, & multò plura referente ubi ſatis inſtructus ſibi viſus eſt, Scientiarum vehementiori ſtudio aliorſum abreptus cœpit remiſſiùs, quàm eximius optaret Magiſter, equitatum exercere; minorem (ut ſolet) flammam majori novi excitati ignis incendio aut penitus extinguente, aut ſaltem ad tempus obruente: quorum extremum accidit Theodoſio, quem puerum libri ab equeſtri exercitio aliquandiu revocarunt, jam adoleſcentem ad eam artem ſtudioſiùs addiſcendam longè majori, quàm antea, contentione revocarunt; cùm enim ex Hiſtoricis, politicisque Authoribus edoceretur, quanti ſit à magno Principe facienda equeſtris ars, & quàm illi tam belli, quàm domi omnino neceſſaria, cœpit urgentem ſe hactenus Magiſtrum vehementior Ipſe urgere, ut ſe omnimodis, quorum adhùc expers, aut oblitus eſſet, documentis inſtrueret, abſolutiſſiméque perfectum redderet. Id facilè aſſequutus eſt, Magiſtro ſedulam induſtriam in docendo, Principe ſeduliorem ſolicitudinem tum in addiſcendis, tum in exercendis iis præceptis apud Alcantaram, multiplici equeſtrium ludorum genere frequenter edito, certatim collocantibus: eorum unum, ex quo cæteri poſſint dignoſci, commodiùs infra ſuo loco dabimus.

Hoc lib. 4. 35. — Lib. 3. 4. 56.

128 Auctis deinde cum provectiore indies ætate viribus, Gladiatoriæ arti ſtrenuam operam dedit. In ea perdiſcenda Magiſtrum habuit Didacum Gomeſium Figueyredo in Tranſtagano exercitu Tribunum legionarium, virum eximium, neque in ea tantùm, ſed in omni ſcientia militari, bellicæque virtutis editis paſſim monumentis inſignem. Eum adhuc Ulyſſipone agentem ſæpe audivi magnifica de Theodoſio prædicantem, maximèque de ſingulari peritia, ea in arte Principe digniſſima, brevi ab eodem adepta: *Cùm enim* (dicebat ille) *duo ſupra triginta ſint ejus artis univerſim præcepta, quorum vix ſeptem, aut octo, eaque notiora vulgò exercent, quicunque ſibi plurimum hac in parte tribuunt, Theodoſius tamen ita diſtinctè omnia non callebat modò, ſed in ſingulis exercitiis jam ſeriatim, jam permixtim, promptèque ſolitus exhibere, ut vel ſibi, cæteriſque, ad jucundum id ſpectaculum ſæpe accurrentibus ſumma foret admirationi.* Ex his frequen-

quentiſſimus unus fuit Author Theodoſii Tumuli, de quo ſupra in Prologo, Prol.§.15. cujus tanquam oculati teſtis diſerta verba, eximiam Principis peritiam tum in equeſtri, tum in arte gladiatoria explicantia, hîc proferre libet: *Quid* (inquit) *de gladiatoria arte commemorem, cujus numeros ita tenuit, ut omnes ictus; tum qui inferuntur, tum qui vitantur, in numerato haberet? Habitus corporis erectus, & celſus, artus habiles, & nexi, brachia libera, & conſtantia, manus faciles, ac certa ſtrenuiſſimum juxta, & peritiſſimum fore monſtrabant. Ludi Magiſtro admirationi erat, qui videbat ab eo multa infligi, & averti, declinarique vulnera, quorum ipſe vix dum poſt annorum multorum curricula rationes explicabat. Adjunxit, quæ germana eſt, equitandi peritiam, ad quam maximè ſe propenſum cognoverat. Ingenia primùm equorum inſpicere, noſſeque curavit, ut quantum, & quatenus iis utendum eſſet, ex ſingulorum natura exploratum haberet. Tum fræni, habenarumque, & calcarium uſum cognovit; ut laxare, ut premere, ut ſtringere, ut remittere, ut flectere, ut impellere, ut agitare, ut urgere, ut ſiſtere equum doceret. In primis domandi artifex fuit, quæ præcipua equitum laus, & difficilis provincia habetur. Vtramque rationem, & altiùs colligendi ſupra ilia equorum, & eo prolixiùs demittendi infra alvum crura, profeſſus eſt, ac in utraque excelluit. Nec magis erat in equitando validus, quàm pulcher; firmitatem cum venuſtate conjungebat. Equi ſumere animos, & velocitatem ex ſeſſoris dignitate videbantur. Ad pulverem ſe bellicum, aciemque iis exercitationibus comparabat. Alterum fatigarent, quæ illum acuebant. Mirabantur homines multiplex, & verſatile ingenium, quod tot, tamque diverſas artes tam brevi colligeret; & quibus alii obruuntur, Ille eas ſimul exerceret, ac exercendo reſpiraret. Qui unum ex his munus videret, ex præſtantia crederet illo tantùm præſtare; cùmque alia exercentem cerneret, in ſingulis eminere judicaret.* Tumul. Theodoſ. pag.68. & 69.

129 Non modò hiſce Regiis planè artibus libenter dabat operam Theodoſius, dum ab opere ceſſare oporteret, ſed magnopere optabat, ut eadem nobilibus eſſent in deliciis, ab earumque laudabili uſu legitimam perciperent voluptatem. Nobiles Idem, genuinoſque Luſitanos eſſe negabat, qui equitandi, vel gladiandi artes utiliſſimas, aut penitus neſcirent, aut negligentiùs haberent. Objicientibus longè minorem eſſe Ulyſſipone, quàm Pariſiis, Londini, Romæ, ac Madritti curruum numerum: *Vtinam* (inquit) *vel nullis, vel ſolis fœminis, ægrotis, aut depontanis ſenibus vehendis Vlyſſipone currus volverentur, cæteris omnino interdicendi; ne apud effæminatam nobilitatem virilis equitandi ars obſoleſceret, luxus, otium, & ignavia indies invaleſcerent.* Aliis iterum commendabiles leges extollentibus, quibus ſeverè apud aliquas Gentes gladios per urbes, & oppida portandi uſus cavetur, quibusque, ſi Luſitanis ſimiles inducerentur, frequentes apud nos rixæ, ac cædes devitarentur: *Ego verò* (inquit) *cum externarum Gentium morem legibus ſancitum, nec probare omnino, nec penitus improbare auſim; quid ſibi potiſſimùm expediat, optimè prudens quiſque norit: id quidem è re Luſitana fore inficior, cùm nobis aſſiduum contra Mauros, & barbaras nationes pro Fidei exaltatione bellum neceſſariò ſit gerendum. Inertes certè redderet, qui Luſitanos exarmaret. An aliis id ipſum accidat? Aut ipſi ab armis diſſueti, aut armati hoſtes, cùm bellum ingruerit, experientur: cædes, rixaſque ſatis erit juſtis pœnis, aut coercere, aut vindicare.* Validiſſimas præterea, quibus adulta jam ætate pollebat, vires exercere præcipuæ Theodoſio curæ fuit; hinc ad projiciendum prægrandem ferreum diſcum jucundiſſima Illi; frequenſque cum æqualibus, & magnarum virium adoleſcentibus concertatio; quem Illo nemo longiùs, aut expeditiùs jaculabatur. Hinc ad Trochi maximè pedeſtris ludum major Ip-

ſius, quàm ad ullum alium propenſio. Audierat noſtris apud ſuburbanas aliquando villas ruſticantibus ludum eum eſſe valde familiarem, utpote opportunum maximè, tum reficiendis viribus aſſidua ſtudiorum contentione fractis, tum affectæ valetudini moderato exercitio redintegrandæ ſaluberrimum. Idcirco eundem ſibi, ac ſuis quoque familiariſſimum deinceps eſſe voluit, juſſa illico in Regia Alcantaræ villa longè, lateque patenti ſterni area; mox affabre dolàtis quatuor oblongis haſtis, apto infernè, cavoque receptaculo excipiendis totidem prægrandibus ligneis globulis, per æneum circulum ad caput ſtratæ areæ defixum tranſmittendis. Illuc ſingulis ſemel hebdomadis relaxandi animi cauſa libens concedere, nonnullis è noſtratibus Magiſtris frequenter eò invitatis, & ad hujuſce ludi jucundiſſimum ſibi certamen provocatis: ibi non vires modò exercere, confirmareque, ad quod mirificè hujuſmodi virilis planè ludus conducit, ſed ſuperandis adverſariis totius artis, & induſtriæ nervos omnes intendere; propoſita interim lege (ne vel inter ludendum à feriæ pietatis laude ceſſaret) ut qui victi caderent, pro maximè indigentibus Purgatorii animabus certum Dominicæ Orationis, & Angelicæ Salutationis numerum de votè recitarent. Ei verò ludo non Ulyſſipone modò inter ſuburbanas Alcantaræ delicias genialiter deditum Theodoſium, ſed Elviis quoque inter Martialis Urbis propugnacula quaſi ad victoriarum laureas ſtrenuè prælu-

Hoc lib. §. 334. & 335. dentem, inferiùs iterum contemplabimur; ideo de illo id tantùm hîc proluſiſſe ſit ſatis.

130 Sed quoniam Alcantaram uſque Theodoſium ſumus proſequuti, quò à Sereniſſimo Parente in hebdomada ſemel deduci ſolitum diximus, ut Regio quidem venandi exercitio inſimul indulgerent; quàm ab illo alienum perpetuò animum geſſerit, hîc appoſitè adnotandum. Invitatus ſæpe, at non niſi ut Sereniſſimo Parenti obſequeretur, invitus ſemper eum ad venatum proſequebatur, innoxiis feris ſemper innoxius; neque unquam alicujus importunis precibus, aut ſuaſionibus adduci potuit, ut contra eas ibi paſſim errantes ſclopetum exploderet: cùm ex mitiſſimo genio ad bene faciendum univerſis impelleretur, nulli etiam brutorum animantium officere ingenuum quoque ducebat. Ideo quoties honeſto aliquo prætextu poſſet, ſe artificioſè à venatoribus ſubducere, aut alliorſum diſſimulanter deflectere: quà ejus indole frequentibus demum experimentis explorata jam à nemine ad ingratam ſibi oblectationem ſolicitatus, voluptuſioribus indulgere liberè permittebatur. Certè quàm ab eo venationis munere abhorreret, non poteſt meliùs, quàm Ipſius verbis ex quadam Latina epiſtola, quam è Salvaterra dedit ad ſuum Confeſſarium, explicari; ubi ſic: *De me, quod ſcias, nihil novum eſt; nec jam dicta recitare juvat: verùm hoc accipe, me adeo delectari venatu, ut nullos feliciores putem dies, quàm quos imbres occupant, domique teneor, &c.* Illuc, ubi Regia per multorum milliarium circuitum ſe longè, lateque porrigit ſylva, omnigeni venatus feraciſſima, ſoliſque Luſitanis Regibus permiſſa, quotannis Rex Sereniſſimus, hyberno maximè tempore, ſe cum Principe conferebat, qui aliam ad eundem Confeſſarium exinde miſit Latinam epiſtolam ſatis familiarem, quam ex integro hîc placet inſerere, quòd in ea luculenter explicet quotidiana ſua, quibus dies, noctesque

tradu-

traduceret, exercitia: eſt verò ejuſmodi, nullo detracto, immutato, additove verbo.

131 *Mi Epiſcope chariſſime. Legi iterum, & centies perlegam epiſtolium tuum, ut vel ſic levaretur animus, dum avidè expetit à te amoris pignora (literas inquam) multiplicari; cùm verò, quanam ſtudia mihi inprimis voluptati ſint? modò quæris, unico poſſim reſpondere verbò. Illud nempe mihi volupe magis eſt acerrimis deſideriis ſolvi. Quòd ſi de conſequentibus voluptatibus rogas; accipies me hora ferè nona antemeridiana lectum relinquere, indutumque, ſacro peracto, & cibo ſumpto, rus inire, ubi permutatis diebus ſpumantes apros haſta configere, lepores canes perſequi video. Hodie autem aper quidam ſylvam exiliens erecta cauda, & ab altera ſylvæ plaga à venatoribus perſequutus ad me, qui cum aliquibus, uti ego, inermibus (non enim nobis conceditur haſta) eram, & medius nobis præteriit irato curſu, ita ut plerique putarint equum meum dente percuſſum fuiſſe; & ſemper ferè juxta me accedunt apri, cùm haſtis careamus, quod quidem jucundum eſt. Ego verò haſtatos fugio; nam ità malè explicant, vel potiùs ita cacutiunt, ut his diebus apri vice galerulas (vulgò carapuſſas) & chirotecas mucrone figerent: en venatores noſtros! Hora quarta pomeridiana domum redeo, & cum paucis familiaribus, ſcilicet ſecretè, ad exercendum corpus eo deambulatione, & curſu. Noctem autem literis do, Thuani hiſtoriam, Pliniumve legens, aliquidve ſcribens, prout occurrit. Hac quæſtioni tuæ dixiſſe ſat puto literis; velit enim id potiùs coram exponere, qui maxima tibi bona imprecatur, Tuus Doſitheus Salvaterra Ianuarii 12. nocte 1651.* En familiarem magni Principis epiſtolam ſatis ipſius genium à venandi ſtudio alienum, & literariis ſtudiis deditum, explicantem. In qua tamen obſervandum, data opera ſileri à modeſtiſſimo Principe matutinas illas, & nocturnas horas, quas orationi, aliiſque quotidianis precibus ab eo ſolitas impendi ſuo loco infra dicemus. Notandum pariter ſub Doſithei anagrammate Theodoſii nomen ab eo ſolitum occultari. Lib. 3. c. 14

132 Neque minùs Ille ab aliis oblectamentis, etſi nonnullis Principibus, & nobilibus valde familiaribus, quàm à venatione abludebat: eorum nomina, & cauſæ, nequid de tanto Principe omnia ſciendi cupidos lateat, evulganda. A pilæ publico luſu; etſi optimo, maximèque ad membrorum agilitatem opportuno abſtinebat; privatim, ſed raro cum familiariſſimis nonnullis illi ad eum maximè finem moderatè indulgebat; nempe ne in plurimorum conſpectu motus aliquot incompoſitos, Principis gravitatem minimè decentes, quos is ludus exigit, edere cogeretur. Alearum ludum, cæteroſque, quibus per latrunculos res agitur, ſolis otioſis fæminis, ne minùs utili otio fortè diffluerent, permittendos, viris indignos judicabat; tum quia in illis plus fortuna minoris facienda, minùs ingenium unicè excolendum valeat; tum quia in iiſdem triplicis pretioſiſſimæ margaritæ certa plerunque fiat jactura, nimirum pecuniæ, temporis, & conſcientiæ. Suaſerat Illi Magiſter (ne id quoque prætermittamus) què eum à nimio literarum ſtudio avocaret, ludum quendam ſuis Patritiis familiarem (vulgò dicimus *Occa*) ex eo, etſi nullam perciperet voluptatem, tamen ut ſuadentis Magiſtri voluptati obſequeretur, cum haud multò poſt utilioribus, ac dignioribus mutatum aliquandiu uſurpavit. In hiſce verò, ac ſimilibus ludis sociis, quibus colluderet, placidiſſimum ſe, ac facillimum exhibebat, potio-

potiorique illos, quàm ſe oblectandi habita ratione; finitis verò ludricis exercitamentis, & ad ſeria converſus depoſitam pauliſper inſitam ſibi gravitatem ita induebat, ut alius ab eo, qui ſe modò præbuerat, mirantibus iiſdem ſociis videretur. Idem ad extremum quadam die, provectiorique jam ætate poſt liberiorem ſolito animi relaxationem, ita cubicularios ſuos, ac domeſticos, eorum uno id mihi referente, dicitur alloquutus: *Hactenus ætati quod ſuum erat indulſimus; jam deinceps rebus, annisque aliud exigentibus paulò majora canamus pariter, & agamus.* Ex quo ad ſolidiora politici, militariſque regiminis cùm addiſcendi, tum exercendi traductus, non minùs in minimis ludendo, quàm maxima, utiliaque ſectando, maximum, ſeriumque Principem ſe omnibus præbuit æmulandum.

133 Curioſè, fateor, quæſivi à Joanne Nonio à Cunia, de quo in Prologo, Prol.§.18. quænam fuerint Principis Theodoſii, quibus potiſſimùm delectaretur, oblectationes? Is rerum Principis omnium maximè conſcius inter alia ita mihi de ipſo quærenti reſpondit: *Præcipua Principis oblectatio Deus unicus ſolidarum oblectationum, & deliciarum irriguus fons; poſt Deum libri, à quibus neque inter maximas oblectationes unquam ceſſavit.* Quàm verè utrunque ab eodem, aliiſque didici, ac dicendi finem nunquam faciam. Et quidem de ipſius Divinis deliciis pene totus erit noſter liber tertius; idque attentè illum perlegenti ſatis innoteſcet. Ibi præter certa mentali, ac vocali orationi à ſe deſtinata tempora, non ſemel eum à publicis oblectamentis ad privatas devotiones ob- Lib.3.c.14 eundas furtivè ſe ſubducentem deprehendemus. Jam verò de incredibili ejuſdem ad libros affectione, præter ea, quorum jam hoc libro ſæpe meminimus, paſſimque deinde mentionem faciemus, maximèque in ſecundi libri Lib.2.c.2. & 3. ſecundo, & tertio capitibus, nonnulla hîc obiter ad confirmandum illuſtriſſimi Viri, maximi faciendum teſtimonium, ſunt à nobis commemoranda. Quoties Alcantaram cum Sereniſſimo Parente ruſticaturus adibat, nunquam ſine familiaribus, & manualibus libellis ſeceſſit, eorum præ cæteris jucundiſſima ſibi lectione, quaſi ſapidiſſimo condimento contractum ex aliis inſipidis ſibi oblectamentis faſtidium levaturus, vel languentem orexim excitaturus. Ibi vel ſub hoſpitali arbore patulis diffuſa ramis, quarum frequens, & confertiſſimum eo loci umbraculum gratiſſimam præbet ſpatiantibus umbram, vel ad ſalientis è cryſtallino fonte aquæ levem ſuſurrum, vel ad ampliſſimi lacus mare tranquillum referentis margines, vel tandem intra editæ rupis nativos, artificioſoſque ſpecus, cum aliquo fido Achate, aut cum plurimis ejuſdem genii per otium conſidere; modòque libelli alicujus paginas recitare, modò difficiles, implicitoſque nodos explicando diſſolvere; nunc è re nata curioſas excitare quæſtiones pariter, & expedire, nunc variis de re literaria, & politica tam humana, quàm cœleſti ſermonibus inexplebilem ſciendi animum, ut ut liceret, explere. Tum verò ſiquis novi, & plauſibilis, aut eruditi argumenti librum eidem offerret (& ſæpe obtulere plurimos, cunctis ad exploratam eam Principis voluptatem hiſce nutrimentis fovendam certatim intentis) incredibile dictu, quanti faceret gratiſſimum ſibi munuſculum, quibuſque gratulabundi animi ſignificationibus largitorem compenſaret. Eandem Princeps literarii oblectamenti rationem perſequi ſolitus, non Alcantaræ modò, ſed Sintræ quoque, ac Salvaterræ, dum illuc per æſtatem, iſthuc per hyemem declinaret.

134 Exinde non contentus omnigenis legendis libris tempus voluptuosè

collocare, frequentibus literis Latino idiomate ſcriptis eruditos viros ſollicitabat, vel ſtyli exercendi, vel exquiſitioris eruditionis comparandæ cauſa; ex prima ejus ad ſuum Confeſſarium epiſtola licèt id manifeſtè conſtet, non ingratum legenti erit aliam ad eundem hîc attexere, qua manifeſtiùs adhuc id, cui inſiſtimus, argumentum convincatur; plures, quas apud me habeo in ſummo quidem pretio habendas, Ipſius propria manu exaratas, poſſem proferre, ſed eas alibi ſpondeo aptiùs à me ſuggerendas: utinam plures, quas ad plurimos alios ſcripſiſſe certum eſt, ad manum haberem; nullius certè ingrata præteritione communem expectationem omnium fraudarem, qui meritò malint Theodoſium ex ſe ipſo, quàm ex me ſibi penitus eſſe perſpectum. Sic habet ſecunda ejus epiſtola intimi amoris, ingenii, eruditionis, & ad omnem ſcientiam raræ affectionis index: *Mi Epiſcope chariſſime. Vnum hîc mihi ſupereſt levamen, quòd quidem frequenter tecum alloquar literis; non hercle hoc ſpernendum duxerim cupidine tuæ præſentiæ futuræ, ni præterita urgerent deſideria: modò tamen, ut id, quo potiri opto, ſaltem ſimulare putem (quod ad invicem non rarò fiebat) conſcientiam detego meam. Iam bis in ſomniis me Lixbonæ vidi, & commorans per biduum, te autem, quem quæſieram, non inveni; omen poſt dolui: ſed quid, inquam, ego dolebam? Opponitur vigiliæ ſomnus, præſentiæ abſentia; ſomniem abſentem te, vigilante mecum eris. Hîc propè otium me tenet (utinam, mutata ſyllaba, ocyus ad te ire liceret) à te remedio eſſe velis expoſcere liceat. Scias verò oportebit Thuanum obſcurum, & prolixum eſſe; de Plinio rara ſunt digna, quæ jam non legerim. Argenidem ad diſceptationem cum Aſtrologo legi, nec libet relegere; inde autem progredi non poſſum, quia non ita prædictarum rerum memini. Secretorum liber lectori nil præſtat, ſi ipſis non exerceatur; hîc autem hoc fieri nequit. Ius Canonicum importunum eſt. Rebus Aſtrologicis nimiam contemplationem impendi oportet; hîc difficile. Hæc tibi ob oculos poſuiſſe non inutile erit, quò reddere queas otio medicinam: tibi ſe commendat Tuus Doſithens. Salvaterra Ianuarii 21. mane 1651.*

135 Hæreo quid potiùs venerabundus admirer, epiſtolarisne ſtyli elegantem, propriamque brevitatem, an potiùs erga eruditum, ac ſapientem Virum ſummi amoris adeo ingenioſè propalata indicia, ſeu veriùs ardentiſſimi affectus erumpentes flammas? An tandem multiplicis eruditionis ex hiſtoria tum Univerſali, tum Naturali, ex Fabulis, ex Secretis, ex Jure Canonico, ex Theologia divitem ſupellectilem à ruſticante, genioque indulgente Principe non collectam modò capaci judicio, ſed luculenter Laconica epiſtola explicatam? Dolendum hîc haud mediocriter poſt ſedulam ſcrutationem non potuiſſe à me reperiri, vel unam tantùm è tam multis epiſtolam ipſius Confeſſarii ad ſuum ſibi dilectiſſimum Principem, ex cujus appoſito ingenioſo, prudenti, eruditoque tranſumpto poſſet conjici, quàm meritò in tantum Virum maximus Princeps maximi faciendum amorem impenderet. Magna quidem ſunt hæc maximi omnino Principis, & mirabilis erga ſapientiam, ac ſapientes affectionis argumenta; ſed non inferioris notæ, quod ad hujuſce capituli ſupremam clauſulam ſuperaddo.

136 Eum, quo ardenter flagrabat, librorum, & ſapientiæ amorem in omnium, maximèque nobilium animis omni ratione accendere ſatagebat. Hinc frequentibus apud illos ſermonibus uſurpatæ ſapientiæ laudes, præſtrictaque imperitiæ probra, quò ad illam afficerentur, ab hac penitus abhorrent. Hinc eiſdem ſæpius indicare, quanti olim apud ſummos Imperatores, Reges, ac Principes haberentur Sapientes, & (quod caput erat) quanti à ſe præ cæteris

 habendi

potiorique illos, quàm ſe oblectandi habita ratione; finitis verò ludricis exercitamentis, & ad ſeria converſus depoſitam pauliſper inſitam ſibi gravitatem ita induebat, ut alius ab eo, qui ſe modò præbuerat, mirantibus iiſdem ſociis videretur. Idem ad extremum quadam die, provectiorique jam ætate poſt liberiorem ſolito animi relaxationem, ita cubicularios ſuos, ac domeſticos, eorum uno id mihi referente, dicitur alloquutus: *Hactenus ætati quod ſuum erat indulſimus; jam deinceps rebus, annisque aliud exigentibus paulò majora canamus pariter, & agamus.* Ex quo ad ſolidiora politici, militariſque regiminis cùm addiſcendi, tum exercendi traductus, non minùs in minimis ludendo, quàm maxima, utiliaque ſectando, maximum, ſeriumque Principem ſe omnibus præbuit æmulandum.

133 Curioſè, fateor, quæſivi à Joanne Nonio à Cunia, de quo in Prologo,
Prol.§.18. quænam fuerint Principis Theodoſii, quibus potiſſimùm delectaretur, oblectationes? Is rerum Principis omnium maximè conſcius inter alia ita mihi de ipſo quærenti reſpondit: *Præcipua Principis oblectatio Deus unicus ſolidarum oblectationum, & deliciarum irriguus fons; poſt Deum libri, à quibus neque inter maximas oblectationes unquam ceſſavit.* Quàm verè utrunque ab eodem, aliiſque didici, ac dicendi finem nunquam faciam. Et quidem de ipſius Divinis deliciis pene totus erit noſter liber tertius; idque attentè illum perlegenti ſatis innoteſcet. Ibi præter certa mentali, ac vocali orationi à ſe deſtinata tempora, non ſemel eum à publicis oblectamentis ad privatas devotiones ob-
Lib.3.c.14 eundas furtivè ſe ſubducentem deprehendemus. Jam verò de incredibili ejuſdem ad libros affectione, præter ea, quorum jam hoc libro ſæpe meminimus, paſſimque deinde mentionem faciemus, maximèque in ſecundi libri
Lib.2.c.2. & 3. ſecundo, & tertio capitibus, nonnulla hìc obiter ad confirmandum illuſtriſſimi Viri, maximi faciendum teſtimonium, ſunt à nobis commemoranda. Quoties Alcantaram cum Sereniſſimo Parente ruſticaturus adibat, nunquam ſine familiaribus, & manualibus libellis ſeceſſit, eorum præ cæteris jucundiſſima ſibi lectione, quaſi ſapidiſſimo condimento contractum ex aliis inſipidis ſibi oblectamentis faſtidium levaturus, vel languentem orexim excitaturus. Ibi vel ſub hoſpitali arbore patulis diffuſa ramis, quarum frequens, & confertiſſimum eo loci umbraculum gratiſſimam præbet ſpatiantibus umbram, vel ad ſalientis è cryſtallino fonte aquæ levem ſuſurrum, vel ad ampliſſimi lacus mare tranquillum referentis margines, vel tandem intra editæ rupis nativos, artificioſoſque ſpecus, cum aliquo fido Achate, aut cum plurimis ejuſdem genii per otium conſidere; modòque libelli alicujus paginas recitare, modò difficiles, implicitoſque nodos explicando diſſolvere; nunc è re nata curioſas excitare quæſtiones pariter, & expedire, nunc variis de re literaria, & politica tam humana, quàm cœleſti ſermonibus inexplebilem ſciendi animum, ut ut liceret, explere. Tum verò ſiquis novi, & plauſibilis, aut eruditi argumenti librum eidem offerret (& ſæpe obtulere plurimos, cunctis ad exploratam eam Principis voluptatem hiſce nutrimentis fovendam certatim intentis) incredibile dictu, quanti faceret gratiſſimum ſibi munuſculum, quibusque gratulabundi animi ſignificationibus largitorem compenſaret. Eandem Princeps literarii oblectamenti rationem perſequi ſolitus, non Alcantaræ modò, ſed Sintræ quoque, ac Salvaterræ, dum illuc per æſtatem, iſthuc per hyemem declinaret.

134 Exinde non contentus omnigenis legendis libris tempus voluptuoſè

collo-

collocare, frequentibus literis Latino idiomate ſcriptis eruditos viros ſollicitabat, vel ſtyli exercendi, vel exquiſitioris eruditionis comparandæ cauſa; ex prima ejus ad ſuum Confeſſarium epiſtola licèt id manifeſtè conſtet, non ingratum legenti erit aliam ad eundem hîc attexere, qua manifeſtiùs adhuc id, cui inſiſtimus, argumentum convincatur; plures, quas apud me habeo in ſummo quidem pretio habendas, Ipſius propria manu exaratas, poſſem proferre, ſed eas alibi ſpondeo aptiùs à me ſuggerendas: utinam plures, quas ad plurimos alios ſcripſiſſe certum eſt, ad manum haberem; nullius certè ingrata præteritione communem expectationem omnium fraudarem, qui meritò malint Theodoſium ex ſe ipſo, quàm ex me ſibi penitus eſſe perſpectum. Sic habet ſecunda ejus epiſtola intimi amoris, ingenii, eruditionis, & ad omnem ſcientiam raræ affectionis index: *Mi Epiſcope chariſſime. Vnum hîc mihi ſupereſt levamen, quòd quidem frequenter tecum alloquar literis; non hercle hoc ſpernendum duxerim cupidine tuæ præſentiæ futuræ, ni præterita urgerent deſideria: modò tamen, ut id, quo potiri opto, ſaltem ſimulare putem (quod ad invicem non rarò fiebat) conſcientiam detego meam. Iam bis in ſomniis me Lixbonæ vidi, & commorans per biduum, te autem, quem quæſieram, non inveni; omen poſt dolui: ſed quid, inquam, ego dolebam? Opponitur vigiliæ ſomnus, præſentiæ abſentia; ſomniem abſentem te, vigilante mecum eris. Hîc propè otium me tenet (utinam, mutata ſyllaba, ocyus ad te ire liceret) à te remedio eſſe velis expoſcere liceat. Scias verò oportebit Thuanum obſcurum, & prolixum eſſe; de Plinio rara ſunt digna, quæ jam non legerim. Argenidem ad diſceptationem cum Aſtrologo legi, nec libet relegere; inde autem progredi non poſſum, quia non ita prædictarum rerum memini. Secretorum liber lectori nil præſtat, ſi ipſis non exerceatur; hîc autem hoc fieri nequit. Ius Canonicum importunum eſt. Rebus Aſtrologicis nimiam contemplationem impendi oportet; hîc difficile. Hæc tibi ob oculos poſuiſſe non inutile erit, quò reddere queas otio medicinam: tibi ſe commendat Tuus Doſitheus. Salvaterræ Ianuarii 21. mane 1651.*

135 Hæreo quid potiùs venerabundus admirer, epiſtolariſne ſtyli elegantem, propriamque brevitatem, an potiùs erga eruditum, ac ſapientem Virum ſummi amoris adeo ingenioſè propalata indicia, ſeu veriùs ardentiſſimi affectus erumpentes flammas? An tandem multiplicis eruditionis ex hiſtoria tum Univerſali, tum Naturali, ex Fabulis, ex Secretis, ex Jure Canonico, ex Theologia divitem ſupellectilem à ruſticante, genioque indulgente Principe non collectam modò capaci judicio, ſed luculenter Laconica epiſtola explicatam? Dolendum hîc haud mediocriter poſt ſedulam ſcrutationem non potuiſſe à me reperiri, vel unam tantùm è tam multis epiſtolam ipſius Confeſſarii ad ſuum ſibi dilectiſſimum Principem, ex cujus appoſito ingenioſo, prudenti, eruditoque tranſumpto poſſet conjici, quàm meritò in tantum Virum maximus Princeps maximi faciendum amorem impenderet. Magna quidem ſunt hæc maximi omnino Principis, & mirabilis erga ſapientiam, ac ſapientes affectionis argumenta; ſed non inferioris notæ, quod ad hujuſce capituli ſupremam clauſulam ſuperaddo.

136 Eum, quo ardenter flagrabat, librorum, & ſapientiæ amorem in omnium, maximèque nobilium animis omni ratione accendere ſatagebat. Hinc frequentibus apud illos ſermonibus uſurpatæ ſapientiæ laudes, præſtrictaque imperitiæ probra, quò ad illam afficerentur, ab hac penitus abhorrent. Hinc eiſdem ſæpius indicare, quanti olim apud ſummos Imperatores, Reges, ac Principes haberentur Sapientes, & (quod caput erat) quanti à ſe præ cæteris

 habendi

habendi forent; quippe qui judicaret indignos prorſus eſſe, qui ad publica reipublicæ admoverentur munia tum politica, tum militaria, quos ad minimum ſcientiæ ad munus qualecunque ritè obeundum neceſſariæ perfecta notitia ſibi non redderet commendabiles. Ad hæc, ipſa edocti experientia Principem, etſi univerſos indulgenter haberet, longè tamen indulgentiorem ſe præbere iis, quos in addiſcendis literis animadverteret ſeduliores, mirum, ad Principis colligendam gratiam, quàm ſe omnes Scientiarum ſtudio diligenter addicerent, quò ab eo impenſiùs diligerentur. Eorum ut foveret Princeps ardorem additis æmulationis ſtimulis, præter alia incitamenta, quoties ad prædictas voluptarias ſtationes, maximè Alcantaram diverteret, problemata inibi diſcutienda, vel recitandas declamationes, excogitatis plauſibilibus argumentis, viciſſim in nonnullos dividebat, qui pro virili eas, quas ſuſciperent, partes validiſſimis confirmatas rationibus tuerentur. Immò quò gratiores ſibi, aliiſque hujuſmodi literariæ velitationes acciderent, præmonebat nonnunquam, qui Materna, qui Caſtellana, qui Gallica, vel Italica lingua declamaret, multiplicis idiomatis peritia ea ratione obiter, at induſtriè, commendata; Magiſtri, ac Præſidis Latina lingua ſententiam perpetuò proferentis ſibi munere aſſumpto. Quantum voluptuoſæ utilitatis inde promanarit non eſt, cur expendam, cùm univerſi, qui tunc hiſce proluſionibus adfuere, palam experti ſint, nemoque non planè videat. Sed quia optabunt fortè aliqui, ut unius è multis argumenti exemplar hîc ſaltem exponam, vereorque, niſi fecerim, vitio id mihi detur, juvat in ſequenti capite celeberrimam dare quæſtionem, quæ multorum eo temporis torſit ingenia, quam tandem in Theodoſii Athenæo Tuſculano pro dignitate agitatam. Ipſe ingenioſè, verè, prudenterque definivit. Ex hac una promptum erit cæteras ſimiles conjectari; quarum tamen aliquot ſuis infra locis inſeremus.

CAPUT XIII.

Luſitaniſne, an Caſtellanis Montigienſis prælii victoria ſit adſcribenda? Militare problema Principe Theodoſio Præſide ventilatum.

136 Expugnatis à noſtro exercitu ſeptem, de quibus ſupra, oppidis,
Supra c.10 eo interim hyemante, brevis admodum ab armis quies ſubſequuta; quam mox abrupit novus à Catholico Rege pro Sancto Stephano ſuis copiis Præfectus Marchio Torrecluſa, metuendum inter Caſtellanos nomen, ac terrificum belli fulmen, donec Luſitanis laureis ipſius hebetata virtus evanido fragore ſæpè detonuit. Is à facilioribus ad majora, quæ agitabat, progreſſurus primum Martii tonitrus quaſi fulgur in Luſitanum Caſtellæ proximum oppidulum *Ongnela* exoneravit. Præerant ſub ſtrenuiſſimo Duce Paſchoale à Coſta viculi defenſioni præſidiarii milites omnino quinque ſupra viginti; eò immittit Torreclusa mille nongentos equites, ac mille pedites omni bellico apparatu ad invalidum exſcindendum vallum inſtructos,

Salgad. lib. 4. c. 22. Marin. Apol. milit.

primo,

primo, ut putabat, nocturno impetu oppidulo potituros. Et jam pene potirentur, cùm Aprilis die nona anni Chriſtiani 1644, incautis Luſitanis, antelucani hoſtes portæ irrepentes, eam admoto pylocaſtro facilè perfringerent, per latè patentem aditum irrupturi; niſi ſubito fragore à ſomno excitati præſidiarii, & mox oppidani cum obviis quibusque armis propè ſeminudi ad portam accurrerent, indubiam mortem, aut jam irrumpentibus hoſtibus illaturi, aut certiùs, animoſiùſque ab eiſdem illatam perpeſſuri. A noſtris prorſus imparatis, numeroque adeo exiguis contra tam multos hoſtes ita ſtrenuè per continentes ſeptem horas à quarta matutina ad undecimam uſque pugnatum eſt, ut illi ſuorum viginti amiſſis, captis ſex, plurimiſque bellicis inſtrumentis prope vallum relictis, deſperataque demum oppiduli expugnatione indecorè inde ad ſuos, re infecta, ſe concitatiori, quàm advenerant, curſu proripuerint. E noſtris (mirum dictu) duo tantùm cecidere, vulnerati quatuor; ex quibus una fuit virilis animi Fæmina, inter fortiſſimos viros meritò numeranda, quæ pilo arrepto ad propugnandum vallum cum præſidiariis furentis Pentheſileæ more advolavit; ubi pro virili decertans maximo fuit noſtris incitamento, ne ſuperandis hoſtibus ab animoſa Fæmina ſuperarentur; eadem Caſtellanis ingenti probro, dum vel ab imbelli ſexu per ſummum dedecus è tenui vallo ſe vident propulſatos. Luſitanam Leænam adverſo accepto vulnere animoſiorem, proprio madentem ſanguine, ideoque ad hoſtilem fundendum alacriorem nunquam oppidani ab obligandum ſaltem vulnus reducere valuere, certam generoſæ priùs animæ, quàm deſerti, & indefenſi à ſe valli, quandiu vita ſuperſtes eſſet, jacturam facere: nec ab eo vel tantisper divertit, donec terga ignominioſè dantes hoſtes animadvertit. Victrix io Luſitana Ouguellenſis Bellona! Sic eam poſteris appellandam dolenter indigitamus, cùm ejus proprium nomen nulla unquam è Luſitanis faſtis delendum oblivione, inter tumultus bellicos, adeo brevi, noſtris ad maxima gerenda, quàm ſcribenda intentioribus, interciderit. At non excidit Sereniſſimo Regi adeo inſignis virtutis bellicæ monumenta remunerari; ſtrenuiſſimo Duce illuſtris Commendæ redditibus nobilitato, ejus militibus duplicato ſtipendio militari auctis, oppidulo privilegiis maximi faciendis amplificato; propoſito denique cæteris Regni oppidis, & urbibus eo memorabili ad ſimilem defenſionem, ac præmiorum aſſequutionem exemplo.

137 Interim Albuquercius jam Tranſtaganis armis à Sereniſſimo Rege Præfectus, ob rem in ſuperioribus oppidorum expugnationibus præclarè geſtam, ne hoſtilis audaciæ licèt irriti conatus inulti penitus forent, plurium oppidorum magni apud hoſtes nominis expugnatione, ac incendio unius oppiduli tentatam oppugnationem expiavit. Primùm omnium per ſtrenuiſſimos Legatos oppida *Membrilho*, *Solorino*, & *Villanova de Barcarrota* militum prædæ, incendio, & ruinæ ſubjecit; miſerandam ſuorum cladem apud Barcarrotam ex proximo colle inſpectante, nec opitulari audente D. Franciſco Vallaſco Legato hoſtilis equitatus, qui cum quingentis equitibus ex oppido ampliſſimo exceſſit, príuſquam à noſtris validiſſima facta impreſſione, evictis munimentorum obicibus exſcinderetur. Mox collecta ſex mille peditum, ac centum ſupra mille equitum manu ad evertendum oppidum *Montijo* paulò ante à Legato tentatum, & expugnatum, at non penitus everſum, ipſemet progreſſus eſt. Unum è præcipuis Provinciæ oppidum id habebatur, octingentis

Salg. ibid. c.22. & 24.

gentis incolis frequens, divitiis, ac ſuburbanis deliciis abundans, munimentis, quatuorque inſuper cohortium, & duplicis turmæ præſidio ſatis tutum. Huc direptis, & incenſis priùs parvo impendio duobus obviis oppidis *Villar d'Elrei*, & *Maſſanete* noſtri applicuere. Strenuè primùm, at non diu obſeſſi reſtitere, brevique facta deditione, aliò commigrarunt, pauca è multis rerum ſuarum ſecum aſportantes, ſolatia damni exigua ingentis; cætera victoris militis opulentæ prædæ ſuperfuere: mox in vacuas incolis, ac divitiis domos ferro, igneque ſævitum; ab immis fundamentis diruta munimenta; producta demum ad proximum oppidum *Povoa* bellici furoris flamma, quod ſimile comprehendit incendium, plurimo tum noſtrorum, tum hoſtium haud multò poſt effuſo ſanguine reſtinguendum. Enim verò ex miſeranda tot nobilium oppidorum ſtrage, totiesque repetitis ſuorum lamentis graviter commotus Marchio Torrecluſa, idem conceptæ de ſe à Rege Catholico expectationi facturus ſatis, ſimulque recenti, & acerbiſſimo ſuorum dolori levamen aliquale in tempore adhibiturus, coactum per eos dies partim ex veteranis præſidiariis, partim ex ſelectis oppidanis auxiliaribus exercitum, in quo numerabantur ſex mille pedites, quingenti ſupra duo mille ſtrenuiſſimi equites, Baroni Molingueno equitum Magiſtro exploratæ virtutis viro committit, ea conditione, ut non niſi profligatis inſolentis hoſtis copiis, ſumptaque de ipſius temeritate memorabili vindicta Pacem Auguſtam regrediatur: ibi ſubſiſtendum ſibi, ac incertam dubii Martis aleam opperiendam, è re publica, privataque ſatis prudenter judicavit, infra dignitatem Hiſpani Monarchæ fortè reputans, quòd illius armorum Præfectus maximus minimum exercitum in aciem educeret, vel cum minori hoſte confligeret, vel propriam ſalutem, ex qua publica penderet, in ſummum diſcrimen, prout ſunt varii eventus belli, temerè objiceret. Jam verò, quàm impigrè ſui Imperatoris mandata inclytus Molinguenus executioni mandaverit, qua ratione à noſtris primo, ac ſupremo congreſſu fuerit exceptus; quis demum hujuſce primi campeſtris prælii, poſt aſſertam Luſitanam libertatem inter duas totius Europæ ſtrenuiſſimas nationes commiſſi, memorandus extiterit exitus, à Theodoſii commilitonibus ingenii vires exerentibus, ac inter ſe validiſſimè apud Alcantaram concertantibus, tandemque ab ipſo Theodoſio indubiam ſententiam aſſerente, auſcultandum. Uni eorum injunxerat Princeps, ut laconicè, ſummaque fide memorabilis facti ſeriem recenſeret; ſecundo, ut ſepoſito interim omni patritio affectu Caſtellanum ageret, univerſaſque pro Caſtellana victoria facientes rationes inſita clariſſimæ Gentis eloquentia proſequeretur; tertio tandem, ut Luſitanis faventia rationum momenta ſeriò expenderet; ſententiam Ipſe pro agitatæ militaris cauſæ meritis ad extremum prolaturus.

Primus prælii tum initium, tum exitum ſic dicitur auſpicatus. Expugnato, & in cineres futuri mox incendii vomitrices redacto Montigio, victores Luſitani multiplici ex tot direptis, ac dirutis oppidis, proximiſque agris collecta præda graves, lentiùs, quàm hoſtile ſolum permitteret, patrios fines exinde per ſeptem leucas diſſitos repetebant; cùm ad duo milliaria inſtructam à Molingueno juxta fluentis Anæ ripas in latè patenti planitie Caſtellanam aciem è longinquo animadvertunt: nec mora, ſuam pariter explicat Albuquercius inevitabilis pugnæ tam certus, quàm appetens. Unuſquiſque ſuos brevi, at efficaci oratione, glorioſæ victoriæ certa ſpe objecta, cohortari:

hortari: Molinguenus, *ut ſi unquam aliàs, tunc maximè ſtrenuos ſe viros, & verè Hiſpanos Leones, Luſitanum potiùs gregem, quàm exercitum devoraturos, exhiberent, raptis veriùs ſarcinis, quàm partis ſpoliis onuſtos, ac prægravatos; prædones facilè ab expeditis, paratisque militibus primo impetu opprimi poſſe: ab iniquis denique tot nobilium oppidorum incendiariis adeo acerbas pœnas repeterent, ut eorum omnium ſanguine reſperſis fumantibus adhuc everſi Montigii cineribus, ne unus quidem funeſtæ cladis ſuis futurus nuntius ſupereſſet.* Albuquercius è contra eodem temporis, *ut quales ſe hactenus in exſcindendis hoſtium munitiſſimis oppidis præſtitiſſent, tales in eorum profligando exercitu præſtarent: non alios ſe toties victores, non alios ſibi toties victos adeſſe hoſtes; id unum intereſſe, quòd alios oppoſitis munimentis tectos, & pro aris, ac focis obſtinatè pugnantes facilè ſuperaſſent, nunc in libera planitie expoſitos, eòque faciliùs debellandos nanciſcerentur. Meminerint ad extremum plusquam duodeviginti prœliis à ſuis olim inclytis Majoribus, maximèque apud Algibarrotam, in ſimili planitie adeo frequenter ſolitos frangi, ac debilitari eoſdem hoſtes, ut jam pene tot victoriarum inveterato uſu in rem judicatam tranſierit, quoties aperto Marte in acie manus conſererent, à Luſitanis neceſſariò vinci Caſtellanos exercitus.* Extrema utriuſque Ducis verba terribilis tubarum, & lituorum ad proximum conflictum provocantium clangor, mutuusque tormentorum editus utrinque fragor abrupere.

139 Prior Caſtellanus equitatus numero, & recentûm equorum generoſitate ſuperior in Luſitanorum ſiniſtrum cornu raptim invehitur; repugnant aliquandiu fortiter Luſitani equites auxiliaribus Hollandis permixti, ſed mox prævalida hoſtium multitudine obruti, primò inſtantibus cedere, haud multò poſt ácriùs urgentibus retrocedere, tandem quæſito, nec reperto per ſuorum agmina ſubterfugio, veteranis legionibus promiſcuè in ipſos, & in hoſtes explodentibus, devenere ad legionem, cujus novi, & inexperti milites juſſi oppoſita pila erigere, ingenti ſuo, ac ſociorum malo, ſuis temerè illuc evadentibus, ſimulque hoſtibus eorum terga cædentibus, ſpatioſum aditum præbuere: ab utriſque protriti meritas militaris imperitiæ pœnas luunt. Tunc inſperata opportunitate animoſiores Caſtellani equites intra Luſitani exercitus viſcera recepti, paſſim illa diſrumpere, vulnera, cædesque, licèt haud penitus impunè, ubique miſcere; donec ad tormenta bellica, & impedimenta per medias phalanges ſtricto ferro viam ſibi aperuere. Iis demum potiti parum aberat, quin victoriam conclamarent, ſuis interim legionibus, & cæteris equitibus ad irrumpendas omnino Luſitanas copias ex præterito eventu ſolutis ordinibus haud mediocriter turbatas, ſtrenuam operam ubicunque navantibus. Addiderat ſemivictoribus animos non modò fugatus Luſitanus equitatus à ſiniſtro, ſed etiam à dextro cornu, qui ubi ſocios aciem deſeruiſſe animadvertere; ſive ut illorum turpem fugam ſiſterent, & ad prælium iterum reducerent; ſive ut reſidui equitatus reliquias longè numeroſioribus Caſtellanis turmis planè impares in tuto collocarent, deſperata prorſus periclitantium legionum ſalute, haud abſimili ſibi alıorſum declinatione conſuluerunt. Actum erat de Luſitanis, univerſo fugato equitatu, ruptis ſemel, nec in ordinem iterum redactis cohortibus; tormentis, & impedimentis interceptis; hoſtili equitatu per mediam aciem turbatis cohortibus inſultante; cæteris à fronte, à tergo, à lateribus extremam undique perniciem minitantibus, niſi rebus adeo afflictis magnanimus Albuquercius, Ductoresque alii ſtrenuiſſimi, ac firmiſſimæ aliquot veteranæ legiones contigiſſent. Per uni-

univerſam aciem circumvolanti, ſuorumque calamitatibus quà hortatoria voce, quà ſtricto ferro in tempore occurrenti plumbea pila transfoditur, quo vehebatur, equus; alium mox ſibi à Domino Henrico de Morle ſtrenuiſſimo Gallo, & præſidiariæ turmæ Ductore oblatum, è veſtigio conſcendit; mox cum obviis fortè legionum Tribunis Ludovico à Sylva Telles, Joanne Saldanha, Franciſco Mello Torres, Martino Ferreyra, & D. Joanne à Coſta tormentorum Præfecto, quid arctiſſimis in rebus agendum raptim pro tempore conferre. *Quid agendum? (unanimiter omnes reſpondere) Aggredi, & mori, ut veros decet Luſitanos.* Tunc per univerſas legiones fulminis ocyor alis obequitans Albuquercius: *Eia* (clamat) *ſtrenuiſſimi Luſitani, mori potiùs, quàm coram Sereniſſimo Rege comparere, in hoſtium poteſtate relicto ejus exercitu.*

146 Mirum, quàm ea Imperatoris vox de liberata morte ferociores Luſitanos univerſos ad inferendam ſtrenuè, vel ferendam audacter pro Patria, & Rege glorioſam mortem accenderit. Igitur Tribunis, & Ducibus præeuntibus, alii ſtricto ferro, alii denſiſſima, nec uſquam intermiſſa ſclopetorum exploſione, in hoſtem pene jam parta victoria exultantem rabidorum inſtar leonum invehi; equos, equites, pedites promiſcua cæde involvere; nullis, nec ſupplicibus parcere: mox ad capta tormenta, & impedimenta eodem ardore progredi, utraque à præſidiariis obnitentibus, ingenti eorum edita ſtrage, recuperare. Sic inteſtinis (ut ita dixerim) hoſtibus ad unum occiſis, ordinatiſque hactenus turbatis legionibus, præter aliquas, quæ obfirmatæ perpetuò reſtitere, adverſus Caſtellanam aciem, tot ſuorum amiſſis jam remiſſiorem, & ad ſuum equitatum, qui ex quo Luſitanus abſceſſerat, ad fluvium Anam inſtructis agminibus conſederat, ſe recipientem inſolita fiducia movere. Ad hæc, recepta jam tormenta, ſclopetariis globulis referta in recedentes Caſtellanas legiones paſſim, nec ſine plurimorum ſtrage exonerare. Tandiu denique recedentem hoſtem inſtanter perſequi; donec primi pedites, mox equites ad ulteriores Anæ ripas opportunò tum vado placidè fluentem tutò evaderent, longè interim agente Luſitano equitatu; qui ſi adeſſet, ac retrocedentium Caſtellanorum extremis veſtigiis inſiſteret, ſupremam eiſdem cladem adferret. Tranſmiſſo fluvio à Caſtellanis adhuc minas, & militarem ferociam ſpirantibus, exultabundi Luſitani, jactis in aëra galeris, auditi ſunt diſſonis clamoribus victoriam conclamare, Sereniſſimoque Regi ſummam felicitatem adprecari. Poſtea Caſtellani ad Talaveruelam oppidum tribus exinde milliaribus diſſitum ſe recipientes, ſparſis per univerſam Europam apologiis, eam ſibi victoriam nocturnis luminibus, aliiſque feſtivis plauſibus celebratam vendicarunt. Commiſſum ea, qua dixi, ratione Montigienſe (ut vulgò dicitur à proximo ejus nominis everſo jam oppido) prælium die 26 Maji anni 1644, in quam incidit Corporis Chriſti Domini ſolemnitas, tenuit totas ſex horas à nona matutina ad tertiam pomeridianam. Quod ejus diei fuit reliquum, eodem loci Luſitani ſubſtitere, ſuis ſauciis, & hoſtium colligendis ſpoliis intenti. Iidem, appetente nocte, ad oppidum proximum *Campo Maior* diſtans à loco prælii per unum, & viginti milliaria, nemine obſtante, receſſere. Hæc ſunt ita univerſis explorata, ut vel ipſi Luſitani, Caſtellanique in his ferè mutuò conſentiant; in recenſendo verò militum numero, quibus uterque conſtaret exercitus, quot ex utriſque capti, ſaucii, occiſique fuerint, multùm iidem inter ſe diſcrepant; quid hac in parte utriuſque Gentis relationes aut extenuent, aut amplificent, tandemque quid

externi

exterhi Duces in utraque acie militantes datis ad ſuos literis affirmarint ſumma fide referre tentavi; verùm tot, tantaque in quadam adulterata relatione mendacia deprehendi, ut in eis recenſendis tempus, & operam perdere abſurdum duxerim. Quare futuris olim Hiſtoricis inveſtigandæ, confirmandæque veritatis eâ cura relicta, ex iis, quæ à me hactenus certo certiùs dicta ſunt, promptum erit meis commilitonibus, cui potiſſimum ea ceſſerit victoria, deliberare.

141 Sic Primum implicitì prælii ſeriem luculenter evolventem excipit ſecundus, cui Caſtellanæ partes ſtrenuè obeundæ fuerant demandatæ. Invictis (inquit) Hiſpanis Montigienſem adjudicandam victoriam ſiquis fortè inficiabitur, eum vincendi omnino rudem, liberi judicii penitus expertem, & ad meridianæ lucis radios prorſus cæcutientem, rerum mediocriter prudens quilibet judicabit. Id quidem, etſi multis facilè poſſim evincere, paucis mihi propoſitum inſtitutum pro re præſenti conficiam. Et primùm omnium nemo neſcit, eum verè, meritòque victorem appellandum, qui militari peritia, bellicaque virtute adverſarium ſuperavit; non enim Andabatarum more pugnantes, non ferocium belluarum inſtar, humanum ſanguinem effundentes victores cenſeo appellandos. Jam verò quantùm eo prælio militaris peritiæ, ac bellicæ virtutis laude Hiſpani Luſitanis præſtiterint, mecum, quæſo, animadvertite. Summa in primis fuit inclyti Molinguem militaris ſapientia, tum in eligendo loco, ſuo longè numeroſiori, & validiori equitatui magis opportuno, tum in acie inſtruenda, objectis in prima fronte veteranis legionibus, quarum ſtrenuiſſimi, nobiliſſimique milites, vel ſolo aſpectu hoſtes poſſent deterrere, ac exanimare: ejuſdem ſapientiæ fuit imperare, ut à dextro ſui exercitus cornu moveretur longè validior equitatus in ſiniſtrum hoſtium, ubi turmas infirmiores animadverterat. Horum verò qualis, quantaque peritia ſimul, & fortitudo? Qui ad primam impreſſionem nutantes, & trepidantes hoſtium turmas inſequuti, data opportunitate uſi, per mediam irrupere aciem, turbatis, proculcatiſque ordinibus poſt cæſos ad ſatietatem hoſtes, eorum tandem bellicis tormentis, & impedimentis incredibili virtute potiti, ad extremum vita potiùs, quàm nobili præda ſpoliari, aut in hoſtium poteſtatem venire maluere. Quid altera noſtri equitatus pars? Cui ad fluminis ripas cautè recedenti immeritò turpis fugæ notam inurunt adverſarii. Quantum in eo receſſu militaris prudentiæ, ſimulque fortitudinis ſpecimen edidere? Cùm enim univerſum Luſitanum equitatum, paucis exceptis, ſubitò evanuiſſe noſtri animadverterent, rati callidi Imperatoris juſſu id factum, & ad præoccupandam ulteriorem Anæ ripam advolare, illuc data opera conceſſere, in tempore venientibus occurſuri: iidem ſuis facilem tranſitum, ſi fortè adverſa monerent, ut accidit, munituri; vel ſi eorum legiones, ut certior illis ſpes erat, noſtras fugarent, poſſent fugientium tergo recentes inſiſtere, ne quis hoſtium ab inſequentium equitum manibus, aut velocium equorum pedibus elaberetur. Quàm prudenter, ac ſtrenuè (modò annueret fortuna) ab illis concepta omnia, & diſpoſita!

142 Conferantur modò cum ſtrenuiſſimis, & peritiſſimis Hiſpanis Luſitani equites, ac pedites. Illi quidem à noſtris perſequentibus agitati (ne dicam fugatos) ſuas certè legiones abruptas, & turbatas in ſummo diſcrimine deſeruere, omni vitæ, ne dum victoriæ, ſpe prorſus abjecta. Pedites per ſummam militaris diſciplinæ imperitiam præpoſterè pila elevantes non modò

ſuo, ſed noſtro etiam equitatui ad ſui, ac ſuorum exitium facilem aditum præbuere. Iidem laxatis, penitusque ſolutis ordinibus ad proprias ſtationes redire neſcii extremam ſibi perniciem, quam ſors, non virtus inhibuit, propè conflarunt. Quòd ſi aliquando victis rediit in præcordia virtus, reaſſumptisque animis demiſſas hactenus auriculas erexere, quam falsò appellant militarem virtutem, eam belluina ferocia, multisque barbaræ ſævitiæ paſſim editis documentis corrupere; nullis, ne ingenuis quidem ſupplicibus, veniam exorantibus vita conceſſa, univerſis ad unum cæſis. Non multos inhumaniter occidiſſe, ſed plurimis clementer pepercisſe ingenui victoris eſt gloria ſingularis. Fruſtra de victoria gloriatur, qui ſe ipſum vincere, furentique iræ modum ponere non valuit. Timere ſe invalidum hoſtem fatetur, quisquis inermes, ac ſupplices tendenti manus, violentas injicere non exhorruit. Quàm noſtri equites clementiùs, eòque generoſius! Qui per mediam Luſitanam aciem volitantes, vitæ, necisque arbitri, ſeptingentos, ut noſtri prædicant, vel ducentos ſaltem, ut iidem hoſtes ingenuè fatentur, ab ipſius mortis faucibus eripere, in captivitatem ductos, quàm perdere, cùm facilè poſſent, maluerunt. Viciſtis planè invicti Heroes, cùm tot hoſtes victrici clementia ſervatos vobis devinxiſtis. Si vel unum civem in bello ſervare triumphale facinus Civica donandum corona meritò habetur, quid tot hoſtes in ipſo ardentioris belli conflictu imminentis lethi neceſſitati ſubtrahere, eoſdemque in tuto poſitos perhumaniter habere? Abeat malis avibus, quisquis inhumanos ſævientis Bellonæ miniſtros, fœdæque crudelitatis artifices, non verò generoſæ clementiæ authores, prodigioſæque humanitatis exhibitores audeat deinceps victores prædicare. At ſub finem prælii (dicet fortaſſe aliquis) defecere Hiſpani, genuinæque virtutis immemores, privatæ potiùs, quàm publicæ ſalutis, habita ratione, dum ad labentem fluvium properè dilabuntur, penè partam victoriam inſequentibus ſe hoſtibus, & in acie poſtea perſiſtentibus tranſmiſſo fluvio tranſmiſere. Id quidem, quod inficiari non poſſum, Luſitanis malim objicere, quàm objicientibus reſpondere. At non propterea contortum in me validiſſimum quidem telum ingloriùs omnino declinabo. Illud rationum quaſi parma protecto repellere, quin et in adverſarios retorquere, præſens mihi eſt animus.

143 Oculos (fateor) à furentibus, ſuosque ferientibus allorſum avertere Hiſpani, non tam Luſitanæ virtutis, quàm crudelitatis horrore. Quis ignavum appellet ſolem tenebrarum victores radios à Thyeſtæa ſævitie (ut perhibent) avertentem? Quis neſcit à Parthis fugam ſimulantibus partam ſæpe victoriam? Eam ſemel adeptam in patriam reportare, in tutoque collocare Hiſpani conſultiſſimè voluere; ne ſibi ab audacibus plus nimio Luſitanis extorqueretur. Veriti quidem ſunt, ne omnigenæ prædæ aſſueti, inhiantesque hoſtes opimam à ſe comparatæ victoriæ prædam iidem quoque vellent eripere. Non aliquando fugiſſe, vel (ut ſpecioſioribus verè dicam verbis.) Non ſemper imminenti periculo, quod cavere aliter nequeant, ſe opportunè ſubduxiſſe ſtrenuiſſimis Ducibus, & militibus probro datum. Antigonus

Stob. ſer. 63. olim hoſtibus ingruentibus cedens dixit: *Se non fugere, ſed utilitatem retro ſitam perſequi,* ſentiens non eſſe turpe fugere, quoties magis expedit hoſti dare locum, quàm manus cum illo conferere. Demoſthenes etiam clypeum ſuum literis aureis inſcripſerat: *Bona fortuna*; verùm cùm ad pugnam ventum eſſet, illico abjecto clypeo aufugit: id cùm illi probro daretur, aptè reſpondit:

Vir fugiens redintegrabit prælium, indicans utilius eſſe patriæ fugere, quàm in prælio mori; mortuus enim non pugnat, at qui fuga quæſivit ſalutem, poteſt in multis præliis patriæ uſui eſſe. Quoties egregius bellator David (ut cæteros taceam) à facie Saulis, Abſalonis, Achis, & aliorum vel ſubterfugiſſe, vel ſe laudabiliter ſubtraxiſſe commemoratur; non quidem præſentia pericula timidè declinaturus, ſed majora olim opportuniùs, & utiliùs præſentiori animo ſubiturus! Haud aliter ſtrenui Hiſpani ad futura olim majoris momenti prælia eo minori defuncti ſe patriæ ſervare prudenter deliberarunt. Adhæc, ſi Luſitani, univerſo eorum equitatu fugam effusè capeſſente, ad primum ineuntis prælii concurſum victores ſe nihilominus jactant, cur Hiſpanis poſt adeo illuſtria in eo prælio edita bellicæ virtutis documenta, eorum legionibus ad fluvium lentè recedentibus, victoriam longè potiori jure ſibi arrogare non liceat? Si ad extremum iidem Luſitani de Taurinenſis olim prælii victoria tantopere ſibi plaudunt, cùm planè conſtet, nec iidem inficientur, fuſum, fugatumque Regem Alphonſum quintum non in Luſitaniam, ſed in Galliam facti pudore ductum ſe recepiſſe, cur Molingueno, ejusque copiis ſe ad fluvium, eoque tranſmiſſo ad proximam Talaveruelam recipientibus, ac tot Luſitanos captivos deducentibus, Montigienſis victoriæ gloriam invideant? Non dubito certè, quin iis, aliisque, quas data opera omitto, expenſis rationibus, eam Hiſpanis adjudicandam rerum prudentes, & libero judicio præditi fateantur.

144 Ubi pro Caſtellanis dicendi finem fecit ſatis ingenioſus Declamator, ſic Luſitanum jus acriter ab injuria vindicare ille, cui munus id fuerat à Principe commiſſum, aggreſſus eſt. Certè (inquit) ſi Montigienſem victoriam non ſimulatè, ſed verè Caſtellani ſibi tribuendam, me audito, adhuc adlaborent, non eis erit injurius, quiſquis Superos enixè rogabit, ut plures illis haud abſimiles annuant victorias: & verò non pluribus opus erit, unica ſimilis tantùm ſufficiet ad enervandam, penitusque labefactandam adeo inclytam, & victricem Nationem; ita ſentiente, palamque aſſerente viro expertiſſimo, maximæque apud illos exiſtimationis. Is plurimos, ac ex iis ſtrenuiſſimos quoſque tum equites, tum pedites Caſtellanos in eo prælio cecidiſſe pro comperto habens, indubium Caſtellanæ militiæ occaſum præſagire non dubitavit, ſi fortè pari eventu iterum cum Luſitanis congrederentur. Alius ejuſdem Gentis, ac hujuſce prælii ſcriptor meritò commendat eximiam cujuſdam ſui Curionis ſacri pietatem, qui ſequenti mox die quatuor mille cadavera ibidem terræ mandavit; quorum ad nos mille, ad illos tria millia pertinuiſſe liquidò conſtitit ex diligenti poſt prælium facta ſuperſtitum noſtrorum militum recognitione. Hiſce tamen minimè obſtantibus, nocturnis ubique accenſis ignibus militaris plauſus indicibus, victoriam, ſeu (ut veriùs prudentiores dixere) funereis facibus ſuorum parentalia Caſtellani celebrârunt, non nihil certè tum apud ſuos, tum apud exteras Nationes eo artificio profuturi, niſi vulgari jam, & familiariſſimo commento ſuis luctum, cæteris gentibus riſum movere ſoleant; conſciis univerſis frequenti experimento maximam quamlibet ab illis acceptam cladem maximis publicæ lætitiæ ſignificationibus induſtrioſè ſolitam refutari: prudenterne illi, ac è re propria hujuſmodi militari ſtratagemate aut uti, aut abuti pergant? Ventilent iidem, politicique dijudicent. Meum in præſentiarum erit veridici relatoris narrationi unicè inſiſtendo, palam omnibus facere non modò Mon-

tigienſis prælii victoriam fuiſſe omnino, indudièque Luſitanam, ſed eandem
cum maximis quibuſque tum Luſitanorum, tum cæterarum gentium victo-
riis meritò conferendam: primum, utpote meridiana luce clarius, brevi exe-
quar: ſecundum pro rei magnitudine lentiùs, & luculentiùs, nec ſine au-
dientium (ut puto) aliquali voluptate, erit à me pro virili convincen-
dum.

145 Profligatum à ſtrenuis Luſitanis Montigienſe prælium, in eoque vic-
tores illos extitiſſe ſiquis fortè obſtinatè diffitebitur, is profligatæ ſe mentis
reum, vel militari ſumma inſcitia, nationalive paſſione penitus obcæcatum
apud probos, rerumque peritos viros planè profitebitur. In eo certè prælio
Caſtellanis accidit, quod multis frequenter uſuvenire ſolet; Luſitanis, quod
Polyb.l.16 paucis, contigit: non mihi, ſed Polybio quaſi utroſque indigitanti fidem ha-
beri volo: *Res arduas* (inquit) *graviter ordiri, & impetu quodam ad incrementa re-
rum contendere, multis jam contigit; ſed propoſitum ad finem deducere, & ſicubi fortu-
na obſtiterit, ratione & induſtria id, quod promptitudini, ac alacritati decedit, adim-
plere, paucorum eſſe videtur, &c.* Strenuè (fateor) at quod multorum eſt, arduum
prælium inivere Caſtellani, primo, eoque validiſſimo impetu in noſtros in-
vecti; propterea ſumma digni laude, ſed Tacito adverſus eoſdem ſententiam
proferente: *Turpis finis egregiam laudem maculavit*; felixque initi prælii auſpi-
Tacit.hiſt. lib.4. cium inauſpicatus corrupit exitus. E contra Luſitani ad propoſitum finem
improſpera initia deducentes, cæptam ad hoſtes inclinare victoriam, extre-
ma tamen fortitudine unicè gaudentem, ad ſe declinare compulerunt. Ob-
ſervant curioſi naturæ ſcrutatores Aquilonem initio vehementem deſinere
leniorem; Auſtrum è contra initio leniorem deſinere vehementiorem. Quis
neget Aquiloni Caſtellanos, Auſtro ſimillimos Luſitanos in eo prælio extitiſ-
ſe? Præcipites illi, ac vehementiſſimi prælium ſunt adorti, ſub cujus finem
quaſi Aquilonari frigore torpuere; Luſitani è contra initio leniores, vehe-
mentiſſimo ad extremum flatu, inflatos àntea hoſtes, veluti leves paleas ad-
verſis ventis volitantes, diflavere. Primo alludentis Bellonæ ſucceſſu elati
Caſtellani exultare cæperunt; at immodici gaudii extrema luctus occupa-
vit: è converſo, generoſum Luſitanorum mœrorem ex primitivo infelicis
pugnæ eventu conceptum ſupremæ victoriæ cumulatiſſimum gaudium ex-
cepit. Licèt facti dimidium, qui bene cæpit, habeat, ac in medio virtutem
conſiſtere vulgò dicatur; at neque ab optimo initio, mediove, ſed ab optimo
fine humanarum quarumlibet actionum veram deſumi, ac denominari vir-
tutem indubium eſt Philoſophorum omnium mutuò conſentientium placi-
tum. Iidem non in producendis præmiſſis, ſed in deducenda ex illis extrema
concluſione evincendæ veritatis gloriam ponunt. Simili ratione præcellen-
tis Rhetorici præcipua laus eſt, non in explicando exordio, ſed in ſuprema,
validaque peroratione, cui demum perficiendæ, adverſariiſque convincen-
dis ingenii vires omnes intendit. Quid prodeſt in ſtadio certanti ad conſe-
quendum propoſitum bravium perniciſſimo curſu è carceribus præcurrere,
ſi paulò poſt ab æmulo ad metam citiùs accedente præventus, ob amiſſam
indecorè palmam, omnium victori plaudentium ſibilis demum excipiatur?
S.Bern. ep.129. *Abſque perſeverantia* (inquit appoſitè in rem præſentem Bernardus) *nec qui pugi-
nat victoriam, nec palmam victor conſequitur.* Quæ cùm ita ſint, quis, quæſo, erit
adeo mentis inops, cui veniat in mentem Caſtellanis ſtrenuè quidem inci-
pientibus, at perperam deſinentibus, minimèque in acie perſeverantibus, ſed
è loco

è loco pulſis, & celerrimè ultra fluvium recedentibus, nec niſi apud Talaveruelam conſiſtentibus victoriæ palmam adjudicare? Eam certè manifeſto jure magnanimis Luſitanis adſcribendam nemo jam, vel maximè Caſtellanus, vel eorum partibus plus nimio addictus, in dubium deinceps vocare audebit.

146 Illi nanque licèt aliquandiu ancipiti Marte dimicarent, àt neque prævalentium hoſtium ſuperante multitudine obruti, neque ſæpe nutantis, & ad ipſos hoſtes inclinantis fortunæ torvo aſpectu deterriti, neque tandem ſuorum, aut ſtrenuè cadentium, aut in ſummo diſcrimine ſe deſerentium multiplici infortunio perculſi; quin immò tot ſimul ingruentibus malis infracti, animoſioresque redditi, hoſtes longè majoribus, quàm ab illis acceperant, cladibus affectos demum cedere, fluvium tranſmittere, patriumque ſolum à ſe per plures poſtea horas occupatum, perſeveranterque retentum relinquere coegerunt. Id unum, etſi cætera, quæ multa fuere, abeſſent, manifeſtum exploratæ victoriæ ſignum communi jam omnium gentium conſenſu habetur; Majori Plinio viro militari, & Veronenſi (quo proinde majus nequit optari) huic indubiæ veritati luculentum teſtimonium perhibente; *Summum* (inquit quaſi Montigienſem victoriam deſignans) *apud antiquos ſignum victoriæ erat, herbam porrigere victos, hoc eſt, terra, & altrice ipſa humo, & humatione etiam cedere; quem morem etiam nunc durare apud Germanos ſcio.* Plin. hiſt. l. 22. c. 14. Quid pro re præſenti aptius, veriusque dici, aut excogitari potuit? Nimirum Caſtellani, dum terra, & altrice ipſa humo, ſuorumque humatione die illa ceſſere, victoribus Luſitanis herbam porrigentes, victos ſe ingenuè profeſſi ſunt, Germanis fœderatis, & in eorum acie tunc militantibus ſolemnem eum apud ſe morem atteſtantibus. Nec dubito, quin eadem tunc fuerit, etiamque nunc ſit, Caſtellanorum omnium concors ſententia: graviſſimam certè injuriam illuſtriſſimæ Genti ſummo judicio præcellenti inferret, quiſquis eorum aliquem prudentem virum aliter ſenſiſſe aut crederet, aut in re adeo evidenti miſerè cæcutire aſſeveraret. Quòd ſi Caſtellani ex cujuſdam Pardi ſuo Torrecluſæ adulantis, & alterius Genevenſis (ut dicitur) venalis, & ſubornati relationibus multò diverſa, longèque à germana veritate aliena per univerſam tunc Europam data opera evulgarunt; quis ſimilium artificiorum conſcius neſciat politicum id fuiſſe ſtratagema, luminaribus ab iiſdem ubique accenſis conſonum; quò apud ſuos, apud ſocios, exterasque nationes propriæ exiſtimationi multùm alioqui lapſuræ conſulerent. An verò id non ſemel uſurpatum commentum illis proceſſerit, amicis, & fœderatis credentibus, cæteris dubiis, vel incredulis, ipſi viderint. Certè ſimilis artificii ſæpius iteratus uſus fidem facit, non nihil exinde aut ſolatii pro ſuis, aut utilitatis pro exteris eos tunc percepiſſe.

147 Aſſerta nihilominus ex dictis evidenter pro Luſitanis indubia Montigienſi victoria, fuiſſe illam unam è maximis, tum Luſitanorum, tum cæterarum Gentium (quoniam id quoque à me initio propoſitum eſt) non erit difficile confirmare. Si confligentium inter ſe militum numerus, aut breve, quo exarſit prælium, tempus tantummodo æſtimentur; haud valde magnam, nec maximi faciendam adeo exiguis impendiis partam victoriam quilibet Veterum repetita memoria exiſtimabit. Numerus quidem commiſſorum inter ſe utrinque militum, ſive juxta noſtram, ſive hoſtium ſupputationem, quindecim millium non exceſſit: prælium non ultra ſex horas pro-

habendi forent; quippe qui judicaret indignos prorſus eſſe, qui ad publica reipublicæ admoverentur munia tum politica, tum militaria, quos ad minimum ſcientiæ ad munus qualecunque ritè obeundum neceſſariæ perfecta notitia ſibi non redderet commendabiles. Ad hæc, ipſa edocti experientia Principem, etſi univerſos indulgenter haberet, longè tamen indulgentiorem ſe præbere iis, quos in addiſcendis literis animadverteret ſeduliores, mirum, ad Principis colligendam gratiam, quàm ſe omnes Scientiarum ſtudio diligenter addicerent, quò ab eo impenſiùs diligerentur. Eorum ut foveret Princeps ardorem additis æmulationis ſtimulis, præter alia incitamenta, quoties ad prædictas voluptarias ſtationes, maximè Alcantaram diverteret, problemata inibi diſcutienda, vel recitandas declamationes, excogitatis plauſibilibus argumentis, viciſſim in nonnullos dividebat, qui pro virili eas, quas ſuſciperent, partes validiſſimis confirmatas rationibus tuerentur. Immò quò gratiores ſibi, aliiſque hujuſmodi literariæ velitationes acciderent, præmonebat nonnunquam, qui Materna, qui Caſtellana, qui Gallica, vel Italica lingua declamaret, multiplicis idiomatis peritia ea ratione obiter, at induſtriè, commendata; Magiſtri, ac Præſidis Latina lingua ſententiam perpetuò proferentis ſibi munere aſſumpto. Quantum voluptuoſæ utilitatis inde promanarit non eſt, cur expendam, cùm univerſi, qui tunc hiſce proluſionibus adfuere, palam experti ſint, nemoque non planè videat. Sed quia optabunt fortè aliqui, ut unius è multis argumenti exemplar hîc ſaltem exponam, vereorque, niſi fecerim, vitiò id mihi detur, juvat in ſequenti capite celeberrimam darè quæſtionem, quæ multorum eo temporis torſit ingenia, quam tandem in Theodoſii Athenæo Tuſculano pro dignitate agitatam Ipſe ingenioſè, verè, prudenterque definivit. Ex hac una promptum erit cæteras ſimiles conjectari; quarum tamen aliquot ſuis infra locis inſeremus.

CAPUT XIII.

Luſitaniſne, an Caſtellanis Montigienſis prælii victoria ſit adſcribenda? Militare problema Principe Theodoſio Præſide ventilatum.

136 EXpugnatis à noſtro exercitu ſeptem, de quibus ſupra, oppidis,
Supra c.10 eo interim hyemante, brevis admodum ab armis quies ſubſequuta; quam mox abrupit novus à Catholico Rege pro Sancto Stephano ſuis copiis Præfectus Marchio Torreclusa, metuendum inter Caſtellanos nomen, ac terrificum belli fulmen, donec Luſitanis laureis ipſius hebetata virtus evanido fragore ſæpè detonuit. Is à facilioribus ad majora, quæ agitabat, progreſſurus primum Martii tonitrus quaſi fulgur in Luſitanum Caſtellæ proximum oppidulum *Ongaela* exoneravit. Præerant ſub ſtrenuiſſimo
Salgad. lib. 4. c. 22. Marin. Apol. milit. Duce Paſchoale à Coſta viculi defenſioni præſidiarii milites omnino quinque ſupra viginti; eò immittit Torreclusa mille nongentos equites, ac mille pedites omni bellico apparatu ad invalidum exſcindendum vallum inſtructos,

primo,

primo, ut putabat, nocturno impetu oppidulo potituros. Et jam pene potirentur, cùm Aprilis die nona anni Chriſtiani 1644, incautis Luſitanis, antelucani hoſtes portæ irrepentes, eam admoto pylocaſtro facilè perfringerent, per latè patentem aditum irrupturi; niſi ſubito fragore à ſomno excitati præſidiarii, & mox oppidani cum obviis quibusque armis propè ſeminudi ad portam accurrerent, indubiam mortem, aut jam irrumpentibus hoſtibus illaturi, aut certiùs, animoſiùsque ab eiſdem illatam perpeſſuri. A noſtris prorſus imparatis, numeroque adeo exiguis contra tam multos hoſtes ita ſtrenuè per continentes ſeptem horas à quarta matutina ad undecimam uſque pugnatum eſt, ut illi ſuorum viginti amiſſis, captis ſex, plurimisque bellicis inſtrumentis prope vallum relictis, deſperataque demum oppiduli expugnatione indecorè inde ad ſuos, re infecta, ſe concitatiori, quàm advenerant, curſu proripuerint. E noſtris (mirum dictu) duo tantùm cecidere, vulnerati quatuor; ex quibus una fuit virilis animi Fæmina, inter fortiſſimos viros meritò numeranda, quæ pilo arrepto ad propugnandum vallum cum præſidiariis furentis Pentheſileæ more advolavit; ubi pro virili decertans maximo fuit noſtris incitamento, ne ſuperandis hoſtibus ab animoſa Fæmina ſuperarentur; eadem Caſtellanis ingenti probro, dum vel ab imbelli ſexu per ſummum dedecus è tenui vallo ſe vident propulſatos. Luſitanam Leænam adverſo accepto vulnere animoſiorem, proprio madentem ſanguine, ideoque ad hoſtilem fundendum alacriorem nunquam oppidani ab obligandum ſaltem vulnus reducere valuere, certam generoſæ prius animæ, quàm deſerti, & indefenſi à ſe valli, quandiu vita ſuperſtes eſſet, jacturam facere: nec ab eo vel tantiſper divertit, donec terga ignominioſè dantes hoſtes animadvertit. Victrix io Luſitana Ouguellenſis Bellona! Sic eam poſteris appellandam dolenter indigitamus, cùm ejus proprium nomen nulla unquam è Luſitanis faſtis delendum oblivione, inter tumultus bellicos, adeo brevi, noſtris ad maxima gerenda, quàm ſcribenda intentioribus, interciderit. At non excidit Sereniſſimo Regi adeo inſignis virtutis bellicæ monumenta remunerari; ſtrenuiſſimo Duce illuſtris Commendæ redditibus nobilitato, ejus militibus duplicato ſtipendio militari auctis, oppidulo privilegiis maximi faciendis amplificato; propoſito denique cæteris Regni oppidis, & urbibus eo memorabili ad ſimilem defenſionem, ac præmiorum aſſequutionem exemplo.

137 Interim Albuquercius jam Tranſtaganis armis à Sereniſſimo Rege Præfectus, ob rem in ſuperioribus oppidorum expugnationibus præclarè geſtam, ne hoſtilis audaciæ licèt irriti conatus inulti penitus forent, plurium oppidorum magni apud hoſtes nominis expugnatione, ac incendio unius oppiduli tentatam oppugnationem expiavit. Primùm omnium per ſtrenuiſſimos Legatos oppida *Membrilho*, *Solorino*, & *Villanova de Barcarrota* militum prædæ, incendio, & ruinæ ſubjecit; miſerandam ſuorum cladem apud Barcarrotam ex proximo colle inſpectante, nec opitulari audente D. Franciſco Vallaſco Legato hoſtilis equitatus, qui cum quingentis equitibus ex oppido ampliſſimo exceſſit, priuſquam à noſtris validiſſima facta impreſſione, evictis munimentorum obicibus exſcinderetur. Mox collecta ſex mille peditum, ac centum ſupra mille equitum manu ad evertendum oppidum *Montijo* paulò ante à Legato tentatum, & expugnatum, at non penitus everſum, ipſemet progreſſus eſt. Unum è præcipuis Provinciæ oppidum id habebatur, octingentis

Salg. ibid. c. 22. & 24.

gentis

gentis incolis frequens, divitiis, ac ſuburbanis deliciis abundans, munimentis, quatuorque inſuper cohortium, & duplicis turmæ præſidio ſatis tutum. Huc direptis, & incenſis prius parvo impendio duobus obviis oppidis *Villar d'Elrei*, & *Maſſanete* noſtri applicuere. Strenuè primùm, at non diu obſeſſi reſtitere, brevique facta deditione, aliò commigrarunt, pauca è multis rerum ſuarum ſecum aſportantes, ſolatia damni exigua ingentis; cætera victoris militis opulentæ prædæ ſuperfuere: mox in vacuas incolis, ac divitiis domos ferro, igneque ſævitum; ab immis fundamentis diruta munimenta; producta demum ad proximum oppidum *Povoa* bellici furoris flamma, quod ſimile comprehendit incendium, plurimo tum noſtrorum, tum hoſtium haud multò poſt effuſo ſanguine reſtinguendum. Enim verò ex miſeranda tot nobilium oppidorum ſtrage, totieſque repetitis ſuorum lamentis graviter commotus Marchio Torrecluſa, idem conceptæ de ſe à Rege Catholico expectationi facturus ſatis, ſimulque recenti, & acerbiſſimo ſuorum dolori levamen aliquale in tempore adhibiturus, coactum per eos dies partim ex veteranis præſidiariis, partim ex ſelectis oppidanis auxiliaribus exercitum, in quo numerabantur ſex mille pedites, quingenti ſupra duo mille ſtrenuiſſimi equites, Baroni Molingueno equitum Magiſtro exploratæ virtutis viro committit, ea conditione, ut non niſi profligatis inſolentis hoſtis copiis, ſumptaque de ipſius temeritate memorabili vindicta Pacem Auguſtam regrediatur: ibi ſubſiſtendum ſibi, ac incertam dubii Martis aleam opperiendam, è re publica, privataque ſatis prudenter judicavit, infra dignitatem Hiſpani Monarchæ fortè reputans, quòd illius armorum Præfectus maximus minimum exercitum in aciem educeret, vel cum minori hoſte confligeret, vel propriam ſalutem, ex qua publica penderet, in ſummum diſcrimen, prout ſunt varii eventus belli, temerè objiceret. Jam verò, quàm impigrè ſui Imperatoris mandata inclytus Molinguenus executioni mandaverit, qua ratione à noſtris primo, ac ſupremo congreſſu fuerit exceptus; quis demum hujusce primi campeſtris prælii, poſt aſſertam Luſitanam libertatem inter duas totius Europæ ſtrenuiſſimas nationes commiſſi, memorandus extiterit exitus, à Theodoſiii commilitonibus ingenii vires exerentibus, ac inter ſe validiſſimè apud Alcantaram concertantibus, tandemque ab ipſo Theodoſio indubiam ſententiam aſſerente, auſcultandum. Uni eorum injunxerat Princeps, ut laconicè, ſummaque fide memorabilis facti ſeriem recenſeret; ſecundo, ut ſepoſito interim omni patritio affectu Caſtellanum ageret, univerſaſque pro Caſtellana victoria facientes rationes inſita clariſſimæ Gentis eloquentia proſequeretur; tertio tandem, ut Luſitanis faventia rationum momenta ſeriò expenderet; ſententiam Ipſe pro agitatæ militaris cauſæ meritis ad extremum prolaturus.

138\. Primus prælii tum initium, tum exitum ſic dicitur auſpicatus. Expugnato, & in cineres futuri mox incendii vomitrices redacto Montigio, victores Luſitani multiplici ex tot direptis, ac dirutis oppidis, proximiſque agris collecta præda graves, lentiùs, quàm hoſtile ſolum permitteret, patrios fines exinde per ſeptem leucas diſſitos repetebant; cùm ad duo milliaria inſtructam à Molingueno juxta fluentis Anæ ripas in latè patenti planitie Caſtellanam aciem è longinquo animadvertunt: nec mota, ſuam pariter explicat Albuquercjus inevitabilis pugnæ tam certus, quàm appetens. Unuſquiſque ſuos brevi, at efficaci oratione, glorioſæ victoriæ certa ſpe objecta, co-

hortari:

hortari: Molinguenus, *ut ſi unquam aliàs, tunc maximè ſtrenuos ſe viros, & verè Hiſpanos Leones, Luſitanum potiùs gregem, quàm exercitum devoraturos, exhiberent, raptis veriùs ſarcinis, quàm partis ſpoliis onuſtos, ac prægravatos; prædones facilè ab expeditis, paratisque militibus primo impetu opprimi poſſe: ab iniquis denique tot nobilium oppidorum incendiariis adeo acerbas pœnas repeterent, ut eorum omnium ſanguine reſperſis fumantibus adhuc everſi Montigii cineribus, ne unus quidem funeſtæ cladis ſuis futurus nuntius ſupereſſet.* Albuquercius è contra eodem temporis, *ut quales ſe hactenus in exſcindendis hoſtium munitiſſimis oppidis præſtitiſſent, tales in eorum profligando exercitu præſtarent: non alios ſe toties victores, non alios ſibi toties victos adeſſe hoſtes; id unum intereſſe, quòd alios oppoſitis munimentis tectos, & pro aris, ac focis obſtinatè pugnantes facilè ſuperaſſent, nunc in libera planitie expoſitos, eòque faciliùs debellandos nanciſcerentur. Meminerint ad extremum plusquam duodeviginti præliis à ſuis olim inclytis Majoribus, maximèque apud Algibarrotam, in ſimili planitie adeo frequenter ſolitos frangi, ac debilitari eoſdem hoſtes, ut jam pene tot victoriarum inveterato uſu in rem judicatam tranſierit, quoties aperto Marte in acie manus conſererent, à Luſitanis neceſſariò vinci Caſtellanos exercitus.* Extrema utriuſque Ducis verba terribilis tubarum, & lituorum ad proximum conflictum provocantium clangor, mutuusque tormentorum editus utrinque fragor abrupere.

139 Prior Caſtellanus equitatus numero, & recentûm equorum generoſitate ſuperior in Luſitanorum ſiniſtrum cornu raptim invehitur; repugnant aliquandiu fortiter Luſitani equites auxiliaribus Hollandis permixti, ſed mox prævalida hoſtium multitudine obruti, primò inſtantibus cedere, haud multò poſt acriùs urgentibus retrocedere, tandem quæſito, nec reperto per ſuorum agmina ſubterfugio, veteranis legionibus promiſcuè in ipſos, & in hoſtes explodentibus, devenere ad legionem, cujus novi, & inexperti milites juſſi oppoſita pila erigere, ingenti ſuo, ac ſociorum malo, ſuis temerè illuc evadentibus, ſimulque hoſtibus eorum terga cædentibus, ſpatioſum aditum præbuere: ab utriſque protriti meritas militaris imperitiæ pœnas luunt. Tunc inſperata opportunitate animoſiores Caſtellani equites intra Luſitani exercitus viſcera recepti, paſſim illa diſrumpere, vulnera, cædesque, licèt haud penitus impunè, ubique miſcere; donec ad tormenta bellica, & impedimenta per medias phalanges ſtricto ferro viam ſibi aperuere. Iis demum potiti parum aberat, quin victoriam conclamarent, ſuis interim legionibus, & cæteris equitibus ad irrumpendas omnino Luſitanas copias ex præterito eventu ſolutis ordinibus haud mediocriter turbatas, ſtrenuam operam ubicunque navantibus. Addiderat ſemivictoribus animos non modò fugatus Luſitanus equitatus à ſiniſtro, ſed etiam à dextro cornu, qui ubi ſocios aciem deſeruiſſe animadvertere; ſive ut illorum turpem fugam ſiſterent, & ad prælium iterum reducerent; ſive ut reſidui equitatus reliquias longè numeroſioribus Caſtellanis turmis planè impares in tuto collocarent, deſperata prorſus periclitantium legionum ſalute, haud abſimili ſibi aliorſum declinatione conſuluerunt. Actum erat de Luſitanis, univerſo fugato equitatu, ruptis ſemel, nec in ordinem iterum redactis cohortibus; tormentis, & impedimentis interceptis; hoſtili equitatu per mediam aciem turbatis cohortibus inſultante; cæteris à fronte, à tergo, à lateribus extremam undique perniciem minitantibus, niſi rebus adeo afflictis magnanimus Albuquercius, Ductoresque alii ſtrenuiſſimi, ac firmiſſimæ aliquot veteranæ legiones contigiſſent. Per uni-

univerſam aciem circumvolanti, ſuorumque calamitatibus quà hortatoria voce, quà ſtricto ferro in tempore occurrenti plumbea pila transfoditur, quo vehebatur, equus; alium mox ſibi à Domino Henrico de Morle ſtrenuiſſimo Gallo, & præſidiariæ turmæ Ductore oblatum, è veſtigio conſcendit; mox cum obviis fortè legionum Tribunis Ludovico à Sylva Telles, Joanne Saldanha, Franciſco Mello Torres, Martino Ferreyra, & D. Joanne à Coſta tormentorum Præfecto, quid arctiſſimis in rebus agendum raptim pro tempore conferret: *Quid agendum? (unanimiter omnes reſpondere) Aggredi, & mori, ut veros deces Luſitanos.* Tunc per univerſas legiones fulminis ocyor alis obequitans Albuquercius: *Eia* (clamat) *ſtrenuiſſimi Luſitani, mori potiùs; quàm coram Sereniſſimo Rege comparere, in hoſtium poteſtate relicto ejus exercitu.*

146 Mirum, quàm ea Imperatoris vox deliberata morte ferociores Luſitanos univerſos ad inferendam ſtrenuè; vel ferendam audacter pro Patria, & Rege glorioſam mortem accenderit. Igitur Tribunis, & Ducibus præeuntibus, alii ſtricto ferro, alii denſiſſima, nec uſquam intermiſſa ſclopetorum exploſione, in hoſtem pene jam parta victoria exultantem rabidorum inſtar leonum invehi; equos, equites, pedites promiſcua cæde involvere; nullis, nec ſupplicibus parcere: mox ad capta tormenta, & impedimenta eodem ardore progredi, utraque à præſidiariis obnitentibus, ingenti eorum edita ſtrage, recuperare. Sic inteſtinis (ut ita dixerim) hoſtibus ad unum occiſis, ordinatisque hactenus turbatis legionibus, præter aliquas, quæ obfirmatæ perpetuò reſtitere, adverſus Caſtellanam aciem, tot ſuorum amiſſis jam remiſſiorem, & ad ſuum equitatum, qui ex quo Luſitanus abſceſſerat, ad fluvium Anam inſtructis agminibus conſederat, ſe recipientem inſolita fiducia movere. Ad hæc, recepta jam tormenta, ſclopetariis globbulis referta in recedentes Caſtellanas legiones paſſim, nec ſine plurimorum ſtrage exonerare. Tandiu denique recedentem hoſtem inſtanter perſequi, donec primi pedites, mox equites ad ulteriores Anæ ripas opportunò tum vado placidè fluentem tutò evaderent, longè interim agente Luſitano equitatu; qui ſi adeſſet, ac retrocedentium Caſtellanorum extremis veſtigiis inſiſteret, ſupremam eiſdem cladem adferret. Tranſmiſſo fluvio à Caſtellanis adhuc minas, & militarem ferociam ſpirantibus, exultabundi Luſitani, jactis in aëra galeris, auditi ſunt diſſonis clamoribus victoriam conclamare, Sereniſſimoque Regi ſummam felicitatem adprecari. Poſtea Caſtellani ad Talaveruelam oppidum tribus exinde milliaribus diſſitum ſe recipientes, ſparſis per univerſam Europam apologiis, eam ſibi victoriam nocturnis luminibus, aliisque feſtivis plauſibus celebratam vendicarunt. Commiſſum ea, qua dixi, ratione Montigienſe (ut vulgò dicitur à proximo ejus nominis everſo jam oppido) prælium die 26 Maji anni 1644, in quam incidit Corporis Chriſti Domini ſolemnitas, tenuit totas ſex horas à nona matutina ad tertiam pomeridianam. Quod ejus diei fuit reliquum, eodem loci Luſitani ſubſtitere, ſuis ſauciis, & hoſtium colligendis ſpoliis intenti. Iidem, appetente nocte, ad oppidum proximum *Campo Maior* diſtans à loco prælii per unum, & viginti milliaria, nemine obſtante, receſſere. Hæc ſunt ita univerſis explorata, ut vel ipſi Luſitani, Caſtellanique in his ferè mutuò conſentiant; in recenſendo verò militum numero, quibus uterque conſtaret exercitus, quot ex utriſque capti, ſaucii, occiſique fuerint, multùm iidem inter ſe diſcrepant; quid hac in parte utriuſque Gentis relationes aut extenuent, aut amplificent, tandemque quid

externi Duces in utraque acie militantes datis ad ſuos literis affirmarint ſumma fide referre tentavi; verùm tot, tantaque in quadam adulterata relatione mendacia deprehendi, ut in eis recenſendis tempus, & operam perdere abſurdum duxerim. Quare futuris olim Hiſtoricis inveſtigandæ, confirmandæque veritatis eâ cura relicta, ex iis, quæ à me hactenus certo certiùs dicta ſunt, promptum erit meis commilitonibus, cui potiſſimum ea ceſſerit victoria, deliberare.

141. Sic Primum impliciti prælii ſeriem luculenter evolventem excipit ſecundus, cui Caſtellanæ partes ſtrenuè obeundæ fuerant demandatæ. Invictis (inquit) Hiſpanis Montigienſem adjudicandam victoriam ſiquis fortè inficiabitur, eum vincendi omnino rudem, liberi judicii penitus expertem, & ad meridianæ lucis radios prorſus cæcutientem, rerum mediocriter prudens quilibet judicabit. Id quidem, etſi multis facilè poſſim evincere, paucis mihi propoſitum inſtitutum pro re præſenti conficiam. Et primùm omnium nemo neſcit, eum verè, meritòque victorem appellandum, qui militari peritia, bellicaque virtute adverſarium ſuperavit; non enim Andabatarum more pugnantes, non ferocium belluarum inſtar, humanum ſanguinem effundentes victores cenſeo appellandos. Jam verò quantùm eo prælio militaris peritiæ, ac bellicæ virtutis laude Hiſpani Luſitanis præſtiterint, mecum, quæſo, animadvertite. Summa in primis fuit inclyti Molingueni militaris ſapientia, tum in eligendo loco, ſuo longè numeroſiori, & validiori equitatui magis opportuno, tum in acie inſtruenda, objectis in prima fronte veteranis legionibus, quarum ſtrenuiſſimi, nobiliſſimique milites, vel ſolo aſpectu hoſtes poſſent deterrere, ac exanimare: ejuſdem ſapientiæ fuit imperare, ut à dextro ſui exercitus cornu moveretur longè validior equitatus in ſiniſtrum hoſtium, ubi turmas infirmiores animadverterat. Horum verò qualis, quantaque peritia ſimul, & fortitudo? Qui ad primam impreſſionem nutantes, & trepidantes hoſtium turmas inſequuti, data opportunitate uſi, per mediam irrupere aciem, turbatis, proculcatiſque ordinibus poſt cæſos ad ſatietatem hoſtes, eorum tandem bellicis tormentis, & impedimentis incredibili virtute potiti, ad extremum vita potiùs, quàm nobili præda ſpoliari, aut in hoſtium poteſtatem venire maluere. Quid altera noſtri equitatus pars? Cui ad fluminis ripas cautè recedenti immeritò turpis fugæ notam inurunt adverſarii. Quantum in eo receſſu militaris prudentiæ, ſimulque fortitudinis ſpecimen edidere? Cùm enim univerſum Luſitanum equitatum, paucis exceptis, ſubitò evanuiſſe noſtri animadverterent, rati callidi Imperatoris juſſu id factum, & ad præoccupandam ulteriorem Anæ ripam advolare, illuc data opera conceſſere, in tempore venientibus occurſuri: iidem ſuis facilem tranſitum, ſi fortè adverſa monerent, ut accidit, munituri; vel ſi eorum legiones, ut certior illis ſpes erat, noſtras fugarent, poſſent fugientium tergo recentes inſiſtere, ne quis hoſtium ab inſequentium equitum manibus, aut velocium equorum pedibus elaberetur. Quàm prudenter, ac ſtrenuè (modò annueret fortuna) ab illis concepta omnia, & diſpoſita!

142. Conferantur modò cum ſtrenuiſſimis, & peritiſſimis Hiſpanis Luſitani equites, ac pedites. Illi quidem à noſtris perſequentibus agitati (ne dicam fugatos) ſuas certè legiones abruptas, & turbatas in ſummo diſcrimine deſeruere, omni vitæ, ne dum victoriæ, ſpe prorſus abjecta. Pedites per ſummam militaris diſciplinæ imperitiam præpoſterè pila elevantes non modò

 ſuo,

ſuo, ſed noſtro etiam equitatui ad ſui, ac ſuorum exitium facilem aditum præbuere. Iidem laxatis, penitusque ſolutis ordinibus ad proprias ſtationes redire neſcii extremam ſibi perniciem, quam ſors, non virtus inhibuit, propè conflarunt. Quòd ſi aliquando victis rediit in præcordia virtus, reaſſumptiſque animis demiſſas hactenus auriculas erexere, quam falsò appellant militarem virtutem, eam belluina ferocia, multiſque barbaræ ſævitiæ paſſim editis documentis corrupere; nullis, ne ingenuis quidem ſupplicibus, veniam exorantibus vita conceſſa, univerſis ad unum cæſis. Non multos inhumaniter occidiſſe, ſed plurimis clementer pepercisse ingenui victoris eſt gloria ſingularis. Fruſtra de victoria gloriatur, qui ſe ipſum vincere, furentique iræ modum ponere non valuit. Timere ſe invalidum hoſtem fatetur, quiſquis inermes, ac ſupplices tendenti manus, violentas injicere non exhorruit. Quàm noſtri equites clementiùs, eòque generoſius! Qui per mediam Luſitanam aciem volitantes, vitæ, neciſque arbitri, ſeptingentos, ut noſtri prædicant, vel ducentos ſaltem, ut iidem hoſtes ingenuè fatentur, ab ipſius mortis faucibus eripere, in captivitatem ductos, quàm perdere, cùm facilè poſſent, maluerunt. Viciſtis planè invicti Heroes, cùm tot hoſtes victrici clementia ſervatos vobis devinxiſtis. Si vel unum civem in bello ſervare triumphale facinus Civica donandum corona meritò habetur, quid tot hoſtes in ipſo ardentioris belli conflictu imminentis lethi neceſſitati ſubtrahere, eoſdemque in tuto poſitos perhumaniter habere? Abeat malis avibus, quiſquis inhumanos ſævientis Bellonæ miniſtros, fœdæque crudelitatis artifices, non verò generoſæ clementiæ authores, prodigioſæque humanitatis exhibitores audeat deinceps victores prædicare. At ſub finem prælii (dicet fortaſſe aliquis) defecere Hiſpani, genuinæque virtutis immemores, privatæ potiùs, quàm publicæ ſalutis, habita ratione, dum ad labentem fluvium properè dilabuntur, penè partam victoriam inſequentibus ſe hoſtibus, & in acie poſtea perſiſtentibus tranſmiſſo fluvio tranſmiſere. Id quidem, quod inficiari non poſſum, Luſitanis malim objicere, quàm objicientibus reſpondere. At non propterea contortum in me validiſſimum quidem telum ingloriùs omnino declinabo. Illud rationum quaſi parma protecto repellere, quin et in adverſarios retorquere, præſens mihi eſt animus.

143 Oculos (fateor) à furentibus, ſuoſque ferientibus alſorſum avertere Hiſpani, non tam Luſitanæ virtutis, quàm crudelitatis horrore. Quis ignavum appellet ſolem tenebrarum victores radios à Thyeſtæa ſævitie (ut perhibent) avertentem? Quis neſcit à Parthis fugam ſimulantibus partam ſæpe victoriam? Eam ſemel adeptam in patriam reportare, in tutoque collocare Hiſpani conſultiſſimè voluere; ne ſibi ab audacibus plus nimio Luſitanis extorqueretur. Veriti quidem ſunt, ne omnigenæ prædæ aſſueti, inhiantesque hoſtes opimam à ſe comparatæ victoriæ prædam iidem quoque vellent eripere. Non aliquando fugiſſe, vel (ut ſpecioſioribus verè dicam verbis.) Non ſemper imminenti periculo, quod cavere aliter nequeant, ſe opportunè ſubduxiſſe ſtrenuiſſimis Ducibus, & militibus probro datum. Antigonus olim hoſtibus ingruentibus cedens dixit: *Se non fugere, ſed utilitatem retro ſitam perſequi*, ſentiens non eſſe turpe fugere, quoties magis expedit hoſti dare locum, quàm manus cum illo conſerere. Demoſthenes etiam clypeum ſuum literis aureis inſcripſerat: *Bona fortuna*; verùm cùm ad pugnam ventum eſſet, illico abjecto clypeo aufugit: id cùm illi probro daretur, aptè reſpondit:

Stob. ſer. 63.

Vir fugiens redintegrabit prælium, indicans utilius eſſe patriæ fugere, quàm in prælio mori; mortuus enim non pugnat, at qui fuga quæſivit ſalutem, poteſt in multis præliis patriæ uſui eſſe. Quoties egregius bellator David (ut cæteros taceam) à facie Saulis, Abſalonis, Achis, & aliorum vel ſubterfugiſſe, vel ſe laudabiliter ſubtraxiſſe commemoratur; non quidem præſentià pericula timidè declinaturus, ſed majora olim opportuniùs, & utiliùs præſentiori animo ſubiturus! Haud aliter ſtrenui Hiſpani ad futura olim majoris momenti prælia eo minori defuncti ſe patriæ ſervare prudenter deliberarunt. Adhæc, ſi Luſitani, univerſo eorum equitatu fugam effusè capeſſente, ad primum ineuntis prælii concurſum victores ſe nihilominus jactant, cur Hiſpanis poſt adeo illuſtria in eo prælio edita bellicæ virtutis documenta, eorum legionibus ad fluvium lentè recedentibus, victoriam longè potiori jure ſibi arrogare non liceat? Si ad extremum iidem Luſitani de Taurinenſis olim prælii victoria tantopere ſibi plaudunt, cùm planè conſtet, nec iidem inficientur, fuſum, fugatumque Regem Alphonſum quintum non in Luſitaniam, ſed in Galliam facti pudore ductum ſe recepiſſe, cur Molingueno, ejuſque copiis ſe ad fluvium, eoque tranſmiſſo ad proximam Talaveruelam recipientibus, ac tot Luſitanos captivos deducentibus, Montigienſis victoriæ gloriam invideant? Non dubito certè, quin iis, aliiſque, quas data opera omitto, expenſis rationibus, eam Hiſpanis adjudicandam rerum prudentes, & libero judicio prædıti fateantur.

144 Ubi pro Caſtellanis dicendi finem fecit ſatis ingenioſus Declamator, ſic Luſitanum jus acriter ab injuria vindicare ille, cui munus id fuerat à Principe commiſſum, aggreſſus eſt. Certè (inquit) ſi Montigienſem victoriam non ſimulatè, ſed verè Caſtellani ſibi tribuendam, me audito, adhuc adlaborent, non eis erit injurius, quiſquis Superos enixè rogabit, ut plures illis haud abſimiles annuant victorias: & verò non pluribus opus erit, unica ſimilis tantùm ſufficiet ad enervandam, penituſque labefactandam adeo inclytam, & victricem Nationem; ita ſentiente, palamque aſſerente viro expertiſſimo, maximæque apud illos exiſtimationis. Is plurimos, ac ex iis ſtrenuiſſimos quoſque tum equites, tum pedites Caſtellanos in eo prælio cecidiſſe pro comperto habens, indubium Caſtellanæ militiæ occaſum præſagire non dubitavit, ſi fortè pari eventu iterum cum Luſitanis congrederentur. Alius ejuſdem Gentis, ac hujuſce prælii ſcriptor meritò commendat eximiam cujuſdam ſui Curionis ſacri pietatem, qui ſequenti mox die quatuor mille cadavera ibidem terræ mandavit; quorum ad nos mille, ad illos tria millia pertinuiſſe liquidò conſtitit ex diligenti poſt prælium facta ſuperſtitum noſtrorum militum recognitione. Hiſce tamen minimè obſtantibus, nocturnis ubique accenſis ignibus militaris plauſus indicibus, victoriam, ſeu (ut veriùs prudentiores dixere) funereis facibus ſuorum parentalia Caſtellani celebrârunt, non nihil certè tum apud ſuos, tum apud exteras Nationes eo artificio profuturi, niſi vulgari jam, & familiariſſimo commento ſuis luctum, cæteris gentibus riſum movere ſoleant; conſciis univerſis frequenti experimento maximam quamlibet ab illis acceptam cladem maximis publicæ lætitiæ ſignificationibus induſtrioſè ſolitam refutari: prudenterne illi, ac è re propria hujuſmodi militari ſtratagemate aut uti, aut abuti pergant? Ventilent iidem, politicique dijudicent. Meum in præſentiarum erit veridici relatoris narrationi unicè inſiſtendo, palam omnibus facere non modò Mon-

tigienſis prælii victoriam fuiſſe omnino, indudièque Luſitanam, ſed eandem cum maximis quibuſque tum Luſitanorum, tum cæterarum gentium victoriis meritò conferendam: primum, utpote meridiana luce clarius, brevi exequar: ſecundum pro rei magnitudine lentiùs, & luculentiùs, nec ſine audientium (ut puto) aliquali voluptate, erit à me pro virili convincendum.

145 Profligatum à ſtrenuis Luſitanis Montigienſe prælium, in eoque victores illos extitiſſe ſiquis fortè obſtinatè diffitebitur, is profligatæ ſe mentis reum, vel militari ſumma inſcitia, nationalive paſſione penitus obcæcatum apud probos, rerumque peritos viros planè profitebitur. In eo certè prælio Caſtellanis accidit, quod multis frequenter uſuvenire ſolet; Luſitanis, quod paucis, contigit: non mihi, ſed Polybio quaſi utroſque indigitanti fidem haberi volo: *Res arduas* (inquit) *graviter ordiri, & impetu quodam ad incrementa rerum contendere, multis jam contigit; ſed propoſitum ad finem deducere, & ſicubi fortuna obſtiterit, ratione & induſtria id, quod promptitudini, ac alacritati decedit, adimplere, paucorum eſſe videtur, &c.* Strenuè (fateor) at quod multorum eſt, arduum prælium inivere Caſtellani, primo, eoque validiſſimo impetu in noſtros invecti; propterea ſumma digni laude, ſed Tacito adverſus eoſdem ſententiam proferente: *Turpis finis egregiam laudem maculavit*; felixque initi prælii auſpicium inauſpicatus corrupit exitus. E contra Luſitani ad propoſitum finem improſpera initia deducentes, cæptam ad hoſtes inclinare victoriam, extrema tamen fortitudine unicè gaudentem, ad ſe declinare compulerunt. Obſervant curioſi naturæ ſcrutatores Aquilonem initio vehementem deſinere leniorem; Auſtrum è contra initio leniorem deſinere vehementiorem. Quis neget Aquiloni Caſtellanos, Auſtro ſimillimos Luſitanos in eo prælio extitiſſe? Præcipites illi, ac vehementiſſimi prælium ſunt adorti, ſub cujus finem quaſi Aquilonari frigore torpuere; Luſitani è contra initio leniores, vehementiſſimo ad extremum flatu, inflatos antea hoſtes, veluti leves paleas adverſis ventis volitantes, diſlavere. Primo alludentis Bellonæ ſucceſſu elati Caſtellani exultare cæperunt; at immodici gaudii extrema luctus occupavit: è converſo, generoſum Luſitanorum mœrorem ex primitivo infelicis pugnæ eventu conceptum ſupremæ victoriæ cumulatiſſimum gaudium excepit. Licèt facti dimidium, qui bene cæpit, habeat, ac in medio virtutem conſiſtere vulgò dicatur; at neque ab optimo initio, mediove, ſed ab optimo fine humanarum quarumlibet actionum veram deſumi, ac denominari virtutem indubium eſt Philoſophorum omnium mutuò conſentientium placitum. Iidem non in producendis præmiſſis, ſed in deducenda ex illis extrema concluſione evincendæ veritatis gloriam ponunt. Simili ratione præcellentis Rhetorici præcipua laus eſt, non in explicando exordio, ſed in ſuprema, validaque peroratione, cui demum perficiendæ, adverſariiſque convincendis ingenii vires omnes intendit. Quid prodeſt in ſtadio certanti ad conſequendum propoſitum bravium perniciſſimo curſu è carceribus præcurrere, ſi paulò poſt ab æmulo ad metam citiùs accedente præventus, ob amiſſam indecorè palmam, omnium victori plaudentium ſibilis demum excipiatur? *Abſque perſeverantia* (inquit appoſitè in rem præſentem Bernardus) *nec qui pugnat victoriam, nec palmam victor conſequitur.* Quæ cùm ita ſint, quis, quæſo, erit adeo mentis inops, cui veniat in mentem Caſtellanis ſtrenuè quidem incipientibus, at perperam deſinentibus, minimèque in acie perſeverantibus, ſed

Polyb. l. 16

Tacit. hiſt. lib. 4.

S. Bern. ep. 129.

è loco pulſis, & celerrimè ultra fluvium recedentibus, nec niſi apud Talaveruelam conſiſtentibus victoriæ palmam adjudicare? Eam certè manifeſto jure magnanimis Luſitanis adſcribendam nemo jam, vel maximè Caſtellanus, vel eorum partibus plus nimio addictus, in dubium deinceps vocare audebit.

146 Illi nanque licèt aliquandiu ancipiti Marte dimicarent, àt neque prævalentium hoſtium ſuperante multitudine obruti, neque ſæpe nutantis, & ad ipſos hoſtes inclinantis fortunæ torvo aſpectu deterriti, neque tandem ſuorum, aut ſtrenuè cadentium, aut in ſummo diſcrimine ſe deſerentium multiplici infortunio perculſi; quin immò tot ſimul ingruentibus malis infracti, animoſioreſque redditi, hoſtes longè majoribus, quàm ab illis acceperant, cladibus affectos demum cedere, fluvium tranſmittere, patriumque ſolum à ſe per plures poſtea horas occupatum, perſeveranterque retentum relinquere coegerunt. Id unum, etſi cætera, quæ multa fuere, abeſſent, manifeſtum exploratæ victoriæ ſignum communi jam omnium gentium conſenſu habetur; Majori Plinio viro militari, & Veronenſi (quo proinde majus nequit optari) huic indubiæ veritati luculentum teſtimonium perhibente; *Summum* (inquit quaſi Montigienſem victoriam deſignans) *apud antiquos ſignum victoriæ erat, herbam porrigere victos, hoc eſt, terra, & altrice ipſa humo, & humatione etiam cedere; quem morem etiam nunc durare apud Germanos ſcio.* Quid pro re præſenti aptius, veriusque dici, aut excogitari potuit? Nimirum Caſtellani, dum terra, & altrice ipſa humo, ſuorumque humatione die illa ceſſere, victoribus Luſitanis herbam porrigentes, victos ſe ingenuè profeſſi ſunt; Germanis fœderatis, & in eorum acie tunc militantibus ſolemnem eum apud ſe morem atteſtantibus. Nec dubito, quin eadem tunc fuerit, etiamque nunc ſit, Caſtellanorum omnium concors ſententia: graviſſimam certè injuriam illuſtriſſimæ Genti ſummo judicio præcellenti inferret, quiſquis eorum aliquem prudentem virum aliter ſenſiſſe aut crederet, aut in re adeo evidenti miſerè cæcutire aſſeveraret. Quòd ſi Caſtellani ex cujuſdam Pardi ſuo Torrecluſæ adulantis, & alterius Genevenſis (ut dicitur) venalis, & ſubornati relationibus multò diverſa, longèque à germana veritate aliena per univerſam tunc Europam data opera evulgarunt; quis ſimilium artificiorum conſcius neſciat politicum id fuiſſe ſtratagema, luminaribus ab iiſdem ubique accenſis conſonum; quò apud ſuos, apud ſocios, exteraſque nationes propriæ exiſtimationi multùm alioqui lapſuræ conſulerent. An verò id non ſemel uſurpatum commentum illis proceſſerit, amicis, & fœderatis credentibus, cæteris dubiis, vel incredulis, ipſi viderint. Certè ſimilis artificii ſæpius iteratus uſus fidem facit, non nihil exinde aut ſolatii pro ſuis, aut utilitatis pro exteris eos tunc percepiſſe.

Plin. hiſt. l. 22. c. 4.

147 Aſſerta nihilominus ex dictis evidenter pro Luſitanis indubia Montigienſi victoria, fuiſſe illam unam è maximis, tum Luſitanorum, tum cæterarum Gentium (quoniam id quoque à me initio propoſitum eſt) non erit difficile confirmare. Si confligentium inter ſe militum numerus, aut breve, quo exarſit prælium, tempus tantummodo æſtimentur, haud valde magnam, nec maximi faciendam adeo exiguis impendiis partam victoriam quilibet Veterum repetita memoria exiſtimabit. Numerus quidem commiſſorum inter ſe utrinque militum, ſive juxta noſtram, ſive hoſtium ſupputationem, quindecim millium non exceſſit: prælium non ultra ſex horas pro-

tra-

tractum. Quid hæc ad Xerxis, Darii, Turcarum, & aliarum Gentium innumerabiles copias, à quibus magna flumina exſiccari, campos, montes, & valles obumbrari; prælia denique per dies plurimos, & continentes noctes commiſſa memoriæ proditum eſt. Verùm ſi Montigienſis prælii omnia, & ſingula rerum momenta, quæ victoriæ à Luſitanis comparandæ adverſabantur, paulò attentiùs expendantur, maximam eam fuiſſe, cum maximisque totius retroacti ævi meritò conferendam prædicabitur. Vidit quidem ea dies duas totius Europæ, adeoque totius orbis ſtrenuiſſimas Nationes, paribus profectò animis, & odiis, licèt imparibus viribus, pro militari gloria, pro cujusque Monarchiæ ſecuritate, pro ſumma rerum acerrimè decertantes. At ante commiſſum prælium nihil non Caſtellanis, nihil è contra Luſitanis, præter ingenitam Martiæ gentis virtutem, certam omnino victoriam ſpondebat. Conflabant Caſtellanum exercitum partim ex univerſis Hiſpanis, Neapolitanis, & Valonibus, partim ex fœderatis Germanis, & Irlandis Duces, ac milites veterani, longo militaris diſciplinæ uſu exercitatiſſimi, multiplici apud Belgium, Italiam, & Catalauniam, ubi ſæpe cum validiſſimis hoſtibus in acie decertaverant, victoriarum laurea glorioſi: eorum plurimos præcipua nobilitas, maximum rei bene gerendæ irritamentum, commendabat, inſuperabilesque fore pollicebatur: pauci tyrones veteranis immixti ex iis erant, quorum nuper oppida, & fortunas univerſas Luſitani aut incenderant, aut jure belli proprii juris effecerant; quare acrioribus ipſi, quàm veterani, vindictæ ſtimulis agitati, ferocioresque in aciem procedebant. Ex univerſis peditum ſex millium, equitum ſexcentorum ſupra duo millia numerum expleri incorruptæ fidei transfugæ, captivique haud multò poſt ſynceriùs prodidere. Hujuſmodi aciem ex proximis præſidiis ſedulo delectu recenter adductam, & in patrio ſolo congreſſuram, haud longè inſpectantibus, maximamque præliandi fiduciam facientibus vicinis ſuorum oppidis, apud latè patentem planitiem ſuo equitatui, & numeroſiori, & generoſioribus equis prævalidiori ſatis commodam, inſtruit per otium, noſtris adhuc longè agentibus, impiger Molinguenus juxta fluvium Anam, inſtar munitiſſimi valli exercitus utrunque cornu tutò claudentem, & noſtrorum illac incurſum objectis riparum quaſi repagulis prohibentem. Ad hæc, peropportunum vadum, quà fluvius ſolito pigrior, & exilior tunc flueret, in ipſius tranſitu cautè obſervarat; ut ſi fortè res poſceret, inauſpicatusque futuri prælii eventus aliquis ſuaderet, illac ad proximam Talaveruelam, tribus tantùm milliariis exinde diſtantem, indemnes copias poſſet revocare. Tandem per omnia providus Imperator, nequid ad certam victoriæ ſpem ſibi deeſſet, copias ita diſpoſuit, ut ea tempeſtate ſolito vehementiùs flans Auſter, excitandusque ab eo ad equitum procurſum pulvis ſuorum terga, & noſtrorum oculos verberarent. Crederes ita inſtructam Caſtellanam aciem, non tam ſuperventuros hoſtes, quàm certiſſimum eorum excidium torvo æquè, ac triumphali obtutu, deſignare.

148 E contra Luſitanis infeſta omnia, infauſtum prælii, ſi fortè incideret, exitum, niſi ab eiſdem propitii Superi averterent, ominabantur. Conſtabat illorum exercitus, cùm primùm ex Elviis, cæterisque præſidiis prodiit, ſex mille peditibus, mille, ac centum equitibus, Hollandis centum, & ſeptuaginta, paucioribus Gallis, cæteris Luſitanis: ex his, qui veterani appellabantur, à biennio recenti militiæ nomen dederant; cæteri, vel ad eam in

Caſtel-

Caſtellam irruptionem, vel paucis abhinc menſibus conſcripti milites; univerſi propè campeſtris pugnæ penitus inexperti: rari admodum confligentes inter ſe acies aut legerant, aut viderant, ſolis expugnandis hoſtium arcibus, & oppidis exerciti; cætera, quæ ad abſolutam militiam ſpectant, nativa, ſed inculta Gentis fortitudine utcunque ſupplente. Ad hæc, iidem per duodecim jam dies nocturnis vigiliis, ut in ſolo hoſtili, confecti, diurnis itineribus fatigati, tot oppidorum tum expugnatione, tum everſione delaſſati, ſpoliorum inſuper ex opulentiſſimis oppidis à ſe direptis ſarcina impediti ſimul, immodicèque prægravati, paratiſſimo, ac integris viribus, militareque otium agenti hoſti occurrere ſunt coacti: ex Montigio jam progredientibus acceſſerat gravius adhuc, ac prorſus exitiale malum, à continenti toties victricium armorum felicitate plus nimia orta fiducia, mox hoſtium, ſuorum cladibus hactenus indormientium, néque unquàm præſenti auxilio ſuccurrentium, incredibilis contemptus; adeo ut, nonnullis prudenter in tempore monentibus adventantis properè hoſtis haud obſcura ſigna deprehendi, Albuquercius effusè irriſerit, palam profeſſus altiori hoſtes lethargo eſſe devinctos, quàm ut ab eo poſſent ſuorum clamoribus excitari, aut experrecti demum ſibi, ac ſuis toties victoribus armati obviàm procedere auderent. At brevi perſpecta hoſtium vicinia, & inexcuſabilis prælii neceſſitate prævisa, majori præſentiſſimi animi exhibita confidentia, præteritæ, ac præpoſteræ fiduciæ aliqualem maculam ſatis eluit. Igitur dicto celeriùs in patenti hoſtili planitie per ſex leucas in longum, per unam, & dimidiam in latum excurrente, exiguo ſuorum equitum numero propterea valde incommoda, in conſpectu hoſtium jam pene irrumpentium (quod difficilimum æquè, ac intutum) quadrata figura ordinat aciem, undique ab hoſtibus, ſi vellent, invadendam; nullo præterea fluvii, lacus, arborum, collis, aut modici aggeris præſidio circummunitam; longiſſimo ſeptem exinde leucarum ad Luſitana præſidia receptaculo. Quid deinde hoſtibus auſpicatò, quid noſtris improſperè acciderit, quia luculenter à Narratore optimo proximè audiſtis, non eſt, cur in memoriam reducam. Duo tantùm minimè prætermittenda, quæ illi exciderunt, maximèque faciunt ad memorabilis victoriæ magnitudinem commendandam, brevi delibo.

149 Noſtrum equitatum, ſeptuaginta exceptis equitibus, qui ſub ſtrenuiſſimo Duce Henrico à Morle Gallo, ſtrenua legionariis præſtita opera, maximum ad victoriam momentum contulere, partim ab hoſtibus fugatum, partim in fugam ſe dantem conſpicatus Albuquercius, etſi altè (ut par erat) indoluit, preſſo tamen in magnanimo pectore dolore, conſtantique vultu intimi mœroris ſignis diſſimulatis, Tulli Hoſtilii Romanorum inclyti Regis ſimile factum æmulatus, ſuis addit animos, quaſi ipſe mandaſſet, ad intercipiendum Caſtellanis fluminis tranſitum; ſpes inde noſtris, metus hoſtibus, primaque futuræ victoriæ fax exarſit. Nec à regii, & egregii planè Imperatoris eximia laude ceſſarunt ipſius milites; quibus parum fuit hoſtes ſuperare, niſi pro Caſtellanis præliantia tunc elementa quoque viciſſent. In majori ſævientis pugnæ ardore, ab Auſtro Caſtellanis commilitante ſubitò commota vehemens tempeſtas validum imbrem confertiſſima grandine mixtum in noſtrorum militum adverſa ora effudit; idem extincta ſclopetaria face, corruptoque nitrato pulvere arma ea inutilia prorſus reddidit. At non ſubito, adverſoque nimis caſu territi, tardative Luſitani; abjectis ſclopetis,

Florus l.1. c.3.

 eductiſ-

eductiſque omnes gladiis animoſiores conceptas æſtuanti pectore iratum flammas in hoſtes effundunt, effuſoque largè proximiorum ſanguine, terram inundantes cæteros fundunt, fœdèque fugant; fortiter apprehenſa, quæ ſe ipſos aliquando effugerat, & ab invalidis invitorum hoſtium manibus validiſſimè demum extorta victoria: at quali, quantaque victoria? Qualem, quantamque vix unquam aliàs poſt hominum memoriam, talibus ornatam veræ gloriæ appendicibus, adeptamque nec Majores noſtri meminere, nec veterum, recentiumve Annalium monumenta poſterorum memoriæ commendavere. Profligarunt alii longè majores hoſtium copias; plures à paucioribus ſæpe devicti; plus humani ſanguinis ab aliis alibi effuſum; incruenta multis, eòque æſtimabilior, maxima nonnunquam parvo impendio ſtetit victoria: hiſce, ac ſimilibus affinia exempla eruditos Annales evolventibus paſſim occurrent; at præter expenſas à me hîc iniqui Martis adeo inæquales conditiones, viciſſe demum propè victorem, adeoque ſtrenuum hoſtem, ſpoliis, tormentis bellicis, & captivis jam potitum, & (quod caput eſt) fuſo, fugatoque penitus equitatu nudatum exercitum, interceptis ab hoſte bellicis tormentis, ruptis legionibus, turbatis, & protritis ab hoſtili equitatu ordinibus, iterum tamen in ſe rediiſſe, quodammodoque revixiſſe, ac victorem glorioſiùs evaſiſſe, nullibi, niſi de ſtrenuiſſimis in Montigienſi prælio Luſitanis, uſquam legitur; nulliusque propterea gentis omnium, qui nos conſequentur, dignioribus encomiis, & admiratione major Montigienſi Luſitana victoria perpetuò celebrabitur.

150 At ne omnino impune ſit meo æmulo tam multis adverſus inclytam gentem Luſitanam blateraſſe; ne illius impunitate ſimilia quis deinceps audeat, ineptireque pergat, illius præcipua pro ſua umbratili victoria argumenta, cæteris omiſſis, ubi convincam, ne coram eruditis viris mutire deinde auſit, victor ipſe quoque omnium judicio efficiam. Primùm omnium prælii apud Taurum Urbem olim inter Luſitanos, & Caſtellanos commiſſi victoria, cujus extremo loco meminit, liberarum omnium Gentium conſenſu Luſitanis fuit adjudicata, ſimili omnino ratione, qua Montigienſis prælii palma: licèt enim propè victori Caſtellano ceſſerit cum parte Luſitani exercitus Sereniſſimus Rex Alphonſus quintus; tamen ejus Filius Regni Princeps, & poſtea Rex Joannes ſecundus cum reliquis Luſitanis copiis, poſt profligatos, fugatoſque pene victores Caſtellanos, in acie triduo perſeverans indubiam, & glorioſam victoriam ab eorum manibus extorſit. Crudeles deinde humaniſſimus vir appellare Luſitanos minimè dubitat, qui ſuis Caſtellanis Luſitani ſanguinis avidiſſimis, cædeſque in obvios quoſque paſſim ſpargentibus, dum per mediam eorum aciem haud impunè volitarent, vitam eripuere, quò propriam tutarentur: feſtiva ſanè accuſatio! ea ratione poſſet crudelitatis accuſare illos, qui immiſſum in proprias domos ignem, ne latiùs in eorum perniciem ſerpat, incendioque penitus pereant, ſedulò curant extinguere; vel irrumpentes in ſe leones transfodere, ne ab eorum exertis unguibus diſcerpantur. Mi amice, velim hîc haud ineptè accommodes piiſſimam D. Hyeronimi ſententiam alio, at non abſimili, ſenſu ab eo prolatam: *Genus pietatis eſt in hac re eſſe crudelem, &c.* Innuit ingenioſus Declamator, licere quidem occidi hoſtes, at non ſupplices, veniamque demiſsè rogantes. Ridiculum planè ſubterfugium, ſuorumque generoſæ indoli nimis injurium, quos in ipſo flagrantioris pugnæ ardore modò fingit leonum inſtar Luſita-

Vaſconc. in vit. Reg. Alphonſ. 5. §. 17.

D. Hier. tom. 1. ep. 1. ad Heliod.

num

num gregem dilaniantes, modò quaſi manſuetiſſimos, & invalidos agnos ab iiſdem, quos victos pronuntiat, veniam ſuppliciter exorantes. Non convenit certè hoc tuum cum alio tuorum longè diverſo teſtimonio, qui pro exaggeranda ſua fabuloſa victoria falsò in ſuis confictis relationibus aſſeverant multò plures è Luſitanis, quàm è ſuis in eo prælio cecidiſſe. Igitur ſi plures adverſarios Caſtellani, quàm Luſitani occidere, multò crudeliores fuere Caſtellani, longè humaniores Luſitani. Nunquam ſibi cohærent, qui unicè veritati non adhærent. At liquidò (inquit) conſtat plurimos à Caſtellanis ductos captivos, nullum à Luſitanis. Fateor id unum verè à tuis prædicari, ſed non ſine amplificationis, qua maximè capiuntur, additamento; nequid unquam omnino verum, penituſque ſyncerum proferant, dum pro ducentis captivis, quod certum eſt, ſeptingentos, quod eſt omnino falſum, in ſua relatione Pardus egregius amplificator enumerat. Ubi verò illos ceperint, æquum eſt, ut univerſis innoteſcat. Eorum paucos, eoſque illuſtres viros inſequentium equorum multitudine obrutos in prima irruptione abripuere; cæteros tyrones quidem inexpertos, deplorata jam omnia exiſtimantes, paſſimque per hoſtiles agros palantes comprehendere. Quàm verò perhumaniter habiti fuerint apud eos (quod etiam magnificè prædicas) dicant Granatenſis, quo arctiſſimè incluſi ſunt, carcer, ferreæque catenæ illuſtriſſimis viris, tanquam vilibus mancipiis ibidem injectæ; quod crudeli morte pejus, ac deteſtabilius ingenuis eſſe ſolet. Hîc obiter obſervandum, ex hujuſmodi adverſariorum allegationibus, ſi fortè veritate niterentur, Luſitanæ victoriæ maximum ſummæ gloriæ cumulum accedere: ſi enim noſter exiguus antea exercitus, omni primùm ſuo equitatu nudatus, tam multis deinde captis deſtitutus, pluribuſque occiſis fuit ſpoliatus, ut hoſtes jactant; manifeſtum quidem eſt ad ſummas anguſtias, maximamque militum penuriam fuiſſe redactum; & tamen adeo paucorum ſuperſtitum Ducum, & militum tantam fuiſſe virtutem, ut tam potentibus, numeroſis, & florentibus adhuc hoſtibus prævalerent, eoſque demum in fœdam fugam compulerint. Qui poterunt inficiari magnam, immò ſummam eam extitiſſe victoriam?

151 Quòd verò noſtri nullum adverſariorum captivum ſecum ea occaſione adduxerint, aliis prætermiſſis cauſis, una ex multis collecta, eaque veriſſima ſatis, ſuperque ſit. Abſoluto nimirum arduo, ac difficilimo prælio noſtris, vel equitatus expertibus, non licuit effusè fugientes hoſtes, à quibus captivos abducerent, perſequi; vel obſervato maximi Scipionis humaniſſimo, ſalutarique conſilio, fugientibus hoſtibus parcendum, viamque muniendam cenſuere: & meritò; fuga enim hoſtium paratur ſalus militum fortiter pugnantium, Pyrrho adſtipulante, qui conſulentibus quibuſdam hoſtes ita circumveniendos, ut ne fuga vitam eripere poſſent, reſpondit: *Hoſtibus nequaquam intercludendam, ſed aperiendam potiùs eſſe viam, quò citiùs magna cum ignominia fugiant.* Ariſtide præterea, & Alphonſo conſentientibus; quorum primus Themiſtocli ſæpe dixiſſe fertur: *Non eſſe ſolvendum pontem, ſed alium potiùs faciendum, quo abiret Xerxes atrociſſimus.* Secundus longè conſultiùs eum laudare maximopere ſolebat, quicunque fugientibus hoſtibus argenteum pontem extruendum dixiſſet. Exiſtimabat enim, aut multò optabilius eſſe hoſtes in fugam vertere, quàm capere, vel occidere; aut hoſtes pecunia ſolicitandos, ut ab acie diſcederent: vel tandem Caſtellanorum Ducum, & militum armis, quibus ſtratus campus horrebat, quàm ipſis Ducibus, & militi-

bus

bus colligendis utiliorem operam impendere Luſitani maluere. Unum eorum ſpoliorū opimum quidem haud valuere, vel noluere noſtri ſecum aſportare; maximum quidem tormentum bellicum, quod Caſtellani adornandæ jam fugæ certi, ut expeditiores abirent, quaſi munere ſuo malè defunctum, leviter effoſſæ terræ mandarunt. Unà cum eodem bellico tormento bellicæ Caſtellanorum tumulatæ ibidem gloriæ Luſitani adhùc per tres horas in loco certaminis commorantes juſta perſolvere; alii ſepultis terram levem; alii gravem, pro cujuſque aut mitiſſimo, aut duriori genio, ſunt imprecati: Utinam in eadem ſpelunca duplici tum Caſtellani, tùm Luſitani veteres, recenteſque inimicitias nunquam ampliùs erupturas mutuò ſepelirent! Non dubito, quin libenter darent, etſi victrices manus Luſitani; quas ſi bona fide Caſtellani tunc jungerent, & contra communem Catholicæ Fidei hoſtem conſultiùs armarent, dubia utriſque ancipiti Marte decertata victoria cederet utriſque conſentientibus. Sed quoniam averſi à Caſtellanis Superi eam illis mentem minimè tunc injecere, nec ceſſarunt deinceps repugnare, fallacis vindictæ, quàm veræ amicitiæ cupidiores, illis id ſaltem optantibus; dubiam eam fuiſſe victoriam, indignantes Luſitani fateri nunquam in animum inducent.

15. Ego tamen, cui mitior, & à ſimultatibus omnino abhorrens genius contigit, non dubitarem pace veſtra hoc illis qualecunque maximi doloris levamen enixè flagitantibus facilè indulgere, dubiamque fuiſſe victoriam utriſque communem annuere: neque propterea Luſitana gloria, vel tantillum apud exteras Nationes, maximè apud Juris Communis conſcias, minueretur. Enim verò cùm valde tritum, & vulgare ſit Civilis Juris celeberrimum illud effatum: *In dubio melior eſt conditio poſſidentis;* & alioqui ſit omnibus exploratum, neminique dubium, Luſitanos à primis conditi Luſitani Regni incunabulis eſſe in pacifica, & immemorabili poſſeſſione vincendi Caſtellanos, quoties cum illis aperto Marte conflixerint; etiam ſi gratis dubiam hanc victoriam admittamus, indubiè nobis illam univerſi adjudicabunt. Ei verò adeo inveteratæ poſſeſſioni haud parum favet minimè hìc ſilendum verſuti cujuſdam Luſitani aculeatum reſponſum: Qui miranti, & roganti olìm alienigenæ, cur Luſitani pene omnes, quoties liberet, adeo expeditè Caſtellana lingua, è converſo Caſtellani ad loquendum multò promptiores, Luſitano idiomate adeo difficilè, ràròque uterentur? Reſpondit: *Ex frequenti uſu id provenire, inſitumque utrique jam Nationi, conſuetudine, quæ altera eſt natura, in mores nativos abeunte; Luſitani enim à prima ſui Regni molitione, ut Caſtellanos, ita eorum verba fundere, perdere, truncareque; Caſtellani è contra neutri exercitio, niſi raro, & vix unquam difficilimè aſſuevere: hinc maximam in illis facilitatem, ſummam in iſtis ad loquendum pariter, & vincendum difficultatem.* Parcite humaniſſimi Luſitani, quòd tam multis fuerim in re adeo evidenti confirmanda. Parcite vos etiam, ſiqui fortè adeſtis, Caſtellani, aut à me unicæ, indubiæque veritatis ſtudio, nullo patrio, aut præpoſtero affectu recitata hæc aliquando audietis; quòd ſi mihi erga vos optimè, ſyncerèque animato vultis habere fidem, aliorum vos hoſtium, non Luſitanorum victores, ſi libet, prædicate, nè apud univerſos veritatis conſcios veſtra, non ſine maximo rerum veſtrarum detrimento, laboret perpetuò fides. At ſi non victores modò, ſed prorſus invicti eſſe, ac haberi optatis, veſtræ militari virtuti, quæ maxima quidem eſt, ſemperque fuit, Luſitanam addite, quam perpetuò inſuperabilem experti

L. ſi debitor. ff. de pig.

veſtro

veſtro ſemper malo eſtis; ſic amico, & indiſſolubili fœdere copulatis dextris nunquam diſſociandis, maximèque Deo Duce, glorioſas, mutuaſque de hoſtibus Catholicæ Fidei victorias invicem invicti conſequemini.

153 Incredibile dictu, quo plauſu exceptus eſt ſecundus Declamator Luſitanæ gloriæ aſſertor, cunctis interim Sereniſſimi Principis, & Præſidis ſententiam avidè opperientibus; eam Ille, poſt indictum immodicè ſerpenti plauſui ſilentium, ſic demum exorſus eſt. Ego quidem (inquit) probata in primis fideli narratione, utpote ſynceræ, ac exploratæ veritati maximè conformi, primi Declamatoris ſingulare laudo ingenium, Caſtellanis, quorum partes acerrimè ſuſtinuit, magnopere placiturum, ab iiſque, ſi aliquando ſciant, maximi faciendum. Enim verò non vulgari præditus ingenio ſit oportet, qui tot apparentes rationes, etſi à vero longè abeuntes, ita verò ſimiles copioſè, ornatèque dicendo reddit, ut rerum inſciis facilè imponere, ſuumque inſtitutum perſuadere poſſit. Ampliori tamen eundem laude dignum judicabo, ſi prævalentis adverſarii validiſſimis convictus rationibus, quod ſummæ ingenuitatis erit, victum ſe cum ſuis devictis Caſtellanis planè fateatur. In ſecundo Declamatore approbo primùm omnium extremam peroratíonem, ad ſynceram pacem, & ad firmiſſimas, mutuaſque amicitias adhortationem. Utinam gravibus verbis Deus optimus, & maximus veræ pacis egregius largitor optabile bonis omnibus pondus annuat! Mox, præter alia multa, ſummis eundem encomiis arbitror proſequendum, ob eximiam in eruenda è tenebris, elucidandaque veritate perſpicaciam; ob acerrimi judicii prævalidam vim in eadem præpotentibus rationum momentis confirmanda; ob acutiſſimi denique præcellentis ingenii præſtantiam in confutandis ingenioſiſſimi adverſarii argumentis. Sed jam ad propoſitæ quæſtionis ſtrenuè, luculenterque utrinque agitatæ definitionem propriùs veniendo, id velim in primis ſit omnibus exploratum; in meis Ducibus, & militibus optare me ad primam irruptionem Caſtellanorum equitum maximi certè habendum ardorem, ſimulque ad cujuſque prælii proſequutionem, & extremam profligationem Luſitanorum ſingularem virtutem, & inſuperabilem conſtantiam, ne unius quidem vel imperitia, vel indecora fuga contaminatam. Caſtellanis inclytis, & ſtrenuiſſimis ſolatio eſſe debet, quod olim potentiſſimo Mithridati Ponti Regi à Magno Pompejo victo ingens fuit ſolamen: is enim à maximo Imperatore ſuperatus: *Non tantùm ſe ipſum, & filios, ſed totum etiam regnum victori ſua ſponte obtulit, præfatus neminem alium, neque Romanum, neque ullius Gentis virum futurum fuiſſe, cujus ſe ſocietati commiſſurus foret, quàm Cn. Pompejum. Proinde omnem ſibi adverſam, vel ſecundam, cujus author ille eſſet, fortunam tolerabilem futuram: non enim eſſe turpe ab eo vinci, quem vincere eſſet nefas; neque ei inhoneſtè aliquem ſubmitti, quem fortuna ſuper omnes extuliſſet, &c.* Similiter inclytum alioqui Molinguenum, ejuſque milites minimè pudere debet, immò gloriari eos oportet, quòd ab adeo glorioſa Luſitana gente ſub invicto Albuquercio victi ſunt: Luſitanis è contra victoribus perſuaſum omnino vellem ſalutare illud Democriti monitum ſapientiſſimè aſſerentis: *Viſilem ſe non æſtimare eum ſolum, qui armis cæteros præcelleret, ſed & qui cum voluptatibus pugnam capeſſens ſpecioſam reportaſſet victoriam.*

Vellei. Paterc. & Cuſpin. in conſulib.

ApudStob

154 Luſitanis igitur ita cenſeo adjudicandam Montiglenſem victoriam, ut non illam ſibi, ſuiſque adeo imparibus viribus, ſed Deo in primis unico victoriarum omnium, hujuſque maximè largitori, ſimulque Divo Georgio

Luſita-

Luſitanæ militiæ Tutelari acceptam referant. Neque propterea ſibi ducant inglorium, propriæque laudis decrementum, cum hujuſmodi Auxiliaribus militaris gloriæ maxima incrementa partiri. Summæ quidem, ac propè Divinæ virtutis argumentum eſt, talibus te animosè periculis objicere, quibus non niſi Divino, eoque præſentiſſimo auxilio defungi poſſis. Jam verò poſt Deum ſanctiſſimo Georgio hujuſce admirandæ victoriæ maximam partem tribuendam, indubio ipſe portento nobis omnibus inſpectantibus declaravit. Incidit id prælium, eaque victoria (ut proximè audiſtis, probè que noſtis, ac meminiſſe perpetuò grati animi exhibitione neceſſum eſt) in ſolemnem Corporis Chriſti Domini diem, qua ſolito de more auguſtiſſima omnium ordinum pompa per præcipuas hujuſce Urbis plateas ſacra Euchariſtia circumferebatur. Inter alia Chriſtianæ pietatis inſignia, D. Georgii militarem, & equeſtrem effigiem generoſiori, omniumque manſuetiſſimo equo impoſitam invehi ſolemnis ex longo mos eſt; plurimis illuſtrium Procerum phaleratis oſtro, auroque inſtratis equis ſubſequentibus. Hîc repente, ſolitoque vehementiùs commoveri equus ſacræ imaginis bajulus, arrectis auribus, elatiſque pedibus efferri, ſuccuſſare, ac præter modum ferocire, ut ſolent ad litui, tubarumque horriſonum ſonitum Martiales equi ad primum imminentis belli ſignum excitari; mirantibus interim univerſis placidiſſimi hactenus quadrupedis ſubitam, & inſolentem conſternationem; vixque plurimis, qui accurrerant, validiſſimis viris diu obnitentibus, & ad priſtinam tranquillitatem longo poſt tempore inquietum animal ægerrimè reducentibus. Major tamen omnes inſueti prodigii dubios tenuit admiratio, ſimulque inceſſit exultatio, cùm ſequentis poſt diei adulta jam nocte, à prævolante mirabilis victoriæ nuntio planè conſtitit, eadem ipſa hora, qua hæc Ulyſſipone acciderant, apud Montigii campos geminas inter ſe commiſſas acies, noſtramque ex fuga equitatus, legionumque tumultuaria perturbatione in maximum diſcrimen adductam. Ad eam nempe reſtituendam, profligandoſque hoſtes diei ſacerrimæ violatores advolaſſe Tutelarem Luſitanorum Cœleſtem Equitem, confirmatis, auctiſque noſtrorum animis, hoſtium depreſſis, & imminutis, tum demum gratulabundi cognovere; id inſolentem generoſi equi ad reparandum prælium quaſi enitentis ardorem præſagiſſe; id ſequutam haud multò poſt ejuſdem ſerenitatem, noſtris in certam victoriæ ſpem jam erectis, indubiè ſignificaſſe. Quare, Me judice, nemo, cui exploratæ veritatis tali, ac tanto præſagio ſtabilitæ lux aliqualis affulſerit, jam deinceps dubitabit inclytam Montigienſem victoriam, cujus quidem participes fuere ſtrenuiſſimi Luſitani, D. Georgio eorum Tutelari Patrono certiſſimo tunc, ut ſæpe aliàs, Auxiliatori, invictiſſimoque Triumphatori merito, atque optimo ſuo jure adjudicandam.

155 Hæc fuit tunc Sereniſſimi Principis prudens, plauſibilis, maximique facienda ſententia, qua magnis eo temporis confligtantium animorum motibus in diverſa trahentibus agitatam eam militarem quæſtionem definivit. An Illius prudenti judicio univerſis, qui hæc legent, fortè ſtandum ſit, Non ipſe auſim divinare, in tanta judiciorum varietate, maximè, cùm ſua cuique unicè placeant, plurimique odium, & amorem in conſilium vulgò adhibeant, & pro eorum aliquo plerumque ſuffragium ferant. Non magni certè refert quid quiſque in ea, & ſimilibus controverſiis habeat ſibi perſuaſum; at maximi quidem intereſt hujuſmodi ventilandis quæſtionibus ingenium exerce-

res; judicii rectè, an perperam ſentientis periculum facere; omnigenam eruditionem, ſtudioſis, & doctis viris auditis, ſectari, fierique indies ex ſimilibus congreſſibus doctiorem; ac denique tempus, cujus potiſſima hominum pars pravi exiſtunt diſpenſatores, malique œconomi, optimè collocare. Id cùm eſſet optimo Principi propoſitum, multus frequenter erat in ejuſmodi quæſtionibus maximè moralibus, longèque utilioribus ad honeſtæ vitæ inſtitutionem excitandis. Aliquando aulici, quas apud ſe cogitarant, coram Principe, Illi morigerandi cupidi, proponebant; quibus Ille modò brevi, & judicioſo aliquo apophtegmate faciebat ſatis, modò ex tempore magna omnium admiratione objectam quamlibet quæſtionem in utranque partem verſabat, adductis pro hac, & illa validiſſimis quibuſque rationum momentis, adeo diſertè, ut niſi ad extremum Ipſe decideret, difficile optimam partem eligere cuivis foret, cùm optimis, & efficacibus utranque confirmatam exhiberet. Cujus rei aliud alibi dabimus paradigma: hæc in præſentiarum ejuſdem honeſta, & erudita oblectamenta placuit ultimò, nec ſine aliquali publicæ utilitatis, aut voluptatis ſpe, inſinuata obiter veritate, indicare. Hoc lib. c. 10. & l. 2.

CAPUT XIV.

Varia, & multiplex Scientiarum, ac virtutum à Principe Theodoſio Braſiliæ Principe, Brigantinoque Duce renunciato, exercitatio.

156 NUſquam à literarum ſtudio, ac virtutum exercitio vacantem interim Theodoſium, immò novis præter ſolitum illarum indies auctum incrementis, inſolitis hactenus cumulare titulis Sereniſſimo Regi viſum eſt. Igitur annò à Chriſti ortu 1645 ætatis annum undecimum agentem Theodoſium, & Brigantinum Ducem, & Braſiliæ Principem ingenti omnium ordinum plauſu, & gratulatione per patentes literas publicavit. Et verò à condita Luſitania fuit primus Princeps Theodoſius, cui ſimul hi ampliſſimi tituli collati ſunt. Æquum nempe fuit, ut qui ſuperiores Principes meritis anteiret, eoſdem excogitatis denuo amplioribus titulis excelleret. Cùm verò ex patentibus Regiis literis totius rei ſeries, cauſæque meliùs dignoſci poſſint, eas ex Luſitano idiomate Latino donatas hîc tranſcribendas judicavi. Ita ſe habent: *D. Ioannes Dei gratia Rex Portugalliæ, ac Algarbiorum, citra, ultraque mare in Africa, Dominus Guinèæ, ac expugnationis, navigationis, & commercii Æthiopiæ, Arabiæ, Perſiæ, Indiæ, &c. Habita ratione eorum, quæ Eccleſiaſticus ſtatus à me poſtulavit cap. 15 propoſitionum, quas mihi obtulit in comitiis à me celebratis in hac Vrbe anno 1641, pro conſervatione Regiæ Brigantinæ Domus; cui tunc reſpondi, mecùm me reputare, quid ea in re optimum factu foret. Conſideranti mihi præſentem ætatem Principis ſupra omnes mei dilectiſſimi, & appretiati Filii; & à ſuperioribus Regibus non fuiſſe deſignatum peculiare patrimonium pro ſuis Primogenitis, ut fieri ſolet in aliis Regnis; optantique conſervare nomen, & memoriam illius Domus, tum ob ipſius fundationem, maximaſque qualitates; tum quia ex Illa ducunt originem maximi qui-*

que Chriſtiani Principes, tum ad extremum quòd eam elegerit Deus ſervatricem ſucceſſionis, & remedii horumce regnorum in ſuis maximis calamitatibus; neque in præſentiarum poſſit aliunde patrimonium ſtatui Principibus hujuſce coronæ, placet Principem meum Filium, reliquosque Primogenitos Regum meorum ſucceſſorum Brigantinos Duces declarare, illisque concedere, ut hiſce patentibus literis concedo, univerſas terras, juriſdictiones, redditus, ac donationes, quæ ad prædictæ Domus Duces pertinebant ita, eodemque modo, forma, tenoreque donationum, ex quibus Ego iſta poſſidebam, quo tempore horum Coronæ regnorum fui reſtitutus: & adhuc meliùs, ſi meliùs fieri poſſit; ut ex hiſce ſui ſtatus, ac domus expenſas ſuſtineant eo, quo decet, decoro. Et quia hujuſmodi declaratione ſatisfacio juſtitiæ, juxta quam erant prædictæ Domus legitimi ſucceſſores Princeps, cæterique in poſterum futuri Principes; æquumque eſt, ut illi etiam meæ magnitudinis, & liberalitatis effectus experiantur, tituloque, ac dignitate polleant, quæ decet ſucceſſores ampliſſimæ Monarchiæ, cui tot regna, & nationes ſubjiciuntur, totque ſunt Reges, ac Principes vectigales; declaro Principem meum Filium, cæteroſque Primogenitos hujus Coronæ, Principes Braſiliæ, ita ut ſolo titulo eam poſſideant; appellenturque deinceps Principes Braſilienſes, Ducesque Brigantini. Atque adeo tam prædictus Princeps meus Filius, quàm cæteri ejus ſucceſſores regent dictum ſtatum, ubi primùm illis Domus deſignabitur: antea verò, vel quandiu Princeps deſiderabitur, eam Reges adminiſtrabunt, ſub diverſis tamen miniſtris, quemadmodum nunc regitur, aut ut Regibus ſalva diviſione optimum videbitur. Et pro firmitate prædictorum haſce meas patentes literas dedi à me ſubſignatas, & in mea recognitas Cancellaria; quas volo exequutioni tradi, obſervarique, non obſtantibus quibusque legibus, ordinationibus, inſtructionibus, comitiorum capitulis generalibus, aut ſpecialibus, aut quocunque alio in contrarium; quæ omnia ad hunc effectum revocata volo haberi, ac ſi facerem illorum expreſſam, & particularem mentionem, ex mea motu proprio, certa ſcientia, regali, & abſoluta poteſtate. Ac in virtute harum patentium literarum expedientur cætera, ac reſolutiones, quæ ad earum promptiorem effectum implorabuntur. Data Vlyſſipone 23 menſis Octobris. Pantaleon Figueyra confecit anno Chriſtiano 1645. Petrus Vieyra à Sylva ſcribi juſſit.

REX.

157. Qualis, quantaque ſit utriuſque regii planè ſtatus Braſilici, Brigantinique amplitudo Principi Theodoſio, cæterisque Luſitanis Principibus ejuſdem ſucceſſoriqus denuo collata, æſtimare licet ex brevi, at luculento viri eruditiſſimi P. Bartholomæi Guerreyro noſtræ Societatis duplici teſtimonio. Hic in ſua Braſilienſi Bahienſis expeditionis relatione, citato ea de re Authoris Hollandici Joannis Andreæ Moartecan judicio, tradit Luſitanæ ditioni ſubjectam maritimam Braſiliæ, quam Oceanus alluit, oram per quadringentas longè porrigi leucas, quæ mille, ac ducenta producunt Italica milliaria; vaſtas verò Provincias ejuſdem Braſiliæ, Luſitanæque ditionis à barbaris introrſum habitatas latiùs quidem patere ampliſſimo ſpatio, quod Germania, Flandria, Gallia, Anglia, Eſcocia, Irlandria, & Hiſpania univerſa ſimul occupant. Idem in ſua funebri Sereniſſimi Ducis Theodoſii ſecundi concione Brigantini Principatus totius Hiſpaniæ primi, ampliſſimique regiam celſitudinem latè proſequitur. In eo regni Comeſtabilis dignitas omnium maxima; duplicis Ducatus Brigantini, & Barcellenſis; quadruplicis Comitatus *Ourem, Rayolos, Penafiel*, ac *Neyva* tituli eminent. In ejuſdem primævo exortu ita regius Luſitani ſanguinis ſplendor Brigantinam Domum illuſtravit, ut ab ea duxiſſe originem per Sereniſſimam D. Iſabellam unicam Primogenitam

P. Barth. Guerreyr. In relat. Bahienſ. cap. 1.

Idem in funeb. concion. Sereniſ. Ducis Theodoſ.

primo-

primorum Brigantiæ Principum; uxorem Principis D. Joannis filii Sereniſſimi Regis Joannis primi, Auſtriaci Imperatores, Catholici, Chriſtianiſſimi, cæterique propè Reges, ac maximi quilibet Europæ Principes meritò glorientur. Hactenus ex erudita narratione famigerati viri: qui præterea in alia manu ſcripta meminit Ducatus Vimaranenſis, ſive Araducenſis, vulgò *Guimarães*, & Marchionatus Villaviſſoſenſis ad Brigantinum Principatum ſuo etiam jure ſpectantium.

158 Nonnulla præterea è plurimis, quæ lentiùs perſequi longum & alienum eſſet, Brigantinum Principatum reddunt maximè Hiſpanorum omnium ſuſpiciendum. Certè quidquid in aula regia Luſitana magnificum & ſpecioſum excellit, in Brigantina pariter eminet, indiſcreta propè munerum, dignitatum, regiæque amplitudinis exhibitione: non quidem Regem, at Regulum à Rege ſecundum Brigantinum Principem verè appellaveris; cui Sereniſſimis Infantibus unicè debitos honores Luſitanorum Regum quilibet ſemper attribuit. In ſua Ille qualibet alia longè, latèque patentiori ditione, præter Celiobrigam, vulgò *Bragança*, ampliſſimi Principatus caput, innumeros, eoſque minimè contemnendos numerat pagos, ſeptemdecimque illuſtria oppida, murorum ambitu circumvallata nonnulla, omnia opportuno loco inſtructis arcibus præmunita; eorum aliquot plurimis urbibus nullatenus inferiora: ex univerſis, illorumque finibus, & ex plurimis aliis per univerſum regnum diſperſis regiis prædiis, patrio nomine, *Reguengos*, appellatis locupletiſſimos percipit annuos redditus tantæ fovendæ magnitudini pares. Neque verò ſunt minores, quos in benemeritos clientes quotannis largè diſtribuit: qua in parte cæteros privatos Principes, ut puto, multùm excellit; prædictis enim ſeptemdecim arcibus totidem nobiles, aut illuſtres deſignat Præfectos, ſtatuta cuilibet haud exigua militaris ſtipendii annua mercede, nonnullis quingentorum aureorum ſumma. In iiſdem oppidis, ac pagis civilia omnia, judicialiaque dignis impertit munia; quorum etiam certum eſt ſtipendium, incertus mihi præ multitudine numerus. In optimates quoslibet clientes optimè de Brigantina Domo promeritos tria ſupra quadraginta dividit Chriſti militaria inſignia (*Commendas* dicimus) quorum nonnulla duobus aureorum millibus quotannis cenſentur. Habet præterea Brigantina Domus regium planè armamentarium omni armorum genere inſtructiſſimum, quibus ultra viginti bellatorum millia ſubitò poſſint paratiſſima in aciem educi. Regium item ſacellum; in quo rem ſacrum adminiſtrant Decanus, Theſaurarius maximus, quatuor ſupra viginti Capellani, duodecim eorum miniſtri, quadraginta cantores, ut plurimùm cantus peritia, vociſque melodia præſtantiſſimi; omnia muſica inſtrumenta, & qui eiſdem modulatiſſimè utantur. Regium deinde theſaurum Attalicis opibus, omnique pretioſa ſupellectile cumulatiſſimè refertum. Regiam tandem, ac celeberrimam ſylvam per novem milliaria circumducto lapideo muro clauſam, totius voluptariæ venationis, ſylveſtriumque arborum, & arbuſtorum feraciſſimam; eandem artificioſis palatiis ſpectabilem, ſalubribus fontibus, & piſcoſis lacubus medio perenni rivo interfluente irriguam. Quatuor pluris facienda idem Princeps habet ſibi uni, Regibus, ac ſupremis Principibus peculiaria, Regium nempe ſatellitium: Regalem ſimul Cancellariam: poteſtatem creandi viros ingenuos: armorumque denique immunitatem; niſi fortè Rege ipſo in aciem procedente, ac ternis repetitis literis promptiſſimum alioqui ſolius honoris cauſa invitante.

 159 Idem

159 Idem ad extremum Eccleſiaſtica ſui patronatus beneficia tam ſimplicia, quàm annexam curam habentia, nempe Canonicatus, Prioratus, Abbatias, omnigenas dignitates; ac hujuſmodi alia ultra centum, & ſexaginta numerum magni nominis, & momenti ſibi paſſim vacantia ſuis confert clientibus, vel aliis, habita ſingularium meritorum ratione: ex quibus aliqua ſunt, quæ illa poſſidentibus reddunt ſingulis annis duo millia aureorum. Hæc inter præcipua æſtimatione præcellunt duæ Ourenſis, & Barcellenſis Collegiatio Eccleſiæ, quarum beneficia, & dignitates Brigantini Principis arbitrio ſubjacent. Hinc ad præſtanda Illi plurimis aliis nominibus debita obſequia, ejuſdemque munificam gratiam colligendam mirificè prompti non modò Brigantinorum clientium, ſed Luſitanorum pene omnium animi tot, tantiſque muneribus in benemeritos neceſſariò conferendis illecti. Jam verò clientium Brigantino Principi domi, bellive obſequentium numerum aſſequi nemo poterit; cum eſſe innumerabilem ex uno Barcellenſi Brigantinæ ditionis oppido facilè quilibet æſtimabit: in eo enim, ejuſque termino ultra viginti militum millia capeſſendis armis habilium à decimo ſexto ad ſexageſimum ætatis annum numerari certò conſtat. Mitto cætera Brigantini Principatus decora, immunitates, inſignia, quæ ſiquis exactè velit tantùm perſtringere, arduam nimis provinciam fruſtra ſuſcipiet. Pauca hæc delibaſſe ſit ſatis; ut exteris aliqualiter innoteſcat, quid Sereniſſimus Rex ſuo diplomate in Primogenitum Theodoſium, ejuſque in Principatu ſucceſſores denuo contulerit; parum quidem pro ſummis Illius meritis, at maximum, ſi cum maximis conferatur.

160 Dum Sereniſſimus Rex ampliſſimis titulis maxima Principis Theodoſii merita cumulare intendit, non ceſſabat Ille majoribus digniſſimum ſe præbere, indies ſeduliori ad ſcientiarum, ac virtutum omnium aſſecutionem intentione: ut utraſque novis Ille documentis illuſtravit, ita eædem ſucceſſiva narratione à nobis erunt opportunè propalandæ. Puer adhuc, ubi Grammatices, Rhetoriceſque innumera pene præcepta exhauſit, utriuſque laconicum compendium ſedulò elaboravit; vel propriæ alioqui firmiſſimæ memoriæ conſulturus, vel alienæ ſecum condiſcentium utilitati profuturus. Enim verò Grammaticæ faciliùs, breviùſque addiſcendæ excogitata ratione à vulgari diverſa ſuum perfecit compendium, commodis obſervationibus, & exquiſitis ad inſtitutum præceptis inſtructum; quod uni è noſtratibus Magiſtris examinandum, & ſi opus foret, corrigendum commiſit; à quo, etſi minimum opuſculum, præcellentis tamen ingenii fœtum, maximique habendum accepi. Ejuſdem meminit Comes Penaguianus (de quo in Prologo) *Eodem temporis* (inquit) *quo primùm Grammatices rudimenta ediſcebat, ad breviores, & faciliores terminos præcepta reducebat, adeo ut exacta demum latinitate, Artem abſolverit, ex qua diſcendi fine facto docendi ſimul initium poſſet auſpicari.* Nec dubito, quin multùm hæc Ars profuerit maximè illis, qui pari Authoris ingenio pollerent, ſimilemque Ipſius ad ſcientiarum ſtudium induſtriam, & ſolicitudinem adhiberent. Deſidioſis, & inutili otio languentibus fruſtra optimæ, utiliſſimæque leges præſcribuntur. Grammaticis jam, & Rhetoricis præceptis ſatis inſtructus, in iiſque non Diſcipuli modò, ſed Præceptoris laude conſpicuus; immò aſſidua librorum lectione, ac frequentibus exercitationibus indies proficiens, ad Mathematicas diſciplinas gradum fecit; quibus quantùm incubuerit ſimul, & excelluerit dicam, prolatis eorum teſtimoniis; qui vel cum eodem pariter Principe hujuſmodi ſcientiis navarunt operam, vel ab Illo navatam certò cognovere.

Elog. funebr.

In prolog. §.16.

161 Et

161 Et primùm omnium luculentiſſima ſunt Joannis Nonii à Cunia (de Ibid.§.18; quo in Prologo) ea de re ſparſim teſtimonia ; cujus hæc ſunt expreſſa verba in vita ejuſdem Principis, quam Luſitanè ſcribendam ſuſcepit: *Per idem tempus* (circa nonum ætatis annum, de quo ibi ſermo eſt) *puerilibus exercitationibus valere juſſis, totum ſe ad Mathematicam Principum propriam ſcientiam convertit. Arithmeticæ, Trigonometriæ, Geometriæque Magiſtrum habuit Ioannem Paſchaſium Flandrobelgicum in Mathematicis diſciplinis eximium. Brevi tantùm in eis profecit, ut Magiſtro Tranſtaganis munimentis præfecto, illucque paulò poſt abire juſſo, ſuis Ipſe condiſcipulis Ioanni Roderico Sa, & Ioanni Nonio à Cunia ſecum unà ediſcentibus Magiſtrum ſe deinceps præſtiterit, explicatis majori ex parte ſex Euclidis libris juxta Clavis expoſitiones. Hinc ad Aſtronomiam, & Aſtrologiam progreſſus eſt tanta quidem contentione, ut opus fuerit ejus Magiſtro D. Petro Pueros Aſtrologicos libros non modò eidem interdicere, ſed clauſos apud ſe habere; nec niſi certis diebus permiſſo illorum uſu, ne ab aliis ſtudiis penitus avocaretur. Ad Nauticam deinde, Geographiamque proceſſit, editis prius duobus copioſiſſimis prognoſticis. Affirmabat, maximè oportere Principem univerſos ſuæ ditionis terminos peragrare, ſingulaque in promptu habere ad inſtar Mithridatis, & Cyri; quorum primus duas ſupra viginti ſubditarum ſibi nationum diverſas linguas percalluiſſe, ſecundus ſuorum omnium militum nomina reddere apprimè noviſſe dicitur. Noſtro quidem Principi nullus fuit in univerſa Luſitana ditione adeo aut ignobilis vicus, aut ignotus aliis fluviolus, quin planè innoteſceret, &c.* Idem alibi ſic atteſtatur: *Mathematica Illi erat ſcientiarum omnium voluptuoſiſſima. Geometriam, Trigonometriam, Aſtronomiam, & Iudiciariam paulò ultra duos menſes eſt aſſequutus; cùm interim præter peculiare Ipſius ſtudium, unica tantùm quotidie hora cum Magiſtro conferret; eodem ingenuè confeſſo, nihilo ſibi Principem in ea ſcientia eſſe inferiorem. Cum eodem Princeps aliquando contentioſè certabat circa erratos numeros ſinuum rectorum: tunc verò, ut Magiſtro negotium faceſſeret, plures illi ejuſmodi numeros, quibus implicaretur, objiciebat, me interim monito, ut ſimiliter erga eundem me haberem. In errorem ſæpe lapſus Magiſter, incuſare primùm Typographi errores, mox deprehenſa fallacia, ſibi decepto victoriam arrogare.* Cui Princeps: *Quantumvis, quod ſuſpicaris, eveniret, ſæpe magni Duces incautis hoſtibus imponentes prælio finem imponunt, & glorioſam ab illis victoriam reportant, &c.* Sic diſertis verbis Vir Theodoſio intimus, ſeduluſque Ipſius actionum obſervator; cujus alibi ſimile de Mathematicis diſciplinis teſtimonium erit à nobis proferendum. Idem quoque indubiam fidem facit, ſolitum quotidie Lib.2.cap. 2. & 3. Principem matutinis, veſpertiniſque horis impoſitæ ſibi à Magiſtro D. Petro Pueros lectionis penſum recitare, ipſumque obſcuriora explicantem attentè audire; apud eundem dubiis nonnullis argumentis proponendis pariter, & exponendis aliquale tempus inſumere; horologiis fabricandis à prandio ſedulam navare operam; ac tandem adultiore jam ætate apud Alcantaram intra Regiæ villæ, aut ſylvæ pomeria, ter in qualibet hebdomada equeſtris diſciplinæ præcepta exercere.

162 Nec minoris ea de re faciendum Comitis Penaguiani ſumma quidem In elog. funeb. admiratione dignum, & proximo affine teſtimonium ex Luſitano idiomate Latinè redditum, ubi ſic: *Non ſine timore* (inquit) *ne mihi fides habeatur, hoc prodigium refero, eo nomine æſtimatum à Principis Magiſtro ſæpe aſſerente, nunquam ſe legiſſe, neque ſatis intelligere, qui fieri poſſet, ut humanus intellectus ſex diebus totidem Euclidis libros tam perfectè perciperet, quàm qui maximè ingenioſus, & ſtudioſiſſimus plurimis menſibus id poſſet demum aſſequi? Sex tantùm veſpertinis temporibus audiit Princeps ab eo ſecundo Archimede Mathematica principia, maximis captis ex*

æquo extremis reſpondentibus; adeo ut, in arte circumvallatoria, in Geographia, Hydrographia, ſtatica, ejuſque uſibus, & obſervationibus, quarum hæc Scientia eſt fæcundiſſima, promptè, dilucidèque ſupra omnem admirationem exerceretur. Et pauló ante ſic ejuſdem puerilia, ſed jam tunc cœleſtia ſtudia eleganter idem deſcribit: *Voluit* (inquit) *ſtellarum motus ſibi eſſe perſpectos; & ad primum in cœleſtem ſphæram oculorum conjectum, Magiſtro indigitante, ſic eam ſcitè capit percurrere, veluti poſſet chartam alphabeticam ejus ætatis proprietem: figura, tropici, conſtellationes, ſigna, & planetæ, puerilés Illius erant, quibus maximè capiebatur, luſus, &c.* Quàm verò ſedulus in obſervandis aſtris invigilaret, aptè monet quidam, cujus ſtatim nomen proferam, Ipſi (ut puto) Principi, principibusque prædictis viris, quibus fuit valde gratioſus, gratificaturus: *Libenter* (inquit) *ſuſpiciendis Aſtrolabii miniſterio aſtris operam dabat, adeo ut nonnunquam in ea ſibi jucundiſſima ſpeculatione integram horam flexis genibus inſumeret.* Addit verò in ſuo à ſe ſcripto teſtimonio, mihique deprecanti exhibito nonnulla, quæ quia huc maximè faciunt, & inſitam ingenui Scriptoris ſynceritatem exprimunt, hìc inſerenda eodem, quo ille, ordine è re præſenti duxi: *Plures* (proſequitur) *quibus utebatur libris, erant Mathematici; voluit me docere aliquot linguas, maximèque Latinam, ſed ipſe nolui. Nunquam otioſus agebat evolvendis globis, multiplici ſtudio, & compoſitioni perpetuò intentus. Erant Illi univerſa Mathematica inſtrumenta, ex Ipſius peculiari præſcripto confici juſſa omnimodè abſolutiſſima. Ex quodam præter ſolitum craſſiori vitro, ad ſolis radios, ubicunque ille fulguraret, oppoſito ignem nemini unquam noxium concipiebat. Omnes tum Mundi univerſi, tum peculiarium regionum, & regnorum coſmographicè delineatos typos habebat, in quibus Urbes, oppida, gradus, & intervalla curioſus, & ſciendi cupidus indicabat. Ioannem Paſchaſium ex Mathematica præcipua commendatione adamabat. Cum omnigenis ſapientibus viris argumentabatur, omnesque confundebat ingenii, & ſapientiæ documentis attonitos. Cum tam eſſet ſapiens, non erat arrogans. A vulgaribus ludis, & oblectamentis abhorrenti unicum erat ex aſſidua librorum lectione ſibi voluptuoſiſſimum levamen. Anguſtum ampliſſimi palatii conclave introrſus obſeratum ſtudendo, ſcribendoque ſibi ſepoſuerat, ubi remotis arbitris, ſolitario ſolus ego aderam, libros expetenti miniſtraturus.*

163 Non vulgaria ſunt hæc à minimè vulgari viro ſyncera fide prolata; in cujus ortu, vitæque adhuc ſuperſtitis, & quinquageſimum annum jam ſuperantis, decurſu deerraſſe, ſimulque perfectionis ſcopum collimaſſe naturam verè dixeris; effictо, quàm cogitari poteſt, minimo corpuſculo, articulorum tamen omnium maxima inter ſe proportione. Homo is, ſeu potiùs hominis elegans compendium, aut compendioſum abſolutæ humanitatis breviarium, eſt vix tripalmaris; cui ſi curioſos oculos è longinquo adjicias, oculorum aciem effugiet; eidem ſi attentas aures è proximo adhibeas, ſingularem ſermocinantis prudentiam, & acerrimi judicii magnitudinem demirabere: ſolerti natura, optimaque ſub Theodoſio educatione exigui corpuſculi decrementa generoſi animi, & magnarum virtutum ſupplemento abundè compenſantibus. Nomen illi corpore longè majus, & auguſtius, *Salvador Balila.* Eundem apud oram Piſcariam in Orientali olim India proceris ortum parentibus, educatumque Patres noſtri ab iiſdem libenter annuentibus impetrarunt, ad Sereniſſimum Theodoſium æſtimabili dono mittendum, minimi hujuſce munuſculi exhibitione maximum erga tantum Principem amorem teſtaturi. Quanti verò, tum Princeps ipſe, tum Sereniſſimi ejus Parentes, & univerſa Luſitana curia fecerint, etiamque nunc faciant parvulum

hoc

hoc Orientale margaritum rude tunc, induſtria Theodoſii maximè perpolitum, & pretioſum, indicio ſint ipſius de ſuo amantiſſimo Principe, cui perpetuò aderat, obſervationes, quibus ſæpe aliàs utendum nobis erit. Interim hìc non omittendum, quod ipſe de ſe memorat, feſtivum ſanè, pro breviſſimæ ſuæ corporaturæ, ac Principis erga ſe benevolentiæ argumento: *Semel (inquit) mihi Princeps imperavit, ut ſui cujuſdam canis, cui nomen Mondèles, dorſo inſiderem, in eo equitem acturus. Parui actutum, conſcenſoque meo equo, ſeu potiùs equuleo, ſubitò ex illo prolapſus, reſtiti aliquandiu conſternata mente alienatus, non ſine magno Principis omnibus innoxii dolore, &c.* Vide, quantulum ſit egregii equitis corpuſculum, quod canis domeſticus poſſet facilè ſuſtinere, ac faciliùs excutere! At quantus, & quàm mitis ingenui Principis genius, cui leviſſimus, & inopinatus proſtrati pumilionis caſus ingentem movit dolorem, apud alios riſum, & cachinos excitaturus!

164 Conſtat præterea eundem Principem, vel inſitæ curioſitatis cauſâ, vel veritatis explorandæ nativa quoque dulcedine illectum, plurima certè ingenioſa experimenta, vel tentanda ſuſcepiſſe, vel ſuſcepta confeciſſe: at non niſi illa, quæ publicæ, privatæve utilitati aliquando profutura exiſtimaret. Hinc illius inſtrumenti muſici, fataliſque gladii (de quibus alibi) operoſa fabrica. Hinc ſtudioſus ejuſdem conatus arte Dædalea conficiendi artificioſas, quibus quilibet induſtrius homo quolibet volare poſſet, alas: eas verò à ſe facilè conſtrui poſſe, utiliſſimaſque fore, vel ad bonum aliquod magni momenti brevi arceſſendum, vel ad maximum quodvis imminens malum, emiſſo alato nuntio ex obſeſſa urbe, aut aliunde celerrimè avertendum, minimè dubitabat. Verùm ſeriò admonitus à prudenti Magiſtro, maximum eſſe periculum, ne hujuſmodi artificio ad perpetranda maxima ſcelera profligatæ conſcientiæ homines abuterentur, ab eo proſequendo ſtatim deſtitit. Similiter cùm aliàs tentaret jucundiſſimum artificium ad praxim deducere, quo ſibi perſuaſum haberet poſſe mirabili arte magnetica inter longè abſentes amicos, mutuos conferri ſermones, occultoſque animi ſenſus viciſſim aperiri, nullis ultro, citroque miſſis literis; ab eo etiam, ſimilem ob cauſam eodem ſuadente Magiſtro, penitus abſtinuit; à cujus propterea luculentiori explicatione, licèt ab erudito Amico mihi facta, ego pariter hìc abſtineo, certus in eo Principis obſervantiſſimi veſtigiis inſiſtere, qui potiori Divini obſequii, quàm propriæ voluptatis habitâ ratione; iis tantùm explorandis inſtitit experimentis, quæ cùm nullam haberent vel præſumpti mali ſpeciem, probabilem aliunde alicujus boni ſpem ex utili, vel honeſto pollicerentur. Ejus unicè generis multa paſſim edidit irrito nonnunquam, rato aliàs effectu ſubſequuto: ex quibus unicum tantùm, utpote ipſius benefici genii manifeſtum index, brevi commemoro. Sympathicos (ut vocant) pulveres ex vitriolo, & rebus aliis confectos apprimè juſſit apparari, quibus ea dicitur ineſſe adeo efficax virtus, ut ſiquis apud ſe habeat linteum amiculi aut alicujus alterius vulnerati ſanguine intinctum, eique inter fomenta poſtmodum aſſervato, ne vicinus aër noceat, hoſce pulveres magiſtra manu tempeſtivè adhibeat, ſympathica virtute per aërem latè diffuſa, etiam abſentis vulnus mirificè convaleſcat. An hujuſmodi experimentum Principis id tentantis votis aliquando reſponderit? Incertus quidem ſum: illud omnino certum habeo, ita ſuorum maximè Ducum, ac militum fuiſſe Principem peramantem, ut eorum ſanguini continendo, vulneribuſque procurandis, vel exqui-

Hoc lib. §. 110. lib. 2. §. 63.

quiſitis è longinquo experimentis indulſerit, ſympathico amore inſolitam adeo ſolicitudinem ſuadente. Et verò quis pro defenſione tam chari capitis ſanguinem effundere formidaret, quem eidem ſciret adeo eſſe pretioſum?

165 Hiſce tam curioſis, planèque laudabilibus intentum curis Theodoſium longè major cœleſtis peragrandæ, introſpiciendæque curiæ jam eo temporis inceſſerat. Illuc animo, defixoque oculorum obtutu, ac intentiori perſpicaciſſimi intellectus niſu, quoniàm toto corpore non dum liceret, alis non homini rudi utique, ſed ſapienti datis frequenter avolare; mox aëra, nubes, planetas, ſideraque tranſcendens, facili ad Empyreum aſcenſu eniti. Duodecimum vix dum expleverat ætatis annum, cùm duodecim Zodiaci fulgentiora ſigna quaſi digito deſignare, reliquorumque ſiderum regulares motus immotis palpebris intueri; eorumque nomina, magnitudinem, influxus, ac naturam capaci animo comprehendere; unica, omniumque maxima Illi erat voluptas. Maximum id certè habendum magni cujuſque viri, nedum magni Principis, encomium; at longè majus, & ſupra omnem fidem, & admirationem, quod indubia fide admirabundus quidem ſuperaddo. Eo ætatis (quod maximè adnotandum) conceptam mente ampliſſima totius cœleſtis machinæ immenſam propè amplitudinem in breve compendium à ſe redactam complexus eſt, univerſæ Aſtronomiæ ſimul, & Aſtrologiæ ſummâ in laconicum libellum contractâ. Aſſervatur hic in Regio Archivo ſingulari omnium ſapientûm veneratione obſervandus: illum, dum hæc ſcribo, præ oculis, & in manu habeo; mihique omnia, & ſingula, quæ in eodem, etſi compendiosè, at numeris omnibus abſolutè deſcripta ſunt, legenti, ac ſtupenti non ſemel, ſæpeque percurriſſe ſatis eſt. Mirabilis profectò libelli titulum hîc tantùm tranſcribere, capitumque ſummatim numerum indigitare liceat pro conciliandâ veridicæ narrationi fide. Sic habet titulus: *Summa Aſtronomica in duos diviſa libros; primus de Aſtronomia, ſecundus de Aſtrologia. Authore D. Theodoſio Luſitano Principe. Anno ætatis ſuæ duodecimo, & labente 1646.* Hactenùs inſcriptio fideliſſimè tranſcripta. Jam verò primus Aſtronomicus tractatus duobus ſupra triginta capitibus abſolvitur; in quibus univerſa mundi ſphæra tum cœleſtis, tum ſublunaris, juxta illuſtrium Mathematicorum veterum, & recentiorum exactiores obſervationes conſtruitur, & expenditur. Secundus Aſtrologicus dividitur in duas partes; quorum prima quatuordecim capitulis continetur, agitque de humanis ortibus judicandis: ſecunda, quæ decem capitulis clauditur, de annuis revolutionibus dijudicat. Quàm aptè, brevi, dilucidè, ac exactè omnia, dicent in Mathematicis diſciplinis peritiores; quibus unicè licebit de novi hujuſce Archimedis ſphæra certum ferre judicium.

166 Certè, ſi meum hac in re alicujus erit momenti, & exiſtimationis, auſim confidenter, certòque affirmare, veterem illum, celeberrimumque Archimedem in devexa jam ætate, poſt aſſiduam, & laborioſam tot annorum lucubrationem, ſuam tandem conſtruxiſſe ſphæram, olim pro prodigioſi ingenii miraculo in ſumma veneratione vulgò habitam: in qua tamen tum veteres, tum recentiores Mathematici plurimos errores à vero deviantes deprehendere. At novus noſter, verèque Regius Archimedes ſuam Aſtronomiæ, Aſtrologiæque ſummam, id eſt, cœleſtem, terreſtremque ſphæram, duodecennio non dum exacto, ad exactiſſimas veterum, recentiumque obſervationum leges perfecit, correctis non modò antiqui Archimedis, ſed Ariſ-

totelis, Ptolemæi, Alphonſi Regis ſapientis, & aliorum erratis, ſtabilitaque, confirmata, & explicata, quæ ſibi viſa eſt in unaquaque re probabilior, ſententia. Quis in ſummam non rapiatur admirationem hac Aſtronomiæ, Aſtrologiæque animadverſa ſumma? Cùm præſertim ex ſe maximè mirum ſit potuiſſe tenerrimum Puerum tot exquiſita difficilium rerum nomina, adeo abſtruſos Mathematicos terminos, implicitas numerorum ambages, obſcuraſque quæſtiones percipere, nedum de univerſis aut certum, aut probabile judicium ferre, optima eligere, deteriora refutare; tandemque in ſublimi adeo cœleſti ſcientia vix Diſcipulum, jam Magiſtrum, & abſolutiſſimum ſe Doctorem profiteri.

167 At non minùs mirari oportebit, ſiquis ſeriò expendat, quàm uberem ad virtutis longè præhabenda exercitia ex prædictis literariis exercitationibus, maximèque à cœleſtium orbium, motuum, & influxuum cognitione, fructum Theodoſius eo jam ætatis retulerit. Enim verò inſpecta, expenſaque planetarum, & aſtrorum aliquot, maximè ſiderei orbis, & ipſius Empyrei amplitudine ſumma, & præſtantia, cui collatus univerſus terrarum orbis inſtar exigui puncti ſit meritò habendus; illa maximi facere, terrena omnia nihili ducere, cœleſtia in pretio, terreſtria contemptui habere ardentiùs exinde cæpit. Hinc celebris ejuſdem, & memoranda certè ſententia paſſim aſſerentis: *Si Chriſtus Dominus iterum à ſe redemptum mundum viſibili ab omnibus forma repeteret, fore ut paucos admodum verè Chriſtianos reperiret; cujus indignitatis eſſet cauſa, ex nimia erga res terrenas affectione, maximaque rerum cœleſtium tum inſcitia, tum incuria.* Auxit non mediocriter utrunque affectum curioſa, diligenſque ſub idem tempus inſpectio planetarum (de qua nobis iterum ſermo incidet) in propriæ nativitatis horam placidè, vel torvè influentium; quorum mutuo aſpectu, & concurſu per otium examinato, inauſpicatum aliquid, brevemque vitæ decurſum ſibi à truculento Saturno portendi animadvertit. Quare traductæ hactenus innocenter vitæ rationem ita deinceps inſtituere deliberavit, ut conſummatus in brevi expleret tempora multa, & properè fugientium annorum decrementa maximarum virtutum ſuperadditis incrementis abundè ſuppleret. Hæc tunc Ille ſecum; apud alios etiam, quàm nihili haberet præ cœleſti regalem, & ad huc illa majorem terrenam gloriam, palam oſtendit.

Hoc lib. §. 397. & 400. & 401.

168 Poſt ortum Sereniſſimi Infantis Alphonſi nonnulli aulici etiam apud Principem, vel ejus ad regale faſtigium igniculos exploraturi, exſufflaturive, vel ingenioſum aliquod ab eodem reſponſum audituri, cæpere Alphonſum à Sereniſſimo Parente proximum Regni ſucceſſorem muſſitare, utpote à Sereniſſimis Parentibus jam Regibus genitum; cùm Princeps Theodoſius ab iiſdem, at nonniſi Brigantini Principatus Dominis, fuerit procreatus. Exemplis prǽterea ex Lipſii eruditione mutuatis ſæpe id olim accidiſſe confirmabant; nimirum ex Xerxe, Manuele Ptolemæi Lagi, & Phyſcônis filiis, Carolo, & Almo, qui minores ævo fratribus natu majoribus in regni, vel principatus ſucceſſione præhabiti ſunt. Quare juri, & rationi conſonum videri ad extremum concludebant, Sereniſſimo Theodoſio deberi quidem Brigantinum Principatum, in quo fuiſſet natus; Sereniſſimo autem Alphonſo Regnum, in quo genitus. Mirabitur fortaſſe aliquis, nec immeritò, à prudentibus viris eos tunc uſurpatos ſermones, Principibus vulgò ingratiſſimos, coram ipſo Principe, cujus animum gravi, ac ſibi olim exitiali dolore poſſent

Lipſ. Mon. & exemp. polit. l. 2. c. 4. mon. 2

præpoſte-

præpoſteris hiſce allegationibus inflammare. Verùm, cùm exploratum penitus haberent generoſum, ac planè regium Theodoſii animum; majorem quidem, quàm ut maximis quibuslibet impulſibus vel leviter commoveretur; tutum illis fuit apud Theodoſium id meminiſſe, quod apud quemvis alium iiſdem foret valde intutum. Unde totius imprudentiæ, immodicæque libertatis nota illos cenſeo liberandos. Immò eſt, cur iiſdem meritò gratificemur oblatam Theodoſio generoſi, ac ſapientis hujuſce reſponſi occaſionem: *Libenter* (inquit) *Fratri meo, etſi minori non Brigantinum modò Principatum, & Luſitanum Regnum, ſed univerſi Orbis imperium cederem; dummodo adipiſcenda penitus ſapientiæ liberior exinde, gubernandique moleſtiſſimis curis prorſus expeditus evaderem. Præſtat privatum Sapientem, quam publicum eſſe Monarcham; hic fluxis, & citò perituris opibus gravis, terris aliquandiu, ille immortalis animi bonis prædives, vel ipſis perpetuò dominabitur aſtris; & (quod caput eſt) ſibi, ac ſuis affectibus multò feliciùs imperabit. Adhæc, ſumma Sapientia id palam atteſtante, Quid prodeſt*
Mat. 16. 26. *homini (etiam Monarchæ potentiſſimo) ſi mundum univerſum lucretur, animæ verò ſuæ detrimentum patiatur? Pluris quidem à rerum prudentibus minima divinæ Gratiæ particula, quàm univerſæ humanæ gloriæ moles facienda. Quæ ſi tam vobis forent, quàm*
Tumul. *mihi ſunt perſpecta, non mihi adeò futilia, & inania objiceretis.* Concinit huic pru-
Theod. e- dentiſſimæ Principis reſponſioni Author ejus Tumuli: *Spineam* (inquit) *Chriſ-*
log. 1. §. 7. *to decerpturus coronam, auream optarat Fratri relinquere; glorioſius reputans agere ſub Deo militem, quàm univerſis hominibus præeſſe Ducem.* Obmutuere ad inſperatum Principis coætatis præbitum reſponſum, mutua defixi admiratione aulici, neque ultra, vel jocando, mutire auſi: quorum tamen allegationi ex integro juvat occurrere in gratiam ipſius Principis; nequid ejus maximis meritis potuiſſe aliqualiter opponi ſciolo fortaſſe alicui ad regni ſucceſſionem videatur.

168 Sæpe (ut ex Lipſianis, ac paſſim aliis patet exemplis) poſthabitis primogenitis natu minores præferuntur, jure aliquando, injuria ſæpius: & quidem rarò felix, nec niſi turbandis rebus, talis præhabitio. Meritò quidem Patre Dario juxta Herodotum, vel ſecundùm Juſtinum Patruo Artapherne ita judicante, Xerxes natu minor primogenito Artemeni, ſive (ut alii dicunt) Ariobarſani præpoſitus eſt: nam Artemenes tunc natus Dario fuit, cùm verè privatus eſſet, neque ullum haberet jus ad regnum, quippe qui poſtea inopinatò à Magis electus eſt: è contra Xerxes Dario jam Rege progenitus. At Princeps Theodoſius primogenitus fuit Sereniſſimi Parentis Joannis, etſi tunc privati, at certiſſimum jus ad Luſitanam Monarchiam habentis; atque adeo Sereniſſimo Fratri tempore, jure, ac cæteris omnibus longè ſuperior, non erat, cur eidem aliqua ratione decedere deberet; neque id poſſe controverti alicui unquam venit in mentem; per jocum tantùm, & experiundi Principis gratia id ei aulici de induſtria objecere. Cæteri, quorum Lipſius, & alii meminere, vel contra jus debitum primogenitis ſceptrum invaſere, adjuti vel à Parentibus in eos propenſioribus; aut à præpotentium procerum validioribus factionibus; aut ab indulgentiori popularium aura elevati; vel illis tandem primogeniti alicujus ad gubernandum explorata penitus indignitas ſceptri capeſſendi certum jus attribuit; univerſis regni ordinibus mutuò conſentientibus, aut ſaltem majori ex parte pro digniore ſuffragium fe-
Lipſ. ibid. rentibus: *Excipio* (inquit idem Lipſius) *in cauſa etiam altera; ſi minor aliquis virtutibus excellat: è contra inopia ſit in majore; tunc enim præponendus videtur, quem*

Deus

Deus honeſtavit, idque ex publico etiam bono, &c. An id omnino liceat, ac tutò expediat? Timorati docti, probique politici dijudicent. Certè, ſi hæc ſententia verum omnino haberet, aut ad ſceptrum eligendi optimum ubique locus eſſet, quamvis Theodoſius omnium foret natu minimus, non dubito, quin concordi omnium rectè ſentientium ſuffragio univerſis præponeretur, maximis ejus virtutibus, & longè præcellentibus meritis id exigentibus. Non mihi tantùm, ſed Authori ejus Tumuli ſummas ipſius virtutes, ac eminentia merita ex familiari uſu probè agnoſcenti, fidem haberi volo: *Nec tam* (inquit) *attendebat Ille, quid conſequeretur, quàm quid mereretur; non cupiditate honoris, ſed cauſa virtutis: modum in præmio injuriam virtutis exiſtimabat. In parte providentiæ ponendum, quòd non eſt natus Princeps, ſed, poſt Patrem ſuum creatum Regem, factus; ut non beneficio ſanguinis, ſed jure meritorum impetraret; nec natura dignitatem antecederet, ſed merentem ſequeretur. Obtineant imperia Principes alii, quia Regum naturæ filii; Theodoſius obtinuit, quia Regum virtute filius: ſunt qui jure naturæ voluntates hominum cogant; Theodoſium judicia, & vota populi coegerunt. Ille verè felix eſt, qui cùm natus eſt, adoptatur à populo; ſed hunc judicia gignunt; Theodoſius genuit judicia, & peperit famam, &c.* Tumul. Theod. in Amer. orat. paneg.

169 Quàm multus Ille fuerit in univerſis virtutibus exercendis; etſi pleniùs in duobus inſequentibus libris à nobis erit dicendum, nonnulla hic ad Ipſius pueritiam ſpectantia, erunt obiter delibanda. Legendis, vel audiendis Sanctorum exemplis mirificè delectabatur. Ea, quæ cœnam præcedebat, hora, dum Sereniſſimus Parens expectaretur, cum ingenuis pueris familiares miſcebat ſermones de Sanctorum vitis; illas ut curioſè, attentèque legerent, univerſos ſeriò admonebat, ſibi poſtera die, quæ obſervatu digniora deprehendiſſent, relaturi. Ab iiſdem rogabat enixè, nequis eo maximè tempore à jucundiſſimo eo conſortio abeſſet: qua ratione incredibile dictu, quàm acres ad virtutem, totiuſque pietatis ſtudium omnium animis ſtimulos admoveret; dum pro ſe quiſque illuſtriora virtutum exempla coram Principe, ſociiſque commemorare certatim ſatagit, ex ſæpius repetitis, auditiſque concepto earundem virtutum amore, ac invicem æmulandi ardentiſſimo deſiderio. In ea recitatione illorum recolenda exempla, qui in ſolitudinibus errantes ſibi, ac ſoli Deo vacarint, Angelicamque inter ferarum latibula vitam egerant, relatores piiſſimi paſſim commemorabant. Cum eorum nonnullis, quos ad Chriſtianæ pietatis munia propenſiores animadverterat, dum Alcantaræ cum Sereniſſimis Parentibus diutiùs immoraretur, jucundiſſimum Principi erat per confertiſſimas illic ſylvas ſpatiari: mox in receſſu remotiori nactus opportunum piis peragendis miniſteriis locum, juſſis ſubſiſtere imperabat, ut in morem crucis expanſis brachiis ſe unuſquiſque conformaret, tandiuque precarios globulos fuſis ad Virginem Deiparam precibus percurreret, donec ipſe rediret; neque poſt longum decurſum eos interim inviſere, ac ad Eremiticæ vitæ proſecutionem adhortari, profeſſus ſeſe habere ad inſtar veterum Eremitarum, qui ſimili ratione ad ſe venientibus Eremiticæ inſtitutionis ſemitas ad cœlum tutiùs, breviùsque ducentes indigitabant.

170 Incidit ſub idem tempus Princeps in libellum verè cœleſtem, ejuſque genio maximè conſonum, cui titulus *Paradiſus animæ Chriſtianæ*, Authore Jacobo Merlo: ubi concipiendæ, nutriendæ, promovendæque pietatis plurima, eaque optima deprehendit irritamenta. Ex iis quotidianum adipiſcendæ perfectioni utiliſſimum exercitium ſingulis diebus rite ſibi obeundum

ſuſce-

ſuſcepit. Illud pro juvandis lectorum animis, eorumque piis ad perfectionem enitentium conatibus promovendis hîc tranſcribere certus mihi fuit animus; ſed ne interjecta hujuſmodi precum prolixa recitatione hiſtoriæ filum abrumperem., ſatius viſum eſt illas ad tertium librum, qui totus eſt de Chriſtianis virtutibus, commodiùs rejicere, ubi tranſcripto decimo ſexto ejuſdem libri capite, unà cum aliis ſimilis argumenti, pius lector Theodoſii æmulandi cupidus eas poterit per otium lectitare. Interim, quod alibi à nobis erit perſtringendum, quoniam ad eum, de quo hîc ſermo incidit, duodecimum ætatis annum ſpectat, brevi expendere, non erit à ratione alienum. Quod toties Princeps laudabili repetitione peregit, ſæpiùs à me commemorari, aut ab ſtudioſo lectore iterari cur tædeat? Iiſdem provectioris ætatis, ſimulque amplioris pietatis incrementis Theodoſius indies progrediebatur. Hinc minimè contentus prædictum exercitium matutino, veſpertinoque tempore quotidie abſolvere; neque ſatis habens diurnas Sanctiſſimæ Deiparæ precarias horas recitandas ſuſcepiſſe; poſt initum duodecennium, initium quoque fecit ſeptem canonicas Divini Officii horas ſingulis quibuſque diebus explendi; neque quoad vixit, ulla unquam abiit, etſi urgentibus negotiis, aut diverticulis impedita, quæ illis rite obeundis obſtaret. Neque verò me latet militaribus Chriſti equitibus, ex quibus unus erat, omniumque longè maximus Theodoſius, qualecunque id oneris eſſe, Pontificiis legibus impoſitum; quibus tamen cùm adeo religioſè obtemperarit, majori dignus laude cenſendus eſt, vera Theologia confirmante, majoris eſſe apud Deum meriti obligatoria quælibet munia, quàm eadem ex peculiari ſpontanea devotione ſuſcepta, cæteris paribus, adimplere.

CAPUT XV.

Conſiliariis ſtatus à Sereniſſimo Parente adnumeratur Princeps Theodoſius decimo tertio ætatis ſuæ anno. Et quomodo inibi ſe geſſerit?

171 Supremum in Luſitana Ulyſſiponenſi Metropoli Concilium ab Statu dicitur; in quo ſalutaria publicæ utilitati ſtatuta decernuntur, de ſumma rerum ſtatuitur, & à regni primoribus ſub ipſomet Rege Præſidem agente majoris momenti cauſæ demum deliberantur. Ampliſſimum ſummæ dignitatis gradum haud licet vulgò conſcendere, præterquam ſummis viris commendabili prudentia præditis, & longo rerum maximarum uſu per omnia exercitis. Hinc plerique venerabili ſenio, & maturis canis ſuſpiciendi concilium id ineunt; raraque juvenibus, nedum adoleſcentibus, dignitatis participatio; niſi fortè alicui præcellens nobilitas, ac ſpectatæ prudentiæ, ſingulariumque meritorum commendatio, præter ſolitum ſuffragetur. Et verò in deligendis opportunis, optimiſque conſiliariis præcipuam induſtriam, peculiaremque ſollicitudinem, prudentiſſimus Rex Joannes perpetuò adhibuit, certus ex eo maximè cujuſvis reipublicæ pendere ſalutem: & meritò,

meritò; bono enim conſilio, & optimo conſiliario nihil tutius, nihil utilius. In omni certè republica plures manu promptos, belloque claros, quàm conſilio bonos, invenire ſemper licuit. Miſeranda profectò Principum ſors eſt, qui cùm exercitus habeant, pro majeſtate Imperii pericula quælibet adire promptiſſimos, at qui recta prudenter ſuadeant, quibus tutò credant, paucos experiuntur; adeo ut nonnulli vix ternos, aut quaternos, alii ne ſingulos quidem habuerint & fidos, & prudentes. Unde Catalanis optimum factu fore cenſentibus, ſi Regi Alphonſo adhuc adoleſcenti ſeptem viri ad gubernandum adhiberentur; qui Deum timerent, juſtitiam colerent, cupiditates tenerent ſub fræno, neque donis, neque muneribus tangerentur; Alphonſum laudaſſe conſilium, atque ita reſpondiſſe fertur: *Si horum non dico ſeptem, ſed unum tantùm dederitis, continuò illi & regimen, & regnum ipſum facilè conceſſero, &c.* Pulchrè innuit raros eſſe Regum bonos conſiliarios. Quo circa prudentiſſimus Conſul bellatoribus conſiliarios præfert. Et bene Euripides: *Unius conſilium multorum ſuperare manus.* Summa quidem cujusque Regis felicitas non in magna potentia, nec in maximis opibus, ſed in optimis, fidisque Conſiliariis ſita eſt. Enim verò vis conſilii expers mole ruit ſua; quæ autem aptis fulcitur conſiliis, totius erit ruinæ immunis, ipſiusque immortalitatis æmula. Opibus vel Attalicis optima præhabenda conſilia; facilè nanque pecunia conſumitur; conſilia exhauriri neſciunt; hæc uſu augentur, quo pecunia minuitur, ac citò deficit; ut quò pluribus elargiri volueris, eò pauciores adjuves; & ſæpe tibi deſit, quod aliis conferendum putaveris: conſilii collatio, quò in plures diffunditur, eò redundantior manat, & in ſuum fontem recurrit. Feliciſſimus perpetuò extitit Sereniſſimus Rex Joannes, quandiu vitam egit; omnia ſumma conſequutus eſt, virtute duce, comiteque fortuna; Gygis annulum ei obveniſſe vulgò ferebatur; adeo erat fortunatus, ut etiam ſecus inſtituta eidem feliciter perſæpe ceſſerint: cui, nequid ad ſummæ felicitatis cumulum deeſſet, optimi conſiliarii contigere. At inter cæteros præcipuus ipſe Princeps Theodoſius; cujus quò fuit ætas immaturior, eò conſiliorum maturitatem reddidit commendabiliorem. Imperatorem, & conſiliarium ſin minùs ætate, certè moribus ſenem eſſe oportere, ſæpe numero Paulus Æmilius prædicare ſolitus. Alphonſus verò Aragoniæ Rex conſiliarios Regum, aut reges eſſe oportere, aut regum animos habere. Utrunque in Theodoſio adhuc puero, & mores ſeniles, & regium planè animum Senatui jam maturum Rex ipſe deprehenderat.

Tull. lib. 1. offic.

172 Conſtat indubio Sereniſſimæ Reginæ Matris teſtimonio ſolitum Sereniſſimum Regem Principis adhuc minoris in rebus maximis, ac difficillimis rogare ſententiam, non modò ipſius prudentiæ, ſed eximiæ virtutis habita ratione; cujus propterea reſponſis, quaſi Divinis editis oraculis, dum frequenter acquieſceret, proſpera cuncta, & ex votis ſibi provenientia experiebatur. Ex aliis etiam accepi conſueviſſe Principem, cùm res, de qua rogaretur, majoris eſſet momenti, ad Sereniſſimæ Parentis longè majorem prudentiam provocare; monito nonnunquam Sereniſſimo Rege, nihil ut in re tanta Regina Matre inconſulta ſtatueret; cujus præcellens judicium poſſet unicè in ſummis difficultatibus facilem, ac certum exitum reperire. Sic de Theodoſio Sereniſſimi Parentes; ita de iiſdem Theodoſius meritò exiſtimabat. Igitur hujuſmodi aſſiduis documentis ſatis exploratum habens ſenilem in teneris annis Theodoſii captum, cum non dum ætatis decimum tertium

K ſuper-

ſupergreſſum Sereniſſimus Rex omnium ſupremo Senatui adhibet conſiliarium, exemplo Imperatoris Auguſti, qui retinendæ, immò amplificandæ Senatus majeſtatis cauſa, licèt inutilem turbam arcuerit curiâ, Senatorum tamen liberos, qui in ſpem adminiſtrandæ reipublicæ educarentur, quò celeriùs eidem aſſueſcerent, protinus virilem togam, latum clavum induere, curiæque ante legitimam ætatem intereſſe permiſit. Sententiam tamen in Senatu dixiſſe juniores illos abnuunt, qui hæc poſterorum memoriæ prodidere ſcriptores; tantùm illis ſapientes audire Senatores, ab eiſdemque erudiri licebat. Quantò conſultiùs, ac feliciùs auguſtiſſimus Rex Joannes pluribus, ac ſolidioribus adductus rationibus in prætexta ætate Principem ad Senatum induxit, non modò ut ſapientes, & prudentes Senatores tacitus auſcultaret, ſed quò ab iiſdem admirabundis Ipſe potiùs de qualibet re propoſita ſapientiſſimè verba faciens auſcultaretur pariter, ac ſuſpiceretur: ut coram præcipuis regni miniſtris acris ingenii, maturique judicii ſpecimen exhibens principatu, imperioque ſe digniſſimum profiteretur: ut ſingulis attentè, aſſiduèque auditis univerſos ſingillatim dignoſceret, ac quantùm unuſquiſque aut judicio, aut eruditione, optimiſque aliis artibus prævaleret, tacita ſecum animadverſione in tempore multùm olim ſibi profutura diſcerneret: ut tandem ex frequenti rerum maximarum publico bono conducentium agitatione ad comparandam omnium difficillimam rectè gubernandi artem plus quotidiano uſu, & prudentium conſiliorum conſuetudine, quàm aſſidua librorum lectione addiſcendo ſimul, docendoque proficeret; adinſtar adoleſcentis Joſephi Ægypti olim Gubernatoris, quem Rex Pharao *Conſtituit Dominum Domus ſuæ, & Principem omnis poſſeſſionis ſuæ; ut erudiret Principes ejus, ficut ſemetipſum, & ſenes ejus prudentiam doceret.* (Pſ. 104. 22)

173 Nulla illuxit ſupremi Senatus conſiliariis dies jucundior, quàm ea, qua primò unà cum Sereniſſimo Parente curiam ineuntem Principem Theodoſium gratulabundi excepere, utriuſque pro ſingulari beneficio dextra oſculata. Neque verò illos fefellit ingens concepta ſpes ex primis novi Conſiliarii prudentiſſimis reſponſis, quæ Idem brevi ſemper, appoſitèque ad eam, quæ agitaretur, conſultationem magno ſupra exiguam ætatem judicio proferebat. Vix paucis elapſis menſibus, Conſiliarii numeris omnibus abſoluti fama cæpit inter omnes eminere, ab univerſiſque ſuſpici. Enim verò intra breve tempus conſultoriæ artis omnigenis præceptis ita excelluit, ut exactiſſimum illius exemplar conſiliariis quibuslibet proponi poſſet. In cujus rei confirmationem haud erit abs re ſingula præcipua capita perſtringere, ac Theodoſii exemplis illuſtrare. Prima quidem optimi Senatoris prærogativa ex vitæ probitate ab omni vitiorum labe immunis, omniumque virtutum commendatione approbatæ petenda eſt. Quis enim in cœno fontem requirat? Quis ex turbido, aut lutulento rivulo ſalubris aquæ potum hauriat? Quis, ubi corrupti ex luxuria, intemperantia, & vitiorum colluvie ſordeſcunt mores, ſalutare inde aliquid publico, aut privato bono effluere poſſe ſibi perſuadeat? Quî poteris eum judicare conſilio ſuperiorem, quem videas corruptis moribus adeo inferiorem? Supra te ſit oportet, cui te committere deliberabis. Fruſtra utilem judices tuæ cauſæ, quem videas ſuæ prorſus inutilem. Non quidem illum idoneum putabo, qui mihi opportunum ſuggerat conſilium, quod ſibi nunquam præſtitit; neque mihi vacare credam, qui ſibi nunquam attendit. Cujus animum voluptates occupant, libido deprimit,

mit, avaritia ſubjugat, præpoſteræ cupiditates expugnant, ſanè conſilii penitus expertem eum denuntiant. Talis denique debet eſſe, qui conſiliarii munus gerit, ut ſe ipſum aliis ad exemplum bonorum operum exhibeat in doctrina, in vitæ integritate; ut ſit ejus ſermo irreprehenſibilis, conſilium utile, vita honeſta, ſententia decora. Hinc Lacedæmones, cùm homo improbus optimum conſilium tuliſſet, idem ab alio proponi juſſerunt, & mutato authore conſilio uſi ſunt. Jam verò, qualis, quantusque hæc in parte Princeps Theodoſius extiterit, quàm vitæ integer, ſceleriſque purus, univerſam ejus vitam expendenti erit exploratum.

174. At non ex ſola morum integritate probari optimum conſiliarium putandum eſt; oportet ut plurimis aliis excellat dotibus, quiſquis eo nomine celebris in paucis haberi amat: nimirum ut ingenio, ac judicio valeat; ut ſit maximè ſapiens, ſecretique tenaciſſimus; quæ quidem præcipua ſunt eximii conſiliarii inſtrumenta, ſine quibus ſiquis ad rempublicam accedat, non modò illi erit inutilis, ſed aliquando exitialis. Hiſce dotibus omnino ad conſulendum neceſſariis præcelluiſſe in primis Theodoſium, etſi ex prædictis ſatis liquet, ex dicendis conſtabit apertiùs, cùm de illius eminenti ſapientia, & prudentia nobis ex profeſſo agendum erit. Interim editum ab eo, quoties ſenatum adiret, Divinæ ſapientiæ documentum minimè hìc prætermittendum, Certus omne datum optimum, & omne donum perfectum deſurſum eſſe, deſcendens à Patre luminum, priuſquam ferret ſuffragium, mente ad Superos elevata, Deum optimi conſilii largitorem enixè precari, ut ſibi veritatis ſtudio unicè ducto præſenti auxilio adeſſet, ac vera, & utilia proferre annueret: mox admota leviter dextra ad reliquias Sanctiſſimi Xaverii, quas è regione cordis perpetuò geſtare ſolitus, eundem ex longo patronum ſibi deſtinatum ad ſalutaris ſententiæ prolationem ſupplicibus votis compellare; hæc verò adeo diſſimulanter, furtivèque, ut nemo ex his, qui aderant, animadverteret. Unde nil mirum adeo ſalutaria, propèque Divina ut plurimùm fuiſſe Theodoſii ſuffragia, utique à Deo indita, & à Xaverio Luſitanis rebus propitio impetrata. Ita ſe in curia vulgò habebat, ubi cæteris attentè auditis, ſuam ad extremum poſt reliquos ſententiam proferebat, expenſa, & approbata, quæ ſibi rectæ rationi proximior videretur; refutatis nonnunquam, ſi res poſceret, contrariis rationibus alicujus momenti, non contradicendi, aut ingenii oſtentandi ſtudio, ſed veritatis elucidandæ unicè habita ratione.

Lib 2.c.11 3.& 4.

175 Aliquando jubebat Sereniſſimus Rex, maximè cùm ſummum aliquod, ac difficillimum negotium decidendum incideret, ut ex ſcriptis uniuſcujuſque ſuffragia in ſequenti ſenatu recitarentur; æmulandum Imperatoris Auguſti exemplum ſequutus, de quo ita Suetonius: *Eloquentiam, ſtudiaque liberalia ab ætate prima cupidè, & laborioſiſſimè exercuit. Mutinenſi prælio in tanta mole rerum, & legiſſe, & ſcripſiſſe, & declamaſſe quotidie traditur. Nam deinceps neque in ſenatu, neque apud populum, neque apud milites loquutus eſt unquam, niſi meditata, compoſitaque oratione, quamvis non deficeret ad ſubita extemporali facultate. Ac ne periculum memoriæ adiret, aut in diſcendo tempus abſumeret, inſtituit recitata omnia. Sermones quoque cum ſingulis, atque etiam cum Livia ſua graviores, non niſi in ſcriptis, & è libello habebat, ne plus, minusve loqueretur ex tempore, &c.* Quàm ſit è republica hujuſmodi conſultandi ratio in rebus majoris momenti nemo prudens non videt. Subita nonnunquam conſilia diuturnæ pœnitentiæ cauſas

Suet. in vit. Aug. c. 84.

dedere; præmeditata ut plurimùm ſalutaria extitere. Ex præcipiti conſilio ingens reipublicæ præcipitium ſæpe obvenit. E contra ſi conſiliarii jubeantur domi per otium ſecum reputare, quid in qualibet re magna liceat, quid deceat, quid expediat; tandemque ſcriptis mandare, quod optimum factu quiſque poſt maturam deliberationem dijudicet: cùm ſciant à ſe ſcripta non modò coram pluribus æmulis recitanda, ſed manu, ac mente Principis ſæpius evolvenda, in publicoque tandem archivo aſſervanda; pro ſe quiſque induſtriæ, ingeniique nervos omnes intendit, ut publica expectatione, ac privata exiſtimatione digna proferens, ſuæ fidei, prudentiæque recolenda poſteritati monumenta relinquat à nullo æquanda, vel ſaltem ſuperanda. Hujuſce generis plurima edidit Princeps Theodoſius ſcripta ſuffragia politicæ prudentiæ eximia documenta; ex quibus unicum cæterorum quaſi exemplar infra ſuo loco producam; ex quo pronum erit ſtudioſo lectori de reliquis conjectare.

Hoc lib. c.13.

176 Talem ſe gerere ſolitus Princeps in publico concilio magna cum omnium illic aſſidentium admiratione: at non minùs extra concilium admirandus. Enim verò ſoluto domum Senatu, in propriaſque domos abeuntibus conſiliariis, cum Sereniſſimo Parente, quæ publicè fuerant ventilata, privatim Ipſe conferre; ſingulorum ſententias denuo expendere; ac quid è privata, publicaque re utilius videretur ad extremum definire. Ad hæc frequentibus tot conſiliariorum non niſi de rebus maximis agentium colloquiis factus indies eruditior, quidquid vel apud Politicos Authores, vel hiſtoricos Scriptores interim legeret, ſtudioſè obſervabat; memoriæque, ac ſcriptis mandabat, quidquid in poſterum ſibi ad frequentes conſultationes uſui futurum judicaret. Cui ad abſolutæ politices aſſequutionem opportuniſſimo quidem exercitio multò indulſit libentiùs, poſtquam Carolo Magno, & Carolo quinto fuiſſe illud familiare, ſedula utriusque actionum obſervatione deprehendit: *Carolus enim magnus ad cervicale pennam, & encauſtum cum pergameno noctu reponebat; ut ſiquid in lecto cogitanti utile occurreret, ſignare poſſet, ne è memoria elaberetur. Vicinus etiam lecto erat paries cera illitus, cui ſiquid in tenebris occurriſſet, inſcriberet, &c. Carolus verò quintus Imperator antequam quidquam aggrederetur, diu, multùmque deliberabat, in publicum non prodibat, neminem ad ſe intromittebat; ſæpe quin etiam morbum ſimulabat. Quo ipſo effecit, ut non prius ejus conſilia deprehenderentur, quam in opus deducta eſſent, &c.* Talibus, ac tantis conſummatæ politicæ Magiſtris uſus, in eadem brevi evaſit abſolutiſſimus. Neque parum ad hoc ipſum illi contulit frequentes cum eruditis viris de rebus politicis miſcere ſermones, utileſque cum iiſdem excutere pro conſiliarii munere ritè obeundo quæſtiones. Ex his unicam tantùm hìc perſtringam, tum quia ſalutarem doctrinam continet; tum quia in illius reſolutione ſingularis Theodoſii prudenria ſe prodidit: cujuſmodi cæteræ fuerint, ab ea liceat æſtimare.

Æginard. in ejus vit.

Theat. vit. hum.

CAPUT XVI.

Principis Theodoſii de optimo conſiliario judicium.

177 IN frequenti aulicorum Principi Theodoſio ad publica conſilia jam admiſſo adſtantium corona, movit politicam quæſtionem ex iis unus, qui ſibi de politica peritia non parum, nec immeritò tribuebat: *Quisnam omnium optimus conſiliarius ab univerſis eſſet habendus?* Plauſere omnes, at præ cunctis effuſiùs plauſit Theodoſius, utiliſſimæ quæſtionis propoſitioni, ex cujus erudita ventilatione optimi cujusque conſiliarii inſtitutio hauriri poſſet: juſſitque, ut pro ſe quilibet eo, quo ſibi adſtaret, ordine poſtera die præmiſſa diligenti recogitatione ſuam ea de re ſententiam, & proferret, & confirmaret. Primus eum longè optimum cenſuit Conſiliarium, cui ſecreto Arpocráticè obſervando nihil prius, nihil foret antiquius. Enimverò (inquit) rarum id, ac difficillimum, eòque pretioſum; cùm quidquid maximè rarum, & comparatu difficile, in ſummo pretió haberi oporteat. Certè rogatus Ariſtoteles, quid eſſet in vita difficillimum? *Tacere* (inquit) *quæ loqui non decet.* Tanta eſt linguæ omnium maximè volubilis incontinentia; cùm alioqui nihil videatur facilius, quàm ſilere. Idem interrogatus à quodam, Quis arcanum ſermonem continere poſſet? Reſpondit: *Qui carbonem quoque ignitum lingua retinere poſſit.* Hinc Philippidi Athenienſi, qui ob virtutem charus, & perquàm familiaris Lyſimacho Regi erat, idem cùm dixiſſet, nunquid rerum ſuarum nonnihil expeteret? Reſpondit: *Solum ò Rex, ne arcanorum tuorum quidquam mihi credas.* Vir alioqui prudens, ac fortis, cui à Rege maximæ poſſent expeditiones tutò committi, adeo arduum credidit regium ſibi creditum arcanum, quin ſibi aliquando excideret, continere. Ideo ſummi Principes prudentiæ laude clari præcipuam ſemper operam in ſuis occultandis conſiliis poſuere. Tiberius cùm aliquando percontaretur, cur ſua conſilia non cum aliorum quoque, qui ſibi non malè vellent, conſiliis communicaret? Reſpondit: *Principis animum, aut nemini, aut paucis cognitum eſſe oportere;* Id verò, ſi unquam aliàs, in bello maximè ſalutare. Unde Antigonus filio Philippo multis præſentibus percontanti, quando caſtra movebimus? *Quid* (inquit) *num metuis, ne ſolus tubam non audias?* Notans adoleſcentis imperitiam, qui hoc Patrem coram pluribus interrogaret, cùm in bello celanda ſint Principum conſilia; militari Magiſtro id ſeriò admonente: *Nulla conſilia meliora ſunt, quàm illa, quæ ignoraverit adverſarius, antequam facias. Cùm igitur conſilium tuum cognoveris adverſariis proditum, diſpoſitionem mutare te convenit, &c.* Veget. de re milit. E contra nulla ſunt, nec eſſe poſſunt deteriora conſilia, quam quæ ante legitimum executionis tempus abortivè in lucem veniunt; quæ occultis conſciorum hoſtium machinis oppugnata vel nullum, vel noxium effectum ſortiuntur. Judicioſè noſtri ævi optimus Hiſtoricus: *Conſilia* (inquit) *maximè bellica, tamdiu tuta, quandiu tecta, &c.* Strad. de bel. Belg. Dec. 1. At non bellica modò, etiam domeſtica conſilia eſſe à Principe occultanda memorabili reſponſo Metellus Macedonicus prudenter admonuit. Qui cùm omnia proprio, & ſubito conſilio ageret, amico roganti, quidnam acturus eſſet? *Tunicam* (inquit) *meam exuerem, ſi eam conſi-*

lium meum ſcire animadverterem.

178 Ex his planum eſt, optimi conſiliarii eſſe maximè proprium ſecreti ſe tenaciſſimum exhibere. Silentium quidem eſt ſecretorum fides. Neque dubitare quis debet, prodi à conſiliario Principem, cujus conſilia evulgantur, eòque irrita redduntur, & noxia. Aureum præceptum eſt *Tace*; taciturnitas enim eſt optimum, atque tutiſſimum rei adminiſtrandæ vinculum. Ea de cauſa curiæ olim, ubi Senatores ad conſultandum conveniebant, ſilentii no-

Paul Diac men inditum. Unde illud Pauli Diaconi afferentis: *Copronymum feciſſe ſilen-*

hiſt. miſc. *tium*, id eſt Senatum coegiſſe, *per ſingulos dies adverſus imagines*. Et alibi: *Leo-*

lib. 22. & *nem celebraſſe ſilentium in tribunali decem, ac novem accubitumi contra ſanctas imagi-*

23. *nes*. Cui concinit Cedrenus de Phoca: *Phocas in ſilentio* (id eſt in Senatu)

Cedren. *Mauritio contradicebat*. Igitur, cùm nullius alterius virtutis nomine, quàm ſilentii appellandam curiam prudentiſſimi veteres cenſuerint, eam præ cæteris in conſiliariis expeti nemo vocabit in dubium. Apud Perſas olim neminem conſiliorum eſſe conſcium præter optimates taciturnos, & fidos, apud

Ammian. quos ſilentii Numen præcipua veneratione coleretur; Author eſt Ammia-

lib. 21. nus. Quaſi Senatorii arcani ſumma fide obſervandi violator, non humanæ tantùm, ſed Divinæ pariter majeſtatis reus foret habendus. Ex adverſo, quæ fideli, & inſcrutabili corde aſſervantur ſecreta, inexhauſtos theſauros, ſummam ſecuritatem, & ſalutem reipublicæ ominantur. Ex arca, vel arce denominari arcana Ethymologiarum interpretes aſſeverant; ut enim in arca inexorabilibus occluſa vectibus tutiſſimè theſauri cuſtodiuntur, ſic inter obſeratas, nullique pervias arcanorum latebras reipublicæ opes in tuto ſunt. Similiter, ut ſub eminentis arcis integris mœnibus nullatenus vitium facientibus tutiſſima perſtat civitas; ita quandiu arcanorum conſtabit inconcuſſa fides, firmiſſimis circummunita ſalutarium conſiliorum propugnaculis, æternitatis æmula ſubſiſtet reſpublica. Ejuſdem ſalutem in conſiliorum incorrupta obſervatione ſitam eſſe judicioſa redargutione indicavit olim Euripides: qui cùm malè audiret à nonnullis ex oris graveolentia: *Multa* (inquit) *in illo computruerunt*, ſignificans illius tantùm reipublicæ ſalutarem fore ſtatum, cui adſint conſiliarii adeo ſecreti continentes, ut in eorum ore, vel pectore diuturna computreſcant arcana. Utinam plurimos Euripidi ſimillimos conſiliarios perpetuò haberemus! certo frequentium utilitatum exinde provenientium experimento edoceremur, nihil in optimo conſiliario magis optandum, quàm ſummam religioſè obſervati ſecreti tenacitatem; nihil vel ad impendentium malorum tutam declinationem, vel ad felicitatum omnium cumulum poſſe nobis accidere ſalutarius.

179 Secundus omnium optimum conſiliarium aſſeruit omni præpoſtero affectu liberum; qui nec amore, nec odio, nec invidia, nec privatis commodis, aut hujuſmodi aliis à recto veritatis, publicæque utilitatis tramite ſuadendo aut libens deflectat, aut impotens abripiatur. Pravi appetitus omnibus honeſtæ vitæ rationem inſtituentibus; at conſiliariis maximè ad reipublicæ clavum aſſidentibus, contrahendi, ſedandique ſunt, ne privati animi, aut publici ſtatus optabilem tranquillitatem vel convellant, vel penitus

P. Strad. evertant. Id verò eò magis, quia juxta optimi Hiſtorici ſententiam: *Conſilia*

de Bel. *ſibi quiſque attemperat, & judicium, natura extorquente cauſæ putamus tribuere, quod*

Belg. De- *noſtris interim moribus indulgemus*. Si privato cuilibet immoderati affectus do-

cad. 1. minentur, miſerrimam ſervitutem ſub impotentibus dominis ſervire cogetur;

tur; iidem ſi fortè in Senatum irrumpant, & conſiliariorum animos occupent, ex eorum impulſu conſulentes miſerandæ reipublicæ navem in Syrtes, & ſcopulos allident. Ideo Alphonſus Aragoniæ Rex ajebat: *Si fortè ſibi contigiſſet naſci temporibus, quibus Romana reſpublica florebat, conſtructurum ſe fuiſſe contra curiam templum Jovi Poſitorio, in quo priusquam venirent in Senatum Patres conſcripti, odium, amorem, & privatos affectus omnes deponerent. Nam hi ſunt, qui frequenter & civitates, & regna bellis committunt, ac denique peſſundant, & labefactant.* Similiter Cleon, cùm reipublicæ adminiſtrationem capeſſere deſtinaſſet, teſtatus eſt *ſe jam omnium amicitiarum vincula velle ſolvere; quòd amici plerumque obſtarent, ne liceret ubique rectum tenere clavum.* Quòd ſi amor placidiſſimus planè affectus tantùm obeſſe creditur rectæ adminiſtrationi, prudentique conſultationi, quid odium, cujus eſt longè vehementior, & pernicioſior impetus? cùm plerumque ardentiori ſtudio inimicis adverſemur, quàm amicis auxiliemur; acrior enim eſt iræ, quàm amoris ſtimulus; cupiditasque vindictæ inimica conſiliis: optimam cauſam accipe à Politico Magiſtro: Tacit. *Tantò proclivius eſt injuriæ, quàm beneficii vicem exſolvere; quia gratia oneri, ultio in quæſtu habetur.* Stimulat non rarò privati odii pertinacia in publicum exitium; & ut ex feſtuca incenſa, vel lucerna domi neglecta nonnunquam urbs tota conflagrat, ſic ex privatis odiis, ac diſſidiis, maximè in Senatu invaleſcentibus, publica pernicies ſæpe oritur. Id cùm Ageſilao eſſet exploratum, privatum odium publicæ utilitati poſthabuit. Defuncto enim Lyſandro, Ageſilaus numeroſam manum aggregatam comperit, quam ex Aſia ille domum reverſus ſtatim adverſus Ageſilaum inſtituerat. Id indignè ferens Ageſilaus deſtinabat omnibus palam facere, cujuſmodi civis fuiſſet Lyſander, dum viveret; ac prælecta quadam oratione, quam Lyſander in libro deſcriptam reliquerat, compoſitam quidem à Creonte Halicarnaſſeo, ſed in hoc ut Lyſander ediſceret, atque apud popularem multitudinem recitaret (tractabat autem oratio de novandis rebus) hanc, quoniam arguebat Lyſandrum fuiſſe civem pernicioſum, ac ſeditionis avidum, Ageſilaus voluit evulgare. Cæterùm ubi ſenex quidam Ephorus orationem perlegiſſet, metuens dictionis gravitatem, ac vehementiam, ne lecta alios quoque multos ad rerum novarum ſtudium excitaret, conſuluit Ageſilao, ne Lyſandrum ſepultum refoderet, ſed orationem premeret: ſenis conſilio paruit, & à cœptis abſtinuit Ageſilaus. Vir excelſi animi plus apud ſe valere voluit publicam utilitatem, quàm privatum odium; ſimulque perſpexit indecorum eſſe ſimultates exercere cum defuncto. Quid tandem invidia, qua Siculi non invenere Tyranni tormentum majus, neque in Senatu peſtis ulla rebus publicis exitialior? *Invidia* (inquit Cyprianus) *radix eſt omnium malorum, fons cladium, ſeminarium delictorum, materia culparum: Hinc vultus minax, torvus aſpectus, pallor in facie, in labiis tremor, ſtridor in dentibus, verba rabida, effrenata convitia, manus ad cædis violentiam prompta, etiam ſi à gladio interim vacua, odio tamen furiatæ mentis armata, &c.* S.Cypr. in Serm. de livore. Indigna hæc privato homine, nedum publico Conſiliario, quem omni privato affectu maximè liberum in libera republica eſſe oportet: *Rerum enim privatarum reſpectus* (inquit Livius) *ſemper offecit, officietque publicis conſiliis.* Liv. lib. 2.

Tertius veritatem ab omni aſſentatione, diſſimulationeque immunem primam eſſe aſſumpſit optimi conſiliarii laudem; cujus falsò nomen uſurpat, qui veritati perpetuò non adhæret, quæ requirit, ut quod verum, ac ſalutare quis judicat, in medium proferat; non enim optima conſilia ſunt, quæ

Jucundiſſima, ſed quæ vera, & ſalutaria, ut ſapienter Solon. Fridericus Imperator optabat, ut in conſilio dando duæ res abeſſent, ſimulatio, & diſſimulatio: *Vtinam* (inquit) *Conſiliarii mei in palatii veſtibulo duas res deponerent; ſic enim & ipſi rectè conſulerent, & mihi etiam inter conſilia dijudicare facillimum eſſet.* Interrogatus autem, quænam res illæ eſſent? *Simulatio, & diſſimulatio*, reſpondit. Docuit autem Principes commodis publicis non rectè conſulere poſſe propter conſiliariorum privatos affectus. Itaque conſiliarii loco habendus non eſt, qui ita verba moderatur, ut quidquid evenerit, rectè dixiſſe videatur; qui veri copiam non facit, ſed ſuſpenſa, & quò ducantur inclinatura reſpondet. Improbi conſultoris eſt, æquè honeſta, & inhoneſta Principum approbare, & cum fortuna Principis loqui, non Principi conſulere; tandemque quò res inclinat, eò ſententiam detorquere. Similem cum Camæleoni dixeris, qui omnem imitatur colorem præter album: ſic adulator in turpibus nihil non imitatur, ſed quod honeſti eſt, imitari non poteſt. Tales contigiſſe infelici Neroni conſiliarios, magno Romanæ reipublicæ malo, author eſt Xiphilinus. Ille namque natura crudelis conſiliariorum ſuorum inſuper inſtinctu, multa contra dignitatem fecit, cum crebrò ab illis audiret: *Tu hæc pateris? Tu hos times? Ignoras te Cæſarem eſſe? Teque illorum poteſtatem habere, non illos tui?* Tiberius multiplicis, importunæque adulationis tædio affectus, adulandi ſtudium in primariis reipubicæ Romanæ deteſtatus, & indignè ferens, quantumvis tyrannidis amicus, quoties è ſenatu egrediebatur, apud ſe exclamabat: *O homines ad ſervitutem paratos!* Optandus igitur eſt conſiliarius ſimilis prudenti, & fido medico, cujus unicum eſt propoſitum valetudinem Principis tueri, aut recuperare, rerum cæterarum penitus immuni, & incurioſo; ad eum verò finem aſſequendum non minùs amara, & acerba, quàm dulcia, & ſuavia, prout morbus exigit, medicamenta jubet adhiberi. Medicum, ſi ſemel venenum miſcuit, ſemper averſaris; conſiliarium, ſi aliquando tua vitia laudando, vel virtutes ſupra verum extollendo delinquat, quorſum admittes? *Habet ſuum venenum blanda oratio*; inquit Seneca. Qui adulationis veneno Senatus fontem inficit, unde Principi, & reipublicæ puri ſalubrium conſiliorum latices hauriendi, pro communi hoſte meritò eſt habendus. Longè abſit à vero Senatu omnis adulatio, aſſidua magnæ fortunæ comes, perpetuum Regum malum, vitiorum omnium altrix, vetus in republica veneficium dementandis Principibus prævalidum. Sola regnet in Curia nuda veritas totius fuci, & ſimulationis expers; quæ tantam ſemper potentiam habuit, ut nullis machinis, aut cujuſquam hominis ingenio, aut arte ſubverti potuerit; & licèt in cauſis nullum patronum, aut defenſorem obtineat; tamen per ſe ipſa defenditur; cujus ea eſt vis, ut contra vilium adulatorum ingenia, calliditatem, ſolertiam, contraque fictas omnium inſidias ſe tueatur, multorum improbitate depreſſa emergat, aſſentationibuſque intercluſa reſpiret. Eſt interdum ita perſpicua veritas, ut eam infirmare nulla vis poſſit; tamen eſt adhibenda interdum vis veritati, ut eruatur.

Jam verò ad veritatem utiliter explorandam, vel audacter in ſenatu propalandam maxima ſit oportet in quolibet conſiliario, & docilitas omnis contumaciæ immunis, & fortitudo ab omni metu libera. Non ſit opinionis ſuæ tenax conſiliarius, lubens eam cum meliore ſententia commutet; promptus ſemper, ubi affulſerit veritas, ad eam inclinare: *Malum conſilium* (verè monet Gellius) *quod mutari non poteſt.* Si via te recta incedentem alius compen-

Æneas Sylv. l. 3. com. de reb. Alph.

Plin. l. 8. c. 33.

Xiph. in Ner.

Senec. in epiſt.

Gell. lib. 18. noct. Attic.

dii facilioris admoneret, mox ſequerere ; id non faceres pro ſalute reipublicæ? Summæ felicitatis eſt optima primo intuitu vidiſſe, ac elegiſſe ; at longè potior ille eſt, ſi ſe minus alio vidiſſe ingenuè profitetur. Nullus fidelior ad præſtandum conſilium eſſe poteſt eo, qui ſuo abdicato alienum approbat, & Principis ſaluti potiùs, quàm exiſtimationi ſuæ conſultum vult; rara,& ardua hæc virtus eſt, citiùsque invenias, qui rectè ſuadeat,quàm qui conſilium ſuum improbari æquo animo ferat : *Non eſt levitas* (inquit prudentiſſimus Seneca) *à cognito & damnato errore diſcedere, & ingenuè fatendum eſt, aliud putavi ; deceptus ſum.* E contra ſuperbæ ſtultitiæ nota evidens eſt vox illa : *Quod ſemel dixi, qualecunque ſit, fixum,ratumque ſit.* Procul ſint à curia contumaces Laones: *Qui* (obſervante Tacito) *conſilii quamvis egregii , quod non ipſi attulere , ſunt inimici , & adverſus peritos pervicaces.* Errant illi , qui libertatem in pertinacia, non in moderatione potiùs poſitam eſſe judicant. Spartianus refert Severum à Græco interrogatum,quid Romæ ferret ægerrimè? Reſpondiſſe: *Cùm ſua ſententia obſtinatè contradicunt miniſtri,idque nullo fundamento niſi.* Minimè quidem ferenda eſt hujuſmodi , ſiqua fortè ſit, duræ cervicis pervicacia, cujus evincendæ optimum erit conſilium jubere , ut irrevocabilis ſuffragii reddant rationem; quæ cùm nulla, vel futilis prorſus ſit, cogentur vel inſcitiæ, vel contumaciæ pudere. Fortis, at minimè contumax libertas conſiliario adſit, quem nullus regiæ majeſtatis fulgor præſtringat , nihil à proferenda veritate deterreat. Facilè quidem eſt inter pares fortiter ſuffragari; at ſi truculentus Tiberii vultus, aut minax Caji ſævities dicenti objiciatur, jam vix invenias, qui recta ſuadere audeat. Xerxes, qui jucunda olim, quàm vera audire hactenus maluerat , poſtea reſipiſcens Demarato gratias egit, quòd ſolus in concilio vera dixiſſet. Timorem demant Principes, ſi ſalutaria conſilia cupiunt audire. Theopompus rogatus, quæ ratio ſervandi regni tutior eſſet? Reſpondit: *Si juſtam dicendi libertatem Princeps amicis permittat , & ſubditorum, quantùm fieri poteſt, vindicet injurias.* Si fortè erunt conſiliarii , qui nec ad frontem regiam ſententias dicent , nec alicujus conviciis exagitati à recto veritatis tramite diſcedent, in tuto erit reſpublica. E contra periit rex, cui optima conſilia ſuggerere periculoſum erit: *Cujus aures* (monet Tullianum oraculum) *clauſa ſunt veritati, ut ab amico audire verum nequeat , hujus ſalus deſperanda eſt.* Fortem quidem in tuenda veritate , at nòn plus nimio audacem velim conſiliarium: audacia enim conſilia turbandis potiùs rebus,quàm ſervandis aptiora ſunt. Malo itaque conſiliarium nimis cautum,quàm nimis audacem. Certè qui cautiores ſunt, timidique videntur , cùm ad rem ventum eſt,fortiores ſunt audacibus;cujus rei in promptu cauſa eſt,quia illi parati ad eventus, & difficultates veniunt ; iſti, quia improviſo jaculo feriuntur, animum citiùs ponunt, quàm ſumpſerant. Timidiſſimi vulgò ſunt jactantiores; ut enim inflati utres ſpecioſiùs tument , quàm pleni, ſed leviſſimo ictu flacceſcunt, ita verbis præferoces, & ampullas projicientes ad primam inſperati periculi umbram exanimantur: in pace leones, in prælio cervi ſunt. Audacium conſiliorum authores facilè convincentur , ſi quod ore ſuadent, manu exequi jubeantur. Conſilio,& auxilio qui poſſit rempublicam juvare, optimi conſiliarii ſumma laus eſt; quòd ſi aliter ſe habeat, nihili erit habendus.

Senec.l.4. de benef. c.28.

Tacit.

Spart.

Tull.lib. de Amicit.

182 Quartus, cui longior politicarum rerum uſus , ætaſque longævior, tempus omnium optimum conſiliarium eſſe haud intempeſtivè pronuntiavit;

Apud Stob. Laert. l. 1. c. 1. vit; hoc ipſum Bia Philoſopho ſtatuente, qui olim interrogatus, quis eſſet optimus conſiliarius? *Tempus* (inquit). Et Thales ſciſcitatus, quidnam in tota rerum natura eſſet ſapientiſſimum? Reſpondit: *Tempus, invenit enim omnia.*

Eccl. 1. 10. Et meritò: enim verò *Nihil ſub ſole novum; nec valet quiſquam dicere: Ecce hoc recens eſt; jam enim præceſſit in ſeculis, quæ fuerunt ante nos.* Sæpe recurrunt iidem eventus, & præteritis coincidunt præſentes: *Dies diei eructat verbum, & nox nocti indicat ſcientiam.* (Pſal. 18. 3.) Poſtera nempe dies ad nos ſæpe reducit, quod pridie auſpicatò, vel inauſpicatò geſtum eſt. Unde qui anteacta memori mente retinebit conſiliarius, facili ſimilium rerum frequenter occurrentium inter ſe collatione, præſentia ex præteritis ſalutari conſilio vel corriget, vel confirmabit. Hinc eſt, quòd non niſi matura ætate provectis ſenibus olim pateret ſenatus, ab iiſdem ita denominatus Ovidio atteſtante: (Ovid.) *A ſenibus nomen mite ſenatus habet.* Senes verò (inquit D. Gregorius) (D. Greg. l. 30. moral.) *non eos ſacra Scriptura vocare conſuevit, qui ſola temporum quantitate, ſed qui morum gravitate maturi ſunt. Unde in libro ſapientiæ, ſenectus venerabilis eſt non diuturna, neque annorum numero computata; cani enim ſunt ſenſus hominis, & ætas ſenectutis vita immaculata, &c.* (Sap. 4. 8.) *Non viribus quidem, non velocitatibus, aut celeritate corporum res magna geruntur, ſed conſilio antiquorum, & ſcientia, quibus non orbari, ſed augeri ſolet ſenectus;* appoſitè monet Tullius. (Tull. l. de ſeneɛt.) Et verò, maximæ ſæpe reſpublicæ per adoleſcentulos labefactatæ à ſenibus ſuſtentatæ, ac reſtitutæ ſunt. Seniorum conſilia eſſe præſtantiora expreſſit optima ſimilitudine Plutarchus: (Plut. in ſimil.) *Ibin (ajunt) ubi conſenuit, jamque quod erat turbidum expiravit, magis aromaticè olere; ſic gloria ſenum tranquillior, & conſilia ſedatiora, &c.* Cujus rei evidens cauſa eſt, quia longævi ſenes longo temporum decurſu edocti tempeſtivis conſiliis ſuggerendis ſunt inſtructiores, dum ex præteritis, quibus interfuere, ſucceſſibus futuros conjicientes, ſalutaria in rem præſentem conſilia in tempore ſubminiſtrant. At non ſatis eſt optimo conſiliario matura ſenectus, niſi accedat ejus, de quo conſulitur, negotii experientia, quam etiam tempus docet. Præſtat de exercitu Annibalem, aut Scipionem, quàm centum Philoſophos, quantumvis longævos auſcultare. Unicum eſt bene ſuadendi principium, ſi noveris qua de re ſermo ſit; non rem modò, ſed rei quoque circunſtantias noſſe oportet.

183 Ad ſalutaria præterea temporis Magiſtri optimi documenta ſpectant nonnulla maximè obſervanda. Primùm opportunitatis habenda ratio. Præpoſtera ſunt, quæ intempeſtivè conſilia ſuggeruntur. Poſt cladem dare conſilium, quo modo ea vitari poſſet, eſt exprobrare Principi ſtultitiam; quod quàm ſit inutile, immò ipſi conſiliario pernicioſum docuit Perſeus, qui in fuga ſerò dantem conſilia confodit conſiliarium. Barbarè quoque, ac pro crudelitate Ottomanica Selymus, qui auctorem conſilii, cujus infelix fuit exitus, occidit. Conſiliarii eſt in tempore de re agenda conſtituere, quæ mala oritura, quibus modis caveri poſſint, prænuntiare. Quilibet eſſe poteſt poſt facta Prometheus. Eleganter in hanc rem Elegiographus: (Ovid. l. 2. de Ponto.) *Cùm poteram recto tranſire Ceraunia velo, Ut fera vitarem ſaxa monendus eram. Nunc mihi naufragio quid prodeſt dicere facto, Qua mea debuerit currere cymba via.* Idem non modò ex præterito, ſed ex præſenti quoque tempore, illiusque circunſtantiis captanda opportuna conſilia celebri hemiſtichio aptè monet: (Idem l. 1. Am.) *Conſilium tempus, reſque, locusque dabunt.* Invalida quidem ſunt, quæ alieno tempore, locove conſilia ſuppeditantur: *Aggrediar melius* (inquit idem) (Idem l. 1. de med.) *tunc cùm ſua vulnera tangi Jam ſinet, & veris vocibus aptus erit. Quis matrem, niſi mentis inops, in funere nati*

Flere

Flere vetat? non hoc illa monenda loco eſt. Cum dederit lacrymas, animumque explēverit ægrum, Ille dolor verbis emoderandus erit. Temporibus medicina valet, data tempore proſunt, & data non apto tempore vina nocent. Quin etiam accendas vitia, irritesque vetando, Temporibus ſi non aggrediare ſuis. Opportunitatis certè obſervatio in omnibus rebus plurimum momenti habet. Hinc proverbium: *Polypi mentem obtine*: Hoc eſt, pro tempore, ac negotiorum diverſitate alium, atque alium vultum, mores alios, atque alios aſſume. Hinc etiam eſt, quòd juxta temporum caſus aliquando Princeps eò adigitur, ut multa prudenter exequatur præter animi ſui ſententiam; temporique ſervire cogantur ii, qui alioqui videntur imperare. Cùm verò temporis ſit individuus comes locus, juxta illum quoque conſilia moderanda. Unde Livius Salinator in concilio primus rogatus ſententiam, *neminem fidelius dare poſſe conſilium* (dixit) *quàm eum, qui id alteri ſuaderet, quod ipſe, ſi in eodem loco eſſet, facturus fuerit.* Ad extremum, ne in re licèt utili diutiùs immoremur, adnotandum eſt diuturni temporis in conſultando moram è prudentibus viris probaſſe nonnullos, improbaſſe alios. Et quidem Julius Cæſar ea facinora plurimùm probare ſolitus erat, quæ ſine longo conſilio, & prolixa conſultatione gererentur. Similiter Auguſtus Cæſar dicebat *Se Romanis eum Imperii ſucceſſorem relicturum, qui nunquam eadem de re bis conſultaſſet*, de Tiberio loquens, quem præſentibus conſiliis plurimùm valuiſſe ferunt. E contra prudens Seneca monet; *Diu delibera, citò facito, &c.* Cujus affine videtur illud Saluſtii: *Priusquam incipias, conſulto, & ubi conſulueris, maturè facto opus eſt.* In eandem ſententiam inclinat Plutarchus: *Aſſiduitate* (inquit) *omnem ſuperat, exſcinditque potentiam tempus, quod plurimum auxilium fert iis, qui prudenter occaſionem captant: idem tempus infeſtiſſimum eſt iis, qui inopportuna feſtinatione utuntur, &c. Ille inutili cunctatione agendi tempus conſultando conſumpſit* (inquit Tacitus) longas conſultationis moras incuſans. Utranque, ut puto, ſententiam facilè conciliabis, ſi dixeris: Diu deliberandum, cùm de rebus magni momenti agitur, nec eſt periculum in mora; è contra feſtinatione utendum, quoties res, aut imminens periculum properè avertendum id exigit; utrobique verò inutiles redundantium verborum ambages, & lacinias gravi pretioſi temporis diſpendio inventas præcidendas.

Liv. lib. 7. dec. 7.

Plut. in Apopht.

Senec. in proverb.

Saluſt. in Catil.

Plut. in Sert.

Tacit.

184. Cæteris, qui aderant, alicui ex prædictis ſententiis, quæ præcipuas optimi conſiliarii dotes continent, adhærentibus, eamque nova ſubinde probabilium rationum additione amplificantibus; approbatis, & collaudatis univerſis, ita ſuam ad extremum expoſuit Princeps Theodoſius. Ego quidem (inquit) etſi uniuſcujuſque veſtrum ſententiæ libens annuam, univerſis tamen collectim libentiùs aſſentiri delibero; optimum enim conſiliarium eum eſſe judico, qui non unica tantùm ex his, quas prudenter commemoraſtis, & eruditè confirmaſtis, virtutibus, ſed omnibus in unum collectis excellat; cui ſi vel earum una deſit, haud dubium, quin ſibi, & reipublicæ cum maximo illius incommodo, ſit defuturus. Ex quo ſatis difficilem, & controverſam inter politicos quæſtionem alteram *Paucine, an plurimi conſiliarii ſint à conſulente Principe audiendi?* decîſam ex noſtra ſententia obiter accipire. Enim verò, cùm oporteat tam multis dotibus, quas commemoraſtis, optimum conſiliarium collectim eſſe præditum, ſint verò hujuſmodi viri rariſſimi, neceſſariò Princeps debet pauciſſimos adhibere; maximè ſi negotium eſt ventilandum maximum exigens ſecretum, quod à plurimis obſervari

vel

vel omnino nequit, vel ſaltem erit difficillimum. Item ſi res urgeat, periculumque in mora ſit; tunc enim conſiliariorum turba urgentis negotii brevi expeditioni multùm officiet. Niſi hæc obſtent, haud arguerim Principem plurimorum ſententias auſcultantem; dummodo ii multi à multiloquio abſtinere cogantur, quo tempus res pretioſiſſima inutiliter deperdi debeat; ex tam multis enim mutua æmulatione ad proferenda laudabilia intentis utiles ſæpe ſententiæ oriri poſſunt. Tunc verò, monent prudentes, de re maximè bellica in multorum conſilio agitata, cum paucis, & ſelectiſſimis, vel
Veget. de re milit. ſecum tantùmmodo deliberandum; inde rectè Vegetius: *Quid fieri debeat tractato cum multis; quid verò facturus ſis, cum pauciſſimis, ac fideliſſimis, vel potiùs ipſe tecum.* Quò facit prudens Apollonii conſilium Regi Babylonio præſtitum;
Briſon. l. 3. c. 13. à quo rogatus, qua ratione quietè imperio frui poſſet? Reſpondit: *Si paucis credideris.* Hæc mea eſt in re difficili exiſtimatio. Quòd ſi peculiari alicujus prudentis viri judicio, ne à veſtro penitus abeam, adhærendum mihi quoque ſit; cunctis hac in parte judico præferendam ſententiam Alphonſi Arago-
Panorm. l. 3. de reb. Alph. niæ Regis, qui à ſuis interrogatus, quibus conſiliariis maximè delectaretur; *Libris* (reſpondit) *à quibus liberè ſine metu, ſine gratia, quæ noſſe cuperet, fideliter audiret, &c.* Hujuſmodi certè conſiliarii, non modò iis, quas prudens Rex expreſſit, virtutibus, ſed univerſis, quas protuliſtis, ac nonnullis aliis, quas
P. Adam. pag. 489. 490. & 495. prætermiſiſtis, præditi ſunt: Commendant enim prudentiam, ſapientiam, rerum politicarum peritiam, boni publici zelum, & (quod caput eſt) inſignem morum probitatem ab omni vitiorum, & in primis ſuperbiæ, ambitionis, & avaritiæ turpi fæce penitus alienam; ex quibus optimi conſiliarii integra, & ſumma laus conſtat. Hoſce conſiliarios muta eloquentia rectum meliùs, quàm longa orationis ambage perſuadentes ſiquis Princeps frequenter adhibeat, quod pronum erit diurnis, nocturniſque horis evigilanti; ſi eorum ſalutaribus conſiliis abſque ullo ſtrepitu, & ſententiarum multiplici concertatione prolatis acquieſcat, quietum, & tranquillum florentis reipublicæ ſtatum, nullis obnoxium calamitatibus, totius felicitatis cumulo perfruentem, perpetuò aſſervabit.

185 Hæc demum fuit Sapientiſſimi Principis prudens, & ab univerſis Principibus recolenda ſententia; qua & nobilem de conſiliariis excitatam quæſtionem ingenti omnium, qui aderant, plauſu expedivit, ſimulque ſe omnium longè optimum conſiliarium exhibuit: qui eximiis adeo conſiliariis libris unicè indulgens, univerſas ab illis commendatas virtutes, at omnigenam in primis ſapientiam ab iiſdem hauſtam, profiteretur. Tantus ſe jam intenderat hujuſce ſapientiæ fulgor, ut ad illius radios indies illuſtriores infirmi aliquorum oculi caligarent. Ab iiſdem, vel propriæ inſcitiæ patrocinantibus, vel alienæ Principis ſcientiæ, cui nihil impervium, nullus ſolitis aliquorum dolis pateret aditus, obtrectantibus, cùm Princeps ſe plus nimio ſapientem damnari ſciret, ſic apud ſuos aulicos de imprudenti hujuſmodi calumnia conqueſtus eſſe proditur à ſuo Cubiculario Joanne Nonio à Cunia: *Senatus olim Romanus ob Senatorum ſingularem ſapientiam Cyneæ conſeſſus regum & viſus, & meritò prædicatus eſt: At immeritò Luſitanorum nonnulli ægrè ferunt eum ſibi contigiſſe Principem, cui ob amorem, & profeſſionem ſapientiæ liceret in eodem Senatu Romano ſuffragii jus habere!* Quàm ineptè illi Principis ſapientiam arguerint, quàm aptè, ſapienterque illorum inſipientiam Princeps redarguerit, dignumque ſupremi Conſiliarii munere ſe probaverit, ſapientûm erit judicare.

CAPUT

CAPUT XVII.

Ex Gynæceo ad proprium traducitur palatium Princeps Theodoſius, ubi clariora edidit virtutum, & ſapientiæ documenta.

186 JAm decimum quartum ætatis annum impleverat Theodoſius, neque tamen hactenus illum è gynæceo educere, illuſtriumque Procerum (ut moris eſt ante initam adoleſcentiam) clientelæ committere, Sereniſſimus Rex in animum penitus induxerat; ſive illum paterni amoris privatus affectus à dilecto divelli neſcius, ſive publicis, quàm domeſticis negotiis intentior animus novis ſumptibus, in regni defenſione utiliùs collocandis, parcendi cupidum retardaret, in eaque deliberanda re ſolito redderet ſegniorem: maximè, cùm aliunde ſatis exploratam haberet Principis indolem, adeo ſcientiis, & virtutibus addictam, ut ex ipſius cum illuſtribus puellis convictu nihil incommodi timeri, ſumma regiæ aulæ reformatio ſperari poſſet, ac gynæceum ſub Theodoſio adhuc adultiori eſſet publicæ honeſtatis, & virtutum omnium gymnaſium, eodem ad omnem probitatem à ſe haud leviter tritam viam univerſis præmonſtrante, ac prælucente. Urgebant nihilominus eo temporis Regem ex prudentioribus aulici nonnulli, at in primis viri militares, ut Principis regni hæredis, univerſæque nobilitatis id maximè optantis æquiſſimis votis annuere dignaretur, peculiari aula, & illuſtrium Optimatum famulatu ad illius obſequium deſignatis. Omnibus perſpectas eſſe maximas Principis virtutes aulæ non modò innoxias, ſed valde utiles; at eas non tantùm aulicis fæminis, ſed Palatinis quoque viris exponi oportere ſuſpiciendas pariter, & æmulandas; neque ultra fas eſſe fulgentiſſimam jam lucernam ſub modio ſecreti gynæcei occultari, ſed ſuper publicum candelabrum collocandam, ut luceret omnibus, qui in domo regia verſarentur. Majorem jam eſſe Theodoſium, quàm ut hujuſmodi loci, quas illemet oderat, anguſtiis debeat diutiùs circunſcribi. Foràs jam erumpat regius Leunculus, ſatis, ſuperque hactenus in cavea contentus, inſitæque generoſitatis quotidiana prodat indicia, ſuis Luſitanis plaudenda, hoſtibus ex æquo pertimeſcenda. Ducendis in tempore copiis natus Princeps duces, militesque ad ſe libero aditu confluentes libenter excipiat, viſuque amabili, & ſuaviſſimo alloquio ad maxima pro ſe ſubeunda pericula cohortetur; ab iiſdem viciſſim commilitonum inclyta facinora commemorantibus, ad ſimilia, longèque illuſtriora perpetranda excitetur. Ad hæc ſcientiarum, quibus tantùm indulgeret, ac excelleret, magiſtris eruditiſſimus jam nunc Princeps pateat, ac ex illorum conſuetudine, frequentibusque colloquiis evadat indies eruditior. Populo tandem Luſitano ſuorum Principum peramanti oſtendat ſe, illiusque benevolentiam maximi quidem habendam reciproci amoris obvia exhibitione ſtudioſè nutriat, foveat, & in immenſum promoveat. Quàm multæ, maximæque in rem publicam, & privatam hinc proma-

promanabunt utilitates, omnium optimus magiſter tempus, illiusque genuina ſoboles experientia edocebunt.

187 Hiſce, aliisque minimè contemnendis rationibus exoratus Sereniſſimus Rex tacitis optimi Principis id maximè optantis votis, & bonorum omnium id ipſum palam efflagitantium deſideriis annuere deliberavit. Igitur finitimum regio palatium facili, mutuoque utrinque per intima tranſitu peropportunum regifico apparatu, ac prædivite ſupellectili, quæ tantum Principem addeceret, haud multò poſt jubet inſtrui; mox matura per otium præmiſſa conſultatione, Cubicularios primùm ex primariis Optimatum familiis, cæteros deinde Principi miniſtraturos domeſticos, ſummos, medios, infimoſque deſignat; univerſos exploratæ ſibi fidei viros; unumquemque iis dotibus inſtructiſſimum, quas ab eo proprium munus rite obeundum exigeret. Horum omnium proferre nomina, quia ſatis foret prolixum, primos tantùm Cubicularios (viris conſultiſſimis ita judicantibus) duxi nominandos. Hi fuere D. Gregorius à Caſtelbranco Comes à Villa nova, D. Ludovicus Portugallenſis Comes Vimioſenſis, Henricus Soſa Tavares Comes Mirandenſis, Ferdinandus Telles Meneſius Comes à Villarmajor, Nonius Mendoſſa Comes à Val de Reys, Joannes Nonius à Cunia, poſtea Comes Sancti Vincentii, & Indiæ Prorex. Rebus ita omnibus comparatis peragendæ tranſmigrationi dies dicitur Januarii ſexta anni 1648. Epiphaniæ ſacra, in qua univerſi, qui Ulyſſipone aderant, Optimates ad regiam aulam confluxere, feſtiva ſui Principis veluti Scenopegia mutuis exultantium animorum plauſibus cumulaturi. Tunc Princeps à Sereniſſimo Parente laconicis, prudentiſſimiſque inſtructus monitis, Matris Sereniſſimæ oſculata dextra, mox aulicis fæminis ob ejus diſceſſum non immeritò in publica lætitia mœrentibus, valere juſſis, regali pompa in proximum palatium à Sereniſſimo Parente, cæteriſque Palatinis, & Dynaſtis introducitur; cunctis præter modum plaudentibus, maximè Cubiculariis, reliquiſque Principis domeſticis, non ſine juſta eorum invidia, quibus optatiſſimum dilecti Principis miniſterium fuerat, etſi expetitum, at rebus ita poſcentibus impermiſſum. Hic poſt mutuas, quæ aliquandiu tenuere, gratulationes, jucundiſſimoſque pro re nata ſermones, Sereniſſimo demum Rege, cæteriſque recedentibus, cum ſuis Cubiculariis paulisper colloquutus, longiorem deinde cum Deo, cum Deipara Sanctiſſima, Cœlitibusque Tutelaribus habuit familiariſſimum ſermonem, utroſque ſuppliciter, enixèque deprecatus, ut ſibi publicæ vitæ rationem denuo inſtituenti tam propitii deinceps, quàm hactenus, adeſſent, conceptaque à ſe dudum Deo in omnibus obſequendi vota ſecundarent, ac ſe tandem à totius criminis labe immunem, & immaculatum, ipſique Deo per omnia placentem redderent.

188 Per inſequentes dies ingens omnium ordinum Sereniſſimo Regi, ac Principi gratulantium ad utriusque palatium concurſus fuit: præ omnibus ea extitit celebrior, qua Sereniſſima Regina unà cum Sereniſſimis Infantibus Principem amoris, & honoris ergo inviſit, illuſtrium aulicarum puellarum cœtu comitata. Poſtquam ſuaviſſimis Matris Sereniſſimæ alloquiis aliquantisper indulſit, aulicarum quoque Virginum, quibus per integrum ſeptennium Princeps convixerat, urbaniſſimis ſalutationibus fecit ſatis. Ex iis nonnullæ, quarum apud Principem longinquior erat ex frequenti miniſterio uſus, & ex prævolantis ingenii opinione major urbanæ dicacitatis fiducia,

cæpere illum feſtivis dicteriis diverſimodè aggredi; & modò diuturni convictus citam oblivionem objicere, modò totius benevolentiæ expertem incuſare; ad hæc indignum eſſe, ut ab aulicis Virginibus, cæteriſque fæminis tantopere abhorreret, qui virtutes fæminei generis adeo efflictim adamaret: longè indignius, ſui juris denuo effectum Principem antiqui hoſpitii jura, debitique tot nominibus mutui amoris inviolabiles leges, incuria, oblivione, ac negligentia prævalentibus, adeo citò violaſſe. Ad hæc verò, & ſimilia non minori argutia, comitateque Princeps ſibi objecta refellere, omnimodè ſe tueri, earundemque blando ſermone indulgentiorem captare benevolentiam: *Gratum inprimis ſibi valde fuiſſe, quòd ingrati labe, à qua maximè abeſſet, inter tam multas alias ſe minimè aſpergerent; injuriarum tantùm eſſe immemorem Principem, nullatenus officiorum oblitum oportere; ſi virtutum ſe omnium peramantem, cur eaſdem ſtudioſiſſimè colentium æſtimatorem non exiſtiment? Eas eſſe Virginum aulicarum dotes tum ab indulgenti natura inſitas, tum induſtriæ virtutis ſedulitate acquiſitas, quæ univerſis, ne dum ſibi, ſummo in pretio eſſe debeant: ad extremum abſque manifeſta injuria violari à ſe nunquam poſſe oblivione, incuria, vel negligentia memoriam priſtini hoſpitii, in quo adeo ſui memores, & diligentes incolæ hoſpitentur; ſibi per id tempus ad ſpeculandas Cæli ſtellas unicè intento, neceſſariò fore obſervandas firmamenti aulici longe illuſtriores conſtellationes, quæ ſe benigno adeo aſpectu intuerentur.* His, & ſimilibus urbanitatibus aulicas Virgines Principis loquentis ab ore ſuſpenſas, ſibique de iis, quæ libenter audierant, mirificè complacentes, poſtquam diu Ipſe tenuit; mox ut ſibi potiùs diſplicerent, ac Deo magis placerent ingenioſa traductione inverſum, quem cæperat, ſermonem ita dicitur proſequutus.

189 *Si terrena* (inquit) *citò peritura, quantò magis cæleſtia, & æterna oblivisci vitio dandum eſt? Terreſtrium meminiſſe aliquando noxium, cæleſtium memoria ſemper utiliſſima erit, maximèque ſalutaris. Et tamen (proh dolor!) utilia nihil curantes, inutilibus, noxiiſque ſæpe curis plus nimio diſcruciamur. Humani præterea, mutuique amoris nimis anxii, Divini parum ſolliciti amorem, quo nihil eſt pretioſius, malè perdimus, dum illum in creaturis perperam, non in Creatore potiùs collocamus. Deum ſupra omnia diligere, illiuſque amore dignum ſe præbere ſuprema eſt prudentia; humanam è contra benevolentiam Divinæ præhabere ſumma inſipientia. Æquum tandem eſt hoſpitii, ubi aliquandiu ſubſtiteris, inviolata jura obſervare; at multò æquius hoſpitis, quàm hoſpitii potiorem habere rationem: animi quidem noſtri ad cæleſtem patriam peregrinantis mobile hoſpitium brevi ruiturum eſſe corpus quis ignorat? At qualis, & quàm cæca erit ignorantia, ſiquis nobili hoſpite, id eſt, illuſtri animo per ſummam indignitatem inciviliter habito, penituſque neglecto, in adornando hoſpitio, hoc eſt, in corpore poliendo, indulgentiſſimèque habendo induſtriam, & ſolicitudinem omnem adhibeat! Hæc verò apud vos ideo confidenter memini, quia probè mihi notum eſt, quàm ab ea improba nota unaquæque veſtrum longè abſit; quibus major ineſt perficiendæ propriis virtutibus animæ, quàm alienis coloribus formæ inficiendæ ſolicitudo. Scitis nempe quàm ſit fallax gratia, & vana pulchritudo, nec vos latet; quòd Forma bonum fragile eſt, quantùmque accedit ad annos, Fit minor, & vitio carpitur ipſa ſuo; caduci ad inſtar floris ad primos emorientis auſtros, aut ad intentiores æſtivi ſolis radios flacceſcentis: è contra immortalis animi nitor indeficiens cæleſtium ſtellarum æmulus tam veſtris animis gratus accidit, quàm Divinis oculis acceptiſſimus, quibus unicè placere pulchrum, & decorum eſt.* Hæc, iiſque affinia proferenti Principi placidè annuebant aulicæ Virgines, intimis in eo auſcultando gaudiis delibutæ, internæque voluptatis,

& ad cœleſtia commotionis manifeſta ſigna expreſſis lacrymis exhibentes. Univerſas deinde pretioſis donavit munuſculis præ manibus, & oculis frequenter habendis, ſui, ac in primis Dei, ne unquam illis excideret, memoriam excitaturis. Unicuique ſuum attribuit horologium ex ſolido auro elegantiſſimo artificio elaboratum; monitis inſuper omnibus, ut per ſingulas horas Dei ſupremi artificis, maximique benefactoris, deinde ſui Principis haud illarum immemoris, apud ipſum Deum meminiſſent, eundem exorantes, ut ſe ſpiritu principali confirmare dignaretur. Hæc, nequis fortè addubitet, accepi ab ipſius Principis Clavigero adhuc ſuperſtite Antonio Roderico Almeyda, qui ad ingreſſum Sereniſſimæ Reginæ, aulicarumque Virginum, cæteris Cubiculariis, Dynaſtiſque abeuntibus, unicum ſe reſtitiſſe, voluptuosèque hujuſmodi colloquiis, licèt clam, annuente Principe, interfuiſſe indubia fide atteſtatur. Ex aliis prætereà non abſimilis fidei Authoribus haud ſemel audivi eos, ac ſimiles Principis cum aulicis Virginibus familiares ſermones maximi fuiſſe momenti, ut earum plurimæ, tam ante, quàm poſt ejus obitum, concepto rerum cœleſtium flagrantiſſimo affectu, nec minori mundanæ gloriæ contemptu, ampliſſimis opibus, & connubiis nuntium remittentes Deo ſe penitus devoverint in cœnobiis arctiſſimæ obſervantiæ; ubi nonnullæ adhuc ſpirant vitæ ſpiritualis animata exemplaria, ſuique Principis talia ſuadentis ſanctimoniæ illuſtria monumenta.

190 Eadem tandem ſub veſperum die, monitis, muneribusque maximi faciendis inſtructæ à Principe unà cum Sereniſſima Regina recedentes; ex iis, quæ viderant, & audierant admirabundæ, non ceſſabant illius inſignem prudentiam, acerrimum ingenium, & quod caput eſt, præcellentem ſanctimoniam jam pridem ſibi exploratam, majoribusque indies argumentis confirmatam ubique prædicare. Illud ſub id tempus in ea Palatii permutatione obſervandum maximè, nihil in Theodoſio, niſi fortè in melius, mutaſſe aut novi domicilii, regiique comitatus amplitudinem, aut liberioris vitæ rationem: indulgentiore, quam nactus eſt, libertate ita continenter uſus fuit, non ut licentiùs, quod vulgò ſolent adoleſcentes, ageret, ſed ut liberiùs Deo, ſibi, & liberalibus artibus proſequendis deinceps vacaret; cùm ſibi jam liceret ſuis auſpiciis vitam ducere, ac ſponte ſua curas componere; in primis curavit exactiori morum, mox librorum compoſitioni ſtudioſiùs incumbere. Eadem Illi erga Sereniſſimos Parentes, quia major eſſe non poſſet; obſervantia; intentior ad virtutes, & liberales diſciplinas, quia pro libito utraſque poterat exercere, propenſio; promptior in univerſos frequenter ſe convenientes ex opportunitate facilioris benevolentiæ demonſtratio. Conveniebant autem Principem aſſiduiores præter Primariam nobilitatem obſequii cauſa ex univerſis ordinibus, maximèque ex noſtra Societate Religioſi plurimi, quibus familiariſſimè indulgebat; ſive de virtutibus, ſive de ſcientiis jucundiſſimos ſibi ſermones cum iiſdem collaturus; immò ſi diutius, quàm vellet Princeps, ab illius aſpectu fortè abeſſent, eorum nonnullos, quibus ob eximiam virtutis, aut ſapientiæ commendationem libentiùs delectabatur, per domeſticos familiares, ne tandiu ſibi deeſſent, humaniſſimè admonebat. Certè de Principe Theodoſio ita ſuum palatium religioſis viris frequentiſſimum diſponente longè veriùs dici poteſt id, quod de Imperatore Theodoſio verè prædicat Socrates in ejus vita: *Palatium ſic diſpoſuit, ut haud alienum eſſet à monaſterio*. Poſt hos, primum apud Principem locum, & patentem ſemper habuere aditum militares viri

Socrat. in vita Theodoſ.

cujus-

cujuslibet ordinis,& conditionis,duces,equites,legionarii. Hi cùm occaſione aliqua Ulyſſipone verſarentur, Principi frequentes aderant pro privatis, vel publicis militiæ negotiis præſens Illius auxilium apud Sereniſſimum Parentem nonnunquam imploraturi; aliquando ſcitu digniſſima ſuorum commilitonum facinora, quibus mirificè capiebatur, commemoraturi. Eoſdem opera, opibus, interceſſione, maximèque certa ſibi ſpe adeundi quantociùs exercitus, ad animosè proſequendum auſpicatiſſimè cæptum bellum animabat.

191 Interim ab eruditis animadverſoPrincipis ad omne Scientiarum genus proclivi genio, incredibile dictu eſt, quàm ſedulò univerſi proprii, alienique ingenii vires omnes certatim exeruerint, vel pro captanda eruditiſſimi Principis benevolentia, vel pro ejuſdem eruditione, oblatis hujuſmodi literariis munuſculis, promovenda. Igitur qui præſtarent ingenii acumine proprio, à ſe confecta opera; qui ſecus, alieno elaborata, magnisque impendiis undequaque acquiſita, Principi ad ea excipienda munera unicè prompto paſſim offerebant. Quidam politica præcepta ex optimis Authoribus collecta; nonnulli militaria de rebus bellicis documenta: Mathematicas, Philoſophicasque alii quæſtiones; hiſtoriarum tandem alteri fragmenta, vel integra volumina eidem conſecrabant. Univerſa curioſus Princeps placidiſſimo vultu excipere, avidisque manibus arripere, frequenter eadem percurrere, quæ optima judicaret, elegantioraque ſibi ſeponere; de omnibus prudens judicium apud ſapientiores, quibuscum conferret ſæpe, proferre. Infinitus eſſem, ſi omnium vel levi præſtrictione meminiſſem; unum præ cunctis opus planè unicum, ad Cleantis lucernam elucubratum, eòque Principi, cui tunc inter alia fuit dicatum, longè acceptiſſimum, juvat hîc delibare; ut ex illo de cæteris prudens lector faciat conjecturam. Inclyti operis inſcriptio eſt hujuſmodi: *Vita, & actiones Regis Ioannis primi hujuſce nominis, decimique inter Luſitanos Reges, Oblata Sereniſſimo Principi D. Theodoſio noſtro Domino; In compendium redacta à D. Ferdinando Meneſio Comite Eyriceirienſi Regio Conſiliario.* Illuſtre quidem, illisque maximè temporibus opportuniſſimum argumentum, ſub quo heroicæ virtutes, præclaræque res geſtæ, in primis tanti Regis, ſimulque inclyti Herois D. Nonii Alvari Pereyra Brigantini Principatus Conditorum, perleganti, & verè aureo ſtylo commemorantur: Luſitanorum deinde cum Caſtellanis antiqua prælia; partique de iiſdem glorioſi triumphi, quorum altiùs repetita memoria Regem, Principem, univerſosque Luſitanos laudabili æmulatione ſtimulatos poſſet non leviter ad ſimilia inflammare.

192 Verbis ſatis explicari nequit, quàm gratus liber hic ſtudioſo Principi acciderit; maximè poſtquam illum lectitando penitus abſolvit. Laudabat ante omnia nobiliſſimi argumenti optabilem inventionem, quo nihil in rem præſentem accommodatius, immò ſimillus poſſet excogitari; idem antiquis Luſitanorum facinoribus præſentia nihilo inferiora conferens, haud abſimilem, immò feliciorem adhuc exitum hiſce ominabatur; plenus ſpei fore, ut olim ſub Joanne primo, ſic ſub Sereniſſimo Parente Joanne quarto, vel ejus ſucceſſoribus, parta demum pace, victricia Luſitana ſigna Mauritaniæ inferrentur, ingenti fidei Chriſtianæ iis regionibus incremento. Ad æmulandum verò Infantem Henricum ejuſdem Regis filium præcipuo ardore incendebatur; quem

 cùm

cùm ibidem legeret mathematicis diſciplinis apprimè inſtructum, inſuetam hactenus per vaſtum Oceanum navigationem tentari primum juſſiſſe, primaſque in eo propriis auſpiciis inventas Inſulas imperio Luſitano adjeciſſe; majorem generoſo animo concepit ſpem, finito demum Hiſpano bello, aggrediendi majora; ignotaſque adhuc longè remotiores regiones,peritioris Nauticæ beneficio detectas,Chriſtianæ Fidei radiis illuſtrandi.Summis prætereà laudibus inſignem eximii Authoris in ſcribendo methodum efferebat; utpote qui non modò abſolutiſſimi Hiſtorici univerſas leges ad amuſſim exequeretur, ſed, quòd caput eſt, paucíſque contigit, Chriſtianæ, ac generoſæ politicæ optima quæque documenta obiter, aptiſſimèque ſuis locis insereret; expenſis,ubi res exigeret,rationum momentis, illuſtriumque actionum cauſis, & effectibus enucleatis, ex iis, quæ forent laudabilia,judicioſè approbando, quæ aliter ſe haberent, liberè,ſyncerèque improbando, omni procul affectu, unius tantùm veritatis habita ratione. Ad extremum ſuis aulicis commendata ejuſdem Libri eleganti, utiliſſimaque lectione, captataque nonnunquam ex iis, quæ ipſi de illo proferrent, occaſione, unum eſſe, quod pluris in eo faceret, maximique ab omnibus faciendum affirmabat: quòd nempe is eſſet hujuſce libri Author, qui non modò illuſtribus ſcriptis, ſed illuſtrioribus factis ſeque, majoreſque ſuos clariſſimos memori poſteritati commendaverit: qui traducta laudabiliter in liberalibus artibus addiſcendis, ac virtutibus exercendis pueritia, & adoleſcentia, juvenilem,& virilem ætatem mortalibus exercitiis ſumma cum laude impenderit; in Mediolanenſi primùm bello adverſus Gallos, Allobroges, & Parmenſes ſub Marchione Laganenſi; mox adverſus Caſtellanos poſt vindicatam Luſitaniam in Tranſtagano exercitu,utrobique maximis paſſim editis genuinæ virtutis monumentis: qui tandem poſt obitum ipſius Principis Tingi Cæſareæ præfectus, eam arcem frementis Libyæ frænum, & Hiſpaniæ validiſſimum propugnaculum non propugnarit modò ſtrenuè, ſed univerſam propè Mauritaniam duplici obſidione ad illius oppugnationem ſemel, atque iterum inſiſtentem, magnis attenuatam cladibus in turpem demum fugam compulerit, prodigioſis Luſitanæ fortitudinis oſtentis, & fulgore Meneſii nominis Africæ jam diù exitialis perterrefactam. Hæc ad ſuos aulicos Princeps occaſione oblati ſibi voluminis, cujus nuper voluptuoſiſſimè lectitavi exemplar; in eo cùm univerſa tanti Authoris exploratæ prudentiæ ingenio, & eruditioni conſona, tantique Principis æſtimatione digniſſima ſuſpicerem, unum id indignè tuli, vehementerque indolui; quòd cedro, cœloque digniſſimum opus adhuc manuſcriptum, necdum aureis typis foret commiſſum; quò eſſet omnibus exploratum, quàm verè de illo Princeps eruditiſſimus judicarit.

193 Dum hujuſmodi laudibus, inſitæque benevolentiæ ſignificationibus oblata ſibi literaria munuſcula Princeps remunerat, creſcebat indies in omnium animis bonarum artium ardor, augebatur præter ſolitum ſapientûm numerus, acuebantur ingenia, Theodoſiique univerſis faventis palatium publicum Athenæum referebat. Quidquid Illi ex votis accideret, illico carminibus, problematis, literariis certaminibus, ingenioſiſque hujuſmodi inventis celebrabatur. Siquid verò eidem inauſpicatò eveniret, opportunis quoque documentis artificioſè compoſitis in poſterum eruditi quique certatim providebant. Hujus etiam generis minimè prætermittendum paradigma non minùs utile, quàm feſtivum placuit hic ex integro tranſcribere, illius

cauſa

cauſa priùs indigitata. Leviter aliquando Princeps ægrotaverat (ſiqua Principes levis unquam ægritudo inceſſit ex ſumma dignitate, vel malis vulgò ingraveſcentibus) neque tamen regios adhiberi medicos, aut ab eorum aliquo auxilium implorari paſſus eſt. Ea propter graviore illi, quàm Princeps, doloris ſenſu cruciabantur; ſive illos Principis dilectiſſimi ſalus, ſive propriæ exiſtimationis cura ſolicitaret. Cùm verò de hujuſce repulſæ cauſa incerti medici, aulicique fluctuarent, ignotus mihi Author, idemque ab omnibus ex ingenio, & eruditione cognitu digniſſimus, ac de Hippocrate, Galenoque benemeritus egregium excogitavit, expolivitque argumentum, jam benevalenti Principi dicatum; quo ſimul & Principis ſaluti, ejus tunc commendata prudentia, & ſapientia, ſalutaris extitit conſultor, & medicorum dolori leniendo ſalubrem adhibuit medicinam: inſcriptio, & cætera ſic habent.

Sereniſſimo Principi Domino noſtro in ægritudine ſua, ob non vocatos medicos, gratulatio.

194 VOcabant medicos in ægritudine tua (Princeps Sereniſſime) humor Te opprimens, accreſcens tumor, ac febris pulſans; & medicos non vocaſti. Quid hoc? Inquiunt illi dolenter quidem: odit medicos Princeps? An non medicus (ita Jure conſultus) hominum ſalutem agit? An non ipſius (teſte Galeno) eſt naturæ miniſter? An non (Authore Seneca) licèt de facto videatur ſanitas, debetur medico, quia venit per ipſum fati beneficium? An non tandem (inquit Sapiens) *Honora medicum; creavit etenim Dominus illum.* Quomodo igitur nos Princeps oderit? Ignavos medicos oderit Ille; nam prout quidam, *Ignavi medici demit medicina ſalutem, Dum prodeſſe putat, ſemper obeſſe ſolet.* Deque ſolo imperito medico cecinit Vates: *Qui fuerat medicus, nunc eſt veſpillo Diaulus; Quod veſpillo facit, fecerat & medicus.* At nos non paulùm noſcit Ille peritos. Hos Pauſanias (fatemur) oderat etiam. Dicenti nanque, *Nil mali habes: quia te* (retulit) *non utor medico.* Alii verò, qui ſibi dixerat: *Senex es factus: quia te medicum non adhibeo,* Reſpondit. Sed quod Pauſaniæ vitio tribuitur, abſit à Principe, cujus anima amplectitur tot virtutes.

In L. 1. §. 1. ff. extra ord.
Gal. lib. de opt. doct.
Sen. lib. 2. quæſt. nat. c. 38.
Eccl. 38. n. 1.
A lib. de mor. med. c. 1.
Mart. l. 3.
Plut. in Lacon.
Ibid.

195 Abhorret igitur medicos multos? Notum exclamaſſe morientem Adrianum: *Multi abſtulerunt medici Regem;* hincque illa inſcriptio, *Turba medicorum perii,* affixa ipſius monumento adhuc viget. Sed multos ille ſententiis, & votis diſcrepantes vocabat; non verò poterunt dici multi (nos tales) quibus in votis, & ſententiis cor unum. Poterat ergo illud Philemonis: *O quàm malè habet medicus, ſi nemo in vita ſe habet malè!* ſuſpicari de nobis? Velut miraculum de quodam medico canit Leontius: *Et medicas præſtans operas, Sophianuque profeſſus, Nec ſancto dextram ſubjicit ipſe lucro.* Sed expertus, in nobis nos avaritiam, quæ (Apoſtolo teſte) idolorum eſt ſervitus, nominari nec velle; nec tunc melius nobis, quàm cùm Ipſi ſit melius; ſcit Urbs, & orbis ſolum amoris ſtudium, quod ergà homines præſtare debent Chriſtiani medici (prout Baſilius) ſemper nos hîc impenſiùs præſtitiſſe: non hîc ex morbis facimus

Xiph. in Adrian.
Apud Dob. 5. 1.
Anthol. l. 4. c. 3. ep. 6.
Eph. 5. n. 5
Baſil. ep. 8

quæſtum; non hic inhiamus argento, aut auro; non hîc tandem locantes mercede operam præmio cuilibet, ſed amori ſcientiam mancipamus.

196 Hæc, & alia illi, quin cauſam poſſent attingere; cùm refulgens ille [1. Metam.] Apollo (inquam) qui de ſe ita per Ovidium: *Inventum medicina meum*, ſic ad ipſosmet loquitur: Quid hæretis? neſcitis forſan adhiberi ſolere diſpares curas diſſimilibus morbis? alios poſcere medicamina dulcia? amara alios? alios duram ferri ſectionem? blandam alios olei lenitatem? Latet vos eſſe ægrotos aliquot (præſertim in iis ægritudinibus, quarum curatio cura veſtra non indiget) adeo ſolertes, ut ſola uſi accurata diæta valetudini propriæ medeantur? [Valer. l. 7. c. 13.] Socrates ille, qui ſimulachrum ſapientiæ vivum, ac terreſtre oraculum dicebatur, ſuos alloquutus familiares hortabatur: *Vt ſinguli obſervarent, quis ſibi cibus conduceret, inquiens difficile id obſervanti, vel nunni medicum habere poſſe, qui ad ſuam ſalutem conducentia meliùs judicaret.* [Suet. in ejus vita] Regens ipſe Tiberius in imperii faſtigio proprio arbitratu valetudinem ſuam, illæſam illam à ſuæ ætatis anno trigeſimo, abſque vel minimo medicorum conſilio, conſervavit. Sed quid moror? [Rhodig. l. 30. c. 12.] Galenus, à quo hauritis, quæ cunctis effunditis, legitur vitam in quadraginta, & centum annos beneficio inediæ protelaſſe. Perſium denique audite: [Perſ ſat. 11] *Poſcis opem nervis, corpusque fidele ſenectæ? Eſto, age: ſed grandes patinas, bucetaque craſſa Annuere his ſuperi vetuere; Iovemque morantur.* Inquit ille; ſed addam his, nec [Terent. in Adelph.] *ipſamet ſalus (licèt id cupiat) poteſt eſſe ſaluti.* Procul dubio itaque ſaluti eſſe abſtinentia poteſt.

197 Hæc ergo Princeps, qui (prout noſtis) callet omnem ſcientiam, ignoraret? Hæc ſciens, nollet inſtanti morbo olei (quod ſatis) ac diætæ remedium applicare? Abſit profectò, Ennio nanque atteſtante: [In Medea.] *Sapiens, qui ſibi nequit prodeſſe, nequicquam ſapit.* Non ob aliud igitur (ne triſtemini, precor) vos non vocavit; per ſe remedium applicat illud: non enim ignorat, quod ipſo [Plut. de ſan. tuend.] oleo, ac inedia ipſa ſalutem propriam (quam Plutarchus appellat condimentum ſuaviſſimum) conſequetur. Sic fatus Parens medicinæ, diſparuit; agnoſcunt medici, quod non norant; lætantur tantò magis, quantò magis doluerant; [Claud. de bel. Get.] ſemper *nanque viciſſim Gaudia præmiſſi cumulant inopina dolores.* Ego verò, his auditis, ſolo exultans in Domino, ſtatim illa referre Tibi mecum ſtatui; retuli humiliter; benignè accipe; humilitatem non reſpuit altitudo. Fac tandem, ita vivas, ut per Te ſemper medici quilibet à Palatii luminibus arceantur: Quod Tibi in ſecula (velut bonum, quod ſummum) Deum optimum maximum deprecabor. Nam (ut cum Flacco loquendi finem faciam) [Horat. lib. ep. 12. v. 5.] *Si ventri bene, ſi lateri eſt, pedibusque tuis nil Divitiæ poterunt regales addere majus.* Vale.

198 Sic et medicæ artis ab injuria vindicandæ, Principisque tuendæ in poſterum valetudinis conſultiſſimus Author extitit, quisquis ille fuit; ſimulque palam fecit, quàm eruditus Princeps omnigena eruditione delectaretur, cui adeo elegantes oblatæ allegationes ſummopere placere poſſent. Hiſce intentum curis Theodoſium, Sereniſſimos Parentes, univerſamque Luſitaniam novo cumulavit gaudio auſpicatiſſimum Sereniſſimi Petri natalitium die 26 [Agiolog. Luſitan. ad 26. April. ubi plurimos citat Authores.] Aprilis anni à Chriſto nato 1648. apud Luſitanos celeberrima ex martyrio S. Petri Ratenſis primi Bracharenſis Epiſcopi, totius Hiſpaniæ Protomartyris, ac Primatis: quem à ſexcentis annis Ilipulæ in Bœtica ſepultum, inaudito poſt hominum memoriam miraculo, S. Jacobus Apoſtolus vitæ reſtituit, & Bracharenſi Eccleſiæ præfecit. Inde recèns nato Sereniſſimo Infanti Petri no-

men inditum in ejuſdem baptiſmo; qui, Theodoſio ſuſceptore, ſolita regali pompa, ſed inſolentioris lætitiæ publicis, privatiſque ſignificationibus celebratus eſt. Interim Princeps æternæ ſalutis, quàm temporalis ſtudioſior nactus liberiorem animæ conſulendi opportunitatem, eam omni virtutum genere ſpecioſiorem indies reddere, ac earum vivum exemplar aulicis æmulandum exhibere ſatagebat. Dum tamen cœlo penitus addictus cœleſtem planè in terris vitam proſequitur Theodoſius, illius innocenti vitæ inſidiari, mortemque immeritam per ſummum nefas eidem accelerare, ſibi timens execrandis odiis,ac dolis inſtructus Erebus conſpiravit; non enim alibi conflata, vel aliunde nefaria hujuſmodi erupiſſe conſilia fas eſt credere: illa conſultò premere, Harpocraticoque ſilentio penitus damnare deliberaveram, horreſcente animo,ac ipſo refugiente calamo deteſtabile facinus vix ſtygiis furiis adſcribendum referre. Verùm diu reluctantem evicit in primis infandi ſceleris per univerſam Europam pervulgata fama, tacere neſcia; Sereniſſimorum Regum, ac Theodoſii ex ea occaſione maximarum virtutum neceſſaria commendatio; & quod caput eſt, perpetuò recolenda Luſitaniæ ſemper faventis Euchariſtici Numinis providentia tutelaris: quæ omnia præterire, ingratique ſilentii tenebris penitus involvere (prudentibus viris à me conſultis ita ſtatuentibus) tantum eſſet nefas, quantum haberi debet, eodem ſimul oblivionis tumulo & ſumma ſcelera, & maximas virtutes obruere. Quare in eo recenſendo improbo facinore ita me geram, ut tacitis juſtas ob cauſas iniquiſſimis complicibus, etſi alioqui notis, ſcelerati tantùm proditoris, qui propterea publicas, at citra condignum pœnas dedit, abominandum nomen evulgem; deinde optimos effectus ex peſſima cauſa ſubſequutos lentiùs, & libentiùs commemorem, ſequenti capite, ubi hujus eventus brevis, & dilucida fiet mentio, perlegenda Theodoſii Latina inſcriptione coronatò.

CAPUT XVIII.

Evidenti vitæ periculo unà cum Sereniſſimo Parente divinitus defunctus Princeps Theodoſius Euchariſtico Numini auguſtum à Sereniſſima Regina erectum, & dicatum Templum Latina inſcriptione reddit auguſtius.

199 UBi demum odio, cupiditate, ac ambitione impellentibus, humanum ſcelus invaluit, altiùſque in perverſis animis radices egit, eò tandem evadit, quò ultra diabolicum eniti poſſe vix credendum. Argumento ſit illud, cujus in præſentiarum meminiſſe, rebus ita poſcentibus, neceſſum eſt; quo atrocius, & deteſtabilius, nec diabolica excogitare malitia, nec humana tentare impietas fortè aliquando præſumpſit. Armis jam diu infelicibus pro recuperanda Luſitania uſi Caſtellani, bonis artibus minimè procedentibus, maleficis abuti à primo initi belli exordio eorum non-

nonnulli deliberarunt, illorum lubricis veſtigiis inſiſtentes, qui flectere cùm
nequeant ſuperos, Acheronta movere, dummodo votorum ſummam aſſe-
quantur, non erubeſcunt. Hinc frequentes Sereniſſimi Regis capiti diverſi-
modè vel intentatæ, vel ex ſufflatæ inſidiæ, quas propalare, nec mei genii
planè innoxii, nec indemnis eſt inſtituti; verumtamen, iis omnibus Divinæ
providentiæ auxiliatrice ope ſemper detectis, ac eluſis, immò in artifices ip-
ſos nonnunquam recidentibus, validiſſimum tandem omnium, & inevita-
bile, ut putabant, telum Luſitana dextra evibrandum, in Sereniſſimi Regis
caput direxere. Agebat eo temporis Madritti, ex Ulyſſipone nuper profu-
gus, patrati à ſe homicidii pœnas declinandi occaſione, Dominicus Leyte Pe-
reyra ex oppido *Guimaraēs*: execrabile quidem nomen, Luſitani ſanguinis,
Caſtellani ſceleris ingens, & commune opprobrium. Eum ex manifeſtis in-
diciis ad quidlibet audendum projectiſſimum, & ad ſuſcipiendum, perficien-
dumque qualecunque atrox facinus opportuniſſimum cùm nonnulli ex mag-
natibus, & regiis Caſtellanis miniſtris obſervarent, in arctiſſimam primùm
familiaritatem ſibi adſciſcunt, omnibusque benevolentiæ ſignis aliquandiu
proſequuntur; mox eidem, ſi fortè audeat, velitque dignum ſe facinus exe-
qui, regiam gratiam, & munificentiam abundè pollicentur; tandem promp-
tas offerenti manus, & facinoris peragendi genus avidè inquirenti, Duci Bri-
gantino inferendam necem ab aliis ſæpe aliàs fruſtra tentatam denuntiant;
ex eo publicam pendere ſalutem, Hiſpanæque Monarchiæ fluctuantem hac-
tenus tranquillitatem; quam ſi labantem ipſe ſuſtineat, uniusque hominis
peracta cæde pene jacentem erigat, non dubium, quin afflictæ Hiſpaniæ uni-
cus aſſertor ab omnibus ſit habendus, ſummisque propterea laudibus, hono-
ribus, & beneficiis cumulatiſſimè afficiendus.

200 Hujuſmodi evanida ſpe, ac inanibus promiſſis illectus, planèque de-
mentatus infamis perduellis, improbi præterea, imperitique Theologi, &
(quod indignius eſt) indigniſſimi monachi allegationibus ſedandæ conſcien-
tiæ artificiosè confictis confirmatus, execrandum ſuſcipit facinus, eique per-
ficiendo paratiſſimum ſe præſenti animò profitetur; mox per otium, & ſum-
mum nefas conſulta, deliberataque illius tutò perpetrandi impiiſſima ra-
tione, Chriſti honorario inſigni, aliiſque muneribus, & quadringentis inſu-
per in viæ ſubſidium ſcutis, pro rei magnitudine parciſſimè donatur; Can-
tabrîco tandem ſclopeto, ac plumbeis globis partim ſemifractis, partim in-
tegris, duobusque vaſculis eiſdem inficiendis probatiſſimo veneno repletis,
inſtructus, unà cum ſocio patrandi ſceleris tunc inſcio, & mutuam in tem-
pore operam, quaſi ad privatam vindictam exequendam præſtituro, Ulyſſi-
ponem per occultas viarum ambages, & nota ſibi compendia ignotus ipſe
contendit. Illuc demum appulſus eſt menſe Majo anni 1648 mutatis ſemel,
atque iterum, ne fortè deprehenderetur, domiciliis. Ad extremum triplex
diverſarum ædium contiguum habitaculum ſibi conduci jubet, poſt D. Ni-
culai templum, ſub initium plateæ Tornatorum. Eas verò ædes ruptis inter-
mediis parietibus ita pervias inter ſe reddidit, ut commiſſo ea, qua delibe-
raverat, die parricidio, ex ultima parte domus Auſtrum reſpiciente poſſet
facilè, clam omnibus illac tumultuatim accurrentibus, elabi tutiſſimus per
alterius domus oſtium ad Aquilonem longè ſepoſitum; maximè quia vultu,
habituque penitus ementito (qualis viliſſimis bajulis eſſe ſolet) ſe ignotum
omnino reddere decreverat, capite linteo ex beto ſordido obvoluto, muſ-

tacibus

tacibus mutilatis, facie nigra ferrugine offuſcata, ciſtula ſiniſtræ inſerta, laxis demum, & laceris femoralibus deſpiciendus potiùs, quàm inſpiciendus, nulli vel leviſſimæ ſuſpicioni obnoxius. Hiſce diu ſecum præmeditatis, ſedulòque diſpoſitis, ſe ipſum appetenti jam opportunitati comparabat, ſocio interim, objecto prætextu privatæ injuriæ vindicandæ, deluſo.

201 Illuxit tandem inſequentis Junii dies vigeſima, in quam eo anno inciderat ſolemne Corporis Chriſti feſtum in univerſa Luſitania omnium Ordinum auguſta pompa, Ulyſſipone verò longè auguſtiori, quotannis celebrari ſolitum. Eam diem Madritti à conſciis impiè approbatam ſacrilego parricidio exequendo ſelegerat infidus proditor, certus illac poſt Sacram Pyxidem ſolito de more ſuperventurum Sereniſſimum Joannem, deſtinatum ſibi exitium nullatenus, niſi Divinitus averteretur, declinaturum. Summo igitur mane ferale ſclopetum nitrato pulvere, tredecimque globis præſentiſſimo veneno illitis apprimè ſuffarcinatum ad indubium ictum accommodat: mox ſocio cum duobus ad præcipitem fugam equis extra Urbis mœnia poſt Deiparæ à Gratia templum, ut ſubſiſtat, ſeque opperiatur, edicit. Interim Eucharistica pompa, cui viſendæ univerſa, quàm magna eſt, Urbs confluit, per præcipuas plateas longo jam ordine procedebat. Ut ventum ad eam, ubi Stygius venator Regiæ adventanti prædæ avidiſſimè inhiabat, arrepto ille ſclopeto propiùs accedit ad feneſtellam à ſe denuo in pariete apertam, unde longè, latèque per ſubjectam plateam prætereuntes poſſet deſpicere, ac certo ictu, quemcunque deſignaret, collimare, opacæ domus tenebris ipſe alioqui ſatis defenſus. Hîc ſub ſacra umbella Divinam Euchariſtiam incedentem in genua provolutus malignis oculis intuitus; tartareoque planè ſuſurro alloquutus: *Probè (inquit) ſcio Domine Te ibi adeſſe; nihilominus ille cadet.* His dictis ſclopetum ori admovet in ſubſequentem mox Sereniſſimum Regem, niſi cœleſtis Rex prohiberet, certiſſimè exonerandum. Divinum ille Monarcham umbellæ proximus, venerabundusque unà cum Theodoſio Principe jam grandævo proſequebatur, univerſa Curia, & Chriſti Equitibus, ut moris eſt, Luſitanum Regem Chriſti Equitum Magiſtrum comitantibus. Eum tamen à ſe obſervatum, niſi poſt paſſus viginti, negavit vigilantiſſimus alioqui ſpeculator. Tunc parumper ſubſiſtente Sacra Pyxide, in pariter immorantem Regem longè auguſtiore, quàm erat, forma effulgentem explodere deliberanti nova præter ſolitum lux oboritur, qua vel excæcatus, vel illuſtratus, prolapſo è manibus ſclopeto, verſoque in amorem odio, cœpit illi bene precari, cui modò necem inferre deſtinarat: *Deus Te (inquit) ſoſpitet; Deus te liberet; abſit ut Divino placito ipſe obſiſtam.* Sic Divinitus ſervatus eſt, non modò Rex, ſed Princeps Theodoſius, in iiſque univerſa Luſitania liberata, plurimi præterea, qui proximè illos circunſtabant, immò Servator ipſe Deus, ejuſque, à quo portabatur, Sacerdos, aſſertis cùm promiſcuè in univerſos, nulla Divinæ, aut humanæ majeſtatis habita reverentia, detonare decreverit tartareus ſclopetarius. Qui fruſtrati, quàm patrati ſceleris inſperato ſucceſſu multò alacrior, relictis eodem loci ſclopeto, venenatis vaſculis, cæteriſque tentati parricidii inſtrumentis, obfirmato domus oſtio, ad ſocium feſtinus evadit; cum eoque conſcenſis equis Madrittum repetit, ingratus infectæ rei ſolicitis de illius eventu amicis nuntius affuturus.

202 Apud illos tranſacti negotii evoluta ſerie, occultoque irriti facinoris vero impedimento, commentitium aliud exponit, cauſatus non ſibi licuiſſe

præ

præ confertiſſima Optimatum, & Chriſti Equitum corona inobſervatum à ſe Brigantinum Ducem, certo, ut par erat, ictu transfigere; ideoque ab incerta exploſione conſultò abſtinuiſſe, ne fortè periculo defunctum redderet deinceps cautiorem. Admiſſa illi, quamvis illibenter, excuſatione, collandataque ſolerti diſpoſitione, amplioribus denuo promiſſis provocatum, duobusque aureorum millibus pro quotidianis expenſis expugnatum tandem impellunt ad proſequendum cœptum opus, eique ultimam manum imponendam: *Tam ſibi turpe futurum ab incœpto deſiſtere, quàm adimplendis cœptis inſiſtere utile, ac glorioſum. Ulyſſiponem redeat, ibi, quamdiu oportuerit, immoretur; ſimili, vel commodiori, ſiqua ſe alibi dabit, opportunitate audacter utatur; promptam pecuniam non defuturam; longè promptiorem fore tanto facinori debitam compenſationem, modò conceptam de ſe ſpem impleat, virumque ſe præſtet, quò reſcunque cadat, generoſum.* Hiſce demum ſtygiis exſufflationibus ſopitum, propèque jam extinctum, quo brevi conflagrabit, ignem denuo concipiens improbus, & ad omne flagitium pronus Ulyſſiponem cum eodem ſocio iterum cogitat, certus indubiam mortem vel oppetere, vel inferre: dubius tamen de commilitonis fide, cui modò, ſuimet ipſius proditor, occultum hactenus ſecretum, Deo (ut æquum eſt credere) impellente, revelaverat, non ſemel illum in ſuſcepta jam via infimis precibus, flexo nonnunquam poplite, ſupplex aggreditur, ac ut ſibi fidus perpetuò exiſtat, neque ſe prodere in animum inducat, perfidus proditor enixè rogat. Id verò enixiùs, poſtquam Paci Auguſtæ appropinquans apud diverſorium animadvertit parvulam quandam puellulam in ſe, ac ſocium curioſos oculos intendentem, iteratòque dicentem: *Unus veſtrum proditor eſt.* Acribus ſceleratæ conſcientiæ ſtimulis agitata, imminentiſque ſibi periculi præſaga mens omnia formidare, intutaque habere ſuadebat. Et quidem nemo formidoloſior, quàm qui aliis formidabilem ſe haberi præſumit: vulgòque timendus proditor alienæ proditionis timida ſuſpicione turbatur, cæteris ex ſuo infideli animo æſtimatis. Hic verò magnificis commilitonis ſui cum vulpe vulpinantis promiſſis non nihil confirmatus, nocturnis exinde itineribus in Ulyſſiponem cum eodem viam capeſſit; illuc ex oppido Transtagano (vulgò *Mora*) illum præmittit, ut opportuno, tutoque hoſpitio ſelecto ad ſe redeat, ejus adventum in taberna meritoria oppidi *Povoa Sancti Martini* ab Ulyſſipone duodecim diſſiti milliaribus expectaturum.

203 Præcedit ergo Ulyſſiponem Rochus à Cunia (id ſocio nomen erat) cujus, ex quo fuit ſceleris conſcius, fideli animo ſederat impii commilitonis, fœderatorumque fœdum ſcelus revelare, ac quacunque poſſet ratione invertere: ſive illum ad hoc ipſum patriæ, patritiique Regis cunctis mortalibus inſitus amor impelleret; ſive (quod potiùs reor) propitius Luſitanis rebus Deus hanc illi ſalutarem mentem injiceret; quò revelatis diabolicis planè inſidiis, impius proditor, & ſacrilegus aſſaſſinus tot nominibus debitas ſibi pœnas daret; juſtitia de injuſtis, & iniquiſſimis perditorum hominum conatibus triumpharet; Divina providentia innocentûm protectrix omnibus manifeſta innoteſceret; Luſitani ſervato divinitus Sereniſſimo Rege præter modum exultantes ad illius tuendam, ſtabiliendamque coronam, Deo duce, animoſiùs deinceps inſurgerent; hoſtes denique jam diu invalidis armis diffiſi, deſperatis denuo malignis artibus adeo iniquè ſibi perpetuò procedentibus, vel ſaniorem mentem inducerent, & honeſtæ pacis conſilia potiùs agitarent; vel in certum exitium, Deo vindice, publiciſque criminibus impellentibus devolve-

volverentur. His, & hujuſmodi cogitationibus inductus Rochus ingreſſus Ulyſſiponem regium miniſtrum exploratæ fidei, eòque proditorum inſpiciendis cauſis à Rege præfectum è veſtigio convenit, eique occultas hactenus inſidias detegit; tentati, divinitusque haud pridem fruſtrati, denuoque intentandi ſceleris univerſam ſeriem enucleatè aperit; præcipui proditoris, & confœderatorum Madritenſium nomina, ut à ſocio acceperat, ſeriatim explicat; ad hæc facilè comprehendendi ſacrilegi parricidæ ratione propoſitâ fidelem ad id exequendum operam pollicetur. Nec mora, certior de his omnibus à ſuo miniſtro factus Sereniſſimus Rex, actis primùm de more Servatori Deo pro ſingulari beneficio ſuppliciter gratiis, mox cum paucis, & fidiſſimis conſiliariis, maximèque cum Sereniſſima Regina, & Principe Theodoſio re tanti momenti brevi expenſa; committitur indubiæ fidei, exploratæque virtutis illuſtriſſimo viro impii proditoris comprehendendi cura: non ille ſibi, nec regiæ deeſt expectationi; dicto citiùs, perniciſſimo invectus equo, paucisque comitatus, qui unus inſtar multorum eſſet, plurimisque prævalentibus adverſariis tantùm ſufficeret; mutato habitu ignotus, diverſorium ſolus intrat pridie Kalendas Auguſti, ubi præmiſſi commilitonis monitum, vel adventum ſolicitus, at nihil tale metuens, proditor expectabat; eum ex acceptis ſignis facilè cognitum, faciliùsque comprehenſum Ulyſſiponem, ibique ad miniſtri à Rege deſignati domum deducit; ab eo de proditionis jam manifeſtæ initio, ac progreſſu interrogatus, abſque ulla hæſitatione, aut veri à ſocio antea propalati detractione, per omnia illi conſentiens à nobis hactenus commemorata mira intrepidi, aut impudentis animi exhibitione ſeriatim ediſſerit.

204 Igitur eodem in arctam, & ſecretam miſſo cuſtodiam, jubente Sereniſſimo Rege, domorum, ubi aliquandiu delituerat, latibula omnia diligenti ſcrutatione à fidis miniſtris recognoſcuntur. Ibi ſclopetum tredecim venenatis globis refertum, ex vaſculis unum adhuc veneno plenum, diminutum aliud, cætera inſtrumenta, perforatique parietes, ut mutuò edixerant, omnimodè reperiuntur. Mox procuratore pro illius cauſa tuenda nominato, ſemel, atque iterum in jus vocatur, antea actis, novisque interrogationibus complices reſpicientibus per otium excutitur; ſemel à ſe dicta, ſociique teſtimonio cohærentia conſtanter ratificat; nulla unquam pro ſe allegatione facta, ex qua vel delicti atrocitas, vel ſupplicii aſperitas extenuaretur. Tandem ex propria, totiesque repetita confeſſione indubii criminis convictus, publica ſententia læſæ majeſtatis reus perduellis, ſacrilegus, parricida, proditor, aſſaſſinusque pronuntiatur, eòque per publicas plateas raptandus, amputatisque priùs manibus ſuſpendio ſtrangulandus, demumque ultricibus flammis addicendus. Audiit minimè conſternatus, accepitque æquanimiter æquiſſimam ſententiam, veluti à Divina ſimul, non à Luſitana tantùm juſtitia prolatam, ſuisque maximis ſceleribus citra condignum longè imparem: idem præmiſſa per inſequens triduum ſacra confeſſione, ac cæteris Chriſtianis actionibus rite peractis, ad injuncti ſupplicii exequutionem proceſſit die decima ſexta ejuſdem Auguſti, Ulyſſiponenſi plebe univerſa turmatim ad ſpectaculum confluente. Illo demum exacto, vindiceque flamma ſcelerati, licèt imperfecti, parricidii reliquias penitus abſumente, ac miſerandæ hujuſce tragœdiæ ſupremum actum complente, obſervatum eſt à prudentibus, mirabilem prorſus eam fuiſſe flammam, etſi vulgò infœcundam, at hic illuſ-

trium, optimorumque effectuum fœcundiſſimam. Enim verò ab ea productus fumus, & ad Madritenſium oculos patrandi flagitii eventui excubantes aura Luſitana deductus, incredibili nefarios complices dolore affecit, dum vident in ventos abiiſſe irritos eorum conatus, & inanes præmiorum, quas ex perpetrando parricidio conceperant, ſpes in fumos ſibi, ſuiſque jam cognitis haud innoxios evanuiſſe. Maximè, quia neceſſario turbandum inopinata capitali clade regnum certa jam ſpe devorantes ſummos Provincialium armorum Præſides ſerio, ſecretòque ſemel, atque iterum admonuerant, ut quàm maximas poſſent, tum equeſtres, tum pedeſtres copias, in promptu haberent, in fluctuantes, & conſilii dubios Luſitanos undique, ſigno dato, indubio eorum exitio irrupturas. Iidem odio, rabieque hactenus obcæcati, ejuſdem jam ignis fulgoribus illuminati, deterſa demum caligine perſpexere, durum ſibi eſſe contra ſtimulum calcitrare, Deique Omnipotentiæ ad Luſitanos palam inclinantis temerè, fruſtraque obniti: id verò ex iis uni fuit tunc longè omnium manifeſtius, quem ea occaſione dixiſſe ferunt: *Heus Domini, ſiquid inſidiarum deinceps adverſus Luſitanos fortè tentabimus, cavendum, ne Deus ipſe ſciat; ſi enim illi innotuerint, illico eas Luſitanis indicabit.* Quid efficacius ad propalandam Divinam erga Luſitanos propenſionem, eorum felicitatibus, vel ex ipſa hoſtium confeſſione, addictiſſimam?

205 Neque verò parcior, certè uberior, & ſuavior à Luſitanis, quàm à Caſtellanis, fructus ex eo publico ſupplicio, & eventu perceptus eſt; iiſdem flammis ad amorem, & vindictam muta eloquentia ſtimulantibus. Exarſere omnes in amorem ſui Regis, quem adeo manifeſtis indiciis eſſe Deo acceptiſſimum nuper Deus ipſe, indubièque propalarat; quem ab evidenti vitæ periculo Divinitus ſervatum, ſibique bis datum attoniti venerabantur; maximè, poſtquam Sereniſſimus ipſe Rex liberam adeundi fatales ædes jam patentes omnibus fecerat poteſtatem; ut omnibus erga ſe, ac Principem Theodoſium Divini Numinis evidens patrocinium planiùs innoteſceret. Ingens omnium Ordinum, non modò Ulyſſiponenſium, ſed ex proximis, diſſitiſque oppidis, ad viſendas eas ædes, ſingulaque introſpicienda fit concurſus, qui per plurimas inſequentes hebdomadas tenuit: ibi cunctis curioſè perluſtratis, nemo non admirabundus, ſuiſque vix credens oculis, ſuſpiciebat Divinæ providentiæ protectricem dexteram, quæ una poterat præſenti adeo, & inevitabili vitæ diſcrimine Regem, Principem, ac regnum ipſum eripere. Unde ſibi ex longo cunctis nominibus exploratum, & perpetuò aſſerendum Sereniſſimi Regis manifeſtum ad Luſitanum ſceptrum jus recenti eo prodigio confirmati univerſi proteſtari; cùm non niſi evidentem juſtitiam ſoleat Deus inſolitis adeo argumentis comprobare. Quare ad eam omni ope tuendam adverſus quamlibet apertam vim, & occultas inſidias omnes ardentiùs inflammari. Conſtat plurimos, eoſque ſtrenuiſſimos viros, deliberata morte ſolito ſtrenuiores ſe, ſuaque omnia Sereniſſimi Regis nutui, & obſequio devoviſſe: *Modò annueret, paratos ſe proprio, vel alieno ſanguine indigniſſimi tentati Ulyſſipone ſceleris maculam, intra Madritum ſublatis Authoribus, penitus expiare: indecorum fore Luſitanæ virtuti flagitioſis omnibus ex æquo infenſum Deum unius tantùm ſupplicio, cæteris criminoſioribus impunitis, quaſi holocauſto imperfecto velle placare; intutum deinde Regi, regnoque futurum augeſcentem indies proditionis turbidam ſentinam ſemel non exhaurire: quid proderit noxia arboris ramum, vel truncum ultrici bipenni detruncare, niſi radix ipſa in validiores quotidie truncos, ramoſque pullulatura*

tura ſtirpitus exſcindatur? Meminerit fruſtra olim Herculem delaſſatum in diſſecando uno, vel altero peſtiferæ hydræ capite, pluribus multò nocentioribus ex ſingulorum abſ-ciſſione certatim repullulantibus; donec omnibus, & ſingulis admotò igne lethale monſ-trum demum à ſe confectum penitus extinxit. Si jubeat Rex, vel permittat, promptum ſibi ferrum, & inflammatum ad majora animum non defuturum.

206 Hiſce libenter, ac placidiſſimè auditis, Sereniſſimus Rex ardentiſſimi amoris, & animorum promptitudine mirificè delectatus; verùm, ut erat magnanimus æquè, ac prudens, unumquemque ſingulatim humaniſſimè acceptum, univerſos ſaluberrimis Chriſtianæ politicæ præceptis veram generoſitatem ſpirantibus eruditos, probèque inſtructos à ſe demittit: *Illuſtriorem eſſe* (ajebat) *fidelium Luſitanorum virtutem, quàm ut hujuſmodi viliſſimis, etſi audacibus facinoribus debeat maculari; glorioſiùs illam exhibendam in patenti Bæticæ planitie cum armatis hoſtibus congrediendo, quàm in occultis Madriti circulis inermes, & incautos inſidioſè aggrediendo: dignos quidem eſſe tali, ac talionis pœna improbos immanium ſcelerum artifices; at indignum eſſe Chriſtiano Rege ad ſimile facinus vel prætextu juſtæ vindictæ annuere, ne dum illud palam ſuadere: aliena probare flagitia, qui aſſimia perpetrari, cùm maximè poßit, non obſtat. Licèt exinde univerſi orbis monarchiam ſibi obventuram certò ſciret, nequaquam permiſſurum viliſſimi; ne dum regii capitis coram ſacra Euchariſtia peragendam cædem cogitari; ſatis pœnarum dediſſe communes hoſtes, proprii ſceleris complici hoſtia ultricibus donata flammis; quæ atrociùs ſuperſtitum fœderatorum animos, acri dolore irriti parricidii exulceratos, quàm extincti jam parricidæ cadaver diſcruciarunt: niſi eoſdem penitus depuduit, pudore utique conficiendos, evulgata jam per univerſam Europam eorum ex tentato indigniſſimo ſcelere infamia. Siquid in eos ulteriùs foret adhuc vindicandum, id totum ultori Deo remittendum, cui nihil inultum; qui ſibi vindictam, & retributionem inſolitorum ſcelerum jure ſuo vendicat. Quam pro ſe demum ſoliciti curam gererent, etſi maximi faceret, eam ſimiliter in Deum optimum Servatorem unicè collocandam; qui ſe ut ab innumeris inſidiis incolumem hactenus aſſeruerit, ſic ab iniquis inſidiatoribus protectrice dextera, ut ſibi certa ſpes erat, omnino liberum aſſervabit.* Ita conſultiſſimè ſuos hortantem Regem, generoſique animi vel adverſum infenſiſſimos adverſarios adeo illuſtria ſigna paſſim proferentem Luſitani deinceps ardentiùs amare, obſequioſiùsque colere; è contra hoſtes cautiùs, & formidoloſiùs extimeſcere; cæteri ſummo in honore, debitaque veneratione habere; utpote quem Deo, Deiparæ, Cœlitibusque peculiari eſſe curæ manifeſtis adeo indiciis non ſemel animadverterent.

207 Et verò quàm meritò Euchariſtico Numini fuerit Sereniſſimus Rex acceptus, ideoque ſub illius vitali umbra inevitabili vitæ periculò functus, argumentò ſit, multis aliis conſultò prætermiſſis, exploratiſſimus ipſius erga ſacram Euchariſtiam affectus: quam octavus, ultimusque Brigantinorum Principum, primus in regium Villaviſſoſæ Sacellum regifico apparatu invexit; Sereniſſimo Infante Eduardo ejuſdem Fratre, ut partem operæ in tanto aliquam haberet, Dominico aſſervando corpori magnificum ex ſolido argento eleganter elaboratum ſacrarium conferente. Nullus certè Luſitanorum Regum exquiſitiori cultu, modulatiori excellentium muſicorum concentu, conditis in ejus honorem frequenter (quod nullus alius) canticis, pſalmis, miſſarum compoſitionibus, ampliſſimisque donariis attributis religioſiùs veneratus eſt. Æquum igitur erat, Deoque meritorum ſummo æſtimatori, ac remuneratori conſonum, ut qui eſt mors malis, vita bonis, adeo de ſe bene-

meriti

meriti Regis vitam tueretur, qui quandiu vixit, totum ſe ipſius venerationi ſtudioſè impendit. Poſt Deum Deipara Sanctiſſima, quæ proximos illi honores quaſi Divina Pallas occupavit, ad liberandum præſenti periculo Regem ſibi addictiſſimum præſentiſſima ope Illi creditur adfuiſſe. Subſtiterat pius Rex, cùm adverſus Illum impius parricida tartareum ſclopetum jam exploſurus intendit eo loci, ubi immaculatæ Virginis à Conceptione Parochia incipit: quidni Virgo intemerata protegeret ſuæ immaculatæ Conceptionis eximium Protectorem? Eumque à diabolicis inſidiis liberaret, quæ proprio calcaneo perpetuò inſidiantem Diabolum ſub ſpecie tortuoſi ſerpentis habet ſuppedaneum? Deiparæ à Conceptione (ut alibi diximus) Villaviſoſæ auguſtum perfecerat templum cum totius Luſitaniæ ampliſſimis conferendum; eidem, Regno inito, univerſam Luſitanam Monarchiam voluit eſſe vectigalem, ſoluta quotannis protectrici Patronæ prægrandium argenteorum numiſmatum ejus effigie ſignatorum ingenti ſumma. Tandem illibatæ Conceptionis in publicis regni Comitiis, Academiis, & Tribunalibus ſolemni juramento ſancitæ, ſeque, ſuosque poſteros juratos defenſores inſtituit. Quid mirum ergo ſuo inclyto Defenſori periclitanti tempeſtivè occurrerit ea Virgo, quæ miſeris quibuslibet ejus patrocinium implorantibus nullo alio quàm humillimæ invocationis, obſequio invitata ſuccurrit.

208 Non ſibi defuit, ſuive oblitus eſt tanto in diſcrimine Sanctiſſimus Parens Ignatius; immò Sereniſſimo Regi, ac Principi de ſe, ac Societate ſua optimè meritis tutelarem ſe præbuit, eorumque ſecundò intentandum periculum antevertit. Ea enim die, quæ (ut proximè dictum) fuit trigeſima prima Julii, in quam quotannis recurrit ſolemne Sanctiſſimi Loyolæ feſtum à Sereniſſimo Rege, ac Principe præcipua veneratione celebrari ſolitum, comprehenſus eſt apud *Povoa* D. Martini ſceleratus Aſſaſſinus; cujus ea die amiſſa libertas Sereniſſimum Regem, Principem, & univerſam Luſitaniam anxiis curis, & ſolicitudinibus liberavit; Ignatio, ut par eſt credere, ſummam eam Luſitanis felicitatem, ſuæque pariter feſtivitati jucundiſſimum id complementum à Deo impetrante. At nequis fortè ſit ſummæ felicitatis apex, quam auxiliatrici Galliæ non debeat oppigneratiſſima Luſitania, extremam auſpicatiſſimi eventus clauſulam cœleſti Gallo D. Rocho Montis Peſſulani (vulgò *Mompiller*) olim Domino acceptam meritò refert. Cujus annuæ ſolemnitati dicata dies decima ſexta (ut diximus) menſis Auguſti ſolito clarior, & ſolemnior Ulyſſiponi eo illuxit anno ex flammis, quibus fœdum perfidi monſtri cadaver in cineres, & favillas reſolutum feſtiva in honorem fideliſſimi cœleſtis Galli quaſi accenſa exhibuit luminaria. Debuit proditoriæ peſtis in Lutani regni certum exitium graſſaturas reliquias penitus abolere D. Rochus, cujus nomini, ac Numini dicatum Ulyſſipone auguſtiſſimum templum à Sereniſſimo Joanne tertio, Patribusque Profeſſis Societatis noſtræ conceſſum, erit æternum, & illius munificentiæ, & ſervati præſenti D. Rochi auxilio à proditionis peſte Sereniſſimi Joannis quarti, & Principis Theodoſii monumentum. Eodem faciunt revelatæ à Rocho à Cunia impii commilitonis inſidiæ, cui ſibi cognomini non immeritò credendum eſt ſaluberrimi, & fideliſſimi conſilii Authorem fuiſſe D. Rochum, ſuaſoremque maximorum munerum, & honorum, quibus ejus perſpecta tunc fides à Sereniſſimo Rege fuit ampliſſimè remunerata. Hæc omnia cùm à ſapientibus viris tunc forent curioſè, prudenterque obſervata, iis certè forem injurius, niſi eorum exactam

face-

facerem mentionem. Obſervarunt iidem ad extremum ſummam fuiſſe hujuſce deteſtandi perduellis erga Sereniſſimum Regem ingratitudinem, à quo primis initi regni temporibus fuerat nobili, & ſatis pingui officio locupletatus; è contra ſummam extitiſſe Sereniſſimi Regis, Reginæ, Principis, & Luſitanorum omnium erga Servatorem Deum pro ſingulari beneficio gratitudinem.

209 Quàm ſe præſtiterit Euchariſtico Numini gratum Sereniſſimus Rex, longum eſſet omnia percenſere; ſumma tantùm ejus grati animi faſtigia hîc erunt delibanda. Ubi comprehenſo, ac ſuſpenſo proditore, periculoſiſſimæ proditionis initia, & incrementa univerſis innotuere, ſolemnem indixit omnium Ordinum Euchariſticam pompam proximæ ſimilem, per eaſdem Urbis plateas deducendam; eo verò loco, ubi ab impio Aſſaſſino execrandum parricidium fuerat deſtinatum, Pontificio apparatu, regalique ſupellectili adornatum erigi juſſum altare, ubi miraculoſa ea effigies Chriſti Domini Crucifixi, quæ prima Regiæ acclamationis die dextram proſpera omnia ominantem è Cruce refixerat, omnibus erat viſenda, & recolenda: ibidem à Sacerdote ſacra parumper collocata Pyxide, modulatiori regalium muſicorum concentu, ſuaviorique lacrymarum præ lætitia ex omnium oculis erumpentium harmonia Servatori Numini ex intimis præcordiis perlitatum. At non modò intra Ulyſſiponem ad univerſos pertinens publica ea ſe continuit exultatio, Sereniſſimo Rege imperante, ut ubique locorum Luſitanæ ditionis immortales pro ſingulari patrocinio faventi Deo gratiæ agerentur; quæ in omnibus tum Religioſis, tum Parochialibus regni templis certatim, religioſiſſimèque ſunt perſolutæ. Inſequentibus deinde annis omni procul timore, poſthabitis conſiliis contraria ſuadentium, intrepidus, ac piiſſimus Rex ſacram Euchariſtiam unà cum Principe Theodoſio longè ardentiori affectu, Divino fretus, ſatiſque munitus præſidio, in ea ſolemni pompa eſt ſubſequutus; editis paſſim majoris erga eandem venerationis memorabilibus, quæ referre non eſt otium, exemplis. Idem parum habens ſi ſolùm ante; non etiam poſt obitum, debitæ gratitudinis erga vitalem Euchariſtiam æternum ſpecimen exhiberet, in ſuo ſolemni teſtamento imperavit in auguſtiſſimo D. Vincentii templo, ad cujus magnificam ſubſtructionem pecuniæ ingentem vim contulerat, Mauſoleum ſibi erigeretur ſub marmoreo fornice, cui ſacræ Euchariſtiæ venerabile ſupereminet reconditorium. Hîc ſub hoſpitali vitæ Ligni umbra, quam vivens deſideraverat, optimus Rex jacet, immarceſſibiles ex eo æternæ vitæ fructus percepturus; vivum certè, poſteris Euchariſticæ venerationis, & protectionis exemplar in Luſitanorum animis perpetuò ſupervicturum.

210 Sereniſſimi Regis erga vivificam Euchariſtiam æmulandum affectum non æquavit modò Sereniſſima Regina ipſius digniſſima Conjux Aloyſia; verùm, ſi fas eſt dicere, memorabili quidem effectu ſuperavit. Enim verò innatam liberalitatem inſita pietate provocante, funditus everſis iis domibus, quas evertendæ Luſitanæ Monarchiæ communis hoſtis ſelegerat; eidem ſtabiliendæ auguſtum, etſi anguſto in ſpatio, templum nulli Ulyſſiponenſi ſecundum, ſervatricis Euchariſtiæ Numini conſecratum, propriis, iiſque maximis erexit ſumptibus, pro ſummi accepti beneficii memoria nunquam interitura, ſimulque pro Luſitanæ fidei, & hoſtilis perfidiæ ſempiterno monumento; utrumque ad vivum exprimunt candidi, nigrique coloris politiſſimi lapides

pellucidi ſpeculi, ex quibus ænigmaticum templum ab immo ad ſummum uſque conſtruitur, fidei candorem, & perfidiæ nigredinem adumbrantes. Qualis, quantaque ſit ſpectabilis templi majeſtas, & elegantia, cum inſigni artificio certante de primatu pretioſa materia, nequit opportuniùs explicari, quàm prolato Sereniſſimi olim Principis, nunc magnæ Etruriæ Ducis Coſmi tertii ea de re in omnibus maximi faciendo judicio. Hic dum univerſam luſtraret Europam, eandemque, quacumque pergeret, inſolito maximarum virtutum ſplendore illuſtraret, Ulyſſiponi tandem appulſus anno ab ortu Chriſti 1668, poſtquam omnia, quæ ibi multa ſunt, obſervatu digniſſima diligenti ſcrutatione inſpexit, ac de Luſitanæ gentis moribus, inclytiſque rebus geſtis pleniſſimè certior factus eſt, judicioſè demum, veriſſimèque dixiſſe fertur: *Tria ſe apud Luſitanos maximè recolenda, ſummaque omnium æſtimatione digna obſervaſſe. Primum, bellicoſa, glorioſaque alioqui Gentis ſingularem, & incredibilem propè modeſtiam; cùm enim adeo illuſtres de validiſſimis, & potentiſſimis hoſtibus victorias nuperrimè reportaſſent, nemo aut ducum, aut militum, quibuſcum familiares de illis habuerit frequenter ſermones, eas propria virtuti aliqua ex parte unquam attribuerit, ſed omnes ad Divinam potentiam Luſitanæ juſtitiæ fautricem ex integro referendas pronuntiarit. Secundum, ejuſdem Gentis præcellentem, omnique laude majorem erga Romanam Sedem venerabundæ ſubjectionis inconcuſſam penitus perſeverantiam; cujus cùm frequentes experiretur repulſas inadmiſſis Legatis, inauditiſque Prælatorum propoſitionibus, nihilominus per totos octo ſupra viginti annos ad omnigenum prona obſequium, omni procul vel minimæ vacillationis eclypſi, mirabili, at imitabili cæteris Gentibus indubiæ fidei exemplo ſemper illuxit. Tertium, templorum, maximè Ulyſſiponenſium, auro, argento, exquiſitiſſimoque ornatu renidentium tum operoſam magnificentiam, tum eximium nitorem; majori pene Luſitanorum facultatum portione in Eccleſiaſticos uſus, ac Divinum cultum rite obeundum largiſſimè collocatâ.* Idem hujuſce, de quo loquimur, templi, cujuſque occaſione ad cætera paulisper deflexit narratio, facta honorifica mentione, *ex cunctis id prorſus magnificum, & undequaque numeris omnibus abſolutiſſimum ſibi viſum, præcipuaque obſervatione videndum prædicavit*: qua quidem ſummi habenda prædicatione, cùm æqualis nulla, ne dum major eſſe poſſit, non eſt, cur in illius deſcriptione ampliùs immoremur.

211 Duo tamen adhuc ſuperſunt, quæ templum hoc Auguſtiſſimæ dicatum Euchariſtiæ ab Auguſta planè Regina magnopere nobilitant, illiuſque ſummam commendant pietatem. Primum eſt, quòd templi hujus, & contigui cœnobii ab eadem ibidem ædificati cuſtodiam non aliis, quàm Sanctiſſimæ Thereſiæ ſibi dilectiſſimæ Alumnis Carmelitanis diſcalceatis conſultiſſimè commiſit. Iis certè jure ſuo debebatur Sacra Hoſtia aſſervanda, qui hoſtiam vivam, & immaculatam, per omnia Deo placentem, ſe ipſoſ exhibere maximè ſatagunt. Quibus aptiùs terreſtris hujuſce Paradiſi, ubi vitæ Lignum perpetuò vireſcit, cuſtodia crederetur, quàm terreſtribus planè Angelis Cuſtodibus, cœleſtem in terris vitam agentibus? In eo templo ædificando ſumma Sereniſſimæ Reginæ munificentia, & pietas excelluere; in eodem obſervantibus adeo religioſis commendando ſuprema, maximèque commendabilis ex optima electione ipſius prudentia eluceſcit. Alterum, illudque in primis recolendum eſt, elaboratum Sereniſſimi Principis Theodoſii manu, & perfectum ingenio monumentum, quo regium ex omni parte opus oportuit coronari; nequid ad illius planè regiam commendationem deſiderari videretur,

retur. Piiſſimus quidem Princeps unà cum Sereniſſimo Parente divinitus tali, ac tanto periculo ereptus, Sacræ jam diu Euchariſtiæ (ut alibi lentiùs expendam) addictiſſimus, ei ſe omnimodè gratum præſtare deinceps obſequioſiùs deliberavit. Et præterquamquod ad prædicta omnia Sereniſſimis Parentibus ſponte ſua impulſis tempeſtiva ſuaſione haud levis author, vel approbator extitit, peculiari præterea ratione, qua tunc unicè poſſet, immortalis beneficii memoriam compendioſo à ſe condito elogio æternitati commendandam ſuſcepit. Illud verò eruditorum omnium plauſu, & approbatione exceptum juſſit majuſculis characteribus marmori eleganter inciſum in exteriori templi angulo prætereuntibus longè patentiori exponi, quò ab omnibus promptè legi, & obſervari poſſet. Sic habet illuſtriſſima inſcriptio mirabilis eventus, magnifici templi à Sereniſſima Parente ibi poſiti cauſa brevi, ac dilucidè commemorata: *Sacratiſſimæ Synaxi, Deo ſub niveo velo abſcondito, inſontium Servatori præſentiſſimo, vitæ, ac necis arbitro; pro ſervato Patre patriæ Rege Ioanne quarto à parricidio ſacrilego hîc ei parato, feſto ejus die, Pia grata Regina Aloyſia amantiſſima Vxor hoc ſacelli trophæum conſecravit; anno Dominici natalis* 1648. Ea inſcriptione Princeps liberatrici Euchariſtiæ ſummum beneficium, Sereniſſimæ Parenti auguſtum templum adſcribit, & utrunque memori poſteritati perpetuò recolendum commendat.

CAPUT XIX.

Principem Theodoſium docendi ſimul, & vivendi finem facit ejus Magiſter: alium ipſe privatim aſſumit. Utriusque virtutes carptim proferuntur.

212 EDucaverat hactenus Theodoſium ſatis liberaliter D. Petrus Pueros ejus Magiſter, eumque non modò liberalibus ſcientiis, ſed regiarum in primis virtutum commendatione inſtituerat, uberrimo ex utraque doctrina fructu jam percepto. Inerat nobili, ac prudenti Magiſtro inſita generoſitas, ſimultaneaque ſeveritas; quæ ad optimam Principis cujusque inſtitutionem ſunt maximè neceſſariæ. Hinc ingenuo, ingenioſoque Diſcipulo illius documenta, quaſi Apollinea oracula, ſedulò arrectis auribus auſcultanti nihil, niſi generoſum, ac ſublime ſuadere: hinc leves nonnunquam Principis defectus non ſolùm gravibus objurgationibus, ſed cenſoria non ſemel ferula emendare: Principe interim eò indulgentiore, quò acerbiorem in ſe Magiſtrum experiretur, quod in Regio Puero rarum, in eodem adoleſcente rariſſimum. At Theodoſii aureæ planè indoli jucundiſſima hæc accidebant; neque unquam Magiſtri ſolito inflammatioris rigore offenſus, acerbiùs corrigentem diligebat impenſiùs, & aliquando in ſe animadvertentem officioſiùs venerabatur, certus quidquid à prudenti Magiſtro de ſe ſtatueretur, id omne ad ſuam ſpectare utilitatem. Siquis vellet Principem ab exercitio aliquo minùs fortè ipſum decenti facilè avocare, unica, eaque ſatis efficax erat eum deterrendi ratio, jam omnibus explorata: *Sciet Magiſter Veſtram Celſitu-*

dinem id egiſſe; vel de hoc, aut illo cogitare. Confeſtim Princeps audito Magiſtri nomine, quaſi fulgure afflatus, vel tonitru perterrefactus à quolibet otio, vel negotio, quantumvis ſibi voluptuoſiſſimo, penitus abſiſtere, minantemque rogare, ne inutili ea commemoratione Magiſtri optimi animum exulceraret. Præter alia, de quibus alibi, eam in rem documenta, duo hîc juvat præſtringere, quæ prædictum & Magiſtri, & Regii Alumni genium apprime commendant.

213 Dum per Alcantarenſem villam Magiſter aliquando ſpatiatur, è longinquo fortè proſpicit Theodoſium adhuc Puerum cum ingenuis pueris genio indulgentem, eundemque vilis mancipii dorſo impoſitum, quaſi obequitantem: indecens id, Principeque indignum Magiſtro viſum eſt; qui non niſi Optimatum filiis Theodoſium aſſueſcere, cum illiſque familiariter agere patiebatur, probè conſcius, quanta ſit in utranque partem optimi, vel pravi conſortii vis; à vilibus abjectiſſimi vulgò mores, ab Optimatibus liberaliter educatis optimi plerunque hauriuntur. Igitur rei indignitate commotus D. Petrus, concitatioribus ſolito paſſibus ad Principem progreſſus, minas verbis, & vultu præfert: cum Princeps conſpicatus celeri ad regiam domum declinatione ſibi conſuluit, ſi fortè poſſit ſubſequentis Magiſtri juſtæ indignationi ſe ſubtrahere. In Sereniſſimos Parentes tunc fortè regio comitatu è domo ruſticatum exeuntes primus Theodoſius, & mox Magiſter incurrit: hujus nimium ardorem indicta cauſa materno utique affectu damnat Sereniſſima Regina; ea verò ab illo expoſita, commendat Sereniſſimus Rex, qui Caroli quinti, & maximorum Regum in ſimili eventu æmulando exemplo, ad ſeveritatem, quàm ad indulgentiam, proniorem Magiſtrum in Principe inſtituendo, & cùm res poſceret, puniendo conſultiſſimè præoptaret. Igitur collaudato Magiſtri zelo, Principeque objurgato, illi præcipit, domi ut ſe contineat, neque ab illa exeat, niſi à ſe, vel à Magiſtro Parentis loco ſibi habendo expreſſa obtenta poteſtate. Paruit haud gravatè Sereniſſimi Parentis imperio Princeps, totus ingenuo pudore ſuffuſus; neque tam pœnæ, quàm illius occaſioni à ſe inconſultò datæ indoluit: interim unica illi ſolicitudo inſederat, non ſupplicii, ſed incogitati erroris à Magiſtro deprecandi: cujus demum precibus exoratus Sereniſſimus Rex, nonnullis elapſis diebus ſuæ gratiæ, à qua nunquam exciderat, priſtinæ libertati, optimique Magiſtri ſalutari educationi omnimodè cautum, in poſterumque inſtructum reſtituit. Utinam ſimiles Magiſtri Principibus, taleſque Magiſtris Principes contingerent; non tam dolendis incommodis, & luctuoſis paſſim calamitatibus è contrario reſpublicæ, regna, & imperia ſubjacerent.

214 Iterum voluptuosè cum coævis pueris ludentem Principem idem Magiſter ſolito de more obſervans, ſive ut ejus nimiam alacritatem non nihil refringeret, ſive ut vel inter ludendum ſeriæ generoſitatis expromendæ occaſionem illi objiceret, ſic ad ipſum: *Domine, Domine, quid hoc? Adeone parum ſolicitum, prorſuſque incurioſum reddunt Veſtram Celſitudinem, quæ mihi haud pridem de Sereniſſimo Fratre indicavi?* Ad quem Princeps: *Quæ ludibrio digna ſunt, qui poſſum meliùs, quàm ludendo ludificari? Cæterum & illuſam mentem habet, quiſquis ludricis rebus non illudit.* Interrogatus poſtea quid ſibi vellet tam Magiſtri ex abrupto injecta interpellatio, tum ipſius ſapiſſima, ut videbatur, reſponſio: *Alluſi (inquit) Magiſter ad horoſcopum Infantis Alphonſi à me nuper conditum, cui Luſitanum regnum ejus vi aſtra prædixerunt. Quod ſi Deo ita*

placet, fiat voluntas ejus. Regios Principi ſpiritus dum ſtudet Magiſter inſpirare, longè altiùs ille adſpirat, dum regalius ducit ſceptrum deſpicere, quàm ſuſpicere; neque tam eſſe regium capiti diadema imponere, quàm pedibus ſupponere. Cœleſtem eam doctrinam ab alio longè ſapientiori Magiſtro Deo hauſerat, qui ſibi non terrenum, ſed cœleſte regnum ab æterno deſtinarat. Eò ut Principem Magiſter præcederet, expeditamque Illi viam ſuo exemplo priùs decedens muniret, voluit ipſe humanæ vitæ, necisque juſtus diſpenſator Deus.

215 Non tam verbis, quàm maximarum virtutum paſſim editis exemplis ad perſuadendum multò efficacioribus Principem inſtituerat D. Petrus. Inerat multis nominibus commendabili viro ſumma erga Deum, Deiparam, ac cæteros Cœlites pietas, & religio, ſingularis Divinarum legum obſervatio, ea morum probitas, & compoſitio, virtutumque tum politicarum, tum Chriſtianarum conſenſio, quam nec diutinæ aulæ peſtilens exinde perflans aura corrupit, neque (quod ibidem inſolens eſt) ſiniſtræ alicujus famæ rumor infecit. Suſpiciebant omnes Deum, ac virtutes unicè ſuſpicientem; diligebant univerſi, quem inſitæ dotes, acquiſitæque virtutes oppidò amabilem effecerant: eas dum Theodoſii animo aſſidua perſuaſione inſerit, inſertasque cuſtodit, ſuo quaſi jure proprias ex alienis efficit. Generoſæ in primis magnanimitatis apud Theodoſium perpetuus alioqui declamator, nequid unquam vile, aut abjectum Principe indignum admitteret; eundem humanæ viciſſim fragilitatis non ſemel admonebat, ne Regiæ amplitudinis elatione tumens evaneſceret; ut nimirum qualis, quantusque tunc eſſet apud ſe recogitans, cœleſtia, quæ ſupra mortalia eminent, unicè cogitaret: è contra qualis, quantulusque olim foret ſecum reputans, humana omnia infra ſe ſubſidentia, & mortalitati obnoxia nihili penderet, rebus, ut re vera ſunt, non ut apparent, æqua recti judicii trutina expenſis. Ad hoc eruditus vir iiſdem ſalutaribus conſiliis ſuæ fidei commiſſi Principis animum imbuere, quibus noverat Sanctiſſimum Ungariæ primum Regem Stephanum Emerici Principis regii ſceptri hæredis mores Principe dignos informaſſe: *Vt nimirum Deum in primis ſibi ante oculos obſervari ſedulò curaret, illumque ante omnia ſummo amore, timoreque proſequeretur; ut Orthodoxam Fidem omnino protegeret; Eccleſias tueretur; earum Præſules, & Eccleſiaſticos quoslibet honoraret; ut intemeratam ſervaret juſtitiam; à clientibus amari potiùs, quàm timeri adniteretur; benignum ſe, ac liberalem erga egenos, & imbecillos præberet. Vt nihil momenti alicujus, inconſultis prudentibus, aggrederetur; hoſpites, exterosque omni ratione alliceret, ſibique devinciret. Tandem ut omnigenis comparandis virtutibus ſedulam, & indefeſſam operam adhiberet; eaſque aſſidua, & fervente oratione à Deo impetraret; ſine quo regna neque rectè adminiſtrari, neque diu durare poſſunt.* Quæ quidem ſaluberrima documenta nunquam protulit fructuoſiùs, quàm cùm extremo, cui demum ſuccubuit, morbo implicitus, ex ſe ipſo planiùs moribundus didicit, quod Theodoſium ſæpius vivens edocuerat.

Ex Ribad. ad 20 Aug. in extrav.

216 Haud pridem illum, Theodoſio pro maximis eximii Magiſtri meritis impigrè allegante, Sereniſſimus Rex Epiſcopum Egitanenſem longè amplioribus in poſterum promiſſis cumulatum deſignaverat: verùm invaletudine jam diu contracta in ægritudinem indies ingraveſcentem degenerante, ſalutariùs ex lecto decumbens, quàm ex magiſtrali cathedra ſedens Principem docuit, lubricas, omninoque fluxas eſſe mortalium res; quò grandiores, eò

citiùs,

citiùs, & concitatiùs ad nihilum, unde primum habere ortum, præcipiti lapſu properantes. Poſſunt Reges Pontificias infulas, & ſummos honores alicui deſignare; at præſtare nequeunt, quòminus ab omnibus ſolvi ſolitum imbecillitati humanæ tributum, præfixo à naturæ Authore termino, perſolvant. Illud tandem Chriſtianis ſacramentis rite ſuſceptis demum expendit D. Petrus die 14 Maji anni 1649, nihil ad avertendam fatalem neceſſitatem proficientibus nec exquiſitæ medicinæ remediis, nec regio impertitæ nuper dignitatis amuleto; neque tandem Principis pro dilectiſſimi ſibi Magiſtri incolumitate valdè anxii promiſſis Deo votis, aut precibus ad Cœlites impensè profuſis. Ingenti bonorum omnium animos dolore affecit mors optimi viri omnibus ob eximias dotes, & virtutes amabilis; at maximè Theodoſii, qui præcipuâ ſemper obſervatione illum ut Magiſtrum audiit, ut Parentem coluit. Hinc minimè contentus Pontificio ritu, inſolitoque apparatu, frequenti Optimatum omnium concurſu peragenda juſta illi decernere; innumeraque ſacrificia pro ejus anima imperare; perpetua, quoad vixit, quotidianaque recordatione proſequutus eſt, recitato ſingulis diebus pro ipſius æterna felicitate Eccleſiaſtico reſponſorio. Quam ſit in Principe magno ea memoria maximi facienda ex ſumma oblivione Principibus ut plurimùm familiari liceat æſtimare. Obliviosâ vulgò eſt maxima quæque potentia; & epotis avidè Lethes aquis, lethargo plerunque laborant, etiam cùm rectè valent, Magnates. Iidem cùm ſe immortales aut falsò credant, aut verè cupiant, mortis; & mortuorum ingratam ſibi memoriam per ſummam inſcitiam averſantur; quaſi Divinitus conſtitutum mortalium cuilibet fatalem diem, aut ipſius obviâ recordatione accelerent; aut ſtudioſâ oblivione demorentur. Longè aliter Princeps Theodoſius demortui Magiſtri haud unquam immemor, ex frequenti mortis meditatione memorandæ vitæ profeſſor, eòque poſterorum memoriâ, & veneratione dignus ſempiternâ. Jacet ad ſacri apoditerii oſtium Auguſtiniani templi Virginis à Gratia è regione ſepulchri, ubi conditur R. P. Magiſter Fr. Dionyſius ab Angelis primus Sereniſſimi Regis Joannis quarti Confeſſarius.

217 Ex Magiſtri optimi obitu nihilo ſegnior factus Princeps ad literaria proſequenda ſtudia vehementior deinceps exarſit; eo maximè ſublato, cui major inſederat ſolicitudo ad hujuſmodi jucundiſſima ſibi munia prætervolantem ſiſtere, quàm immorantem inſtigare. Igitur humanioribus, & Mathematicis diſciplinis apprimè jam inſtructus, de addiſcenda Philoſophia, Theologiaque tum ſpeculativa, tum Morali seriò deliberavit. De quibus, cùm propè fidem ſuperet, quod vulgò circumfertur, Doctoris Joannis Piſſarro concepta verba ex illius inſcripto teſtimonio Luſitano mutata juvat hîc inſerere: *A decimo quarto* (inquit) *ad decimum ſextum ætatis annum percalluit Philoſophiam, & magnam partem Theologiæ ſpeculativæ, ac Moralis abſque ullius magiſtri ope; ſuſcepit enim propria tantùm induſtria illas addiſcendas, tali eorum, qui ſecum argumentabantur, admiratione, ut judicarent ex profeſſo iis ab inſigni aliquo magiſtro perdiſcendis incubuiſſe. Ii verò fuere Doctor Fr. Iacobus Artar in Conimbricenſi Academia primarius Theologiæ profeſſor, D. Fr. Ricardus Veſperarius, D. Fr. Philippus Abreu Scripturarius, D. Fr. Ludovicus Sa, D. Fr. Valentinus Caſtelanus, D. Fr. Emmanuel Arrifana, D. Fr. Iſidorus à Luce, & plures alii, præter doctiſſimos quoſque Patres Societatis Ieſu, quibus frequentior aſſueverat.* Paucis deinde interjectis proſequitur idem D. Piſſarro: *A decimo ſexto ad decimum ſeptimum ætatis annum, &*

paulo

paulò ultra Chronicis, & hiſtoriis ſcrutandis, in quibus eximius evaſit, ſedulam navavit operam; enim verò æquali præcellentis judicii, & memoriæ laude perpetuò excelluit. Per idem ferè tempus, quo jam diu conſiliis Status à Sereniſſimo Parente fuerat admiſſus, politicis excolendis ſe penitus addixit, prehabita ſemper convenienti politiæ Chriſtiana. In iis mirabilis quidem extitit, utpote cui maxima eſſet rerum agendarum comprehenſio, ſumma prudentia, & electio Divinis, & humanis legibus unicè adæquata. Hæc de admirabili planè Principe vir doctus, ſummæque fidei, idemque quotidiano, ac familiari convictu eidem aſſiduus. Ex quo planum eſt, quibus potiſſimùm exercitationibus florentiſſimos eos vigentis adoleſcentiæ annos ad uſque decimum ſeptimum ſumma cum laude impenderit; de cæteris ad feliciſſimum ejus obitum ſubſequentibus infra ſuo loco proſequendum.

218 At Principi, etſi ob ingenii longè maximi præcellentiam nullius magiſterii jam indigenti, nihilominus ea, qua præſtabat, prudentia ſuadebat optimum fore, ſi præter prædictos Doctores, quibus cum de Philoſophicis, Theologicis, hiſtoricis, & politicis difficultatibus nonnunquam diſſerebat, excellentem in hiſce omnibus virum aliquem nanciſceretur, quo cum difficillimas frequentiùs conferre quæſtiones, Gordianoſque diſſolvere nodos ſibi liceret. Eum cupienti Principi obtulit fortuitus caſus, de quo mox dicendum, quo præſtantiorem, & ad id muneris opportuniorem neutiquam optare poſſet. Is fuit P. Doctor Andreas Ferdinandus noſtræ Societatis, in quo nativæ dotes, acquiſitæque virtutes de primatu contendere viſæ ſunt. Eæ verò, vel quia eximiis Principis dotibus, & virtutibus perquàm ſimillimæ; vel quia illum Principi valde amabilem, ac ex millibus Magiſtrum, & Confeſſarium eligendum reddidere, quaſi jure ſuo à me hîc ſunt non abs re (ut exiſtimo) laconicè quidem, at neceſſariò inſerendæ. Nulla major maximi Principis laus, quàm ex prudenti optimorum electione. Optimum ſe verè probat, quiſquis optimos eligendo unicè approbat. Cur igitur maximam eam laudem maximo Principi planè ingratus inviderem, ut quem Ille toties magnificè laudare dignatus eſt, penitus illaudatum præterirem? Quis mihi non meritò ſuccenſeret, ſi de illo nihil delibandum ſaltem cenſerem, cui penè omnia ſe debere non ſemel Princeps publicè, privatimque profiteretur? Certè quidquid in ſcientiis, & virtutibus, maximèque in politica Chriſtiana perfectum, & elaboratum aſſequutus eſt, id omne abſolutiſſimo huic Magiſtro acceptum ingenuè referebat. Quare pauca è multis, quæ poſſem, de illo à me referenda ſunt, ut cùm ſæpe, hiſtoriæ ſerie id exigente, quàm Principi fuerit acceptus dicam, ſimul quàm meritò erga illum ſe talem Princeps geſſerit, planè conſtet.

219 A piis, & honeſtis parentibus apud nobile Tranſtaganæ Provinciæ oppidum Viannam, ex tali Alumno deinceps nobiliorem, natus eſt 24 menſis Novembris anni à Virginis Puerperio 1607; ibique ſub optimo magiſtro ad ætatis annum decimum tertium liberaliter educatus prima Latinæ linguæ didicit rudimenta; in virtutis idem exercitio, ac pietatis erga Deum, rude jam tunc donandus, non obſcura præbuit documenta; cùm ſæpe à nutrice placido ſomno deditus manibus ſupra pectus junctis orantî ſimilis deprehenderetur. Hinc ad Eborenſem Academiam liberalium artium, & virtutum omnium fœcundam matrem profectus, in utriſque ita ſolida jecit fundamenta, ut erigendæ à ſe olim molis pulcherrimæ ſubſtructionem jam

tunc

tunc haud levibus indiciis prænuntiaret vividum ingenium, auream planè indolem, eximiam ad omne virtutis genus, inſitamque propenſionem; ex quibus cum ad ſumma quæque præſaga mente deſignavit P. Blaſius Dias ſecundarius Rhetorices Profeſſor, cui per omnia inclyto Magiſtro ego quoque tunc operam dabam, eòque debiti amoris, & honoris ergo à me hic volui nominatum. Illius exemplo, & familiari conſuetudine inductus Andreas eodem, quo Eborenſem Academiam, anno & Societatem iniit; in Ulyſſiponenſique tyrocinio cœleſtem planè vitam traduxit. Exacto demum biennio ad Collegium Conimbricenſe conceſſit ubi ne ſummis quidem ingeniis illic perpetuò vernantibus unquam deceſſit. In publico literario certamine inibi frequentiſſimo, ſive ſoluta, ſive ligata oratione cum æqualibus, vel provectioribus aliquando contenderet, nulli ſecundus, prima ut plurimùm laurea inſignis Apollinari abibat. Redivivum Tullium, & Chriſtianum Maronem, utrique certè proximum, nec longo proximum intervallo, pro roſtris dicentem meritò diceres. Nec minor illi ex Philoſophiæ decerptis fructibus, quàm è Rhetorices collectis floribus, obvenit commendatio; utranque ſumma cum laude Conimbricæ didicit, Eboræ docuit; utrobique adhuc ob ingenii longè præcellentis præſtantiam poſthuma gloria celeberrimus: ſacram deniqne Theologiam tum diſcendo, tum docendo Eborenſem Academiam tali Alumno, & Magiſtro gloriabundam mirificè illuſtravit: quem illa viciſſim ſacri Doctoratus inſignibus condecoravit; ne illi ſe præberet inofficioſam, à quo tot fuerat ſapientiæ monumentis nobilitata.

220 A maximis ejus virtutibus magnum cepit ipſius ſapientia incrementum. In earum ſingulis per otium recenſendis ſupervacaneum duco immorari, cùm à nobis jam commemoratæ, paſſimque commemorandæ Principis virtutes prudenti cuilibet ſatis oſtendant, quàm multis, maximiſque abundarit, qui eas Principi non minùs quotidianis exemplis, quàm frequentibus adhortationibus tantopere commendarit. Satis quidem conſtat fuiſſe illum (ut verbo ſemel dicam) quandiu vixit, rellgioſæ obſervantiæ animatum exemplar, & Sanctiſſimi Parentis Ignatii eximium in paucis æmulatorem. Id potiſſimum, præter multiplicis ſapientiæ celebritatem, fuit in cauſa, cur à Sereniſſimo Rege, conſultis priùs, auditiſque Societatis ſuperioribus, Japponiæ Epiſcopus communi bonorum omnium approbatione deſignaretur. In qua dignitate non minùs laborioſa, quàm ex ſe ampliſſima ita modeſtè, religioſèque ſe geſſit, ut ex Ebora Ulyſſiponem à ſuperioribus pro agendis Sereniſſimo Regi gratiis miſſus, propriam in primis indignitatem profeſſus, liberè negarit ſibi eſſe liberum eam, vel quamlibet aliam acceptare dignitatem, niſi admodum R. P. noſtro permittente, ac Sanctiſſimo, ut in ſimilibus electionibus ſolemnis Societatis mos eſt, imperante. Interim, dum ea ſpes opinione longiùs differtur, incredibile dictu eſt, quàm ubertimos ex Principis Theodoſii benevolentia fructus perceperit novus Epiſcopus. Jam antea Illi ſatis erat notus, tum ex fama inclyti Viri eximias dotes paſſim ubique, maximèque apud Sapientiſſimum Principem evulgante, tum ex nonnullis ipſius Latinis opuſculis, quæ ob exquiſitam elegantiam tam eruditis quibuslibet, quàm eruditiſſimo Principi, Authorem maximè commendabilem reddidere: *Præ omnibus* (inquit Indicus Prorex, de quo in Prologo) *admiratus eſt Princeps, plurimique fecit conditam olim ab eodem Elegiam pro regio funere Sereniſſimæ Principis Ioannæ Filiæ Serenſſimi Regis Alphonſi quinti, harmonico flebilium carmi-*

num

num concentu mirificè delectatus, quæ inſcio Authore ad Principis manus auſpicatò devenere. Liceat hîc haud ingrata, ut puto, ſtudioſo lectori hiſtorici fili cæſura, illam Principi adeo voluptuoſam Elegiam tranſcribere, tum ut curioſis innoteſcat, quàm meritò illam egregius eximii cujusque operis æſtimator Princeps maximi æſtimarit; tum etiam ut id fortè cupientibus aliquale aurei ſtyli Luſitani Apollinis ſpecimen exhibeatur. Sic habet ingenioſi operis argumentum, & mox Elegia ipſa, cui publico in certamine olim Conimbricæ conſentientibus omnium ſuffragiis primum præmium adjudicatum.

Cùm in templum Joannæ Principis cadaver efferretur, ad aſpectum emortuæ Principis areſcentibus ſubitò ramis, florum, & foliorum honorem excuſſere arbores; & emorientes herbæ, quam vivam ſibi benevolam ſenſerant, demortuam, ſe ipſas vita, & amœnitate mulctantes, deflere viſæ ſunt.

E L E G I A.

221 *Clauſerat extremo morientia lumina fato*
Ioanna: heu nunquam lumina digna mori!
Fleverunt Lyſiæ gentes, atque Indus uterque;
Ad lacrymas Orbis non ſatis unus erat.
Iamque humeris funus vectum ſublimibus ibat;
(An novus è terris ille triumphus erat?)
Hortus odoratis fuerat pulcherrimus herbis,
Ioanna huic cultrix, & ſua Flora fuit.
Nulla locum, aut pulchros violabant tempora flores,
Illic perpetui regia veris erat.
Hàc iter ad tumulum eſt, (quis credat?) prata reviſit;
Cura etiam hæc illi poſt ſua fata fuit.
Aſt Dominam frondes abeuntem voce ſalutant;
E foliis linguas mobilis aura dedit.
Quin etiam gemitumque ſuum, & ſuſpiria mittunt;
Impulſas frondes dum leve murmur agit.
Protinus ad terram lapſu venere cadentes,
Ceu Dominæ comites quolibet ire velint.
Seu blanda ut poſſint innectere vincula plantis,
Quæ toties oculos detinuere ſuos.
Inde viam molli ſubſternunt tegmine, ut alta
Florens è terris curſus ad aſtra ferat.

Terra tibi manibus, Princeps, dat lilia plenis,
Manibus, & vita congrua dona tua.
Accipe, & hæc tumulo tecum condantur eodem,
Vt tua fulta roſis molliùs oſſa cubent.
Fallimur? an funus terra exceptura coronas
Nectit? erit cineri ſic quoque terra levis.
Sed jam paulatim flores moriuntur in hortos
Illis cum Domina dulce perire fuit.
Cùm faciles obitus, & dulcia fata viderent
Principis, invidia ſic voluere mori.
Formoſum ante diem potuit mors vellere florem?
Irruat, atque hortos impia falce premat.
Arenti virides decuſſo ſtipite frondes
Linquebant formæ ſpemque, decusque ſuæ.
Et teneram languent referentia lilia vitam:
(Hei mihi, flos vitæ quàm tener ille fuit!)
Quem priùs è roſeo traxerunt ore colorem,
Purpurea poſt hac erubuere roſæ.
Sic violæ in pratis, quæ ſole oriente nitebant,
Per cœlum pronus cùm ruit ille, cadunt.
Infelix iterum moritur Narciſſus in arvis;
Iuſtior hac lethi cauſa priore fuit.
Æternos fatis vivens Amaranthus in annos
Abrupit vitæ ſecula longa ſuæ.
Denique mærentes lugent ſine floribus horti,
Et nulla in pratis prata virere putes.
Crediderim ſecum flores, hortumque tuliſſe,
Eſſet ut Elyſiis gloria magna plagis.
Sola loci nimiùm infelix, & inanis imago
Errat diffuſas dilacerata comas.
Perpetuùm hæc (clamat) tellus, Ioanna, locusque
Te ſine mæſtus erit? vox vaga clamat, erit.

222 *Optavit Princeps* (proſequitur excellentiſſimus Indiæ Prorex in ſuo ſcripto teſtimonio) *videre præcellentem adeo Elegiographum; eum adiit Epiſcopus, dumque recenti beneficio gratum ſe ſtudet exhibere, majori alio afficitur, imperante humaniſſimo Principe, ut ſe deinceps frequentiùs conveniret: verùm ille ſive de induſtria, ſive modeſtia præpediente, debitum id obſequium aliquantiſper diſtulit, nec niſi denuo vocatus ad Principem rediit; qui ad ejus primùm dotes, mox ad virtutes, ac tandem ad ipſummet adeo dignatus eſt affici, ut Principi familiariſſimus in paucis, non ſine multorum invidia, Epiſcopus exinde haberi cœperit.* Sic de ſingulari maximi Principis erga egregium virum amore utrique aſſiduus, & pene intimus ſocius atteſtatur. Idem amor literariis, iisque quotidianis exercitationibus, frequenti conſuetudine, indiſcreta indolis, morum, ac propenſionum ſimilitudine, ſuaviſſimis tandem colloquiis, & mutuis epiſtoliis innutritus adeo indies crevit, ut mihi aliunde ſatis conſcio vix ipſemet fidem haberem, niſi, dum hæc ſcribo, præ manibus haberem, in oculis certè habendas multiplices Latinas, easque perquam familiares epiſtolas ipſius Principis manu mi-

exploratiſſima ſcriptas è Salvaterra, miſſasque ad hunc deſideratiſſimum ſibi Amicum Ulyſſipone tunc agentem, ardentiſſimi amoris teſtes, incredibiliſque benevolentiæ indices. Ex iis duo tantùm ſeligo exemplaria, hîc fideliter tranſcribenda, mihi apud dubium fortè lectorem indubiam fidem conciliatura. Primum ſic habet: *Mi Epiſcope chariſſime. Quot, quantiſque affligar deſideriis, dum animus explicare cupit, magis neſcit: hoc unum dico, quod cùm nihil ex ipſa Urbe ſit, quod me alliciat, præter te unum, ipſa tamen ita totum rapis, ut penè mortuus extem, hic corpore, ibi animo commorante. Epiſtolam tuam dulciſſimi amoris de recondis: quod in illa quæris, intelliges latiùs, cùm non ita contractum tempus fuerit, & cras erit. Vale deſideratiſſime, & ama tuum Doſitheon. 10 Januarii.* Quis unquam erga familiariſſimum aliquem amicum talis, tantique amoris notas meliùs expreſſit? niſi fortè in alia, quæ ſequitur ad eundem, epiſtola Princeps ipſe, ut in cæteris unicus, ita in amando ſingularis.

223. *Mi Epiſcope chariſſime* (inquit iterum) *Qui tertiò ſcribo, non accepi reſcriptionem: fortè diligis, non amas; nunquam accepi, quin redderem: en amorem meum perſpice. Tu certè das amorem, ſed non reddis: das cui (proh felix fors!) ut diligeres, elegiſti; non reponis, quia ad mutuæ amicitiæ arctum nexum accedere non vis. Equidem Macariapolitanus non es, qui ab amoris communitate abhorres.* (Quid ſignificet hæc ſententia, intelliges ex infrà dicendis.) *Memento, oro, olim tecum agitatæ quæſtionis, de amantium unione, Anne ab una tantùm parte fieri queat? Tu docuiſti, quod modò exerces. Sed & dum mei (tunc ſanè beati) recordaris, ludibria mente agitas. O utinam ſaltem à voluntate orirentur, quæ reſidet amor! Luderet ille mecum: et quid dulcius amoris ludo reperietur? Ubive jucundius? Hucuſque affectus, non verba ſunt loquuti. Illud mihi in primis levamini conſuluit, quod ſcripſit Mater mea, te illi loquutum deſideriis affectum non vulgaribus; ita ut ſi (quod Superi avertant) ſecunda nos ſejungat abſentia, icone indigeas mea. Faciliore, Amice, utaris conſilio: oculos introrſum verte, & me ipſum, non iconem conſpicies. De cætero, ſi quid de Provincia re ſcitu dignum inveneris, notum facito. De ſanitate non cura quærere; cum Cicerone enim dico: Si vales, bene eſt, ego quidem valeo. Valeas ergo, frater, qui te amat, Tuus Doſitheos. Salvaterra 15. Januarii 615.* En eximij amoris certiſſima documenta, quibus majora, pluriſve facienda maximi Principis erga privatum clientem, nullibi fortaſſe reperientur; præterquam in ſimilibus ejuſdem Principis literis ad eundem Epiſcopum aliàs datis, quarum nonnullas jam alibi dedimus, plures adhuc, cùm res ipſa poſtulet, infra daturi. Jam verò, quâm foret verus hujuſmodi amor, proclive fuerit dignoſci ex veridici Principis perſpecta genii ſynceritate, cui nihil unquam commentitium placuit; nihil à vero leviter abludens non diſplicuit. Ex quo pariter, quantus fuerit is, quem tali amore tantus Princeps dignatus eſt, haud erit difficile conjectare. Prudentiſſimus certè Princeps non tam impensè amaret, niſi ob eximias dotes, & præcellentes virtutes, amabilem Virum: de quo audiendus iterum Indicus Prorex, cujus diſertis verbis longè certiorem fidem exigentibus potiùs, quàm meis conſultò uti volui: quod lectori, ut puto, multò erit voluptuoſius, & me omni affectatæ narrationis ſuſpicione liberabit.

Hoc l.b. c. 10. §. 149.

224. *Eò uſque* (inquit) *gratia, & auctoritas Epiſcopi proceſſit, ut eum tandem Principis, expeditionem Elvenſem arripientis, Confeſſarium Sereniſſimus Rex renuntiarit, utpote qui non minorem jam de illo, quàm Princeps, haberet exiſtimationem, planèque ſciret ſolitum ex longo Principem intima cordis ſecreta, & penitiſſima quæque propriæ conſcientiæ illi aperire. In eo munere ita prudenter, incorruptèque ſe habuit,*

ut ex æquo foret Regi, ac Principi gratioſus, adeo ut nullum eſſet in toto Regno magni momenti negotium, de quo privatim à Rege non conſuleretur, ipſius prudenti judicio miniſtrorum, immò & Tribunalium, ſuffragiis nonnunquam prahabito. Hinc aliquorum odio, & invidia ſolicitantibus, haud leves excitatæ adverſus ejuſdem innocentiam tempeſtates, in quibus vel ſtrenuè repellendis, vel modeſtè declinandis ſummam præ ſe tulit dexteritatem. Ratio juvandi Principem in ſupremo agone fuit admirabilis. Colloquia, quibus puriſſimum illum animum ad Creatoris ſui amorem elevatum inflammavit, adeo ſuavia, dulcia, & judicioſa fuere, ut nos omnes in mutuam raperent admirationem. Demortuo Principi ſuperſtes nihil omnino inde retulit, præter id, quod ad illius obſequium intulerat, tunicam nimirum Societatis, regiis opibus ſupellectilem ſibi multò pretioſiorem. Proprios cognatos, & conſanguineos ſolo nihilo unicè ſibi optabili contentos locupletavit; ſatis divites arbitratus, niſi virtutum inopia laborarent. Cùm jam eſſem Principis maximus œconomus, rogavi Epiſcopum, ut aliquem è ſuis conſanguineis deſignaret præficiendum nonnulli aulico muneri, quod alteri neceſſariò impertiri deberet. Ad hæc reſpondit, ſibi nequaquam eos eſſe conſanguineos, qui miniſterio Principis Luſitaniæ poſſent condecorari. Pro comperto habeo Dominum Comitem Mirandenſem, quo cum ſtrictiſſima Epiſcopo erat neceſſitudo, vehementer optaſſe pingue aliquod ſui patronatus beneficium in aliquem ex ipſius nepotibus conferre, ſed vel, quo minus offerret, illius modeſtia eſt prohibitus, vel oblatum ille recuſavit.

225 *Haud multò poſt* (proſequitur idem Author) *ab exceſſu Principis, Regius Confeſſarius eſt pronuntiatus; quod munus ex ſe ampliſſimum rite obivit eadem religioſæ paupertatis profeſſione, ſimilique totius cupiditatis, & ambitionis abalienatione. Pendebant ab Epiſcopi arbitrio majoris cujuslibet momenti conſultationes; ſumma, & incredibilis ab omnibus ejus auctoritas ſuſpiciebatur, ſupra omnia eminente ſingulari ejuſdem demiſſione. Ad Almerinum ruſticaturus divertit ſolito de more Sereniſſimus Rex, ac ne inter voluptuoſæ relaxationis otium à publico regimine ceſſaret; ſeriò deliberat Præſulum nominationem urgere, cujus à Sanctiſſimo confirmandæ haud levis ſpes eo temporis affulſerat. Mihi quoque injungit, mecum ut reputarem, quinam ad hæc munia præeligendi meritis, ac dotibus præcellentes eminerent? Confeſſarius veſtræ Majeſtatis (è veſtigio reſpondi) mihi videtur digniſſimus, cujus in primis ratio habeatur. Nec refert Societatis illum eſſe Alumnum, quæ hujuſmodi dignitates ſolemni emiſſo voto penitus averſatur; poterit enim Japponenſis Epiſcopus inaugurari, & mox Societatis obedientia ſolutus, Sanctiſſimo facilè annuente, alteri Epiſcopatui ex Luſitanis addici. Id mecum* (inquit Rex) *agitaveram, ſed à Cubiculario maximo accepi ſimile quid Philippum Regem irrito prorſus conatu olim tentaſſe. Expiata demum conſcientia, in ſecretum conclave unico adhibito Confeſſario ſe Rex abdidit, cum eo de nominandis Epiſcopis deliberaturus; hic ejuſdem ſuffragio attentè auſcultato; Tibi* (ait) *optimum totius Regni Epiſcopatum ſepoſitum volo; nec me latet, qua ratione poſſint mea vota ſortiri effectum. Magnificis Regis promiſſis erubeſcentis oculi ubertim effuſo lacrymarum profluvio reſponſum reddidere; quibus vocis, & verborum uſum adimentibus, à Rege interim ad inſperatum ſpectaculum admirabundo paulisper exceſſit; à quo paulò poſt revocatus, & præſentioris jam animi compos, ſic apud eundem Sereniſſimum Regem laconica, ſed efficaci expoſtulatione conqueſtus eſt. Haud ſatis* (inquit) *ſcio, cur Veſtra Majeſtas dignata ſit ſibi à confeſſionibus eum eſſe Virum, quem credidit poſſe adeo execrabili exemplo Societati Jeſu propudioſam, nulloque unquam tempore abolendam, inferre maculam! Nec pluribus opus fuit Regi diſſuadendo; à quo accepi hujus certaminis cum Epiſcopo habiti relationem. Aliud multò gravius ille mihi movit, conſcius fuiſſe me hujuſce conſilii, vel Authorem, vel promotorem.* Pergit deinde illuſtriſſimus Scriptor luculentiùs re-

cenſere

cenſere longè memorabilius aliud humillimi Confeſſarii exemplum, qui Principi adhuc ſuperſtiti ſeduiò inſtiganti, Regique ad illum extollendum ſtudiosè adnitenti, ſtrenuè reſtitit; demumque ab utroque obtinuit, ne Inquiſitor Generalis à Rege id maximè optante renuntiaretur. Sed quia hoc à nobis alibi lentiùs, & opportuniùs inter Principis virtutes commemorandum, nunc ſatis ſit cætera, quæ de viro eximio tantus Author ultimò perſtringit, ipſiusmet eleganti ſtylo delibare. Lib. 3. à 5 115. ad 110

226 *Ad extremum* (inquit) *moribundi Regis æternæ ſaluti tam ſedulùs, quàm Principis invigilavit; ex quo, etſi apud optimos quoſque meritò ſummam meruit laudem, apud Optimates, miniſtroſque nonnullos extrema immeritò flagravit invidia, quâ ſtimulante, Sereniſſimam Reginam, recenti dolore propè confectam, adeo alieno tempore minimè dubitarunt adire; illique præpoſterè ſuadere, ut Confeſſarium ab aula penitus ablegandum juberet; cujus tamen adeo innocenti vita ab omni labe prorſus immuni, cùm ne minimum quidem maculam poſſent, etſi maximè optarent, verè inurere, id unicè cauſari non erubuere, infeliciſſimum eum omnium mortalium virum eſſe, ſub quo modò Regum feliciſſimus, & paulò antea Princeps omnium abſolutiſſimus, immaturo uterque fato, deceſſerit: quaſi ſumma hujuſce infelicitatis commentitia culpa non ad eandem propiùs Sereniſſimam Reginam, immò & ad ipſos inauſpicatos conſiliarios Medicos; at ad univerſam tandem Luſitaniam talibus, ac tantis præſidiis infeliciter orbatam, pertineret. Satis abſurdo, & nimis intempeſtivo eo, gravi ſententia damnato, ut par erat, conſilio, collaudatis inſuper eximii viri meritis, cui præter commune omnibus infortunium nihil omnino poſſent objicere, prudentiſſima Regina, cui jam totius Regni regendi moles incumberet, virtuteſque felicitati præhaberentur, exinde cæpit Epiſcopi zelo, experientia, conſiliis, cæteriſque dotibus adeo benevolè uti, ut vix dixerim, cuinam ex tribus hiſce maximis Principibus gratioſior idem extiterit? Id mihi eſt ſatis exploratum, eorum ſingulis ex æquo ſingularia illum, maximique habenda obſequia præſtitiſſe. Pluribus poſſem progredi, at in cauſis adeo recentibus ſatius eſt ſilere, quàm in alicujus offenſionem fortè incurrere.* Hactenus excellentiſſimus Prorex, cujus & prudens ſilentium veneror, & judicioſam elocutionem juxta ſuſpicio: ejuſdem ego æmulandis certè veſtigiis inſiſtens pauca è multis, quæ à me obſervata, nec citra nefas ingrato ſilentio involvi fas eſt, in gratiam amantiſſimi Principis, cui adeo fuit gratus, hìc ad extremùm, quàm potero laconicè, ſuperaddam.

227 Summa in eximio viro fuere omnia; ſed inter præcellentes ipſius dotes nulli non perſpecta ejus prudentia multùm excelluit: hac duce, comiteque fortuna, ita Principis, Regis, Reginæ, ac Sereniſſimorum Infantum in ſe unum benevolentiam ſimul convertit, ut in ea id attigerit, quod nemo alius, faſtigium; ex quo nullius unquam aut artibus, aut impulſibus potuit leviter dimoveri, ne dum penitus deturbari. Ejuſdem prudentiæ fuit ſibi commiſſi Principis literaria ſtudia, publicas, privataſque actiones, mores, & conſcientiam ita moderari, ut Principum omnium abſolutiſſimus communi omnium judicio ſit habendus. Exinde pariter provenit ſalutaria conſilia non, niſi rogatum ex communi ſemper, nunquam ex privato commodo, aut affectu, Regi, Reginæque, pro Delphico illa oraculo accipientibus, aptè ſuggerere; hinc nihil proſperi eventus ſibi arrogare; omnia Regibus, aut eorum miniſtris, & conſiliariis recta ſuadentibus tribuere; in omnibus denique ita moderatè ſe gerere, ut in ſumma potentia invalidus omnino, ac inutilis prorſus haberi affectaret. Frequens, & propè quotidianus in aula verſabatur,

Prin-

Principe, ac Regibus illuc invitum compellentibus; eòque non æmulorum modò, ſed aliorum etiam cauſas ignorantium, murmuri, & obtrectationibus obnoxius; quibus cùm ſe facilè poſſet explicata veritate liberare, maluit tacendo importunus vellicari, quàm opportuna objecta excuſatione gratioſus prædicari; tutius arbitratus qualicunque notæ, quàm aulicorum promptæ invidiæ, ſubjacere; at eam neceſſariò ſubijt ad ſublimem adeo gradum regii favoris aura elevatus, perflant enim vulgò altiſſima venti ab Æolica invidia excitati; feriuntque ſummos montes fulmina; quæ violenta conflavit æmulatio; quibus tamen, quominus aut everteretur, aut conflagraret, laureata ejuſdem virtus obſtitit, jactis altiùs à ſummo ad imma profundæ humilitatis radicibus ſtabilita. Videbant quidem, quicumque religioſiſſimo viro invidebant, ejus innocentis vitæ rationem ab omni faſtu, ac tumore gratioſis familiari prorſus alienam, eundem verò ſobrium, modeſtum, juſtum; dignitates, & honores repudiantem, ab omni cupiditate pro ſe, vel pro ſuis abhorrentem, univerſis innocuum, ſingulis beneficum, non ſummis tantum, ſed infimis urbaniſſimum, ſalutaribus conſiliis apud Reges unicè inſiſtentem, omni denique virtutum genere ſuſpiciendum; veruntamen tot nominibus venerabili viro adlatrare livor, irrito licèt morſu, non ceſſavit. Dura quidem eſt, ſicut infernus æmulatio; immò pluſquam infernus; hic enim ſolos nocentes malè habet, illa etiam innocentes.

228 Quandiu in aula egit optimus Pater Sereniſſimi Principis, aut Regis Confeſſarius, in primis illi curæ fuit pietatem illic, cæteraſque virtutes omni ratione aut inſtaurare, aut promovere; hinc animarum nitori ſedulò proſpicere, ad frequentem ſacræ confeſſionis, & communionis uſum ſibi familiares adhortari; mentalem orationem ſtudioſioribus commendare; devotas meditationes poſcentibus ſuppeditare; quarum nonnullas, eaſque utiliſſimas propria ipſius manu ſcriptas, poſt ejus obitum inter ſpiritualia opuſcula inveni; Principe Theodoſio aulicis viris, Sereniſſima Infanta Catharina, poſtea Magnæ Britanniæ Regina ejuſdem inſtinctu illuſtribus fœminis ad hæc pia munia præeunte. Idem Sereniſſimum Regem ex ſe Catholicæ Religionis, & Fidei, quibus maximè Chriſtiana conſtant regna, & Imperia fulciuntur, perquam ſtudioſum, earundem ardentiori adhuc zelo inflammare, quoties opportuna ſe dedit occaſio, nunquam deſtitit. Probabilibus, ut tunc ferebatur, doctiſſimorum hominum opinionibus tentata ſæpe Regis conſtantia, ut aliquid in rebus ſummi momenti, maximè circa Epiſcoporum electionem, & inaugurationem, repulſamque Regii Legati Romani præter ſolitum decerneret: at verè pius, & Catholicus Rex ſalubriori ſui Confeſſarii, cui uni præ multis deferebat, aliorumque cum eo ſentientium conſilio uſus, regia juriſdictione, auctoritateque Apoſtolicæ poſthabita, exemplum præbuit Catholicis quibuſque Regibus æmulandum; ex quo uberrimum tum amplioris apud univerſos exiſtimationis, tum feliciorum eventuum fructum tulit, Deo, (ut vulgò ſolet, Confeſſariuſque præmonuerat) piiſſimi regis vota, & conatus ſecundante.

229 Eidem Sereniſſimo Regi, poſt obitum Principis id ipſum vehementer optantis, præcipuus author fuit novi Tribunalis, quod hactenus viget, erigendi; ubi de ſalute, converſioneque infidelium procuranda, & promovenda unicè, omnimodèque conſuleretur; ubi de ſolicitandis, mittendiſque ultramarinis Miſſionariis in Aſiæ, Africæ, ac Americæ vaſtiſſimas regiones Lu-

ſitanæ ditioni ſubjectas ſeriò, ac ſedulò agitaretur; ſimulque de iiſdem ex regiis expenſis, tum in ipſa navigatione, tum illa peracta liberaliter alendis. Hujuſmodi cœleſti planè Tribunali cœlitus, ut par eſt credere, denuò inſtituto deſignantur ab eodem piiſſimo Rege conſiliarii, exploratæ fidei, doctrinæque viri, ac notiſſimi pro animarum ſalute zeli, quibus cùm dotibus inter cæteros emineret ejuſdem Confeſſarius, cæteris ille citra ullius injuriam, aut invidiam præficitur, cujus erat non modò in controverſis eo loci dubiis ferre ſententiam, ſed quidquid ibi optimum factu deliberatum eſſet, ad Regem referre, ac eo demum annuente, promptæ ut exequutioni daretur, curare. Illo ſuas, & commilitonum partes ſtrenuè, impigrèque apud Regem, ejuſque miniſtros infatigabili ſedulitate agente, incredibile dictu eſt, quibus incrementis Evangelicæ miſſiones eo temporis auctæ ſint, miſſis ad univerſas Societatis Luſitanæ Provincias ultramarinas plurimis, iisque inſignibus miſſionariis, non modò è Luſitanis, ſed ex Italis, Flandricis, & Germanis, pro quibus haud ceſſabat Reverendiſſimum P. N. infimis urgere precibus, frequentibusque epiſtolis implorare. Unius ex his exemplar habeo, in qua poſt multa de hoc unico argumento enixè rogat ſuam Paternitatem, ut in qualibet Provincia (duæ tunc erant in Luſitania) dignetur deſignare unum Patrem, qui Procuratorem miſſionum unicè agat, opportunis inſtructionibus, & ſufficienti poteſtate ipſi conceſſis, quò tanti momenti munus ad Dei gloriam, & animarum ſalutem adeo utile fructuosè poſſet exercere.

230 Certè infructuoſam minimè fuiſſe apud Sereniſſimum Regem ſui Confeſſarii pro Miſſionibus frequentem interceſſionem argumento ſint maxima quidem, maximique facienda beneficia, quibus, dum vixit, tam Societatis Luſitanas ultramarinas miſſiones, quàm Collegia nonnulla, in quibus ipſi Miſſionarii educantur, regia planè liberalitas affecit; in iis tamen pene omnibus conferendis, & ſi propriam, inſitamque pietatem, & eximiam erga Societatem à Sereniſſimis Majoribus hæreditariò acceptam benevolentiam in conſilium maximè adhibuerit; tamen cùm nihil alicujus momenti, ſuo, vel adhuc Principis inconſulto Confeſſario, præſertim in religioſis actionibus deliberandis, unquam decreverit; non mediocrem illi vel deprecanti, vel conſulenti, approbantive talium beneficiorum tribuendam ſuo jure portionem, nemo prudens inficiabitur. At non modò intra Societatis anguſtiora clauſtra Sereniſſimi Regis beneficentia ſe continuit; in cæteras quoque religioſas familias, pro maximis earum meritis, extitit profuſiſſima, regio eodem Confeſſario regiam liberalitatem ſponte ſua univerſim excurrentem tempeſtivis conſiliis, opportuna interceſſione, qua univerſæ utebantur, frequenter exſufflante. Ab iis verò recenſendis conſultò mihi abſtinendum conſultius viſum eſt; tum ne in alienam ſegetem (ut vulgò dicitur) falcem mitterem; ipſi, ad quos ea ſpectant, id meliùs in re propria, & veriùs pro uberiori notitia exequentur: tum ne, dum ſingula commemoro beneficia, & eorum aliquod imprudens fortè prætereo, & Regi conferenti, & religioni accipienti ſim (quod abſit) injurius. Nulli unquam talis extitit Confeſſarius; illatis tamen Societati offenſionibus animosè ſemper obſtitit.

231 In iis, & ſimilibus aliis repellendis mira perpetuò extitit illius conſtantia, & inexpugnabilis fortitudo. Agnum ſimul, & leonem Divini æmulatorem verè dixeris: in propriis injuriis, & perſequutionibus perferendis agnum manſuetiſſimum, prorſusque obmuteſcentem; in Societatis adverſita-

tibus generoſum leonem, vel contra ſupremas quaslibet poteſtates præferebat. Provinciæ Procuratorem tunc agebam, illiusque opera mihi ſemper pro Societatis cauſis protegendis promptiſſima, nonnunquam obvia, magno cum proventu ſæpe uti contigit. Quin immò ſui, ac ſuorum penitus incuriosus; publicisque maximi momenti negotiis implicitus, incredibili planè ſolicitudine à me ſæpe, quaſi omni alia cura vacuus, per otium inquirebat, quomodo Societatis negotia mihi commiſſa procederent? Suumque patrocinium vel apud Regem, vel apud miniſtros, ſi res poſceret, libentiſſimè offerebat; incogitatis nonnunquam mihi ſalutaribus pro communi re monitis, & utiliſſimis arbitriis in tempore ſuppeditatis. Illius ſemel apud Regem auxiliatricem opem ad peculiaris amici favorem cùm implorarem, rogantem ita prudenter admonuit: *Non oportet Regis optimi abuti benevolentia, qui me ut pro Societatis cauſis deprecantem libenter audiet, ita fortè pro aliis illibenter, & gravatè. Humaniſſimus enim Rex, quò me ab innumeris moleſtiis liberaret, mihi præcipere dignatus eſt, ne aliis, quàm meæ Societatis, negotiis implicarer. Si aliter poſſim, nec R. V. nec Societatis amicis unquam deero.* Reveritus conſultiſſimi viri ſuſpiciendum conſilium ab hujuſmodi precibus deinceps penitus abſtinui. Hunc ejuſdem erga Societatem ardentiſſimum amorem apprimè noverat Sereniſſimus Princeps, qui cùm nullum alium in amanda Societate, illum ſibi tantùm

Lib.3 § 57 conferri (ut alibi dicendum) æquanimiter patiebatur. Quemlibet etiam minimum è Societate indulgentiſſimè ſemper habuit, neque in ſatis longa tot annorum ſerie fuit unquam aliquis, qui de illo meritò poſſet conqueri. Superiores quaſeſcunque inſtar Divini, quod gerunt, Numinis ſuſpiciebat; Ipſisque, immò eorum nutibus, morigerum ſe, ac obſequentiſſimum exhibebat: cùm eorum plerique ob ſummam erga Regem, regiosque miniſtros auctoritatem ab eo in multis paſſim penderent, eique propterea multùm deferrent, plus ille viciſſim ipſis deferebat in omnibus, ac certatim ſive præſens, ſive abſens eoſdem reverenter obſervabat. Siquem de Superiore aliquo vel leviter detrahentem auſcultaret, patientiſſimus alioqui, graviter id unum ferre, aliquandoque, niſi detrahentis auctoritas obſtaret, in eum gravi, aut levi objurgatione, ſive ſermonis declinatione prudenter animadvertere. Idem tandem in religioſa obſervantia eximium ſe in omnibus, & ubique præſtare ſatagebat, illud unicè attendens, ne optima Societatis apud externos, quibus cum ageret, exiſtimatio vel minimum ex ſuis actionibus caperet detrimentum; immò ſe viſo, vel audito in Societatis amorem, & venerationem univerſi allicerentur.

232 Talis nempe fuit venerabilis planè viri omnibus, ſed in primis Regum, ac Principum confeſſariis, æmulanda vitæ ratio; nec abſimilis ejuſdem mors; quam licèt intempeſtivè, cùm Principi aliquot deinde annis ſupervixerit, at nullibi opportuniorem locum ſibi vendicantem, hìc viſum eſt præoccupare ſimili, quo vitam perſtrinximus, laconiſmo: placet potiùs temporum ordinem invertere, quàm perfectiſſimæ vitæ clauſulam huc maximè ſpectantem omnino prætermittere. Cùm deinde ſæpius de illo nobis ſermo incidet, ad leniendum ejus occaſus immedicabilem dolorem eà mentio non nihil fortè conducet. Tot igitur, tantisque virtutum monumentis eminenti unum ſupererat monumentum, quò mortalia cuncta, quò eminentiora, citiùs, & rapidiùs fatali neceſſitate devolvuntur. Lethalis illum jam diù invalidum eadem, quæ Regem oppreſſerat, invaſit ægritudo con-

tracta,

tracta, ut creditur, ex nimia laſſitudine vires, & vitales ſpiritus opprimente. Avertendo malo, procurandæque valetudini accurere illico ad noſtrum Irlandicum Seminarium, ubi jacebat, regii medici à Sereniſſima Regina ſubmiſſi, qui nihil non tentarunt, at fruſtra omnia, latiùs indies in viſcera ſerpente, ac vel ex ipſis pharmacis ſtranguria ſe impotentiùs intendente. Confluxit pariter inviſendi, & condolendi cauſa magna vis Magnatum, & familiarium aulicorum, quos tamen urbaniſſimis per ſuum confeſſarium reſponſis diſtinebat, ne ſe adirent, ad cœlumque properantem demorarentur; immò fuſis ad optimum Deum pro ejus æterna ſalute precibus unicè adjuvarent. Solis è noſtra Societate Patribus, quibuscum de cœleſtibus colloqueretur, libenter ſui copiam faciebat. Confeſſario ſub initium morbi à ſe quàm primùm evocato libentiùs operam, & plures quotidie dabat horas: apud eum totius anteactæ à prima pueritia innocenter traductæ vitæ per otium emiſſa generali confeſſione, viam ſibi ad cætera ſuſcipienda Sacramenta præmunivit; quibus rite, ac devotè ſuſceptis, jam ſe ad primum agonem omni ſpiritualium armorum genere inſtructus comparabat.

233 Interim Sereniſſima Regina, etſi bellicis, & civilibus curis ſe unam eo temporis pene obruentibus, in diverſa diſtraheretur, non ceſſabat tamen ſingulis, ex quo decubuit, diebus regios cibos exquiſitiſſimè conditos ægrotanti ſubmittere, ac per internuntium, cui uni ex ſecularibus ad eum patebat aditus, ſemel, atque iterum quotidie de illius ſalute ſedulò inquirere. Quem quidem ſupremi cumulum honoris vir verè humilis, remiſſis per eundem nuntium gratiis, quàm poterat maximis, non ſemel, etſi fruſtra, deprecatus eſt. Eidem verò Sereniſſimæ Reginæ ad extremum ſciſcitanti, quid de ſuis rebus, & conſanguineis à ſe vellet ſtatui, ſi de ipſius vita Deus præter ſua vota ſtatueret? Hujuſmodi religioſum planè reſponſum reddidit: *Sibi è vivis jam abeunti duo ſupereſſe pignora, eaque unicè chariſſima, & propriam animam, pro qua non dubitaret à ſua Majeſtate ſalutaria imperanda ſacrificia, & Societatem, cui patrocinandæ, ſolitisque beneficiis amplificandæ Majeſtatem ſuam nuſquam defuturam certò ſciret.* Idem mihi per eos dies ſibi perpetuò aſſiſtenti ſeriò injunxit, ut poſt ejus obitum, quàm primùm poſſem, Sereniſſimam Reginam adirem, cujus regalibus provolutus pedibus ſuo nomine cumulatiſſimas referrem gratias pro immortalibus in ſe, tum viventem, tum morientem collatis beneficiis, ſimulque ſponderem pro illis ſuæ haud unquam interituræ gratitudinis tot nominibus debitam recordationem coram Deo, quo æternùm frui ejus unica, & infinita fretus miſericordia ſperaret; apud quem pro temporaria, æternaque ſuæ Majeſtatis, ac totius domus Regiæ felicitate inceſſanter, indubièque deprecaretur: ac demum ſuo quoque nomine iidem Sereniſſimæ Reginæ, ſeu potius Societatis Matri (ſic eam vulgò appellabat) univerſas ultramarinas Miſſiones, ſed in primis Maranonicam denuo felicibus auſpiciis aſſurgentem, eòque impenſiori Regiæ protectionis patrocinio indigentem enixè commendarem. Jam verò qualis, quantusque fuerit hujuſce legationis mihi ab eo commiſſæ fructus, mox à me dicendum. Hic § 237.

234 A medicis tandem penitus deploratus, & multò antea ſua ipſe ſponte mori certus, me quoque rogavit, ut à Reverendo P. Hieronymo Claramontio Luſitanæ Societatis Commiſſario, ſimulque à R. P. Provinciali Franciſco Manſo, Ulyſſipone tunc agentibus, paternam ſibi benedictionem impetrarem, nec non liberam poteſtatem, ſuas privatas reculas in pauperes aliquot

Societa-

Sociorum domos, & nobis illos ex noſtris partiendi. Utraque ſupplicatione facilè obtenta, exultans impetravit, ut, quibus utebatur, libri numero ſatis exigui, & uſui in vulgari Collegio Villanovenſi haud pridem erigi cœpto, eoque omnium indigentiori addicerentur; ut devotæ aliquot imagines, ſacræ iconculæ, ac hujuſce generis nonnulla, Maranonicæ miſſionis Patribus mitterentur; ut duobus prædictis Prælatis, inſuperque R. P. Petro Peyxotto ſuo Rectori, obtenta priùs ab iiſdem ſingularis fiduciæ bona venia, pro debitæ ſubjectionis, & religioſæ obſervantiæ profeſſione ſatis tenuia monumenta ſuppliciter offerrentur; ut ſingulis deinde Patribus, & Fratribus Irlandici Seminarii, ubi diu vitam egerat, animam nunc acturus, ſua ſpiritualia munuſcula, minima quidem, at maximi amoris pignora donarentur, uni breviarium, alii Chriſti crucifixi effigies, alteri precarii globuli, & ſic de cæteris. Ut Seminario tandem ipſi cætera ſua reſidua utenſilia religioſam paupertatem certè ſpirantia remanerent. En maximi viri, Epiſcopi Japponenſis deſignati, Principis, ac Regis Luſitaniæ Confeſſarii, cujus conſilio univerſa pendebat Monarchia, nuncupatorium teſtamentum exactiſſimè à me impletum! En pretioſiſſima ejuſdem ſupellex, quæ multò adhuc eſſet, pro illius votis pauperior, niſi prædictas res, quas Ulyſſipone vixit, pro donandis Miſſionariis ultramarinis ſtudioſè comparare curaverit! Hujuſmodi jactanter, quaſi parta victoria, religioſæ paupertatis ſpolia dividentem interpellare auſus fui, venia ab eo expetita, ut mihi liceret ex hiſce munuſculis, quæ optima judicarem, duobus ipſius germanis fratribus Presbyteris, ac uni ex ſorore nepoti, ſingulis ſuum ejus nomine ſubmittere, in debiti adeo amoris argumentum. Reſpondit: *illis earum rerum ſatis abunde ſupereſſe, promptamque ad ſimilia acquirenda pecuniam: ſatius eſſe, ut religioſis Fratribus pauperibus eadem tribuerentur.* Mihi (ne quis ambigat) omnium, quæ habebat, pretioſiſſimum donum idem legavit: argenteam nimirum reliquiariam thecam Sanctiſſimi Xaverii virgineæ, incorruptæque carnis fruſtulo inſignem, Attalicis opibus, & Creſſi theſauris æſtimabiliorem: eam Sereniſſimus Princeps Theodoſius in ſummo pretio habitam, & pendulam è collo geſtare ſolitus, pro ſupremo eximii amoris argumento moriens olim ſuo legaverat Confeſſario: qui duplici eo titulo multùm æſtimabile munus, mihi ex triplici multò æſtimabilius decreverat. Verùm & mea indignitas, & inauſpicatus eventus cœleſte illud mihi donum invidit; cùm enim ſequenti mox die, quæ illi fuit vitæ ſuprema, quidam è noſtris Fratribus jam malè habentem, & alienatæ mentis deliquio aliquantiſper tunc laborantem, me præſente, inviſeret, ad illius ſubitum adſpectum: *Cur* (inquit) *ſolus hic amantiſſimus Frater à me indonatus abibit?* Extractaque repente pretioſa è collo theca reliquiaria, illum ſatis ſuperque locupletavit, meque tum temporis ejus vehementiſſimis doloribus acerrimè illacrymantem æterni ex ipſius amiſſione doloris (utinam & ſuarum illuſtrium virtutum!) hæredem ex aſſe reliquit. Eo tamen poſtea non nihil remittente, in ejus inopi ſupellectili opulentas inveni, etſi avulſas, & inornatas illuſtrium Sanctorum reliquias; nonnulla præterea maximi facienda manuſcripta, inter quæ ſummi apud me pretii fragmenta nonnulla Principis Theodoſii operum, vel ipſius, vel alterius amanuenſis manu delineata, quibus in hac ejus hiſtoria ſæpe utor; hæc omnia mihi ceſſere, ac præ omnibus amicis (quod ingenuè fateor) ſatis locupletatum reddidere.

235 Nec minùs ille dives exceſſit, facta ea tenuium adeo bonorum, & totius ſimul terrenarum opum affectus ceſſione; una ſibi unicè relicta, eaque omnium pretioſiſſima margarita, parvula nimirum ex ligno cruce, maximis eidem à ſe applicatis indulgentiis prædivite; quam ſibi è collo pendulam, cordique applicitam, neque poſt mortem extrahi, ſecumque unà tumulandam ut curarem, ſummis, & infimis à me precibus (quod factum omnino eſt) expetivit. Verus nimirum, & ſtrenuus Crucifixi Chriſti miles hac unica, eòque inexpugnabili romphea obarmatus aërias debellare poteſtates in ſe ultimo conflictu indubiè inſurrecturas deliberavit; vel ad inſtar pauperis olim, peregrinique Jacobi, huic firmiſſimo innixus baculo rapidiſſimi Jordanis alveum tranſvadare, ulterioremque tutò ripam cœleſtis portus attingere conſultiſſimè inſtituit. In eo quidem, ut multis aliis, Chriſto Domino ſibi dilectiſſimo perquam ſimillimus; qui è mortali vita exiturus univerſi orbis, cujus erat abſolutus Dominus, divitiis libenter abdicatis, & vel propriis veſtibus ſpoliatus, unica ſibi cruce reſervata, orbem ſervavit, cœloque victor intulit, quotquot poſt ſe venire ſua ſublata cruce non dubitarent. Quid poſt hæc, in totius morbi decurſu prudentiſſimus vir, in ipſius confinio longè prudentior, quid ab initio extremi hujuſce morbi ad finem uſque peregerit, quàm ſedulò æternæ aſſequendæ ſaluti deſudarit, Divini amoris, Fidei, Spei, contritionis, cæterarumque virtutum paſſim, ardentiſſimèque repetitis actibus; Dei, Deiparæ, Angeli Cuſtodis, Cœlitum omnium, maximèque Parentis Ignatii, Xaverii, cæterorumque Cœlicolarum è Societate præſenti ope implorata, expetitaque publicè, ac privatim ſuorum defectuum, & offenſionum ſuppliciter venia, multò meliùs innoteſcet pio lectori ſciendi cupido, cùm infra ſimillimum ſui Confeſſarii Principis nunquam ſatis dolendum obitum exequemur: quæcunque ibi pro ſibi commiſſi Principis anima cœlo tutiſſimè inferenda illum commendabili ſedulitate peregiſſe legentur, eadem omnino pro ſua ſolicitè repetiiſſe ad eaſdem redactum anguſtias nulli (ut credo) prudenti dubitandum. Extremo ille agone cum acerbiſſimis doloribus, quos in ægritudinis decurſu æquanimiter tulit, Deoque ſemper obtulit, Crucifixi Domini ſacra effigie fortiter pro infirmis viribus apprehenſa, accenſum cereum in ſignum fidei tenens, ſanctiſſimis Jeſu, & Mariæ nominibus ſæpius, aut voce, quandiu valuit, aut motis labiis, ademto vocis uſu, repetitis, placidiſſimè in oſculo dilectiſſimi Domini ſpiritum eidem moriens reddidit, quem vivens fideliſſimis obſequiis demeruerat, ſub adultam noctem pervigilii Sanctorum Simonis, & Judæ 27 Octobris anni 1660. Magnus profectò vir bonorum omnium opinione, ſua tantùm minimus, at eo ipſo maximus, prudenti æſtimatione perpetuò habendus.

236 Poſtera die, antelucanis horis, ejus cadaver expetita ſibi Cruce præmunitum, mutuatæ ab amico lecticæ, à cujus uſu vivens maximè abhorruerat, impoſitum ad noſtræ Profeſſæ domus interiùs ſacellum deductum eſt; inde ad templum, confluentibus eò ex triplici Societatis domicilio univerſis noſtris, ſimulque Reverendis admodum Sanctiſſimæ Trinitatis Patribus mutuo amore Societati fœderatis; à quibus ſolemni ritu, nec diſpari mœroris ſignificatione juſtiſſimo viro juſta fuere perſoluta: mox Superiorum, & graviſſimi cujuſque manibus elatus infertur tumulo, etſi vulgari, quem tamen ejus religioſa humilitas, & ſumma erga Deiparam pietas poſtularet, in extrema ſerie tumulorum è regione Virginei altaris, à majoribus ita conſultò ſtatuen-

 tibus

tibus, habita non tam dignitatis, & meritorum, quàm Evangelicæ dimiſſionis ratione; ut in ultimo decumbens loco audire olim poſſit à cœleſti Rege; cujus non minùs ambivit gratiam, quàm terreni obtinuit, *Amice aſcende ſuperiùs*, ac inter plurimos emeritæ virtutis candidatos glorioſiùs eminere. Obſervatum eſt vulgò, ejus funeri defuiſſe plurimos è ſecularibus, qui plurimis, ac maximis beneficiis benefico viro multùm obſtricti, ſibi tam citò defuturi non credebantur. Certè non illi, ſi viveret, novum id, aut mirum videretur; cùm apprime noſſet nimis vetuſtum aulicorum genium, à quibus non ſe, ſed ſua quæri non ſemel edixerit; probèque ſciret pereunte benefactore, ut plurimùm grati animi perire ſolitam ſignificationem; & vel ipſum Solem orientem, utpote tunc magis beneficum ab omnibus adorari, eundem occidentem, ac beneficis in oceano tumulatis radiis, a nemine obſervari.

237 Longè alius Sereniſſimæ Reginæ Regius planè, ac Divinus propè genius; ut enim Deus optimè de ſe meritos poſt mortem indulgentiùs habet, cumulatiùſque remunerat; ita reges, qui proximos illi honores in terris occupant, eorum, qui ſibi, aut reipublicæ, dum vitam agerent, utiles extitere, potiorem habere curam debent. Hujuſmodi quidem beneficentiæ, ut cæterarum regalium virtutum, eximium fuit exemplar Sereniſſima Regina; ad cujus procumbens pedes, exactis mox funeralibus, coram expoſui, quæ mihi regius injunxerat Confeſſarius; de gratulabundo, ac æternùm memori ejus animo; de commendatione miſſionum: ſed in primis Maranonicæ facta mentione. Ad quæ illa intimum præ ſe ferens dolorem: *Poſt Regis* (inquit) *ac Principis maximam utranque jacturam, nulla mihi, Regno, Societative aut major, aut luctuoſior, quàm ex optimi Epiſcopi dolenda certè morte acceſſit; cùm magnis ejus virtutibus, opportunis conſiliis, & fideli opera careamus. Nec dubito qualem ſe debeat immortalis apud Deum gerere, cujus adhuc mortalis inter homines humana majorem expertaſum, & fidem, & ad omnia promptitudinem. Societati, ejusque glorioſis miſſionibus, etſi abſit Epiſcopus, nuſquam abero. Tibi Maranonicæ curam committo; agas litteris, ut ſolebat Epiſcopus, cum P. Antonio Vieyra* (is tunc erat Miſſionis Viſitator) *& quidquid ille ſcribet neceſſarium eſſe ad fidem, & animarum ſalutem promovendam, vel tandem è re Societatis, illico ad me deferas; actutum enim id exequi præcipiam.* Debitas pro magnificis adeo promiſſis, & pro ſingulari collato in me nullis meis meritis beneficio referentem gratias intercipit; ſibique certum eſſe aſſerit pro Epiſcopi anima ſatis multa ſacrificia jubere: poſtea certior factus ſum regiam fidem largiſſimè impleſſe. Mox à me quærit; *quot, qualesque proximiores eſſent Epiſcopi conſanguinei?* Reſpondi: *Trium tantùm exploratam mihi eſſe notitiam, ex iis duos extare illius fratres presbyteros, unumque ex ſorore, fratreve nepotem, omnes ob eximiam probitatem, egregiaſque dotes alias; dignos quidem, quos regia ſua Majeſtatis afflaret munificentia.* Poſt hæc è regio conſpectu receſſi admirabundus, & regiæ generoſitatis, & maternæ planè in regia Majeſtate benevolentiæ. Tunc iis per literas monitis, ut pro agendis Sereniſſimæ Reginæ debitis gratiis optima opportunitate uti ne differrent; impeditis aut valetudine, aut alia urgenti ratione fratribus, venit Ulyſſiponem utriusque è ſorore, fratreve nepos, cui Sereniſſima Regina indulgenter habito maximos honores, maximique habenda contulit, quibus in præſentiarum fruitur, beneficia; longè plura, majoraque univerſis utique collatura, niſi turbatis haud multò poſt rebus aulicis, publica regni adminiſtratione ipſam libenter cedere oportuerit: de qua mutatione cùm à nobis alibi perſtrictim, ab aliis Scriptoribus

Lib.3.§.94.

ex

ex profeſſo hiſtoriam noſtri ævi exequentibus latiùs,& luculentiùs agendum ſit, ad ea, quæ ſunt propria Principis Theodoſii, à quo aliquantisper defleximus, iterum redeamus; ſi fortè damnabilis deflexio dicenda eſt commemoratio virtutum, & memorabilium actionum ejus Confeſſarii, cui tantùm detulit, cuique non ſummam tantùm benevolentiam, ſed exquiſiti amoris adeo explorata pignora impendere non dubitavit. Vereor, ne ſuorum amantiſſimus Princeps, cui cœleſte conſortium alienarum virtutum æſtimationem nihilò minuit, immò in immenſum propè auxit, mihi potiùs vitio tribuat, quòd in delibandis accepti ſſimi ſibi ſui Confeſſarii virtutibus, multis,& maximis præteritis, longè parcior, quàm ipſe vellet, extiterim, quàm quòd in perſtringendis earum nonnullis ſolito longiùs, quàm faſtidioſus aliquis ægrè ferat, plus nimio excurrerim.

238 Abſolveram hocce caput, & de regio Confeſſario finem ſcribendi feceram, cùm in epiſtolam P. Antonii Vieyra incidi, cujus partem hîc non inſerere grande piaculum ducerem. Illum Maranonicæ Miſſionis tunc Viſitatorem admonui de obitu optimi Patris, ac de rebus, quas Miſſioni mittendas ſtatuerat. Cujus hæc fuit flebilis juxta, & judicioſa reſponſio, ex Luſitano in Latium idioma fideliter à me traducta: *Si mors* (inquit) *P. Epiſcopi, Regni, hujus Miſsionis, meaque privata jactura, ſummi doloris aliquale admittit levamen, illud certè accepi ex hac epiſtola V. R; pro qua gratias ago R. V. quàm poſſum maximas; eas jam omnes Deo retulimus, qui talem nobis providit ſucceſſorem illius noſtri maximi Protectoris. Ille cœlum tenet, ut piè credo, probè conſcius innocentiæ ejus vitæ, ac ipſius maximarum virtutum; exinde nobis tam poteſt præſenti eſſe auxilio apud Majeſtatem Divinam, quàm fuit apud humanam. Honores à S. M. in ægrotantem collati fuere conformes tum regalis animi amplitudini, tum magnis Epiſcopi meritis, ex ipſius zelo, fidelitate, ac maximis obſequiis: qui demortuo defecere, ſatis produnt majorem fuiſſe æmulationem, quàm ut morte finiretur. In hac Miſsione pro illius anima ea ſunt ſacrificia oblata, quæ offerri ſolent pro iis, qui vitam in ea vel agunt, vel mortem obeunt: cætera doloris honorifica indicia, quæ in publicum prodire non licuit, in cordibus fuere peracta. Ea, quorum ejus nos affectus hæredes inſtituit, omnino ſunt recepta, & per haſce Chriſtianas diviſa Parochias: effigies S. Franciſci Xaverii ibi collocabitur, ubi poſthuma perpetuò vivat memoria P. Andreæ Ferdinandi eximii hujuſce Miſsionis benefactoris. Non omittam, quin R. V. referam, quàm celeriter hujus magnæ jacturæ meum cor triſtiſsima nuntia præoccuparunt. Extremis proximi Octobris diebus Maranonii me agentem per totos tres dies inſolens, nulla certa de cauſa, oppreſsit triſtitia; quæ me adeo novo, inſolitoque modo afflixit, ut ſtatim aliquot obtulerim ſacrificia ea intentione, quam omniſcius Deus habendam ſciret: & quidem ex illis fuere, quæ pro defunctis offerri ſolent. Id cum familiari quodam conferens ab eo contendi, ut dies illos accuratè obſervaret, enim verò fieri non poſſe, quin alicubi gentium inauſpicatum aliquid eo tempore accideret, vel valde contra Luſitaniam, vel nimiùm adverſus hanc miſsionem, vel tandem multùm contra me ipſum; & quidem totum id fuiſſe poſtea innotuit: illi nempe tres dies vitæ noſtri Epiſcopi ultimi extitere.* Hactenus hic per omnia inſignis vir; cætera, quæ ibi proſequitur, quia ſuperſtitis adhuc amici laudes involvunt, ſilentio duxi involvenda.

CAPUT XX.

De reformanda republica ſeriò agit Princeps Theodoſius; ubi de Macariopoli ab illo condita mentio habetur.

239 COgitatam, ne dum tentatam reipublicæ reformationem ab adoleſcentulo Principe, vix dum quintum ſupra decimum ætatis annum explente, meritò prudens quilibet admirabitur, & ultra fidem credet; at plus ille, cui nec hactenus explorata penitus ſit in multò acerbiore ætate matura ejus prudentia, & excelſæ indolis ad ſumma quæque adſpirantis humano major captus, nec ipſius luculentiſſima ſcripta ſenile prorſus judicium exprimentia innotuerint. Mihi certè utriuſque ſatis conſcio tam mirum id etiam num, ac venerabile, quàm verum eſt; ejus in primis ſcriptis à me producendis, & nuſquam illuſtrioribus citandis teſtimoniis rei memorandæ certam omnino fidem evincentibus. Jam eo ætatis ex frequenti Divinarum rerum, cui per id temporis ſedulò aſſueverat, meditatione, aſſiduaque librorum tum ſpiritualium, tum politicorum lectione, ac tandem ex ſalutaribus recentis Magiſtri Epiſcopi Japponenſis monitis, liquidò agnoverat felicem cujuslibet reipublicæ ſtatum honeſtis incolarum moribus in primis conſtare; illam cum ipſa æternitate durando certaturam, quam valido continentis ænei muri ambitu, & præpotentis exercitus præſidio longè firmiores ſolidæ virtutes undique circummunierint; eandem brevi aut lapſuram, aut penitus ruituram, in qua vitia, profligata morum integritate, demum invaluerint; magna olim imperia, maximaſque monarchias tandiu ſtetiſſe, quandiu bonis artibus, & virtutibus inibi maximè vigentibus, earum firmiſſimis quaſi fulcris innixa ſunt; eadem publicis paulatim vitiis obrepentibus, ac demum liberè prævalentibus, miſerabili demum ruinæ ſuccubuiſſe. Hinc rem Luſitanam divinitus nuper reſtitutam, hæreditario ſibi jure (modò annueret ipſe Deus) obventuram, inexpugnabili virtutum omnium panoplia præmunire; morum corruptelæ, publicisque vitiis è regno exterminatis aſſiduum bellum indicere, ratum, firmumque illius animo ſedit: quò nimirum penitus exhauſta ſcelerum ſentina, opulentis onuſta virtutum mercibus reipublicæ navis placidum, zephyris ſpirantibus, tenere curſum, & ad optatum ſummæ felicitatis portum tutò poſſet appellere.

240 Saluberrimo eo ſuſcepto conſilio, primùm omnium ſibi obſervandas ad unguem leges præſcribere, ac à ſe ipſo conceptam reformationem ordiri conſultiſſimè deliberavit; certus nimirum ex primi cujusque mobilis regulari motu inferiorum ſphærarum ordinatas pendere ſolitas revolutiones; eamque avidiùs hauriendam, diuturnioremque fore morum emendationem, quæ facili à ſummo dilapſu in ſubditorum animos deſcendens altiùs penetravit: & verò non poſſe ſub infirmo, ac nutanti capite ſana, & firma diu ſubſiſtere politici corporis membra; neque à turbido,

bido, & cœnoſo fonte cryſtallinas aquas in fluvios illinc exortos derivari. Quare luculentum compoſuit tractatum, cui titulus *Occupatio regia*, componendis regiis moribus utiliſſimum: in quo quid Regibus, quid Principibus potiſſimùm debeat ante oculos obverſari; quomodo erga Deum, erga ſe ipſos, ac demum erga ſubjectos ſibi populos, & clientes habere ſe oporteat, brevi, dilucidè, prudentiſſimèque definit; mutuatis ex Sacra pagina, ſed præſertim ex Sapientialium librorum locupletiſſimo theſauro ſuæ confirmandæ ſententiæ aptiſſimis teſtimoniis. Hujuſce tractatus initio Latina lingua ſcripti, mox Luſitana vernacula proſequuti fragmentum habeo verè aureum; cujus particulam hîc inſerere, non erit ſtudioſo lectori aut inutile, aut injucundum; ex eo ſolummodo fideliter tranſcribam, quod Latino idiomate ipſe ſcripſit: cur deinde ad Luſitanum ſe converterit, mihi ſatis non conſtat: illud obſervandum, ſub initium in margine hujuſmodi appoſita eſſe verba: *Correctioni ſubjecta Eccleſiæ ſanctæ. M.* Mox ante inſcriptionem hoſce apponit majuſculos characteres J. M. J. ſanctiſſima Jeſu, Mariæ, ac Joſephi nomina procul dubio exprimentia. Deinde titulo præmiſſo ita incipit more Philoſophico.

Regia occupatio.

241 *OMnis finis requirit media conformia ſuæ conſequutioni: ſed gubernare clientes habet finem univerſalem: ergo requirit media univerſalia ad ſui conſequutionem. Major ratione fit manifeſta; quia omnia ſingularia ſunt diverſa inter ſe, & Deo oppoſita; & media ſunt modi coëſſentiales omnibus rebus: ergo unaquæque res requirit media ſibi connaturalia. Minor etiam eſt manifeſta; gubernatio enim clientum, eſt dirigere multitudines creatas ad ſuum Creatorem, qui eſt ſubſtantia univerſalis ſub uno Evangelio, Fide, & Baptiſmo: ergo &c. Conſequentia eſt evidens, requiri ſcilicet in gubernatione media univerſalia; quia debent eſſe de ratione finis. Et eſt regula Iuris, quòd media ſui finis ſequuntur rationem, & ab eo regulantur. L. oratio. ff. de ſponſal. Cravet. conſil. 137. n. 14. Alberic. conſ. 52. n. 7. Surd. conſ. 164. num. 32. Caſſanat. Bimi. Giurba, & alii: ergo cùm gubernatio optimà debeat eſſe juxta Dei propoſitum, & ipſe creaverit homines, ut in eo cognito, amato, & laudato glorificarentur, optima directio huic fini debet adhærere: ergo gubernatio clientum requirit ſcientiam Dei. Probo conſequentiam. Sola ſcientia Dei eſt univerſalis: ergo ſola ſcientia Dei eſt ſufficiens ad gubernationem. Quòd ſola ſcientia Dei eſt univerſalis, de ratione ejus naturæ patet; quia illa ſola habet originem univerſalem, ſcilicet immenſitatem, ſuperioritatem, & æternitatem in Deo: ergo ſola illa eſt ſufficiens dirigere ad Deum: Iſai. 40. num. 3. Parate viam Domino. Ioan. 1. num. 23. Dirigite viam Domini, ſicut dixit Iſaias. Luc. 1. num. 79. Viſitavit nos (id eſt Chriſtus Dominus) oriens ex alto, ad dirigendos pedes noſtros in viam pacis. Ideo dixit ipſa Sapientia Prov. 3. num. 1. Per me Reges regnant; & legum conditores juſta decernunt; per me Principes imperant, & potentes decernunt juſtitiam. Per me, id eſt cum dono ſapientiæ, juxta illud Sap. 7. num. 14: Propter diſciplinæ dona commendati. Per me, id eſt per medium doctrinæ meæ, juxta illud Pſalm. 17. num. 35: Qui docet manus meas ad prælium; & infra, Diſciplina tua ipſa me docebit. Iſai. 2. num. 3. Docebit nos vias ſuas. Vnde de Rege ſapiente dicitur Sap. 6. num. 26. Rex ſapiens ſtabilimen-*

bilimentum populi eſt. Prov. 26. num. 26. Diſſipat impios Rex ſapiens; Et è contrario dicitur Eccleſ. 10. num. 3. Rex inſipiens perdet populum ſuum, & civitates inhabitabuntur per ſenſum potentium. Ergo Principes debent quærere ſapientiam Dei per orationem.

242 Hactenus Princeps Theodoſius exercitationis regiæ initium à Divina Sapientia, qua Rex, aut Gubernator quilibet maximè pollere debet, auſpicatus: deinde Luſitano (ut diximus) idiomate longè, latèque in ipſius ſapientiæ maximis bonis, ſummiſque utilitatibus recenſendis ſpatiatur; eam eſſe virtutum omnium nativum fontem; in quibus reformatæ reipublicæ tota laus ſita eſt; ex ea publicis, privatiſque commodis ſalutaria petenda documenta; feliciſſimum denique ſub ſapiente Rege, infeliciſſimum ſub inſipiente fore cujuslibet reipublicæ ſtatum ex ſacro potiſſimum Inſtrumento confirmat. Utinam immatura ſapientis, & reformati adeo Principis mors ſummam eam Luſitaniæ felicitatem non invideret! Invidenda certè fortunatiſſima illius ſors univerſo foret orbi, de cujus etiam reformatione, non minùs, quàm de Luſitana, cogitabat optimus Princeps; cujus animi amplitudo major fuit, quàm ut anguſtis Luſitaniæ finibus circunſcriberetur. Ideo perfecti Regis, ſive Principis delineata effigie proprio exemplo, quàm calamo, expreſſiùs, animum deinde adjicit novæ condendæ, ſive renovandæ Urbi, quæ totius orbis foret Metropolis, cujus cives ad omnigenæ virtutis à ſe præſcriptas normas conformati, cæteris mortalibus ad bene, beatèque vivendi felicitatem prælucerent. Eam verò Urbem parvo deſignatam libello ex proprio nomine ſub anagrammate appellari voluit *Doſithei Macariopolim*, id eſt, *Theodoſii Civitatem Beatam*; hujuſmodi enim titulum libello præfixit, hac ſubjecta ſententia dedicatoriæ loco: *Nulli dedicaris Libelle; ſingularitatem non patitur, qui communia agit.* Adhibet mox Prologum; quem, quia ſuſcepti à ſe inſtituti rationem explicat, lectori exponere optimum fore judicavi. Sic habet Prologus.

243 *Orbis reformationem propinquam, ſeculumque aureum futurum eſſe, & ſcimus, & quotidie Deum deprecamur, cùm ipſius Regni adventum expoſcimus; Tunc erit ævum felix, atque beatum; tunc Divino Prophetas, Sybillas, atque Poëtas præditos fuiſſe ſpiritu addubitabit nemo. Hoc ego vobis ſeculum prænuntio, typumque do Macariopolim Civitatem; ubi perſonas induetis, queis univerſo terreſtris orbis theatro, ſcenam aurei, & reformati ſeculi peragetis. O felix tempus, quo duræ quercus ſudabunt roſcida mella, enſes convertentur in vomeres; atque in terra fiet Dei voluntas, ſicuti perficitur in cælo! Ne me novitatis arguatis; idem enim eſt reformatio, ac renovatio; quis unquam reformavit, quin innovarit? Nec nimia arrogantia, aut audacia condemnetis me; nam ſyncero tantùm perfectionis, & felicitatis promiſſæ, adventantiſque agor amore; ſat arrogantia injuriam repellunt plura, quæ ab aliis mutuata fateor; ſolùm bonum diſcerno à malo; cætera proprii, & alieni, novitatis, & antiquitatis, uſitati, & obſoleti, cætera (inquam) diſcrimina abſint: hacce finxi norma Macariopolim, nec exiguis neglectis particulis. Reliqua verò accidentia component Principes, quibus id datum eſt: nos enim, & ſtatuenda, & conſervandæ Macariopolis capita miniſtravimus. Tu verò liber Macariopolis, & quiſquis illam probas, tu ne cede malis, ſed contra audentior ito.*

244 Hu-

244 Hujuſce libelli abſolutiſſimum quaſi additamentum alium addidit, quem *Doſithei aureum ſeculum* nuncupavit, cujus cauſam reddit tum in breviſſimo ejuſdem Prologo, tum in extrema ipſius clauſula. In Prologo quidem ita: *Hic expleo, quod Macariopoli deerat; lege, nec inanis lectio; ſed fructum afferat, Macariopolique devovearis, oro;* ſic Prologum, ita opuſculum Macariopoli multò brevius, utriuſque connexo inter ſe argumento, concludit: *Quid ſeculum aureum pracedet, niſi Civitas, & regnum beatum? Id Macariopoli præſtitimus. Cùm igitur per ignotas hominibus vias Macariopolis non poſt longum tempus conſtituenda ſit imaguncula ſeculi aurei, ſuo exemplo, & virtute perſuadebit, attrahet, & quodammodò coget, afflanti Numine, ad reformationem. Non aliud excogitari medium poteſt; nam ſubitam immutationem non patitur orbis, nec Politica docet; id potiùs evertere mundum, quàm convertere foret. Præceſſit lex Moſaica Evangelium, Imago, inquam, Rem; ſic in reformatione præveniet Civitas regnum, regnum imperium, iſtud verò univerſalem Monarchiam: atqui oſtenſa eſt Macariopolis ad bene, beatèque vivendum inſtituta Civitas: ergo præco, & præludium aurei ſeculi erit; quam poſtea oportet minui, ut illud creſcat. Verumtamen mementote, quòd altera erit, quæ vehat, Argo, delectos Heroas. Quomodo ad praxim reducenda, & ſtabilienda Macariopolis ſit? non pando: qui tantùm curioſus quærit, curioſitate immerſus ſiſtat gradum, & undas ſperet; qui ſe probatum Heroem tali reformationi ex animo penitus vovet, perfectionis, & felicitatis tantùm amore, mundi ſtatum, & prædictam reformationem perpendat; etſi voluerit, ab affectibus liber me conſulat, media cogitet, atque exequatur. Conſiderate omnes mundum, & ſeculum infelix, ac plumbeum, quod priùs deſerti deſeritis; & mundum, ac ſeculum beatum, & aureum vos blandè vocans ingredimini. Hicce eſt meorum faſciculus votorum.*

245 Sic ardentiſſimo publicæ reformationis propalato deſiderio ſuam Macariopolim, ac ſeculum aureum, ex omnibus, quæ tentavit, literariis operibus unicè abſolutum, quaſi aurea ſuperimpoſita coronide, abſolvit; cujus quidem aurei, planèque pretioſiſſimi libelli talis, tantaque apud viros doctos, & prudentes, quibus eum legere auſpicatò contigit, fuit, etiamque nunc eſt, veneratio, ut ex iis nonnulli ſingulari prudentia, & eruditione ſuſpiciendi mihi omnino perſuadere contenderint, ut ſimul cum hac Sereniſſimi Principis vita ejus Macariopolim typis committendam curarem: *Hac ratione* (urgebant illi) *ſimultanea Macariopolis editione tua operæ ſedulitate in lucem edita, incredibilis & tuis ſcriptis, & ipſius Principis illuſtribus à te commemoratis actionibus lux, fides, & commendatio certè accedet. Perfectiſſimo nimirum exemplari abſolutiſſimum juxta reſpondebit exemplum; ex altero utrunque mutuam lucem accipiet, viciſſimque reddet: non unicum tantùm, ſed duplex dabis avidis oculis cryſtallinum planè ſpeculum ſe invicem reſpiciens, ac reciprocis radiis illuſtriſſimum. Dum perfecti Principis, ſive Theodoſii effigiem exprimis, quo aptiùs penicillo, quibus elegantiùs coloribus tibi erit utendum, quàm iis, quibus ipſe Theodoſius ſuam expreſſit Macariopolim? Si non ſemel pro concilianda fide factis, dictiſque Theodoſii fidem propè ſuperantibus aliena illuſtrium virorum teſtimonia emendicare ſatagis, cur ea, quæ tibi ultro in ſua Macariopoli ſibi uni propriora, & magis è re nata ipſe tibi offert Theodoſius, non adhibeas? Deſcribis, & verè quidem, Theodoſium ingenio, judicio, ſapientia, omnigenis dotibus, & virtutibus, cæteris Principibus eminentem; in medium proferas unicam Macariopolim genuinam Angelicæ, ac Seraphicæ illius mentis prolem, quæ univerſas eas dotes, & virtutes ejus animo conceptas, indeque obſtetrice ſapientia felici partu in publicam lucem editas tot diſertis linguis longè certiori fide atteſtatur, quot elegantibus characteribus,*

 & apicibus

& apicibus inſignitur. Ni feceris, maximo tuum hocce opus ſplendore, optimos quoſque, ac virtutum candidatos uberi fructu, & præſenti hoc auxilio, univerſum orbem, vitiorum tenebris propè involutum, hoc ſplendidiſſimo luminari, Theodoſium tandem ipſum tot nominibus debita ſibi gloria, non ſine incivilis ingratitudinis turpi nota, certè fraudabis.

246 Expugnatum me propè, fateor, hujuſmodi validiſſimæ rationes reddidere, quas præter alios duo in primis Meneſii germani Fratres D. Ferdinandus Meneſius, & D. Ludovicus Meneſius Comites Eyriceriæ, non minùs Luſitanæ eruditionis, quàm gloriæ lucida ſidera; jamque deſtinaveram eorum & voluptati, & conſultiſſimis monitis, quæ, ut par eſt, demiſsè veneror, obſecundare, cùm ex adverſo neſcio quis mihi Phœbus aurem vellit, & oppoſitis hiſce rationibus admonuit: *Magni quidem ſunt momenti à magnis utique Authoribus tibi objectæ rationes; at majus aliquid de maximi Theodoſii Macariopoli, cæteriſque illius inclytis ſcriptis exiſtimare, ſtatuereque fas eſt. Macariopolis certè (ut de cæteris taceam) non id opus eſt, quod ad alterius cujusvis, quantumvis optimi argumenti, ejuſdemque vitam exponentis finem, ſive calcem apponi debeat, quaſi præcipui operis, à quo vel aliqualem lucem mutuetur; vel cui eam, veluti famulantibus indecorè radiis, ſubminiſtret. Æquum eſt, & optimis quibusque, orbique univerſo id meritò expectanti, tuoque huic operi conciliandæ fidei conſentaneum, ac Theodoſio maximè glorioſum, quòd ejus Macariopolis argentei, vel aurei alicujus præli miniſterio publicam quàmprimùm lucem hauriat, non alienis, ſed propriis, quæ multa, & luculentiſſima ſcripſit, monumentis in unum, idque juſtum, volumen collectis: ut in eo ſimul ſuſpiciat, admireturque orbis, Luſitanum Principem omnium noſtri ævi, & fortaſſis anteacti, paucis admodum exceptis, ſapientiſſimum. Nec refert, cætera Theodoſii opera præter Macariopolim ultimæ illius manus beneficium non ſenſiſſe, immaturoque ipſius obitu interrupta, ſeu potiùs extremo quaſi doloris ſenſu in fragmenta diſrupta ſuperfuiſſe; ut enim auri, gemmarumque minutiſſima fruſtula, ex quibus aptè inter ſe diſpoſitis Moſaicum opus, omnium elegantiſſimum ab eximio artifice conficitur, in maximo habentur pretio, ita Theodoſii pretioſa quæque operum aurea, gemmeaque fragmenta in unum corpus artificei dextra redacta luculentum efficient volumen, eruditis omnibus tum ex ſe ipſis, tum ex tanti Authoris commendatione acceptiſſimum.* Placuit monentis me Apollinis placitum, non mihi tantùm, ſed eximiis illis Viris haud pridem contraria ſuadentibus; qui ſi ut ſapientûm eſſe duxere propriam mutare ſententiam, ſic ad colligenda undequaque Sapientiſſimi Theodoſii opera ſedulam navabunt operam, inventaque correctis amanuenſium erroribus, ſiqui fortè irrepſere, typis committi jubeant, tum de Principe ipſo ſui olim amantiſſimo, tum de univerſis eruditis optimè merebuntur.

247 Interim quoniam univerſam Macariopolim omnium oculis ſubjicere non dum licet; in gratiam ſtudioſi lectoris libet hujus eximii operis laconicum argumentum, non meis quidem verbis, ſed longè limatioribus Authoris Theodoſii Tumuli, de quo in Prologo, explicare: *Ac ne* (inquit) *manſuetiores tantùm, & religioſores diſciplinas tenere videretur, quæ privati magis otii, quàm publici negotii ſunt, animum adjecit ad Politicen, quæ Principe digna ſcientia, & judicio maximè valet, & rationes continet publicas; eam ſummo ſtudio excolendam, ornandamque ſuſcepit: & cùm ſe ad ejus præcepta, doctrinamque conformaſſet, illius imaginem voluit exprimere, ac omnium oculis proponere, ut conſpecta ejuſdem pulchritudine mirabiles in animis amores excitaret. Itaque Platonem, & Tullium imitatus Rempublicam optimè inſtitutam apud ſe formavit; & cujus ideam in animo habebat, illius imagi-*

Prolog. §. 15.

Tumul. Theodoſ. pag. 70.

imaginem foras educere cogitavit, & in literariam tabulam characterum opera transferre: quæ longè tum Platonicam, tum Ciceronianam, quibus, deficiente vera fidei ſole, multa ſe nox infuderat, ſuperavit. Civitatem beatam condere, & ornare placuit, in qua homines cùm tutò, tum honeſtè viverent; quod ipſum eſt, quantùm mortalis conditio fert, beatè vivere. Macariopolim Græco nomine aptè appellavit: nec dubitem, quin ad Civitatem Dei ab Auguſtino, quem ſibi ad doctrinam, virtutemque magiſtrum propoſuerat, reſpexit. Sed aliam Theodoſius tenuit ſcribendi rationem; etenim à primis capit fundamentis, & Architectonices normam ſequutus ædificandi rationem præſcripſit: deinde muniendi, & tuendi ex arcana operoſæ Mathematices arte, præcepta tradidit. Ad militiam quoque proceſſit; tum legibus inſtruxit, muneribus, gradibusque diſtinxit; nec minùs artibus liberalibus, ſcientiiſque ornavit. Sed præcipuè ad fidem Catholicam, religionemque Romanam, illiusque ſalutarem doctrinam, & mores animum ſcribendo intendit: ut videres in eo ſtudium quoddam ardens hæreticos ab Eccleſia deficientes, & refutandi, & erudiendi: id tamen tanta ſubtilitate, ut vix appareat induſtria; tanta ſuavitate, ut capiat animos, quò ab errore in viam comiter, & amicè perducat. Iam verò catholicos, honeſtate propoſita, ad omnem virtutem accendit; Deum colere, ſacra frequentare, legibus parere, præcepta ſervare, in officio eſſe docet: iiſque beatè vivendi rationem, quæ in vera virtute conſiſtit, & ad gloriam ducit ſempiternam, proponit tanto acumine, tanta eloquentia, tanta eruditione, tanta felicitate, ut nihil perfectius deſiderari poſſit. Latinè ſcripſit, ne liber, qui communem contineret doctrinam, & ad univerſæ reipublicæ bonum ſpectaret, patriæ finibus coerceretur. Et quidem mireris in Adoleſcente tam caſtam, puramque dictionem, vim tantam, copiamque orationis, quæ certè majori uſu, exercitationeque indigere videbatur, ſed ille induſtriam ingenii excellentia præcurrebat. Haud tamen paſſus eſt Princeps mandari typis librum, ne gloriæ ſervire putaretur. Extant exemplaria manuſcripta nonnulla, quæ ſtudioſiorum manibus teruntur, & doctis maximè probantur. Sed nec ſic quidem gloriæ detractum; decebat quippe, ut liber, qui theſaurus eſſet, obrueretur, ne omnium oculis pateret. Iure igitur, dum occulitur, in theſaurum tranſit; quem qui reperire velit, rationem excogitet, etſi fortè reperiat, felicem ſe prædicet, & beatum.

248 Multò commendabilior adhuc venit idem liber ex Authoris ætate, qua compoſitus ab eo fuit, decimo quinto non dum expleto anno. Quis non miretur adeo alieno hujuſmodi ferendis fructibus tempore, hunc adeo maturum proveniſſe! Accuratè id obſervavit idem Tumuli conditor in quodam eleganti epigrammate, cujus tantùm dabo principium; quod ſic habet. *Sideream innumeris habitatam regibus urbem- Evocat in terram ex Æthere Theodoſius. Rectricem mundi tranſcribit ab Æthere formam- Quo duce, qua regnum lege beare decet. Quindennis Puer hæc annis non addidit annos- Quinque &c.* Non enim vigeſimum perfecit. Illud non prætermittendum, in ea beata condenda urbe cogitaſſe Theodoſium, de Ulyſſipone in primis reformanda. Quam cùm haud levibus rationum momentis inductus ultimæ, omniumque maximæ orbis monarchiæ caput, & ſperaret, & præſagiret, meritò ex æmulatione cœleſtium morum beatæ Urbis appellatione dignatus eſt, ut ex reformato capite proniùs in cætera membra optabilis reformatio derivaretur. Moveor, quia huic inclytæ Metropoli maximè conveniunt ejus verba, quibus erigendæ Urbis commodum ſitum mox deſignat. *Civitas* (inquit) *debet conſtitui in molliter aſcendenti colle, ita ut tota collis area intra muros contineatur: liberè Ortum, Aquilonemque reſpiciat: exitus faciles commodet ad deducendum exercitum: ſit ab adverſariis acceſſu difficilis; impeditam viam circumſedendi ſuppeditet:*

O4 *inte-*

interiùs optima aqua ſcaturiat: ſit etiam juxta fluvium in oſtio anguſtum, & præruptis ripis, naviumque magnarum capacem, qui poſt quadraginta, vel quinquaginta Italica milliaria ſubeat mare, &c. Non unicum, at ſeptenos veriùs, quàm olim Roma, eminentiores certè colles amplectitur Ulyſſipo; verùm ut ex his omnibus maxima conſurgit Urbs. ita ex univerſis aggregatis mons unus aſſurgere non ineptè dicendus eſt. Id præter alia debent Theodoſio Ulyſſiponenſes, quos ad omne virtutis genus, natura ducente, proclives, inducendæ in orbem reformationi, quam primi omnium libentiſſimè amplecterentur, opportuniſſimos judicavit. *Quam mente formavit* (inquit Author Tumuli Theodoſii) *& ſcriptis vulgavit Civitatem, re ipſa exhibuit Vlyxbonam, ſanctiſſimis moribus, & æquiſſimis legibus inſtitutam omnium felicitatum copia affluentem.*

249 Et quidem à Principis aulicis, & univerſim ab omnibus, qui per id tempus frequenter illum convenire ſoliti, tam avidè ſuſceptum eſt privatæ, publicæque reformationis ſtudium, verbis, & exemplis eodem præeunte, ut Theodoſii palatium, non regiam quidem, ſed Academicam, & religioſam certè Aulam, ubi liberalium artium, & virtutum profeſſio ageretur, veriùs dixeris. Univerſos Ille modò ſeriis, modò urbanis, & vel per ludum, ad Macariopolim alluſione facta, ſermonibus ad novæ urbis tranſmigrationem, & coloniam adhortari; ut à ſe ſtabilitis in ea legibus, optimisque conſuetudinibus uterentur, id eſt, ut ſobriæ, juſtæ, piæ, omnimodèque Chriſtianæ vitæ rationem inſtituerent. Qui monenti Principi ſtudioſè annuerent, (& quis talia incivilis abnueret?) eos ſuos Macariopolitanos appellare, indulgentiſſimèque habere; ſiquis fortè à recto virtutis tramite vel leviter deviaret, illi à Macariopoli exilium minitari: ſub ea denique omnibus plauſibili metaphora, omnes ad bonarum artium, & virtutum proſequutionem inceſſanter inſtigare. Hind pronum erit percipere genuinum ſenſum illius ſententiæ (*Equidem Macariopolitanus non es*) qua Princeps uti-
Hic c. 19. §. 223. tur in epiſtola ad ſuum Confeſſarium à nobis alibi data. Neque verò Luſitanis tantùm, exteris etiam quibusque novæ Civitatis jus concedere, in communionemque admiſſos inter ſuos Macariopolitanos recenſere. Ex iis unus (ut de cæteris ſatis multis taceam) Sereniſſimæ Reginæ Sueciæ Reſidens Dominus Joannes Fridericus Friſſendorfus primum ſuo jure ſibi locum vendicat, ob nimis præcellentes dotes, & egregias virtutes Principi acceptiſſimus, dignusque habitus, qui ſuis Macariopolitanis civibus foret adnumerandus; de quo in ſua elegantiſſima deſcriptione coronationis Sereniſſimæ Reginæ Sueciæ Chriſtinæ ſatis honorificè meminit Luſitanus Tullius R. P. Franciſcus Sancti Auguſtini Macedo in hæc verba: *Illuſtriſſimus D. Ioannes Fridericus Friſſendorff, digniſſimus Regiæ Majeſtatis Suecicæ in aula Luſitana Prolegatus; cui viro paucos ætas noſtra ingenio, judicio, magnanimitate, comitate, facundia pares tulit.* Quod quidem ex eleganti quadam illius latina epiſtola ad ipſum Principem data planiùs innoteſcet; cujus cùm apud me habeam prototypum, eam ex integro hîc transcribere in gratiam eximii viri non erit, ut mihi perſuadeo, lectori pio ingratum. Sic habet maximi certè facienda ea epiſtola.

250 *Sereniſſime, ac celſiſſime Princeps Domine clementiſſime. Poſtero, quàm à Celſitudine Veſtra nuper abieram, recrudeſcentibus morbi reliquiis infeſtatus, domum me recipere coactus ſum. Accedente porro iſta aëris intemperie, publico mihi hactenus abſtinendum fuit. Hinc nimirum factum eſt, ut vadimonium deſeruerim apud C. V. cui me expoſiturum receperam, quæ cum Sua Majeſtate ſuper negotio noſtro interceſſorio egiſſem.*

egiſſem. Poſſum gloriari Majeſtatem Suam, ut eſt ſemper in iis, quæ à Regina mea ad ipſam veniunt, expoſita, atque obvia facilitate, tantùm non victoriam mihi annuiſſe; adeo ut ſperem, ſi C. V. ſuam authoritatem bene procedenti negotio porro accommodaverit; bona fide triumphum nos acturos: atque ego jam ſolemniſſima gratiarum actioni Celſitudini Veſtræ eo nomine exhibendæ me præparo. Interea dum ita domo contineor, temperare mihi non potui; quin etiam nunc quaſi per occupationem iſto debitæ gratitudinis officio quodammodo defungerer. Vicarias igitur partes impeditæ linguæ ſtylus ſuſcepit; & quamvis in febricitanti corpore nihilo ſanior mens, atque ingenium nunc eſſent, piiſſimum tamen ſcribendi conſilium mentis ſimul, calamique ineptitudinem excuſaturum ſpero.

251 *Volui enim in auream Celſitudinis Veſtræ Macariopolim nonnulla commentarier; quod videbam, (ut ille de virtute inquit) admirabiles ſui amores in animis hominum excitaturam, ſi etiam oculis ſubjici, & coram agnoſci poſſet id; quod incluſis pagellis utcunque me præſtitiſſe crediderim. Tum certè putavi pretium operæ me facturum, ſi ita oſtenderem in ſententiam C. V. uſque adeo me pertractum eſſe, & quaſi pedibus iiſſe, ut nec manum abſtinere potuerim, quin ſtatim pulcherrimæ Urbis primum quaſi lapidem ponerem, tanquam magis habitandæ, quàm ſciendæ; bono nimirum omini omnibus, qui in Macariopolis lectionem inciderint, ut non magis lectores, quàm cives futuri credantur. Volui etiam, & vel in primis, per hanc occaſionem orbi cognitum dare, quid de Sereniſſimi Parentis Regis, ac Domini mei virtute, ac flexanimis muſis, quid de Celſitudinis V. ſtudiis tam laude digniſſimis, ut ſingularibus; quid tandem de utriuſque cum Regina mea germaniſſimi amoris fœdere, atque amicitia ſentirem, atque ominarer; & quibus omnino votis proſequerer clementiſſimum illum affectum, quo me Vos magni Principes quotidie immerentem excipitis, & tanquam ferreis catenis endopeditum ita tenetis, ut mihi videar tam invitus ex Luſitania receſſurus, quàm volenti, & cupidiſſimo animo huc intraveram. Quanquam, ut rectiùs loquar, ne poſſim quidem unquam ex Luſitania diſcedere, niſi cùm à me ipſo exiero; quòd illius nempe ſacratiſſimam imaginem, ac dulciſſimas veneres, ubicunque locorum fuero, animo circumlaturus ſum. Poſtremò, Sereniſſime Princeps, Deum precor, ut Regia huic Domui propriam hanc, & perpetuam felicitatem eſſe jubeat; quæ nimirum pridem ambiguum orbem reddidit, Utrùm Regiis Parentibus de iſto Filio, an Filio de iſtis Parentibus magis gratulandum ſit? id quod animitus vovet*

Sereniſſimæ Celſitudinis Veſtræ

Obſequentiſſimus ſervus, atque olim ſubditus Civis Ioannes Fridericus Friſſendorfus die 5 Martii anno 1651.

252 Ex hac luculenta epiſtola ſatis liquet, quanti vir doctus, ac prudens æſtimarit Principis Theodoſii Macariopolim, cujus ſe profiteri Civem non dubitarit; & quàm utilem eam ad publicam, privatamque uniuscujusque reformationem judicarit. In ea meminit elaborati à ſe commentarii, in quo inveſtigando ſedulam, at fruſtraneam, diu operam collocavi, ſperans fore, ut inventum non modicam lucem illuſtri ex ſe operi nobilis ingenii eruditus labor afferret: deſperata verò ejus inventione, in illud tandem longo poſt tempore, dum alia inquiro, incidi; cujus attenta, ſæpeque repetita lectione mirificè recreatus vellem univerſos ejuſdem meæ voluptatis fieri participes: verùm, quominus luculentum viri eruditiſſimi commentarium hîc tranſcriptum darem, obſtitit ipſius longitudo, ex qua noſtrum hoc opus plus nimio excreſceret. Quare ſatis habui indicare, in eo maximè ingenioſum Commentatorem elaborare, ut oſtendat Macariopolim non mo-

dò in ſui Authoris mente fuiſſe conceptam; ſed re ipſa optabili executioni datam; id verò probat ex ipſius Macariopolis contextu. Enim verò in ea beata Civitate monet Theodoſius tres Principes, maximè inter ſe conformes, unica tantùm præditos voluntate rerum fore potituros; nempe Principem poteſtatis, Principem ſapientiæ, ac Principem amoris: dicit verò (licèt propriis abſtineat nominibus) Principem poteſtatis eſſe Sereniſſimum Regem Joannem; Principem ſapientiæ Sereniſſimum Theodoſium; Principem amoris Sereniſſimam Reginam Aloyſiam; individua voluntate omnia, ſingulaque adminiſtrantes. Quibus affinia ſingularis, urbaniſſimique vir ingenii plurima lectu digniſſima digerit, & è re nata ſuis aptè locis diſponit. Mentionem præterea facit germaniſſimi amoris, fœderis, & amicitiæ, quibus Sereniſſima Sueciæ Regina non modò Sereniſſimos Reges noſtros, ſed Principem in primis Theodoſium proſequebatur. Cujus quidem adeo æſtimabilis affectus, quò perpetua in Luſitanis animis extet memoria, nulla unquam vel longinqui temporis oblivioſa ingratitudine obruenda, aliquot ſequenti capitulo ex literis ipſius Principis, quarum habeo exemplaria, proferam; non injucunda, ut ſpero, curioſis lectoribus documenta.

CAPUT XXI.

Sereniſſimæ Sueciæ Reginæ Chriſtinæ ſuam tranſmittit Macariopolim Princeps Theodoſius, & uberioris reformationis rationem auſpicatur.

353 RErum eo temporis in Suecia potiebatur Parenti magno Guſtavo unica ſuperſtes legitima proles Sereniſſima Chriſtina, inclytis majoribus longè major; in omnibus admirabilis planè Virgo; ſupra fæmineum ſexum generoſa Virago; immò Heroina celeberrimis retroactæ antiquitatis Heroibus, non conferenda modò, ſed in plurimis, maximiſque præferenda; ſibi uni æqualis; à cæteris, ſi Principem Theodoſium Luſitanæ Monarchiæ ſceptra olim ſuis auſpiciis moderantem excipias, vix æquabilis. Hæc ab indulgentiſſima natura omnigenis, quæ Principem numeris omnibus abſolutam reddunt, dotibus apprime inſtructa; Regiis inſuper virtutibus, & liberalibus ſcientiis ad ſapientum admirationem exculta, ſuſceptum tenera ætate avitum regnum, paternis triumphis maximè clarum, adeo viriliter geſſit, ut amplioribus auctum terminis, illuſtrioribus, iiſque continentibus cumulatum victoriis, omni denique felicitatem generè florentiſſimum, hoſtibus formidabile, ſociis, & fœderatis amicis perop-tabile, poſteris deinde reliquerit, incredibili ſibi vulgò alludentis, & commilitantis Fortunæ, ſuiſque magnificis conatibus obſecundantis perenni concurſu. Hinc Ducibus Hornio, Bannerio, Torſtenſonio, Urangelio, Coninſmarchio, ac tandem Imperatore Carolo Guſtavo, addito Gabriele de la Gardie, feliciter uſa, victricia per univerſam Germaniam, Daniam, Boemiam, & Bavariam arma circuntulit, fuſis, fugatis, & ad internecionem non ſemel cæſis hoſtilibus exercitibus; captis, dirutis, incenſis eorum munitiſſimis urbibus, & oppidis; integris Provinciis Sueciæ ditionis factis.

ex paneg. Macedo Luſitani.

Sub

Sub Hornio ſtrenuiſſimo, & rei militaris peritiſſimo, ad Norlingam minùs proſperè pugnatum, Vimarienſis Ducis inauſpicato ardore, qui cum hoſte pugnare temerè, intempeſtivèque maluit, quàm Hornio parere. Mox illi ſuffectus felicioribus auſpiciis Bannerius ad Uvitſtochium ad Zuiaviam, ad Hoxterum hoſtem cæcidit, ac funeſtis cladibus affecit. Francofurti habentem comitia Imperatorem imminens jam Urbi Bannerius fortè interciperet, niſi Auſtriacorum inita furtim conſilia, injecta pacis mentione, victoriarum ejus curſum repreſſiſſent. Tunc pacis conditionibus mutuò improbatis, reque infecta demortuum Bannerium excipit Torſtenſonius, qui bellici fulminis inſtar, primo impetu conſternatam Suecica fulguratione Glogoviam, Nanſlaviam, Cordiam, Oppelliam, Olmucium ab Auſtriacæ Aquilæ unguibus arripuit. Hinc ad Uratislaviam progreſſus, effuſo latè ſanguine inundavit. Lipſiæ tandem commiſſis inter ſe copiis, Auſtriacæ profligatæ, fuſus exercitus, cæſi ad ſatietatem hoſtes, ducentæque propè Aquilæ, plures, quàm per aëra quis unquam volantes vidit, interceptæ. Maximæ victoriæ incrementum Friburgum, aliæque urbes, ac tota denique Miſnia Suecicæ ditioni acceſſere.

254 Ad pacis iterum aras accurrentibus Auſtriacis, nec minore, quàm priùs, inconſtantia iteratò ad arma recurrentibus, in Daniam, & Boëmiam hoſtium auxiliares bellum tranſtulit Torſtenſonius; ubi profligatis ad Jancoviam Boëmicis copiis, per ſtratam cadaveribus camporum planitiem ad Imperii viſcera penetravit. Ipſius caput Viennam ſubito primùm terrore, mox preſſa obſidione conturbans, Cæſarem ſtatu ſuo dimovet, ac laureata illuſtribus victoriis vexilla Urangelio decedens tradit. Hic, veluti puderet ſolis Germanicis triumphis Suecicum nomen inclareſcere, de Italicis cogitavit; tranſmiſſiſque Alpium ſupra editas nubes eminentibus cacuminibus, prima belli quaſi procella in Bavariam detonuit; quæ tantæ impar virtuti, pœnitenſque rupti nuper fœderis, oblatis honeſtæ pacis conditionibus, ingruentis belli exitiales clades redemit. Interim Coninſmarchio per Boëmiam ferro, flammiſque ultricibus obvia quæque depopulanti ſic cedere cuncta, ut non hoſtiliter irrumpentem, ſed amicè prætereuntem crederes, niſi armatas acies circunſpiceres, & formidabilem ex militaribus lituis, ac tympanis ſonitum perhorreſceres. Pragam denique victrices copiæ obſedere, facilèque ſemicaptæ Imperatoriæ Urbi, validiſſima facta irruptione, inſedere. Inteſtinis planè motibus quaſſata, & convulſa miſeranda Urbs ad ſupremum exitium trahebatur, Suecicis, Cæſareiſque militibus intra ejuſdem mœnia ſe mutò impellentibus, ac repellentibus; illis pro gloria, & victoriæ appendicibus; his pro aris, & focis obſtinatè utrinque decertantibus. Et jam vel turpis deditio, vel indubia pulcherrimæ Urbis everſio imminebat, Carolo Guſtavo unà cum Gabriele de la Gardie recenti exercitu ad ſuorum promptum auxilium proximè Urbem in tempore adventante, cùm de pace tertiò ſermo habitus, & incredibili animorum utrinque conſentientium alacritate demum exceptus diuturno bello finem attulit, idemque univerſæ Europæ in partes hactenus fluctuanti optabilem tranquillitatem. Sedit tandem firma pax Sereniſſimi Caroli opportuno interventu, Germaniæ honeſtior, Sueciæ glorioſior; eadem Sereniſſimæ Chriſtinæ illuſtrium triumphorum apex; niſi alio longè illuſtriori (de quo infra dicendum) cæteros glorioſiùs coronaret. Hic § 263 & 264.

255 Poſt

255 Poſt magnum Guſtavum (quis crederet?) fuit in Chriſtina, quod venerabunda poſteritas admiraretur; quæ incly ti per omnia Parentis gloriæ inſiſtens, eum partis triumphis æquavit, ſapientiæ laureis, & virtutibus ſuperavit. Haſce per univerſum orbem fama diffitas apud Theodoſium ſingula ſcitu digna curioſè inquirentem Friderico Prolegato, & aliis extollentibus, pluris Ille, quàm cæteras ejuſdem victorias, faciebat; & quidem jure optimo: ex victoriis enim barbari, & Tyranni ſæpe viribus, & militaribus copiis prævalidiores, fucatam nonnunquam gloriam; ex virtutibus, & ſapientia ſoli genuini Principes veram, & legitimam celebritatem adepti ſunt. Ea in paucis noſtri ævi maximè pollentem Sereniſſimam Chriſtinam, miſſa legatione per D. Joſephum Pinto Pereyra ſub initium redditi ſibi Luſitani ſceptri, Sereniſſimus Rex Joannes ad mutuum fœdus, redintegrandaſque veteris inter Suecos, & Luſitanos inviolabilis amicitiæ leges invitaverat: quæ auſpicatò ex utriusque Regni votis, utilique libenter excepta, utiliſſimo deinde commercio, & ſummæ, qua major eſſe nequit, Sereniſſimæ Chriſtinæ felicitati viam vel aperuit, vel munivit. Cum Sereniſſimis noſtris Regibus, ac Principe Theodoſio cæpit Sereniſſima Regina familiaribus epiſtolis, tum de publicis negotiis ad utriusque Regni ſtabilitatem. & incrementum, cum de privatis rebus agere; ultro, citroque miſſis regiis muneribus augeſcentem in dies mutuam benevolentiam provocantibus. In cujus rei incorruptam fidem, cæteris, quæ hîc inſerere non eſt otium, prætermiſſis, quandam Principis Theodoſii ad Sereniſſimam Chriſtinam epiſtolam noſtro aptiorem inſtituto aſſerendo proferre juvat; quæ Latinè ab eo ſcripta, & alterius ejuſdem Sereniſſimæ Reginæ ad eundem continens reſponſum ſic habet.

256 *Theodoſius Dei gratia Princeps Braſiliæ, Dux Brigantinus &c. Sereniſſimæ, ac Potentiſſimæ Principi, Sorori, Conſanguineæ, & Amicæ Fœderatæ, & chariſſimæ Dominæ Chriſtinæ, Suecorum, Gothorum, Vvandalorumque deſignatæ Reginæ, & Principi hereditariæ, magnæ Principi Finlandiæ, Duci Eſthoniæ, & Careliæ, Ingriæque Dominæ, ſalutem, & regii ſtatus augmentum. Sereniſſima, ac potentiſſima Princeps, & Conſanguinea, & Amica noſtra fœderata, & chariſſima. In ipſomet literarum Veſtræ Serenitatis limine recommendationem pactorum, fœderum, conciliationiſque utriusque regni oſtendere, propitio Numini tribuo; & meritò, cùm exploratam velim Veſtræ Serenitati eſſe perpetuam, & ſtudioſam ſedulitatem, quam progreſſui hujus negotii adhibeam, ut felici, utili, & debita perfectione adepta, utrinque ſaluberrima pace fruamur. Cujus rei gratia, & præſertim commendationis V. Serenitatis ergo, opitulari non deſinam Reſidenti ſuo Ioanni Friderico Friſſendorſo in propoſitionibus utriſque noſtrum convenientibus, qui tum quà miniſter V. Serenitatis, tum quà bona præditus indole, omnium gratiam, & meretur, & habet. Veſtra demum Serenitas hanc animi mei proclivitatem, atque promptitudinem in omnibus lubentibus, non ſecus, ac in præſenti re, experietur apud Regem, Dominumque, Parentemque meum, quem ſemper hiſce de rebus perſpectum reddam, quorumque decora ceſſio ambabus æquè intereſſe coronis non ambiguum mihi eſt: hæc mea, communiaque vota ſunt, non tantùm mutua utilitate fulta, verùm præcipuè ob V. Serenitatis tam alacriter quæſitam complacentiam. Deus Serenitatem V. ejusque regium ſtatum felicitet, augeat, & cuſtodiat. Dabantur Vlyſſipone in noſtra regia die vigeſima ſecunda Septembris anni 1649.*

Serenitatis Veſtræ Frater, Conſanguineus, & Fœderatus

Theodoſius Princeps.

257 Hiſce, aliisque hujuſmodi epiſtolis mutua utriuſque inter ſe Principis æſtimatio indies augebatur; quam ſimilis omnino ad omnigenas virtutes conſpiratio non mediocriter, ut ſolet, intendebat. Maximi quidem Sereniſſima Chriſtina Theodoſium faciebat, quem virtutum, & ſcientiarum omnium compendium eſſe à Legato Luſitano, ſimulque à ſuo Prolegato Friderico Ulyſſipone Agente per literas frequenter acceperat. Pluris æſtimabat Theodoſius Sereniſſimam Chriſtinam, quam iiſdem ſibi referentibus, conſtantique fama evulgante, ipſarum virtutum, & ſcientiarum eſſe animatum exemplar planè agnoverat. Quæ ut univerſis aliqua ex parte ſaltem innoteſcant, earum nonnullas veluti per ſumma capita libet hîc delibare, non quidem meis, ſed diſertiſſimis Luſitani prædicti Panegyriſtæ verbis; non annuente modò, ſed è Superis, ut credo, imperante Principe Theodoſio, ut ſuis inclytæ Heroïnæ dotes, & virtutes perquam ſimillimæ adſcribantur.

Ex Paneg. Luſit. Macedo.

258 *Ecquid verò eſt in Te* (inquit ille) *non virile, non forte, non conſtans, non firmitate plenum? non ad majeſtatem, dignitatemque comparatum? Ingenium acre, vehemens; judicium grave, maturum; mens alta, ſublimis; indoles generoſa, excelſa; memoria firma, tenax; animus integer, magnus, invictus; ſpiritus igneus, ardens, heroicus; prudentia exquiſita; conſilium certum; virtus ſumma; conſtantia maxima; ſtudium indefeſſum; ſcientia mira; eruditio incredibilis; genius ad imperium factus. Veſtitus non compoſitus ad pompam, ſed aptus ad majeſtatem; quem gerat ferentis potiùs more, quàm oſtentantis. Convivia lauta, magnifica, ſumptuoſa, & apparatu regifico, quæ ſplendorem deceant, ſed quorum exiguam partem decerpat. Somni horulas rapere ſibi vigiliam credas. Preces ante, & poſt cubitum precariam à Superis quietem faciunt. Immò & ſomnus ipſe magnarum rerum imaginibus fœtus, pars vigiliæ eſt, & ſemen curarum, &c.* Idem paulò poſt de Ipſius inexplebili ſcientiarum aviditate ita proſequitur: *Mutam ſapientiam colit in libris, vocalem in viris doctis, quos perinde habet, ac libros; his aures, illis oculos impendit; ne quis ſenſus à diſcendo ferietur. Libros ocyſſimè legit, ceu jam didiciſſet, quæ legit. Doctos homines audit intenſiſſimè, ceu examinet, quæ audit. Libros pro theſauris habet; immò theſauros libris commutat. Omnis ejus ambitio ſtudioſa eſt; & ſtudium ultra ambitionem: majore cura libros, quàm gemmas inveſtigat. Bibliothecam magnificentiùs, quàm palatium ſtruit; eam frequentat, & celebrat, aula invidente. Erubeſcunt inter libros ſceptra; pudet ſui coronam, cùm videt caput libris altiùs coronari, &c.* Certè niſi de Sereniſſima Chriſtina loquentem Virum eloquentiſſimum prædicerem, meritò ambigeres, de Illane, an de Theodoſio, in quem omnia hæc omnino coincidunt, verba faciat? Tantùm ſibi geminum id Mercuriale aſtrum conſentit! Tantum inſtar utrique ineſt! Pergit verò Sereniſſimæ Reginæ maximè propria prædicare.

259 *Expugnatis urbibus, domitis provinciis, ſubactis regnis, non opes corraſit, non ſpolia legit; librorum intenta foliis glorioſum de cupiditate triumphum egit. Deorum ſimulachra veteres hoſtibus adimebant, ut tutelam eriperent: Chriſtina Auguſta librorum monumenta aufert; nullum acerbius de hoſte ſumptura ſupplicium, quàm ſi imperitiæ tradat. E Pragenſi expugnatione,* (de qua ſupra) *nil pretioſius Cæſaris Bibliotheca recepit, dictitans, ſi qui deerant libri, ad ſe mitterentur; non modò prædam tranſmiſſuram, ſed ſi ea pretium non æquaret librorum, addituram quidquid in regno pretioſum foret: eo quanti faciendi libri declaravit. Itaque ſcientiam Virguncula omnem non modò collegit, ſed etiam conſumpſit. Encyclopediam tam brevi annorum circulo con-*

fecit, nullo præter ſe Magiſtro uſa; ne ab alio diſcens aliena accipere videretur. Innatam ſcientiam putes, niſi ſtudentem videas: ne miraculo tribuas, quòd ſapiens ſit, ſtudium adhibet; eo majori miraculo, quòd extra miraculum ſciat, quod præter apem Divinam ſciri nan poteſt. Hiſtorias legit, ut omnium vitam vivat. Animas magnorum hominum in ſe transfert; ac agendo ſpirat, ut reddat orbi acceptam ab orbe candito vitam. Pythagoram docuit, non tranſmigratione animarum, ſed lectione librorum Palingeneſim fieri. Nec beneficium accipit, reddit. Quæ muta reperit in libris, vocalia efficit exemplis; quæ ſepulta, & obruta ſitu, vocat in lucem factis, conſiliis, virtutibus. Omnium, quæ libris continentur, documentorum hæc Regina compendium. Quidquid in iis præclarum Chriſtina cùm referat, dubites, an ea mutuetur à libris exempla, an ab ea ſint exempla librorum petita? Hoc malis. Nam antequam accederes ad legendum, jam iis ornamentis inſtructa veniebat; atque adeo, etſi legeret, redderet. Nec enim alienis monitis indiget nativa virtus, & propria, non accerſita, & fucata. Occupatiſſima ſemper, & vacans; non totam ſibi ſubducunt negotia; nec mentem cogitationes, curæque exhauriunt; ſuperſunt multa, quæ ſupervolant, & Superis inſeruntur. Minus ſui impendit, cùm agit, plus vacat; agit quippe caduca, vacat æternis, &c. Plurima præterea ejuſdem argumenti, maximèque de Illius prudentiſſimo regimine ſolita elegantia, nec minori veritate ſuperaddit. Hæc indigitaſſe ſit ſatis, ut quàm meritò Sereniſſimam Reginam ſuſpexerit, &, quoties ſe daret occaſio, prædicarit Theodoſius, planum omnibus fiat.

260 Multus quidem is erat in celebrandis ejus triumphis, & felicibus quibuſcunque Suecici Regni Luſitano jam Fœderati eventibus; at plurimus in Sereniſſimæ Chriſtinæ dotibus, & virtutibus commendandis; adeo ut Sereniſſima Catharina Theodoſii Soror, nunc magnæ Britanniæ Regina, per jocum aliquando Illum hiſce verbis interpellarit: *Veſtra Celſitudo nimiùm amat Sereniſſimam Chriſtinam.* Cui Princeps: *Nimiùm, fateor, amo ejus animam.* Id verò ab eadem Sereniſſima Regina mihi plurima olim de chariſſimo ſibi Fratre referente accepi. Et quidem pro anima Sereniſſimæ Chriſtinæ, ipſiusque æterna ſalute incredibili ſolicitudine Theodoſius angebatur. Vehemens Illum dolor cruciabat, quòd à cœlo delapſa Virgo, quæ cœleſtibus planè dotibus excelleret, toto cœlo in veræ Fidei dogmatibus aberraret; & quæ in abditiſſimis occultæ naturæ ſecretis explorandis tam acutè cerneret, in Divinæ gratiæ percipiendis myſteriis adeo miſerè caligaret. Hinc haud inanis Illi ſpes, poſſe facilè reperire aditum Catholicam Romanam veritatem ad illum perſpicaciſſimum intellectum, cui nihil eſſet jucundius, quàm latentem alicubi veritatem ſcrutari, eamque ex tenebris in lucem eruere; modò foret, qui Evangelicam facem, qualicunque data opportunitate, id maximè optanti præferret. Eam verò ardenter cupienti Principi curioſus hujuſce Heroinæ genius obtulit, qua non poſſet aptiorem opperiri. Certior fit ab illius Reſidente Friderico ardentiſſimo Sereniſſimam Reginam affici deſiderio aliquale à Sua Celſitudine conditum opus lectitandi, de cujus eruditione, caſtigatiſſimisque lucubrationibus tam multa ſibi renuntiarit. Gratiſſima Theodoſio id ipſum avidiſſimè optanti regiæ aviditatis cognitio accidit. Regiis primùm omnium explendis votis opportuniſſimam ſuam judicat Macariopolim, in qua Chriſtianæ cujuslibet reipublicæ aptè, utiliterque regendæ optima inſtitutio Regibus, Principibusque quibuslibet exhibetur; ad cujus tandem extremum luculenter diſſeritur de vera Fide, quam ſolam eſſe Catholi-

cam Romanam palam evincit, & quam ſuæ beatæ Urbis cives profiteri deberent, ut propoſitum ſibi æternæ felicitatis finem aſſequi demum valeant. Igitur hac eadem Theſi, cui præ cæteris ex profeſſo inſiſteret, validioribus denuo argumentis corroborata, univerſum opus elegantibus characteribus graphicè delineatum, ſplendido inſuper ornatu conſpicuum ipſi committit Reſidenti Friderico ad Sereniſſimam Reginam quamprimùm tranſmittendum unà cum hac eleganti ad eandem Latina epiſtola, cujus hæc ſunt concepta verba.

261 *Sereniſſimæ, ac Potentiſſimæ Principi, Sorori, Conſanguineæ, & Amicæ Fœderatæ, & chariſſimæ Dominæ Chriſtinæ, Suecorum, Gothorum, Vvandalorumque Reginæ, magnæ Principi Finlandiæ, Duci Eſthoniæ, & Careliæ, Ingriæque Dominæ, Theodoſius Dei gratiâ Princeps Braſiliæ, Dux Brigantinus, &c ſalutem, & Regii ſtatus augmentum. Sereniſſima, ac Potentiſſima Regina, Soror, Conſanguinea, & Amica noſtra Fœderata, & chariſſima. Certior factus ego à Ioanne Friderico Friſſendorſo in hac Aula Veſtræ Serenitatis Reſidente Miniſtro, voluptati Veſtræ Serenitatis mè conſulturum, ſiquem lucubrationum mearum fœtum, etſi informem, tranſmitterem; impigrè tentavi rem, id potiùs volens conſequi, quàm ad maturius tempus ipſum fœtum deducere. Librum igitur mitto, qui majeſtate rei, libertate, novitate, & inæſtimabili orbis utilitate placitum iri non dubito Reginæ ſui juris adoleſcenti, prudentiſſimæque. Hac ego ſpe ne fruſtrer, non ipſum probari deprecor; ſed ſi fortè aliquid inconcinnius Serenitas Veſtra judicaverit, non operis fini, reformationi (inquam) orbis per Macariopolim, quam quiſque prudens, & optare, & ſperare debet; tribuat. Quo quidem exiſtimo, ſub auſpicatiſſimo Veſtræ Serenitatis regimine, ſi non ſeculum aureum, ipſius ſanè archetypum pullulaturum. Deus Serenitatem Veſtram, ejusque Regium ſtatum felicitet, augeat, & cuſtodiat. Dabantur Vlyſſipone in noſtra Regia octava die Februarii anno 1651.*

Serenitatis Veſtræ Frater, Conſanguineus, & Fœderatus

Theodoſius Princeps.

262 Siquis utriuſque epiſtolæ ſtylum inter ſe conferat, id unum in illis fortè diverſum obſervabit; quòd in prima proprium, in hac ſecunda meo judicio aptiùs, quia urbaniùs, Sereniſſimæ Chriſtinæ nomen præponit, de cætero ſui perquam ſimillimus. Duo ſunt præterea obiter, at accuratè hîc adnotanda. Primum jam à nobis ſupra inſinuatum, at hoc loci expreſſis Theodoſii verbis confirmatum; non Illum de ſolius Luſitaniæ, ſed de univerſi orbis reformatione cogitaſſe; ita enim proximè: *Reformationi (inquam) orbis per Macariopolim, quam quiſque prudens, &c.* Verè Catholicus, & univerſalis, maximusque Princeps, qui non minus, quàm univerſi orbis reformationem capaci animo agitaret. Aliud ſummam ejuſdem Scriptoris prudentiam maximè commendat: cùm enim ſibi unicè cordi eſſet, Sereniſſimæ Chriſtinæ regium cor ad Chriſti Domini Catholicam Romanam, unicèque veram fidem per Macariopolim à ſe tranſmiſſam allicere, ne unum quidem verbum ea de re in ſua epiſtola palam adjicit; niſi fortè, reformationis facta mentione, illam tacitè velit innuere, quæ vera, niſi ſub hac vera fide, conſtare nequit. Sciebat à Sereniſſima Regina lectitandum eum librum, in quo id argumentum ex profeſſo validiſſimis rationum momentis confirmaretur, quibus regias Illam daturam manus, perſpicaciſſimi judicii, at in primis Divinæ gra-

tiæ auxiliatrice virtute ſperaret. Supervacaneum igitur, immò periculoſum duxit ſui hujuſce conatus in ſua epiſtola injicere mentionem; certus in occultandis conſiliis magnum ad victoriam ineſſe momentum; quam indubiè perdit, qui eam prodit. Cum hæreſi, hoſte omnium infenſiſſimo, Regiam Sueciæ arcem hactenus inſidente, confligendum erat; ac proinde illius illinc deturbandæ celanda penitus fuere conſilia; ne ante conflictum propalata jam appetenti victoriæ aliqua ratione obſtarent.

263 Tenuit tandem Regias Sereniſſimæ Chriſtinæ manus, Ipſiusque ſidereos planè oculos diu detinuit felix ſorte ſua Macariopolis, longè felicior fortunatiſſima ejuſdem Sereniſſimæ Reginæ, cui non parum contulit, converſione. Illa quidem veritatis adipiſcendæ in paucis ſtudioſiſſima, eòque inſtar Noëmicæ columbæ, perniciſſimo circunquaque volatu per ſectariorum aërea planè dogmata, quæ inundantis diluvii more faciem terræ opplleverant, multùm, diuque pervagata, cùm in illis nihil ſolidum, & ſtabile, ubi requieſceret pes ejus, reperiret; tandem in ipſam Noëmicam Arcam Eccleſiæ Romanæ typum, ex qua veræ ſalutis unica ſibi ſpes affulgere cæpit, ſe recipere deliberavit. Illuc eam Divini Spiritus ſecunda in primis, qua interiùs afflata eſt, aura volentem jam, & volantem impulit; poſt compellantem, & compellentem Deum plurimùm eidem profuit acutiſſimi vis maxima ingenii, quæ diſſipatis Cimmeriis errorum tenebris, veræ Fidei, etſi obſcuræ, clariſſimum Ipſi lumen, efficacibus propalatum argumentis oſtendit. Ad hæc non mediocriter Illam juvarunt Doctorum hominum de rebus fidei eruditi ſermones, qui ex adverſo implicitos difficultatum nodos facillimè diſſolvere. Ad extremum lecta per otium Macariopolis, ubi luculenter de vera fide, evictis hæreticæ inſcitiæ falſis dogmatibus, diſſeritur (id mihi atteſtante Sereniſſima Regina magnæ Britanniæ) maximam divinitus jam illuſtratæ animæ lucem attulit, & ad ſupremam, ſalutaremque deliberationem induxit. Ea demum ſuſcepta, hæreſique prorſus ejurata, Romanæ ſe fidei palam addixit; quam ut liberiùs poſſet profiteri, hæreditarii ſceptri libenti facta ceſſione, ac paternis regnis excedens, Romam tandem omnium, quos noſtra, & fortè ſuperior, vidit ætas, illuſtriori triumpho invecta eſt; plaudente univerſo Chriſtiani orbis ambitu, ac cœlo ipſo pro inventa, quæ ſibi perierat, drachma inſolitùm exultante, vicinaſque beatas animas, & amicas Cœleſtium ſpirituum turmas ad mutua gaudia convocante.

264 Triumphalem ex ſolido argento currum, quo Urbem iniret, Alexander ſeptimus tunc Pontifex maximus jam proximè accedenti dono præmiſit: quæ tamen ea occaſione Angelis, hominibusque jucundiſſimum præbitura ſpectaculum, maluit ut generoſo inſidentem equo, juxta morem patrium, omnium oculis expoſitam, ac de ſe ipſa triumphantem ea die Romanam fidem univerſus orbis eò confluens liberiùs aſpiceret, quàm regiam ejus majeſtatem intra triumphalis currus argenteas laminas liberum aſpectum aliqua ex parte interturbantes ſuſpiceret. Id certò cauſata eſt prudentiſſima Regina apud Sanctiſſimum conquerentem, quòd oblatum ſibi currum minoris feciſſe, illo minimè conſcenſo, videretur. Conſultò prætereo ſatis multa, quæ memorabilem eam converſionem Sereniſſimæ Virginis Chriſtinæ Chriſto Sponſo redditæ, vel præceſſere, vel conſequuta ſunt, à nobilibus Scriptoribus, & jam pro dignitate commemorata, & ex profeſſo commemoranda. Id prætermiſiſſe, quin obſervem, quia proximè promiſeram, abſurdum

dum foret; nempe hunc triumphum de ſeipſa orbi exhibitum, fuiſſe longè auguſtiorem cæteris omnibus, quos de profligatis olim hoſtibus ab Illa ſupra diximus reportatos. Haud pridem Illa de mortalibus devictis hoſtibus victrix, Suecicis ducibus, & militibus adplaudentibus, triumphaverat; nunc eadem de profligato penitus Erebo, & ſubactæ hæreticæ perfidiæ formidandis copiis, unà cum Deo ipſo, ejuſque Divina Fide auxiliantibus, Cœlitibus victricem ad cœlum uſque attollentibus, triumphum egit & ſibi, & Orthodoxæ Eccleſiæ omnium glorioſiſſimum.

265 Jam verò, quanti fecerit eadem Sereniſſima Regina Theodoſii Macariopolim, ſuæ fidei tempeſtivam certè auxiliatricem; quod noſtri eſt maximè inſtituti, non poterit meliùs explicari, ac intelligi, quàm ex luculentiſſimo teſtimonio Patris Antonii a Macedo noſtræ Societatis; qui olim à Sereniſſimo Rege noſtro Joanne Sueciam juſſus Regium Legatum Dominum Joſephum Pinto Pereyra aſſociare, diu apud Stokclomium regiam Urbem coram Sereniſſima Regina Christina, ſtrenuam eidem, ac fidelem navavit operam. Idem haud multò poſt ab eadem Sereniſſima Regina miſſus Romam ad Pontificem maximum Innocentium X, cum eo ſummis Suedici regni de rebus, maximèque ad propriam conſcientiam, & converſionem à ſe jam deliberatam ſpectantibus, ſecretò adhuc acturus, ibi tandem, ea æſtimabili auſpicatiſſimè functus legatione, ſubſtitit, memorabilique Sereniſſimæ Reginæ Urbem ineuntis, & ad Sanctiſſimi pedum oſcula procumbentis, ſceptrum, ac diadema regium demittentis, triumpho interfuit; ibidem Apoſtolici Pœnitentiarii munus per plures annos ſumma cum laude geſſit. Hic in quadam familiari epiſtola Luſitana ad amicum ea de re ſciſcitantem ſic reſpondet hiſce conceptis verbis à me Latinè donatis.

266 *Cùm Stokclomio agerem Sueciæ Urbe regiâ ſub annum 1651, die quadam ſub veſperum unà cum Legato Domino Ioſepho Pinto Pereyra Sereniſſimam adivi Reginam: grata nobis, ac diuturna præſtita colloquendi copia. Hîc nobis oſtendit Sua Majeſtas Latinum libellum inſignibus characteribus manuſcriptum, quem dixit ſibi ex Vlyſſipone miſſum à ſuo Reſidente Ioanne Friderico Friſſendorfo, cui titulus Macariopolis, id eſt Civitas beata, Authore Luſitaniæ Principe D. Theodoſio; licèt Authoris nomen ibi non exprimeretur. Dedicatoriæ loco hujuſmodi verba erant: Nulli dedicaris libelle. Libri argumentum erat quandam formare, componereque Civitatem per omnia perfectam, & beatam, ſitu, munitione, plateis, civibus, religione, ſcientiis, & commercio. Iam Sua Majeſtas librum ex integro perlegerat; eumque mirificè commendavit; ac de Sereniſſimi Principis Theodoſii regiis dotibus magnificè, ac ſingularis æſtimationis præfatione verba fecit. Tunc librum mihi tradidit legendum, Legato explicandum, ſibique deinde reſtituendum. Oſculata pro ſingulari beneficio Regia manu, propriaque repetita domo, regiis mandatis feci ſatis. Elapſis aliquot diebus, commendata reſtitutio à nobis perfecta eſt in quadam gratiſſima collocutione; in qua ſummis iterum laudibus dignata eſt Sua Majeſtas Principem cumulare; juſſo aſſervari libro in ſuo interiori conclavi, ubi ſelectiores eos habebat libros, quibus voluptuoſiùs utebatur. Quando Sua Majeſtas me Romam miſit, exeunte menſe Auguſto anni 1651, præter creditorias, & patentes literas ſatis honorificas, aliaque regia dona mihi collata, tres etiam tradidit epiſtolas, duas ad Sereniſſimum Regem noſtrum, tertiam ad Sereniſſimum Principem; quas per Amburgum iter faciens reliqui Eduardo Nonio à Coſta, ibi Regis Agenti, unà cum libro Guidonis Aretini de rebus muſicis, quem in Sereniſſimæ Reginæ Bibliotheca reperi; tertiorque à me facta Sua Majeſtas avidè illam optari à Sereniſſimo Rege, graphicè*

tranſcriptum, elegantiſſimeque compactum, mihi cum prædictis epiſtolis tranſmitti jubeas Ulyſſipone ... Eum librum ab Eduardo Novo acceptum illac tranſiens Legatus ... deſiderata ſunt; neque de illis quid ... Veſtra Reverendiſſima ſcribere ad Patrem Emmanuelem ..., ut hanc epiſtolam ad eum ... Ex Pœnitentiaria 9 Octobris anni 1660. Antonius a Matedo.

267 Præter Macariopolim, id eſt, Beatam Civitatem, alium quoque libellum ei maximè affinem condidit Princeps, cui titulus *Macariotides*, id eſt, Beatum Regnum, ut ipſemet ibidem interpretatur. Eum verò, quò legentibus eſſet voluptuoſior, fecit ad inſtar Argenidis Joannis Barclai, quo Authore maximè delectabatur, conficta quadam eleganti navigatione cujuſdam Zetonis, id eſt, Quærentis, juxta ejuſdem interpretationem, cujus demum navis poſt varios caſus, & implicita rerum diſcrimina portum tenuit, ex quo ad quæſiti regni beati Metropolim deductus eſt. Uberrimo Idem tum ad privatam, tum ad publicam morum correctionem ex Macariopoli collecto fructu, longè uberiori utique colligendo, ſi conditæ à ſe Urbis diuturnior foret incola, & Gubernator, rationem aliam ejuſdem urgendæ reformationis, ad eum certè finem aſſequendum, & excogitavit, & peregit. Legendis nimirum, vel generalibus totius orbis, vel peculiaribus cujuſque Regni aut Monarchiæ annalibus per illud tempus maximè intentus, animadvertit maximam ſanè ab optimi cujuſlibet Hiſtorici attenta lectione percipi utilitatem ad mores ſive corrigendos, ſive perficiendos, cæteris è ſuo genio æſtimatis. Enim verò, dum quilibet prudens Hiſtoricus ſuis pro virili partibus ritè obeundis incumbit, in commemorandis Gentis alicujus rebus geſtis, vel politicis, vel bellicis, publica nonnunquam, aut privata vitia carpit, quæ validiſſimas alioqui Nationes, & florentiſſimas Monarchias depravatis moribus, quaſi corruptis politici corporis humoribus, invalidas, & infirmas reddidere, ac demum ad ſupremam miſerandi exitii ruinam impulêre. Idem illuſtrium virorum, & fæminarum virtutes paſſim interſerit, eaſque nunc obiter inſinuans, nunc per otium expendens, palam facit tandiu quamlibet floruiſſe rempublicam, & ad ſummum expetitæ felicitatis gradum aſcendiſſe, quandiu per virtutum gradus optimo cuique aſcendenti faciles aditus ad ſumma quæque honorum faſtigia patuere: vel è contra optabilium felicitatum dulcem, ac maturum non poſſe ſperari fructum, ſi virtutum protuberantes flores, aut deficiente beneficiorum, quibus nutriuntur, irrigatione marceſcant, aut ſuperantibus adverſitatum inſurgentium impulſibus, quaſi ad reflantes Auſtros emoriantur. Ex hujuſmodi frequenti lectione propria edoctus experientia, incredibile dictu aſſerebat, quantùm ſtudioſè legentium animi ad virtutum ſpectabilem pulchritudinem allicerentur; quantùm à vitiorum fœdo, ac turpi aſpectu abhorrentes alienarentur.

268 Hac potiſſimùm de cauſa certus jam hiſtoriæ ſcribendæ, Suecicam ſimul, & Gothicam ab eadem natam ſtirpe ſuſcepit; glorioſam utramque gentem, admirandis rerum geſtarum monumentis inclytam; commendandis olim virtutibus celebrem, deteſtandis aliquando vitiis obnoxiam; opportuniſſimum quidem ſuis conatibus argumentum. Illud aggreſſus, ac proſequutus eſt ea contentione, ut brevi cæptum opus à primis reſtituti orbis poſt Noemicum diluvium initiis ad tempora Othonis Saxonici ejus nominis primi Romanorum Imperatoris, exindeque ad Olaum Sueciæ, Gothiæ, Norvergiæ-

vergiæque Regem longè deduxerit. Quod certè opus laconico, at luculento ſtylo concinnatum, elegantibusque tranſcriptum characteribus, nonaginta contentum quaternionibus ſemel, atque iterum voluptuosè à me lectum. Nec verò mihi dubium, quin eum quoque librum penitus abſolutum cogitarit Theodoſius ad Sereniſſimam Reginam Chriſtinam tranſmittere; ut in eo quaſi brevi, at illuſtri ſpeculo majorum illuſtria facinora; prima in Sueciæ Regno Chriſtianæ Fidei jacta fundamenta, plurimorum Martyrum ſanguine irrigata, Sanctiſſimorum Præſulum exemplis, & doctrina exculta, maximo cum omnium Chriſtianarum virtutum proventu, poſſet contemplari ſimul, & (quod caput erat, ejusque votis affinius) æmulari. Hujus verò libri exordium hîc tranſcriptum dare juvat, tum ad conciliandam dictis fidem, tum ad ſtyli Regii Scriptoris commendationem. Sub præfixo titulo ita ſuam hiſtoriam auſpicatur.

Commentaria Suecicæ, & Gothicæ Hiſtoriæ.

Caput primum.

269 *MAgogus Iapheti Noëmi filii filius ex Scythia, tranſmiſſo Venetici maris ſinu, in Gothiam Scandianæ peninſulæ partem navibus vectus, magnaque populi multitudine ſociatus pervenit; eaſque gentes ex nomine ſuo Magogas vocavit. Idem poſteà in Aſſyriam profectus eſt: ejus filii fuere Ceſſe, Tripha, Pharuta, Ammelel, Gelaza, Pdimel, Samanac, Suenno, Getharvel, Cogus, Thor, German, Vbbo; omnes verò poſteri 7266. Suenno Suecorum propagator, & Gethar Gothorum ſunt creati. Thor autem, German, & Vbbo fratrum ſuorum imperium coluere; quo circa non minor eorum auctoritas in ſubjectos populos erat; quàm ſi Reges deſignati fuiſſent. Vbbo, Suennone fratre abſumpto, principatum ſuper Suecos adeptus eſt. Ab hoc Vbbone ante Abrahæ tempora ædificata eſt Vrbs Vpſalia, ſic dicta à principio, quaſi Vbbonis aula, à qua etiam Suecorum Principes Vpſalenſes Reges dici voluerunt. Vbbone apud Vpſaliam defuncto, aliquot anni præterierunt, antequam ei ſuccederet Siggo; qui opportuno loco ex ſuo nomine Siglunam oppidum prope lacum Meler erigendum curavit, ut eſſet idoneum præſidium, quo barbari Eſthones, aut alia Orientales gentes à vaſtando agro Suecico arcerentur. Idem verò Siggo poſtquam ſubjectos ſibi populos prudenter in bello, & pace ad ſexaginta quinque annos gubernaſſet, armisque, & legibus præcipuam operam impendiſſet, apud Vpſaliam exceſſit è vivis. Imperante Suecis Siggone, Ericus in Gothorum Regem eligitur, Magogi ex filio Gogo nepos, abnepósve: qui non modò inſtituendis bonis moribus, verùm etiam patriâ charitate illuſtris evaſit; ſiquidem juſtas, & ſalutares leges conſtituit; & quidquid ad conſervandum Gothicæ reipublicæ ſtatum utile videbatur, ſummo conatu præſtare curavit; cùmque plurimi vitiis Gothicam cœperint commaculare rempublicam, eos in vicinam Daniam, & propiores expulit inſulas; de quo Rege hi circumferuntur verſiculi:*

ERICUS.

270 *Primus in regnis Geticis coronam*
Regiam geſſi, ſubiique Regis
Munus, & mores velut ſereno
Principe dignos.
Horrui, quidquid furor, aut libido
Suaſit; & nulli gravis, aut moleſtus,
Sed probus; vivens timui præeſſe
More Tyranni.
Moribus juſtis populos gubernans
Præfui; nullos pavor innocentes
Terruit; judex procul eſt iniquus
Me Duce pulſus.

Dania Regnum caruit colonis,
Donec illius regionis agros
Gothicas gentes habitare juſſi,
Sed ſine Rege.
Non erant pauci populi rebelles,
Quos metus legum vetuit morari
Gothica in terra, vel habere ſedes
Inter honeſtos.
His ego pulſis procul in remotas
Cimbricas terras, reliquis quietem
Præſtiti firmam; nec erat timenda
Turba nefanda.

Indices illis adhibens, tributo
Subdidi juſto; nec erat poteſtas,
Quâ jugo tali poterat reſiſti
Tempore multo.

Tandem poſtquam, mortuo Erico, optima illa aurei ſeculi tempora nimis celeri curſu præceſſerant, res Suecorum, quæ bono inchoata fuere principio, in deterius delabi cœperunt, ac demum evolutis à diluvio quadringentis annis ad impium idolorum cultum corruerunt. Proinde aperiendum hic ſentio, quibus Numinibus Gothica natio pagana ſuperſtitione ſeducta paruerit, &c. Proſequitur deinde ſingula quæque ſcitu, & memoratu digna utriusque Gentis facta nitido ſtylo perſtringens; habita ſemper morum, & honeſti, quoties opportunitas ſe dat, præcipua ratione; factaque ubique prudenti, & ad reformationem reſpiciente mentione.

271 Verùm Theodoſio (ut non ſemel diximus) univerſi orbis reformationem capaci animo evolventi haud ſatis erat privatis regnis, aut gentibus apta documenta providere; neceſſum fuit pro totius orbis, quàm magna eſt, amplitudine majus aliquod opus movere, quod univerſum orbem maximo circunſcriptum animo ſalutaribus erudiendum monitis complecteretur. Igitur univerſalem ab orbe condito Hiſtoriam ad noſtra tempora (niſi tempus edax rerum, hominumque cæptis ingentibus invidioſum obſtaret) deducendam aggreditur; eo nempe conſilio, ut univerſis innoteſceret, quibus initiis, & incrementis conditus à Deo mundus primò cœperit, mox deinde creverit, ac ad effœtam demum ſenectutem devenerit: at primùm omnium omnibus exploratum eſſet, quibus non ſemel invaleſcentium vitiorum veluti peſtiferis morbis diu mundus ipſe malè habuerit, urgentis fati neceſſitatem propè ſubiturus; niſi maximarum virtutum adhibitis in tempore quaſi præſentiſſimis amuletis, ex imminentis mortis faucibus ereptus ſæpiſſime convaluerit. Auſpicatum opus, & per tria labentium annorum millia currente calamo continuatum, ſicut maximos alios ejuſdem conatus, invida immeriti fortè ipſius mundi bono mors intercepit. De illo cùm alibi expreſſiùs, aptiùsque ſuo loco à nobis dicendum ſit, hîc tantùm id indigitaſſe ſatis eſſe

Lib. 1. 6. 19. & 30.

eſſe judicavi. At ſine ingenti piaculo minimè ſilendum aliud longè operoſius,& ingenioſius certè opus,quod ipſe Theodoſius inexplebilis publicæ promovendæ reformationis Author ſuſcepit. Quale, quantumque id fuerit, quàm aptum idem ad Theodoſii votorum ſummam aſſequendam, non poterit meliùs explicari, quàm ipſius Theodoſii verbis, productis hîc, & libri hujuſce titulo, & proœmio: libenter adjicerem, & quæſtionem unicam proœmialem, & caput primum ejuſdem libri, quæ tantùm potui reperire, ut à primis fundamentis erigendæ molis ſumptuoſa ſtructura conjiceretur; verùm,ne procedentem hujuſce Hiſtoriæ ſeriem plus nimio abrumpam, hîc unicè unici libri titulum, & proœmium ſuperaddam. Sic habet inſcriptio, & proœmium.

De Emendatione

Proœmium

Omnibus,& ſingulis totius mundi Sapientibus, Potentibus, atque Amantibus.

272 *Tibi ſummè Sapienti, Potenti, Amantique eſſentialiter Gehovâ inprimis hoc opus conſecro, quod accepi à tua infinita erga nos beneficentia. Emendatio illi ſoli competit, cui corda patent, cui creatio debetur, cujus denique in manibus omnia poſita ſunt. Quare clementiſsime omnium Pater, tua nos adjuva ſapientia, ut bona, Tibique conſona ſcribamus; infinito amare tuo finitatem noſtrarum voluntatum ſic copules, ut modico tuæ Omnipotentiæ influxu omnes hanc emendationem recipiant ad majorem laudem, & honorem nominis tui, Divinæque Mono-Triadi altiori charitatis gradu conjungantur.*

273 *Vobis deinde clariſsimis terrarum orbis luminibus emendationem ſubmittimus, ut ſerio animo de illa cogitetis;& qui rectè poſſunt, ſapiunt,& amant, iſtam emendationem ſua arte corrigant, à mendiſque (etſi non formalibus) repurgent. Alii verò, qui ex tribus primalitatibus aliquam adepti ſunt, cæteras leni noſtra diſcant doctrina. Quid nanque, quæſo, juvabit poteſtas abſque dirigente ſapientia,& copulante amore? Quid etiam ſapientia ſine colligante amore, & exercente poteſtate? Aut cui proderit amor, ſpoliato eligente ſapientia, & omnia vincente poteſtate? Quid tandem boni afferunt modica poteſtas, exilis ſapientia, & tepidus amor? Certè infallibilem parient deſtructionem; modicè enim potens plura ambit; quid ambitione pejus? Exiliter ſcientem ſapientia inflat; inflationem quid ſequitur? (Ab Æſopi rana quærito) animam emittere crepito; aſsigna pejus. Tepidi quis eſt fructus amoris? Perpetua diffidentia, zelotypia erodens; omnia evomere, atque ab omnibus evomi. Conſideremus igitur, certane ſit deſtructio ambitioſo, inflato, diffidenti, zelotypo, evomenti, & evomito? His ergo motus cauſis hoc opus occipio; cujus methodum, ſi placuerit, omnino incomparabili viro P. M. Thomæ Campanellæ debemus, cujus ingenii ſolertiam æquare velle planè ſtultum eſſet. In aliquibus tamen ab illo diſſentimus; ſectarii enim non ſumus, ipſoſque ſemper oderimus, utpote vilia Magiſtrorum mancipia,& quod ſoli Deo tribuitur, hominibus (& quandoque ineptis) dantes. Hanc igitur accipite emendationem, quæ vobis ſi placuerit, cuſtodite; ſin verò dicetur de vobis: Noluerunt intelligere, ut bene agerent. Valete.*

274 Hîc tamen obſervandum meritò duxi, aliter, etſi non abſimili ſenſu, reperiſſe me hoc idem toti operi præfigendum proœmium ſcriptum; cujus ultimum paragraphum, quod ipſi operi multum lucis afferat, hîc pariter tranſcriptum ſubjicere operæ pretium, ut puto, erit: *Vos autem* (inquit) *clariſſima terrarum orbis lumina, Sapientiæ, Poteſtati, Amori operam dantes precamur, attendatis huic emendationis Libro; veſtra ut cenſoria lima eum repurgetis; aliosque emendet, qui jam correctus eſt. Si quæritis, quid ſcribam? Exemplar aurei ſeculi, hoc eſt, prototypon emendationis repono. Si quibus auxiliis? Duce Deo, ſubjungo. Si cur calamum ſumpſerim? Videbitis, dico, poſtea. Si quomodo? Arcana principia manifeſtando ſapientiæ. Si quando? Anno Virginei partus 1649, quo (ac non paucis abhinc fieri ſolitum eſt annis) tot ſunt Doctores, ut ipſa copia noceat, reſpondeo. Si demum, quis ſcripſerit, deſideratis? Scitote me Ton Doſitheon eſſe. Valete ſemel, atque iterum.* Ad extremum, ne vel Theodoſii minima, ex ſe magna certè, curioſo lectori, omniaque ſciendi cupido invideam, illud hîc adjicere non dubitabo; nimirum poſt obitum Confeſſarii Sereniſſimi Principis reperiſſe me intra ipſius Breviarium parvulam ſchedulam, ipſius Principis ſat mihi notis characteribus ſcriptam, in qua hæc erat unica, & breviſſima ſententia: *Emenda emendationem.* Similem aliam ſchedulam in ejuſdem reperi Breviario, quæ ſimiliter ejuſdem Principis manu ſcripta hujuſmodi verba continebat: *Emendationis emendationem vidi, ſtatimque corrigetur. Nunc hos undecim accipe adhuc à me non recognitos codices, calamoque, ac cæteros cenſorio repurga, & mihi remitte. Vale.* Cujus quidem ſenſum tunc mihi obſcurum, planèque incognitum, facilè poſtea cognovi, cùm in Principis Librum de emendatione incidi, cujus non dubito, quin archetypos codices à ſe non dum ultima donatos manu ad Virum doctiſſimum tranſmiſerit, quò cenſoria lima (ut ipſius utar verbis) illos repurgaret, emendatosque ad ipſum vel remitteret, vel referret. Ea verò ſchedula pro ſacra icuncula Breviario incluſa utebatur Confeſſarius, profeſſus eam, quam de Principis virtutibus, & ſanctimonia conceperat, opinionem; cujus
Lib. 3. §. 74. proinde ſcripta, quaſi reliquias veneraretur. Ex dictis, at non minùs ex alibi dicendis, ſatis liquet, quàm ardenter Luſitaniæ, Sueciæque privatam, neque ſegniùs publicam univerſi orbis reformationem; & animarum ubique terrarum degentium æternam ſalutem Theodoſius affectarit; quam non modò tot luculentis ſcriptis aſſerere, verùm etiam propriæ vitæ, ſi unquam ſibi
Lib. 3. §. 47. 48. & 76. liceret, quæſtuoſa jactura vendicare, concepti, ut ibi recenſendum, voti reus deliberaverat. Ex quo pariter, qualis fuerit noſter Princeps, quantusque, ſi olim Luſitano ſceptro potiretur, futurus eſſet, liquidò conſtat. Id ipſum ex iis, quæ ſequenti capite adjiciemus, haud obſcurè innoteſcet.

CAPUT

CAPUT XXII.

Palatinos Principes Robertum, & Mauritium impenſè fovet, ac protegit Princeps Theodoſius.

275 QUi annus quadrageſimus nonus ſupra milleſimum ſexcenteſimum Luſitaniæ fuit auſpicatiſſimus, tum ex mirabili Principis Theodoſii ſapientia orbis reformationem tunc agitantis, tum ex præclaris aliis rebus geſtis; eundem Angliæ fatalem, & luctuoſum nimia Farfacis, Cromuelisque potentia, &, quæ vulgò ex illa oritur, Tyrannica impotentia reddidere. Ab his collecta ex longo militari, & populari benevolentia, plus nimio ſtabilitis, ac demum abutentibus, per ſummum ſcelus non modò tentatum, ſed perfectum eſt barbarum planè, ac venturis olim ſeculis facinus execrandum. Legitimum nempe ſuum Regem Carolum Stuardum ejus nominis primum, levibus ſub initium, deinde gravioribus in vulgus ſparſis, & apud Parlamentum expoſitis criminationibus, in utriuſque invidiam vocatum, mox ad Scotos publicæ averſionis indicis incrementa capientis vitandæ cauſa profugum, ab iiſdemque ſibi proditum, indigniſſimè habent; eundem indecenti Regiam majeſtatem cuſtodiæ addictum, ſæpeque in jus vocatum, ac de ſe rationem reddere coactum, extrema tandem, eaque iniquiſſima ſententia capitis damnatum in publico theatro (horret calamus ſcribere) obtruncant. Ad primum Thyeſtæi planè portenti nuntium conſternatæ nationes, commotique graviter animis Reges; quorum in primis erat confœderatis mutuò armis illatas Regiæ majeſtati injurias, & perſequi, & inſolentium parricidarum ſanguine abolitas expiare; omninoque præcavere, ne infandum ſcelus inultum ad ſimilem omnium pertimeſcendam perniciem apud infidos ſubditos, gliſcente indies Anglicæ impunitatis præjudiciali exemplo, invaleſceret. At brevi eo adeo juſto ex privatis rationibus evaneſcente dolore, minimèque cohærentibus ad communem vindictam animis in partes diſtractis, conſultius unicuique viſum eſt ſuis potiùs promovendis commodis, quàm alienis removendis damnis, invigilare; longèque futurum fructuoſius ad ſibi vendicandam ſuperſtitis Cromuelis potentiam profuturis obſequiis eniti, quàm periculoſo certè, irrito fortè conatu pro vindicanda extincti Caroli læſa majeſtate, dubiam difficillimi belli aleam experiri. Hinc miſſæ à nonnullis honorariæ Legationes liberam rempublicam Anglicam ſalutantes deteſtandum omnino factum quodammodo approbare. Primi (nec mirum) omnigenæ libertati plaudentes, Hollandi cæteris præivere; ſecundi, quos extremos fuiſſe maximè pudere oporteret. Cæteri, ne ſuis hoſtibus ex Anglorum confœderatione validioribus ſuccumberent, eorum amicitiam qualibet ratione ambire: Univerſi Cromuelem, quem tyrannicè parricidam, ac Angliæ turbatorem haberent, Europæque formidarent everſorem, publicè Protectorem appellare: nullis denique ex tam multis, præter Sereniſſimum noſtrum Regem Joannem, Theodoſio ſuadente, auſis tunc illius formidabili eo temporis potentiæ palam ſe opponere, honeſ-

P. Baſſieres in Floſc. Hiſtor.

honeſtumque utili generoſè præhabere. Id qua potiſſimum ratione, occaſioneque acciderit, quàm potero brevi, verè quidem expediam.

276 Recuperato ſceptro Luſitanico, Sereniſſimus Rex Joannes ſtatim cum Sereniſſimo Carolo primo Angliæ Rege per Legatum D. Antanum ab Almada à ſe miſſum non modò fœdus iniit, ſed veterem inter Anglos, & Luſitanos amicitiam, & quidem arctiſſimam, redintegravit. Hinc ſupremo ejus infortunio, ut par erat, altè indoluit; hinc Sereniſſimum Principem Regni hæredem ejus filium Carolum ſecundum, magnis terra, marique jactatum periculis, præſenti ope, & quibuſcumque potuit ſecretis auxiliis, ad paternum, quo jam fruitur, regnum vendicandum, etſi maximis idem difficillimi belli anguſtiis preſſus, adjuvit. Similia occulta ſubſidia eidem omnium tunc egenti, non dubito, quin alii Principes fortè præſtiterint. In eo cæteris præſtitit Sereniſſimus Rex Joannes, qui pro Carolo ſecundo ſe, ſuaque omnia in ſummum palam diſcrimen offerre non dubitavit. Unica magnanimo Principi apud Scotiam, Hiberniam, Flandriam, & Galliam exulanti, militareſque copias comparanti, ſatis exigua ſupererat undecim navium claſſis, quæ ſub Roberto, ac Mauritio Principibus Palatinis ejus imperio velificabat; in qua reſiduam omnem ſpem maritimam mutandæ in melius adverſæ hactenus fortunæ, amiſſique aliquando recuperandi ſceptri collocarat. Verùm per inhoſpita maria jam diu erranti claſſi nuſquam tutus portus, ubi aut hyemare, aut refici poſſet; à Britannicis oris eam longè arcente Cromuelis ubique jam dominantis pertimeſcenda tyrannide, cæteris Europæ Regibus indubium ejuſdem ſubire odium, & Anglico bello, recepta Regia claſſe, denuo implicari, plus æquo exhorreſcentibus. Nonnulli eorum eam claſſem intra ſuos portus admiſere; at ea inviolabili conditione, ut aquatione, proviſioneque rerum, quarum penuria laborarent, brevi admodum facta, non longiorem, quàm trium duntaxat dierum, moram inibi prorogarent; quaſi diuturnior illic protracta mora metuendum illis à Parlamentariis exitium forer allatura.

277 Igitur pudendam ipſis potiùs, quàm ſibi ab omnibus paſſus repulſam, at reflantis Fortunæ aſſiduis impulſibus infractus Carolus, ad Sereniſſimi Joannis tutelare patrocinium tandem reſpexit. Eum per ſupplices literas enixè rogat: *Ut recentis amicitiæ cum Parente nuper contractæ memor, veteriſque inter antiquos Luſitanos, & Britannos haud immemor ſibi, ſuiſque de Luſitania vindicata optimè meritis, hoc ex ſe maximum, à ſe maximi faciendum perpetuò beneficium conferre dignaretur; juſſa Regia claſſe intra Ulyſſiponenſem portum recipi, aliquandiu ibidem ſubſiſtere; quò laceræ naves reparari, ducum, ac militum ex longa jactatione corpora, & animi poſſent paulisper recreari. Regium eſſe Regum tuendam cauſam ſuſcipere; Tyrannidi obſtare; rebellium ſubditorum inſolentiam comprimere; afflictis, & innocentibus ſubvenire; ſupplices, & auxilium implorantes etiam privatos, ne dum Reges, protegere, omnique ope juvare. Id Suæ Majeſtati apud exteras Nationes tam fore glorioſum, quàm cæteris ignominioſum, Tyranni metu ſibi, & communi Regum cauſæ defuiſſe, læſamque per ſummum ſcelus juſtitiam deſeruiſſe. Non eſſe, cur inſolentis Tyranni potentia prudenti cuilibet ſit pertimeſcenda, cui ſit exploratum fœmineum planè vitium eſſe Tyrannidem, quæ primo ſuo aſpectu, quaſi mulier formoſa supernè incautos, & ficta libertatis ſpecie deceptos, ad ſe allicit; mox in Priſtim, & fœdum monſtrum deſinens, ſuæ turpitudinis horrore univerſos præpoſteri conſilii pudibundos abalienat. Tam Anglorum plures Tyrannici tædere imperii; quod violentum cùm ſit, diuturnum eſſe nequit; nemo*

enim

enim violenta imperia continuit diu: univerſam Scotiam, & Irlandiam ad ſe reſpicere; Anglicam nobilitatem ſibi omnino deferre; Cromuelis ſævitiam exoſam; unica illum populari aura evectum ſuperbire, quæ, ut vulgò concitata, mobilis, & inconſtans eſt, illum ad indubiam ruinam citò impellet. Sibi ad paternum, & avitum imperium brevi attollendo tanti beneficii memoriam ad poſteros Britannicos Reges utique dimanaturam, debita grati animi erga Luſitanos exhibitione perpetuò recolendam. Cætera coram expoſiturum Arnoldum Liſle (Is à magnæ Britanniæ Rege miſſus ejus literas attulerat, Sereniſſimoque Joanni Regi obtulit) *Cui, Conſobrinoque ſuo Principi Roberto ſuæ Regiæ claſſis Archithalaſſo ſummam vellet haberi fidem.*

Hiſce Regiis literis à prædicto Arnoldo Liſleo allatis, & in ſupremo Status concilio coram Sereniſſimo Joanne recitatis, varia, & multiplex fuit ſententiarum in diverſa trahentium concertatio. Primi reliquorum Europæ Regum, ac Principum æmulandum politicum exemplum validioribus apud nos, quàm apud illos, honeſtæ repulſæ cauſis id ſuadentibus cenſuere. Alii ex oppoſito, Regiam claſſem intra Ulyſſiponenſem portum admittendam, Palatinóſque Principes omni humanitatis, & benevolentiæ genere proſequendos judicarunt. Nonnulli media quadam, eaque tutiori via in lubrico, & periculoſæ aleæ pleno negotio, incedendum deliberarunt: excipiendos nimirum perhumaniter, ac magnificè Palatinos Principes, rebusque omnibus, quibus maximè indigerent, munificentiſſimè donandos; dummodo rebus brevi compoſitis, quantocyus ab Ulyſſiponenſi portu iterum ſolverent, ne longior in eo protracta mora, illis, ac nobis foret juxta exitialis. Ea unica ratione poſſe tum Sereniſſimo Carolo fieri ſatis, tum Anglici Parlamenti, quo cum etiam olim fuerat ictum fœdus, aliqua ex parte verendum odium declinari; univerſis Conſiliariis pro ſe minimè contemnenda rationum momenta explicantibus. Re per otium in concilio ſedulò agitata, & audito perhumaniter Arnoldo, maturè demum deliberata, illi reſponſum: *Patere quidem non modò Vlyſſiponenſem, ſed qualemcumque Luſitaniæ portum univerſis magnæ Britanniæ ſive navibus, ſive claſſibus, tum Regiis inprimis, tum Parlamentariis, cum quibus in præſentiarum Luſitani Caſtellano bello undique impliciti ſancitum cum utriſque fœdus rumpere, neque tutò poſſent, neque publicis rebus interim repugnantibus, prudenter deberent. Præterea licere utriſque apud quemlibet Luſitanum, quem inierint, portum vel proprias merces, vel alienas ab hoſtibus captas prædas venundare. Tandem additum Regium promiſſum, ſi fortè in Vlyſſiponenſi portu aliqualem moram Principibus Palatinis trahentibus Parlamentarii ſuperveniant, liberum, ac tutum illis futurum ab eo portu exitum, à quo priùs, quàm Parlamentariis, triduo exire permitteretur.* Accepit gratulabundus Arnoldus tum collatum à Sereniſſimo Rege beneficium, tum oblatas ab eodem æquiſſimas conditiones, quas etiam Princeps Robertus omnium ab Arnoldo certior factus libenter acceptavit; immò Rex ipſe Britannicus poſtea conſcius approbavit, neutralitatis mentione ab aliis etiam amicis Regibus, & Principibus ob cauſas minùs urgentes ſibi oblata nullatenus offenſus; cùm eam interim à Luſitanarum rerum anguſtiis, & impotentia, eòque à civili prudentia ſuaderi prudentiſſimus ipſe animadverteret: maximè cùm paulò poſt ſui unius cauſa neutralitatem eam in apertum bellum cum Parlamentariis ipſis erupiſſe videret. His ultro datis, acceptiſque conditionibus, Principe interea Theodoſio pro Regia dignitate omnimodè, ſi res poſceret, protegenda, pro jure gentium, & honeſto aſſerendo nervoſè, glorioſèque perorante; juſſi à Sereniſſimo Rege ſub initium Decembris ap-

ni.1649 Palatini Principes intra Ulyſſiponenſem portum excipi, ac tutiſſima in ſtatione jactis anchoris ſubſiſtere; injuncta iiſdem cura ſuis rebus, quàm poſſent celerrimè, providendi. Mox è Prætoria cum nobiliſſimis quibuſque deſcendens Princeps Robertus cumulatiſſimas pro ſingulari beneficio gratias Sereniſſimo Regi acturus,illi ſe obſequiosè ſiſtit; indulgentiſſimèque tum in eo primo congreſſu, tum ſæpe aliàs, ab eodem ſemper eſt habitus, novisque ſubinde beneficiis in quaſſatam claſſem, in claſſiarios ipſos liberaliſſimè collatis cumulatus.

279 Interim dum reficiendis navibus, refocillandiſque militibus præcipua ſolicitudo impenditur, ſæpius, & familiarius cum Principe Theodoſio agendi, mutuòque colloquendi nactus eſt quæſitam à ſe occaſionem Princeps Robertus; qui cùm de illius ſapientia, prudentia, cæteriſque Regiis planè dotibus multa, & magnifica olim audiret, ipſo frequenter audito, animadverſiſque diligenter univerſis ejus dictis, & actionibus virtutem, & generoſitatem ſpirantibus, malignam eſſe de Theodoſio famam, quæ per exteras nationes evulgaretur, præ illius inclytis dotibus, & virtutibus non ſemel profeſſus eſt. Perquam familiarem Britannico Principi ſe Princeps Theodoſius ſemper exhibuit, publicis, privatiſque rationibus omnigenæ benevolentiæ ſignificationem exigentibus; at præcipuum Theodoſio ſtudium fuit Roberti animo ſe penitus inſinuare, ut mutua familiaritate ſe indies intendente, conceptum fideliſſimo animo intentum poſſet demum conſequi, traducta ex falſis hæreticis dogmatibus ad veram Orthodoxam fidem magnanimi Principis magno ingenio, & judicio pollentis anima; quam ſi, ut ſperaret, Chriſto lucrifaceret, feliciſſimè cum utroque divinitus actum, ea oblata opportunitate, poſſet voti compos gloriari. Ad hoc ipſum non humaniſſimis tantùm verbis, & familiariſſimis colloquiis, ſed etiam magnificis, cùm occaſio tulit, factis Robertum demereri, ſibique devincire adnixus eſt.

280 His, & ſimilibus veri amoris ſignificationibus penitus ſibi oppigneratum Robertum aggreditur in tempore Theodoſius, ſermonemque de vera Religione injicit; hanc autem eſſe Orthodoxam, in qua unicè ad æternam immortalis animæ ſalutem via, veritas, & vita ſita ſint; cætera eſſe mera delyrantium impoſtorum, totoque cœlo aberrantium figmenta efficacibus, & irrefragabilibus argumentis evincit. Pro ſe tamen, ut erat acris ingenii Princeps Robertus, nonnulla objicit, non quia inermibus adeo armis poſſe Theodoſium cedere, aut evidentis veritatis vim aliqualiter infringi ſperaret; ſed ne tam facilè vinci ſibi foret indecorum, aut incruenta omnino victoria Illi cederet: quam tandem objectis ſibi dubiis nullo negotio disjectis, offuſiſque difficultatum tenebris propalatæ veritatis luce diſſipatis, Theodoſius proclamavit. Ita facilè ſuperato judicii veritati aſſentientis propugnaculo, difficillimum quidem fuit obſtinatè renitentis voluntatis expugnare arcem, rerum terrenarum eductis altè aggeribus, & inſanis vanitatum ſubſtructionibus undique circummunitam. Dederat exploratæ veritati expeditas manus, ſed eidem dare animum cupiditatis, & ambitionis laqueis irretitum renuebat. Viam ad cœlum recta ducentem novit, ei tamen inſiſtere terrenis ſolicitudinibus miſerè ſeductus noluit. Eidem, quàm foret abſurdum, & Principe viro indignum cœlo terram præhabere, palam fecit Theodoſius, meridiana luce clariùs oſtenſa terrenæ gloriæ inanitate, ac cœleſtis ſoliditate; utranque in legitima Chriſti Domini ſtatera expendens, productis ponderoſis

roſis ipſius verbis: *Quid prodeſt homini, ſi mundum univerſum lucretur, animæ verò ſuæ detrimentum patiatur?* Verùm neque iis proficientibus avocando ad cœlum animo terrenis illecebris addicto, ac penitus immerſo, validiſſimo demum argumento ab ipſis humanæ gloriæ, cui tantopere inhiaret, fucatis ſplendoribus mutuato glorioſum Virum pertentat, eumque ſupremis hiſce illuſtrium ſententiarum luminibus illuſtrare contendit.

281 *Neminem* (inquit) *ne dum Serenitatem Veſtram, omnium apprime conſciam, latet, qualis, quantusque fuerit magnæ haud pridem Britanniæ Rex maximus Carolus Stuardus ejus nominis primus, veſtræque Serenitatis Conſanguineus. Illum nativis dotibus, acquiſitisque moralibus virtutibus nulli ſecundum, immenſis opibus, militari, civilique gloria præpotentem, omni tandem (ut verbo dicam) humanarum felicitatum cumulo præfortunatiſſimis quibusque Angliæ Regibus ſuſpiciendum, inauſpicatiſſimus tamen exitus ſorte tulit omnium infeliciſſima. Nulli Regum indulgentior contigit fortuna luctuoſiori terminata infortunio: illud etſi horreſco referens, neque vellem ex deteſtandi ſpectaculi memoria exulceratum dolore animum refricare, juvat tamen occultam manifeſti ſupplicii, non ab hominibus, ſed à Deo vindice inflicti cauſam ſcrutari, ut ea cognita reddat Caroli cognatos, & Conſanguineos ex alieno periculo, & Regia inſcitia ſapientiores. Multiplicem eam fuiſſe plurimæ ab iniquis accuſatoribus illi objectæ criminationes atteſtantur; cæteris prætermiſſis, unius tantùm, utpote majoris momenti, exiſtimo à rerum prudentibus habendam rationem. Ea verò fuit, quòd contra municipales Angliæ leges Catholicos Orthodoxos plus nimio Carolus foveret, iiſdemque multum deferret: id quidem apud infidos hæreticos Regi capitale crimen; apud Deum verò capitalius, eandem Orthodoxam fidem unicè veram à ſe cognitam non ſuſcepiſſe. Et quidem dum olim Princeps adhuc Gallenſis notiſſimis de cauſis Madritti aliquandiu ageret; plenam Orthodoxæ fidei cognitionem hauſit; eam deinde ut amplecteretur, plurimis divinitus, humanitusque monitis inductus eſt; immò à nonnullis probatæ ſanctimoniæ viris, fœminisque deterritus, palam vocanti Deo niſi obſecundaret, ſupremum ſibi, & calamitoſiſſimum capitis periculum ſubeundum. Ille quidem in Regiis, quas ſolicitabat, nuptiis repulſam paſſus repudiatæ à ſe Orthodoxæ religionis cauſa, Britanniæ redditus; eoque Regno poſt Parentis obitum deinde adito fideliſſimos ſibi omnium expertus, tum Irlandos, tum alios Orthodoxos, eos etſi quàm poſſet benignè acciperet, nunquam ad eorum veram Religionem ſuſcipiendam deliberatum animum adjecit: quid mirum igitur, ſi Rex Deo ſe toties compellanti recuſans parere, ſubditos inobedientes, infidosque experiretur? Æquiſſimo Dei judicio factum, ut iniquo ſubditorum judicio ſubjaceret, qui de vera Religione facto à ſe judicio ſubjici noluit. Ei caput licet illegitimè amputatum, qui ſe à legitimo Eccleſiæ Romanæ capite ſibi ſæpius annuente avelli paſſus eſt. Dum Religionis ergo humanam potiùs, quàm Divinam potentiam reformidat, utrique in ſe conſpiranti meritas pœnas dedit. Dum Regni tandem amittendi falſo timore vera poſthabita Religione hallucinatur, Regni ſimul, & vitæ miſerandam facit jacturam. Opportunam (quod magis dolendum) æternæ reparandæ nactus eſt occaſionem, cùm in ipſo imminentis jam ſupplicii articulo rogatus à Prædicante, ut omnibus palam faceret, qualemnam fidem eo temporis profiteretur? Anglicanam à majoribus acceptam, mentis inops reſpondit; læta in propriam animam acerbiori, quàm ab iniquis judicibus in ejus caput fuerat pronuntiata, ſententia. Quàm felix foret, ſi ad eas redactus anguſtias extremum illud momentum, à quo æternitas, veræ fidei publica profeſſione lucri faceret! Hæc & ſimilia Serenitati Veſtræ, quàm mihi, notiora enixè rogo* (concludit Theodoſius) *ſecum ut attentè reputet, neque verò meas tantùm, ſed effuſi Regii ſanguinis, truncati capitis, ac ipſius trunci cadaveris Divinæ Juſtitiæ ſuos admonentium mutas, at eloquen-*

 tiores,

tiores, voces exaudiat, & omnino veridicis audientem ſe præſtet.

282 Poterant quidem ignita hæc verè amantis, veraque ſuadentis Theodoſii verba durum quodlibet adamanta emollire; quibus tamen, etſi apud Deum ardentiſſimi zeli uberrimum fructum, apud Robertum id tantùm aſſequutus eſt, ut urbaniſſimis verbis cumulatiſſimas ſibi redderet gratias, pro eximia ipſius æternæ ſalutis ſolicitudine; ipſique ad extremum fidem daret, de mutanda fide ſedulò, ſerióque per otium ſe deliberaturum; cùm ea res ſummi eſſet momenti, & liberiorem à cæteris curis, quibus in præſentiarum propè obrueretur, animum poſtularet. Ad hæc, ad Ulyſſiponenſes oras adventantis jam Parlamentariæ claſſis primùm incertus rumor, certus deinde nuntius, cæptum de privata ſalute ſermonem diſſipavit, & ad publicæ incolumitati omnimodè proſpiciendum ipſorum Principum, Sereniſſimi Regis, & omnium Ulyſſiponenſium animos repente convertit. Rebus ad Regiæ claſſis refectionem, ac proviſionem neceſſariis lentiùs, quàm par eſſet, comparatis, diuturniorem, quàm mutuò convenerat, moram in Ulyſſiponenſi portu Palatini Principes protraxerant ad vigeſimam diem Martii ſequentis anni 1650; ſive rei maritimæ ſolitis difficultatibus ita exigentibus; ſive Sereniſſimi Regis, Principis Theodoſii, cæterorumque Ulyſſiponenſium erga fœderatos, & familiariſſimos Britannos inſita benevolentia ipſorum animis aureas manicas, & compedes innectente; vel fortè (ut olim apud Campaniam ſtrenuiſſimo Annibali accidit) ſoli, ac cœli Ulyſſiponenſis longè clementiori ubertate ad immorandum ibi diutiùs ex maritima, eaque tædioſa jactatione feſſos claſſiarios invitante; vel capti portu omnium Europæ ampliſſimo, ac tutiſſimo plurimas, & munitiſſimas arces, inſtructiſſimas roſtratas naves, ad præſentiſſimum auxilium adverſus quamlibet hoſtilem irruptionem oſtentante; aut tandem (quod potiùs reor) Deo ita diſponente, ut Luſitanæ virtutis, ſummæque difficillimis adeo temporibus erga Britannos fidelitatis memorabile monumentum apud memores utriuſque glorioſæ Gentis poſteros perennaret; cujus grata, nuſquamque interitura recordatione arctiſſimè colligati animi ad mutua prompti auxilia, univerſo pares orbi, & communibus inexpugnabiles hoſtibus redderentur.

283 Certè Cromuelius privatæ tyrannidi ſub ſpecie publicæ libertatis ſtabiliendæ unicè intentus, certuſque in ea unica Regia claſſe ſuperſtitis Caroli ſpes omnes, & Regii nominis tenues illas quidem, at ſuis conatibus multùm aliquando nocituras, reliquias aſſervari, longè validiorem inſtruit quindecim navium claſſem, quam ſtrenuiſſimi, ſibique addictiſſimi Ducis Blaci commiſſam fidei actutum jubet vela dare, ac Palatinos per diverſa maria palantes, Parlamentique navigia intercipientes perſequi (tres Parlamentarias proximè ceperant, & in Ulyſſiponenſem portum invexerant onerarias) neque ad Britannicas oras regredi, niſi eorum prædatoriis navibus aut captis, aut depreſſis, ultricibusve flammis penitus abſumptis. Dicto citiùs ad exequenda ſuperba Tyranni Cromuelis imperia; inteſtinis inſuper armatus odiis, quàm celerrimè feſtinat Blacus: idem probè conſcius intra Ulyſſiponenſem portum ſub anchoris Regiam claſſem jam diu deliteſcere, illuc expanſis velis, ventis, & fulminis ocyor alis rapidus advolat, eòque appellit vigeſima die Martii anni 1650. Ad primas anguſti, ac pericuſoſi portus fauces, ſuis ad difficillimum tentandum aditum, & cùm imparatis fortè Palatinis ſtrenuè confligendum brevi, at efficaci adhortatione animatis, ad Sereniſſimum Re-

gem

gem literas dat, quibus & portum adeundi, & cum Palatinorum hoſtili claſſe confligendi poteſtatem implorat; mox inexpectato reſponſo, incredibili audacia perobſtantes utrinque arces in ſubeuntes naves aſſidua tormentorum exploſione fulgurantes, demum ad Bethlemicæ turris è longinquo adſpectum incolumis evaſerat: hîc vento paulatim remittente, ac mox omnino deficiente, ne contrario æſtu ad proximas cautes abriperetur, jactis anchoris, firmatis navibus, mittit iterum, qui ad Sereniſſimum Regem ſui appulſus cauſam referat: *Se illuc à Parlamento Anglico, ſimulque à Protectore Cromuele miſſum meritas à rebellibus pyratis pœnas repetitum; ſibi certum eſſe vel cum ipſius vitæ, claſſisque jactura, (ut in mandatis acceperat) liberatæ Patriæ hoſtes delere: proinde vel illos ſibi tradi jubeat, vel imperet, ut actutum è portu ſolvant, vel tandem liberam cum illis intra portum confligendi faciat poteſtatem. Ni è tribus unam impetret, proteſtari ſe Deum vindicem violati à Luſitanis cum Anglico Parlamento icti olim fœderis, quod ratum; ac firmum eſſe è re communi eſſe perpetuò oporteret.* Generoſum à Sereniſſimo Rege nuntius reſponſum retulit: *Gratiſſimum ſibi eſſe vel unius Anglicæ navis, ne dum tantæ claſſis acceſſum; eadem, vel ampliora, ſi fortè indigeret, Parlamentariæ claſſi, quæ nuperrimè Regia libens præſtiterat, libentiſſimè ſe beneficia præſtiturum; cum univerſis Anglis, nullo excepto, fœdus à ſe percuſſum; quod ut illæſum perpetuò duret, nemini eorum ne levem quidem injuriam ab aliquo inferri unquam ſe paſſurum; Deum, quem proteſtarentur æqui, & iniqui æquiſſimum inſpectorem, ſolitum vulgò ſe propitium exhibere non afflictos, & ſupplices opprimentibus, ſed eoſdem protegentibus.*

284 Eo prudenti reſponſo compoſito Parlamentariorum deprimendo tumori, & Palatinorum erigendis animis, ad utroſque ſimul delato; primis rabidæ indignationi mixta deſperatio, ſecundis Regii patrocinii certa ſpes accrevit. Interim Rex maritimis arcibus; & roſtratis aliquot navibus ad quemlibet fortuitum eventum præſidiario milite, ac recenti belli apparatu refici juſſis, ſedulò incumbit huic difficillimæ quæſtioni explicandæ; ſi fortè poſſit implicitum negotium ratione aliqua expedire, ſalva Palatinis Principibus promiſſa fide, præbitaque Parlamentariis congrua ſatisfactione. Re tamen in publico concilio magna judiciorum in diverſa reſpicientium contentione ſæpius agitata, miſſisque frequenter tum ad Palatinos Principes, tum ad Parlamentarios caduceatoribus, qui honeſtas utriſque mutuæ conventionis conditiones referrent; cùm de illis inter adeo diſſentientes animos minimè conveniret, Parlamentariis immedicabili odio Regiæ claſſis deditionem poſtulantibus, Palatinis ex adverſo Principibus Dei, atque hominum datam ſibi fidem inviolabilem implorantibus; ad extremum, quid è re publica, optimumque factu foret in hiſce arctiſſimis rerum anguſtiis, coacto denuo Senatu, ventilari juſſum; ac pro tantæ rei magnitudine, ut poſt maturam recogitationem, ſententiam quisque ſuam in Senatu die poſtera recitandam ſcriptis mandaret. Omnibus palam factum, eò ventum eſſe, ut jam inter duas infenſiſſimas factiones, quæ maximè deceret, neutralitas, quandiu licuit, obſervata ſuſtineri diutiùs nequiret: aut Palatinis Principibus Regias partes tuentibus, aut Parlamentariis Cromuelis imperio obſequentibus eſſe neceſſariò adhærendum. Utrùm eligi oporteret? Id porro debere prudenti à ſingulis æſtimatione, honeſti, utilisque univerſis expenſis rationibus deliberari.

CAPUT XXIII.

Parlamentariæ, Palatinæque controverſiæ à Principe Theodoſio reſolutio, ejuſdemque diſceptationis memorabilis exitus.

285 NUlla certè poſt Luſitaniam liberatam extitit, aut difficilior, aut periculoſior controverſia; in qua decidenda nemini fuit dubium longè ſaniorem, & ſpecioſiorem Palatinorum Principum cauſam eſſe; qui memorabili, æmulandoque poſteris magnanimæ generoſitatis,& inconcuſſæ fidei exemplo legitimi ſui Regis ſceleratiſſimè obtruncati cauſam, à quo proinde nihil ſperare poſſent, ejusque Filium Carolum, etſi Regni hæredem, at maximis interea calamitatibus propè obrutum, extremisque reſtantis Fortunæ inſultibus paſſim obnoxium, adverſus perduelles quidem,& parricidas tunc Parlamentarios, at potentiſſimos alioqui hoſtes, indubio rerum omnium ſuarum, & manifeſto capitis periculo propugnarent. Sed cùm aliunde prudenti cuilibet publicæ incolumitatis potior ratio ſit habenda,neque ob privatum, aut externum alicujus commodum, in evidens periculum eam objiciendam; exinde orta eſt oppoſita judicantium in eo conventu diſſentio, cunctis ad publicam aſſerendam ſalutem annitentibus; ex iis nonnullis in tuenda indemni Regia Palatinorum claſſe illam verſari, aliis in Parlamentariorum declinanda offenſione ſitam eſſe contendentibus. Hi poſtremi hujuſmodi haud levibus rationibus,quas ex eorundem ſcriptis ſententiis accepi, ducebantur.

286 Fœdus à nobis olim ſimplex, abſque mutua colligatione non modò cum Rege Carolo primo,ſed cum ejuſdem Anglico Parlamento ſancitum eſt; illud hactenus cum utroque à Luſitanis adeo intemeratè obſervatum, ut à nullo externorum Principum, Regumque ultra: eſt cur univerſis noſtræ,nec cur nobis alicujus alterius integriori fidelitati ſit invidendum: immò iiſdem Anglis inteſtinis odiis in apertum bellum jam erumpentibus, inter ſe diſſociatis, ipſorumque corpore à Regio capite fœdè avulſo, indiviſi, conſtantesque reſtitimus inter utroſque medii, neque ad Regiam dexteram, neque ad ſiniſtram Parlamentariam declinantes; & Sereniſſimus Rex noſter veluti Jupiter omnis idem: ſiqua Luſitanæ libræ fuit inclinatio, ad Palatinos certè Principes facta eſt, eam humanitate, ac miſericordia exigentibus: à nobis id liberalis hoſpitii beneficium, quod à nullis aliis Regibus, & Principibus ſanguine ſibi, & ſtrictioris impendii vinculis obſtrictioribus, accepere; tempeſtivè iidem à nobiſmet ipſis de imminenti periculo præmoniti propria in illud negligentia, longiori, quàm par erat, apud nos mora facta, incurrere: illo nos, resque noſtras pariter involvi nec optare debent, nec nos eorum fortè optatis annuere; ſapientis eſt alieno periculo ſapere, planè inſipientis alienis periculis, proprio, eoque maximo contempto, ſponte ſe immiſcendo deſipere. Ex duobus malis minus eligendum univerſa politica proclamat prudén-

dentia; cur nos majus eligimus? Inter Scyllam, & Charibdim certè veliſicamus; in hiſce anguſtiis horribilem Cromuelis Charibdim propinquum naufragium minitantem devitare priùs oportet, mox deinde ad Regiæ Scyllæ multò longinquius declinandum opportuna olim occaſio expectanda. Urgent Parlamentarii noſtris undique arcibus circuncluſi, ut vel ſibi, vel Palatinis priùs è noſtro exeundi portu liberam copiam faciamus; quo jure invitos diutiùs juſtæ ſupplicationis injuſta, ut videtur, repulſa continebimus? Inſtant ex adverſo Palatini Principes, ut conceſſo ſibi ad exeundum triplicis promiſſi diei, vel ſaltem æſtus ſpatio, donec iniquo Marte cum Parlamentariis confligendi periculo defungantur, interim eos reluctantes vi, ſi opus fuerit, adhibita retineamus. Quàm præſtaret facili haud pridem exitu abſurdis hiſce conditionibus aditum præcluſiſſe? Certè fidem non fallit, qui promiſſa vel tutò, vel ſine ſummo periculo implere nequit. Multùm intereſt inter Principis, & privati alicujus viri datam à ſe fidem; eam hic etiam cum certo vitæ, cujus eſt dominus, diſcrimine præſtare vel debet, vel poteſt; Princeps nec debet, nec poteſt, cùm publicæ ſalutis cuſtodem, non dominum ſe gerere oporteat, eique, cæteris poſthabitis, ita proſpicere, ut nullius externi damni vitandi cauſa illam evidenti diſcrimini, aut ſupremo exitio temerè objiciat.

287 Quis non videt quale, quantumque ſit nobis periculum ſubeundum, ſi fortè aliqualiter læſa Parlamenti claſſe formidabilem univerſis Europæ Regibus, ac Principibus potentiam, & exitiale odium provocemus? Omnes ea propter ejus amicitiam vel jam obtinent, vel ambiunt; nullus è tam multis, adeoque politicis eſt, qui hactenus palam auſus fuerit Palatinos Principes diu excipere, ne dum pro eorum incolumitate arduum cum Parlamentariis bellum ſuſcipere. Cur inter tot politicas Aquilas adeo perſpicaces una cæcutiat Luſitania, unicæque Arabicæ Phænici velit in eo tantùm aſſimilari, ut explicatis, & ſuccuſſis alis flammam excitet, qua certò conflagrabit, ex propriis cineribus incerta reviviſcendi? Unico, eoque difficillimo Hiſpano bello ſatis impliciti, cui non, niſi Deo palam nobis auxiliante, pares ſumus, cur difficillius aliud Britannicum, nemine cogente, arceſſere non dubitemus? Si adverſus nos Parlamentarii noſtris injuriis laceſſiti, Caſtellanis, quibus nihil erit optabilius, ſocia agmina jungant, & illi maritimis, hi terreſtibus copiis nos ſimul invadant, quî poterimus utriſque obſiſtere? A quibus auxilium implorabimus contra hoſtem, cujus odium omnes reformidant, amicitiam nemo reſpuit? Præſenti nobis erunt auxilio Palatini, qui ſibi vix ſufficiunt, qui præſentes modò imparibus ſuæ claſſis viribus diffidentes, ne cum exigua eorum claſſe manus conſerant, ut nos conſeramus, & eos ex amicis hactenus hoſtes infenſiſſimos faciamus, exorant? Quàm immodici denuo à nobis faciendi ſumptus? Unde illis alendis colligenda pecunia, noſtræ ditionis maria, oras, portus, maritimas arces, naves onerarias eorum claſſibus infeſtantibus, ac nobis inutilia cuncta reddentibus? Mittenda cætera, eaque plurima, & maxima incommoda ex hoc ſpontaneo bello indubiè oritura, utpote omnibus, quì adſunt, ſatis nota.

288 Verùm ex adverſo dicet aliquis; Parlamentarii, proprio Rege Carolo per ſummum ſcelus occiſo, admiſere facinus univerſis mortalibus, & Regibus in primis ex æquo execrabile, ac exitiale; proindeque ab eorum nemine illis deferendum, immò ab omnibus atrox bellum inferendum pro

 vindi-

vindicanda inexpiabili aliter læſæ Majeſtatis communi offenſa. Bene quidem, ſi tam eſſet facile bárbarum, & immane parricidium ulciſci, quàm deteſtari; tum verò, ſi Reges vulgò æquè publicis, ac privatis rationibus ducerentur; cæteris tamen hîc ſilentibus,& proprio utili unicè intentis,impotentem æquum eſt diſſimulare; vel ipſius Omnipotentis Dei exemplo ad nefaria nonnunquam mortalium, immò Parlamentariorum, ſcelera conniventis, & infligendi ſupplicii tarditatem acerbioris pœnæ gravitate ſuo demum tempore compenſantis. Unica tantùm ex oppoſito ratio evidentibus adeò rationibus obſtare poſſet; Sereniſſimi nempe Regis Caroli ſecundi tum præſens, cui animitùs condolemus, tum futura, quam illi auſpicatiſſimam, & optamus, & auguramur, fortuna: & quidem adverſa laborantem niſi omnimodè ſublevemus, ejus adverſariis obſiſtentes, erit cur proſpera elatus animum adjiciat ad præſtitam ſibi gratiam, vel injuriam nobis pro meritis, vel demeritis rependendam. Si Tyranni (dicent nonnulli) Cromuelis injuſtam iram, cur legitimi Regis juſtam offenſionem potiùs formidandam, non cogitamus? Abſit tamen de generoſo Sereniſſimi Caroli animo Sereniſſimo Regi noſtro tot nominibus obſtricto talia cogitare. Utinam avito ſolio, optatæque à nobis non minùs, quàm ab illo, felicitati redditum intueremur! tum demum exploratum illi erit, nec ſibi, nec nobis unquam nos defuiſſe: recolet memori mente repoſita ſibi à Luſitanis, & à nullis aliis præſtita, minimè contemnenda obſequia; quidquid ob rerum noſtrarum ita exigentium anguſtias præſtare non potuimus, id eâ, qua multùm valet, prudentia, vel noſtræ impotentiæ, vel temporum, invitis nobis, talia ſuadentium tribuet iniquitati; cætera boni conſulet; noſtriſque rebus tam aderit perpetuò propitius, quàm illius commodis ſemper nos expertus eſt obſecundantes. Quare miſſo eo vano metu, admiſſoque vero ex Parlamentario furore, confirmandi ſunt ad expeditum exitum Palatini Principes, vel ante, vel poſt Parlamentarios, ut libuerit; intra noſtrum portum, & obſtantes arces indemnes exibunt, Parlamentariis ita ſpondentibus, nobiſque facilè qualemcumque injuriam prohibentibus: poſtea fata viam invenient, audaceſque fortuna, ventus, virtus, & (quod caput eſt) innocentûm protector Deus adjuvabit: claſſis Regia, etſi navibus inferior, at cauſa longè melior, Parlamentariam fortè vel evadet, vel profligabit. At ſi aliquid minùs proſperum (quod Superi avertant) Palatinis Principibus eveniet, præſtat reparabili eos, & incerto damno, quàm nos irrevocabili, & indubio exitio ſubjacere.

289 Hæc, & ejuſmodi alia, quibus ſuperſedeo, validiſſimarum quidem rationum momenta jam propè ad aſſentiendum cæteros, qui aderant, Conſiliarios compellebant: cùm Princeps Theodoſius ſuam, Sereniſſimo Rege annuente, ſententiam recitari juſſit; quam Latino idiomate ab illo propria manu ſcriptam fideliter hîc tranſcriptam damus, licèt Luſitano vernaculo ipſius juſſu à Secretario Status id mihi referente traducta in Senatu eadem fuerit recitata. Sic habet illa.

Politica deliberatio in rebus Principis Ruperti.

290 Principibus Ruperto, & Mauritio hîc detentis, ad Caſcales appulit Parlamentaria claſſis, in eos volens omnibus modis invehi; hoc

hoc verò ne intra portum fieret, propulſata: non conveniunt huc uſque Principes cum Parlamentariis de modo, quo amborum claſſes è portu breviter egredi queant, ad quod explicandum ſequentes appono theſes.

291 Prima. Oportet, ut tam Principes, quàm Parlamentarii breviter ab hoc portu exeant. Probatur primò ſic. Inconveniens eſt cuilibet Regi, ut in ejus portu prælium committatur, quia auctoritatis conſervationi jure Divino, naturali, & gentium repugnat: atqui, ſi diutiùs claſſes & Principum, & Parlamentariorum hîc morentur, periculum eſt, ne intra portum prælium committatur; quia ad hoc forſan adigetur Princeps Rupertus honoris cauſa ex diffidentia; nec difficilè; qui ſuum legitimum publicè occiderunt Regem, alii non præſtabunt fidem: ergo oportet, ut tam Principes, quàm Parlamentarii breviter ab hoc portu exeant. Probatur ſecundò. Inconveniens eſt acceſſum, & egreſſum portus prohiberi, quia ceſſat commercium, regiaque non ſalvatur auctoritas, regali impedito portu: atqui Parlamentariis portum claſſe circunducentibus, Principibusque recluſis, acceſſus, & egreſſus impeditur; quia naves ſaltem militares Regis magnæ Britanniæ, Gallicæ, Suecicæ, &c. ingredi non audebunt, nec Principes liberè exire poſſunt: ergo oportet, ut tam Principes, quàm Parlamentarii breviter ab hoc portu exeant. Hug. Grot. de jure bel. & pac. l. 3.

292 Secunda. Oportet pro nunc totis viribus neutralitatem cum Rege magnæ Britanniæ, & Parlamentariis conſervare. Probatur primò. Noſtrum non eſt publicè de jure ſucceſſionis ſuffragium ferre; quia judices competentes non ſumus, & periculum eſt, ne Rex in judicando admittat fallaciam obſtantem Regiæ intemeratæ veritati; atqui non ſervata neutralitate jus pro una parte ſtare, tacitè ſaltem demonſtramus; quia eò Rex inclinare videtur, ubi jus eſt: ergo oportet pro nunc totis viribus neutralitatem cum Rege magnæ Britanniæ, & Parlamentariis conſervare. Probatur ſecundò. Pax ſemper totis viribus, modò injuſtitia abſit, quærenda eſt, quia eſt donum Dei: *Videas pacem ſuper Iſrael*; conſervat regnum, & ejus quietem; communiterque ab omnibus expetitur; neque alia de cauſa bellum ſuſcipi ſolet, quàm ut tranquilla pax acquiratur; atqui ſervata neutralitate pax cum ambobus litigantibus obtinetur, nempe cum Rege magnæ Britanniæ, & Parlamentariis: ergo oportet, &c. Probatur tertiò. Si cauſam Regis magnæ Britanniæ ſuſcipimus, anguſtiamur ex defectu navium ad commercium neceſſariarum, quæ Parlamentariorum ſunt; ſed defectus navium ad commercium maximè diſconvenit: ergo pro nunc cauſa Regis magnæ Britanniæ non eſt ſuſcipienda. Si cauſam Parlamentariam ſuſcipimus, injuſtam rem defendimus, Regiæ famæ adverſamur, amplectentes ſuo Regi infideles; ipſeque Rex, ut prudenter colligitur, in regnum reſtituetur, nobiſque adverſabitur: atqui à qualibet amplexa cauſa ingentes oriuntur difficultates; ergo oportet pro nunc, &c. Pſ. 127. 6.

293 Tertia. Parlamentarii non diſcedent à noſtra amicitia, niſi ſummis coacti cauſis. Probatur primò. Nos colligati ſumus Gallis, Batavis, & Suecis; atque à Parlamentariis non recedemus, niſi urgentiſſimis cauſis: Parlamentariis infeſtantur Galli, Batavi, Suevi, Dani, & Rex magnæ Britanniæ, noſque tantùm illos nec juvamus, nec offendimus; ergo à fortiori Parlamentarii non diſcedent à noſtra amicitia, niſi ſummis coacti cauſis. Probatur ſecundò. Parlamentarii commercio ſubſiſtunt; quia non ſapientia, non nobilitate, non concordia, ſed armis, quæ commercio fulciuntur: atqui ſi à nobis diſcederent, commercium deperdunt, quia id eſt ei duplex, & per mare

Balthi-

Balthicum jam à Danis & Suevis prohibitum,& nobiſcum,ut ſupponitur, deſtructum: ergo Parlamentarii non diſcedent,&c.

294 Quarta. Nova, inſana, & illegitima Parlamentariorum reſpublica durabilis eſſe nequit. Probatur primò. Reſpublica, ubi datur diverſitas religionis, juris, legum, inſtitutorum, & immunitatum mutatio, inæqualitas mixti ſtatus, diſcordia, violatio publicæ religionis, & anarchia (hoc eſt confuſio Reipublicæ) breviſſimè evertitur; quia periculoſiſſimum eſt circa Dei adorationem diſſidium; Abel propter diſſidium in religione cum Caino interfectus eſt; Germania propter diverſitatem religionis bellis civilibus eſt jactata: leges, inſtituta, &c. ſunt fundamenta Reipublicæ, quibus quaſſatis, corruit corpus; exempla ſint Appius, Rhodii, Megaleſia, Roma mutata, & alia innumera. Mixtum ſtatum conturbat, ſi non ſit eo, quo decet, modo temperatum Imperium: velut concentum turbant diſſonæ quædam voces; ſi, quos non decet, plus velint, & poſſint aliis; ſi nimia ſint, quæ moderata; ſi elata, quæ æqualia eſſe oportebat. Diſcordia res maximæ dilabuntur; quod pluribus exemplis, ſi neceſſum eſſet, demonſtrarem. Firmiſſima eſt reipublicæ columna diſciplina publica, quæ ſi violatur, periculum eſt, ne dirumpantur omnes civilis ſocietatis nervi. Ibi imperantium,& parentium diſcrimen ſublatum eſt, nec rector, nec regimen reperitur: atqui in nova Parlamentariorum republica datur diverſitas religionis; omnis enim, quod lubet, ſequitur; juris, legum, inſtitutorum, & immunitatum mutatio, etenim quidquid regium erat, à Parlamentariis deſtructum eſt; inæqualitas mixti ſtatus, nam Farfax vult ſibi omnia arrogare; Cromuel illius horrendi facinoris etiam ſe jactat authorem, & juramento fidelitatis Regi abrogato, ut ſibi præſtetur, volunt. Diſcordia eſt magna non ſolùm inter adminiſtrantes regimen, & ſubjectos, quos vi compellunt, ſed inter ſemet ipſos. Religio, quæ ſervabatur in Anglia (quamquàm mala publica erat) violatur, & in deterius ruit; nam Epiſcopos eſſe fateri nolunt, & ſimilia iſti: ergo illegitima Parlamentariorum reſpublica, &c. Probatur ſecundò. Ex triſtibus ſtellarum influxibus, qui citiſſimam everſionem ei reipublicæ oſtendunt, ut Aſtrologo conſideranti patet.

Joan. Lu-venius.

Georg. Schoenb. polit. l.7. c.6.

295 Quinta. De jure gentium eſt, ut aliquod tempus concedatur priori inimico è portu exeunti, antequam egrediatur alter. Probatur. Prælium intra portum ne committatur, de jure gentium eſt; quia cavetur ab imperante ibi, ne intra domum ſuam recluſi lædantur: atqui niſi prædictum tempus concedatur, in ipſo ingreſſu, vel regreſſu committitur prælium, & oſtium pro domo reputatur: ergo à pari, de jure gentium eſt, ut aliquod tempus concedatur.

296 Sexta. Ex reſponſo Arnoldo Liſleo dato tenetur ex rigore juſtitiæ Sereniſſimus Portugalliæ Rex totis viribus (quidquid eveniat) ſpatium tridialem Principibus in egreſſu è portu concedere. Probatur. Princeps Rupertus portum non ingrederetur, niſi præſtaretur tridiale repetitum tempus, quia admodum timenda erat experta concluſio: atqui quando alienum factum promittitur, cum ſtrictiori obligatione, quia per eum non ſtetiſſet, quin præſtaretur, tenetur promittens ſervare, utpote perſoluta fide; & nos factum alienum promiſimus, dum diximus Parlamentarios non egreſſuros, niſi poſt triduum: ergo ex reſponſo,&c.

297 Septima. Minimè timendi ſunt Parlamentarii, ſi juſtè procedamus.

Proba-

Probatur. Si fortè offendantur hi Parlamentarii de re à nobis juſtè facta, ipſorum ſuperioribus nuntiabuntur motiva, & rationes juſtificatæ actionis, quas accipient; etenim, ut dictum eſt, niſi ſummis coacti cauſis, à nobis non diſcedent.

298 Octava. Poteſt licitè prohiberi Parlamentariis receſſus ab iſto portu, ſi id urgens convenientia poſtulet, etiamſi illi repugnent promiſſioni tridiali. Probatur. Tenemur ex rigore juſtitiæ Principi Ruperto tridui promiſſionem implere: ergo poſſumus prohibere Parlamentariis receſſum ipſo triduo: ergo etiam cùm illi portum ingrederentur, cognita jam lege, poſſumus licitè illis prohibere receſſum, donec conveniant cum pacto trium dierum.

299 Concluſio. Oportet, ut breviter & Principes, & Parlamentarii ab hoc portu exeant; oportet pro nunc totis viribus ſervare cum Rege magnæ Britanniæ, & Parlamentariis neutralitatem. De jure gentium eſt, ut aliquod tempus concedatur priori inimico è portu exeunti, antequam egrediatur alter: ex reſponſo Lisleo dato tenetur Rex Sereniſſimus Principibus ſatisfacere. Parlamentarii admodum ſuperbi, & elato ſunt animo: ſuperbis magnanimiter, & fortiter eſt reſiſtendum: ergo.

300 Debet dici Parlamentariis convenire utilitati Regni, & communi bono, ut tam ipſi, quàm Principes breviter portum deſerant. Principes admiſſos eſſe juxta veterem cum omnibus Anglis pactam amicitiam; rectène, an perperam factum? Ab ipſis non eſſe judicandum; ſicut & nos de illorum juſtitia, vel injuſtitia ſuffragium non ferimus. Ex gentium jure cuilibet non inſano conſtare, tribuendum eſſe aliquod tempus priori inimico è portu exeunti, antequam egrediatur alter. Regem Sereniſſimum promiſiſſe Principi Ruperto trium dierum intervallum: Regias pollicitationes immobiles eſſe, Regiamque auctoritatem omnibus anteponendam eſſe convenientiis; nec illi aliquid obſtare poſſe: quapropter Principes mox egreſſuros, ipſi verò non niſi ſaltem poſt tres marinos fluxus, nam ita expedire maturè deliberatum eſſe: quod ſi huic rationi credere, adhærereque nolint, exitus eis prohibendus erit, monendumque Parlamentum de ipſorum exceſſu in tam propitium ſibi Regem.

301 Principes emittendi ſunt, priùs facti certiores trium marinorum fluxuum: omnia exequenda, ſicuti Parlamentariis fuerint prædicta, qui niſi ſummis coacti cauſis, qualis iſta non eſt, à noſtra non diſcedent amicitia. Neque ipſi timendi ſunt, ſi, quod juſtum erit, exequamur; breviterque marceſcet nova, & illegitima illorum reſpublica. Neque propterea Caſtellanis ſe colligabunt: ſi enim id illis expedit, quanvis emittamus (ut volunt) Principes, facere non deſiſtent; ſi verò non expedit, hac de cauſa non facient. Inſuper addo Caſtellanos (noſtro, & Balthici maris ſublato) eorum commercio non ſufficere; enim verò (ut alia omittam) Indicas opes non habent, neque noſtræ ſimilem opportunitatem. Oportet prædicta uti ratione.

Appendix.

302 SI Parlamento nos colligamus, idem ambobus exitus erit: eorum (ut dicitur) claſſis unà cum Caſtellana in Gallos invehi parat: quomodo igitur nos, & rebellantes Parlamentarii adverſus Caſtellanos, Gallos,

los, Batavos, Danos, Suevos; & magnæ Britanniæ Regem faciemus profectum? Quot nobis ſunt amici, tot hoſtes ſunt Parlamento. Neque ſic dependendum commercium exiſtimate; nanque, væ, væ nobis, ſi noſtra conſervatio, noſtrumque commercium à Parlamento pendet.

303 Hæc fuit Principis ſententia magno plurium Senatorum plauſu in concilio recitata: ſed cùm nonnulli, qui ad oppoſitam inclinaverant, eidem obfirmatè adhuc adhærerent, eique novis ſubinde argumentis confirmandæ in diverſis ea de re congreſſibus inſiſterent, ſuam quoque Princeps recentibus ſtabilire, objectaque diluere ſumma ope, contentioneque adnixus eſt, in hunc maximè modum. Ex octo politicis concluſionibus à me illatum eſt perſuadendum eſſe Parlamentariis, liberè ut permitterent Palatinos Principes è portu priùs exire, conceſſa illis trium dierum à nobis promiſſa præcedentia. Id verò illis fortè abnuentibus, exitum è portu interdicendum, tum ante, tum poſt Principum exitum; qui erunt de hiſce omnibus præmonendi, quò data ipſis fides conſtare valeat: ſed quia nonnullæ dénuo difficultates obortæ ſunt, quæ fortè aliquos ad mutandam ſententiam, me quidem ad eam efficaciùs corroborandam, ut ſtatuo, induxere: Dico igitur affirmativis rationibus prædictam propoſitionem planè convinci. Prima ſit: æmulandum eſſe à Regibus Deum; ipſo expreſsè ita eos monente; qui cum hominibus, juxta naturæ leges, nullum habeat, quo teneatur, jus, illud tamen ſponte ſua dignatus eſt inſtituere; inſtitutum verò adeo ſanctè, inviolabiliterque obſervat, ut illius tuendi cauſa frequentes idololatrias, hæreſes, immaniaque alia ſcelera, maxima cum propria offenſione ſæpe permittat. Cur igitur non obſervandum erit Regi naturale jus, quod ſibi eſt cum cæteris Principibus, præſertim erga illos, qui ſuo in portu interclusi deprehenduntur? Secunda ratio ita ſe habet. Quando promiſſa conditio talis eſt, ut ea non impleta effectum ſortiri nequeat res promiſſa, tenetur promittens datæ fidei non deeſſe, qua ſuppoſita, ex rigoroſa juſtitia illi ſatisfácere obligatur. Quod quidem militat in præſenti caſu; enim verò niſi Principi Roberto trium dierum conditio promitteretur, noſtrum portum haud iniret: igitur ſub ea conditione portum ingreſſo, in eoque nunc deprehenſo data fides ex juſtitia eſt liberanda.

304 Tertia ratio hujuſmodi eſt. Aliquod medium in re adeo implicita excogitandum eſt; ea verò, quæ aliunde offeruntur, nihil non, præter convenientiam, aut veritatem præ ſe ferunt. Nam Principibus inferre damnum naturali, Regalique fide violata, planè iniquum eſt, at nihilò minus inconveniens, ſequutura exinde Regis magnæ Britanniæ certa offenſione, Galliæ, Sueciæ, Hollandiæque abalienatione: etenim, qui à nobis volent diſſociari, quæſitas, ſpecioſoque prætextu palliatas cauſas, ne dum hanc adeo juſtam, obtendent. Oſtendimus quoſdam Principes æquiſſimæ cauſæ defenſores, cùm eos univerſi Reges Monarchici juris propugnatores venerari deberent. Pœna dignus eſt aliquis pro tuenda juſtitia? Proteget Rex perduelles ſubditos, qui majeſtatis cujuſdam innocenti effuſo ſanguine noxias manus maculavere? Impugnabit Rex quoſdam Principes in ſuum portum admiſſos, qui pro virili Regiæ Majeſtatis cauſam certo vitæ diſcrimine propugnare non dubitant? Quænam ſunt Principis Roberti crimina execrabili adeò pœna vindicanda? Si qua ea forent, talia ſunt Parlamentariorum ſcelera, ut præ iſtis illa maximarum virtutum loco habenda ſint. Reputemus nobiſcum poſſe

quem-

quemlibet juſtæ alicujus cauſæ ſectatorem in ſimile periculum incurrere, qui pro injuſta quamlibet illatam ſibi offenſam reputabit: id verò præſenti eventui adaptandum. Omnium oculi actiones nuper aſſerti Regni attendunt: quale illi de iniquis adeo initiis concipient, proferentque judicium? Reperitur intra noſtrum portum omnium major, quam orbis videt, concertatio; reperitur manifeſtior juſtitia evidentiori ſceleri oppoſita; fidelitas infidelitati, nobilitas vilitati, juſta pietas injuſto rigori, quidam Rex adverſus ſuos clientes perduelles in portu alterius ſibi fœderati Regis; fides Regia oppignerata; communi judicio impium facinus execratum. Regis, Regni, ac Nationis dedecus meritis objicitur injuriis, ſi fortè adeo exceſſivo ſceleri annuat: conſervatio in diſcrimen adducitur; ad cujus confirmationem Illuſtri nobis ſit documento, quod magnæ Britanniæ Regem Carolum primum, cùm ſe ſummis jam laboribus, & infortuniis videret propè obrutum, dixiſſe fertur: *Vnicam nempe optimæ politicæ regulam eſſe juſtitiam, conſcientiæque pacem, quæ cæteris aliis commodis eſſet præhabenda.* Idem tandem aliquando agnovit, palamque profeſſus eſt, ſuæ fatalis ruinæ cauſam extitiſſe aliis adhærere convenientiis; derelicta illa regula tutiori. Quomodò igitur funereo hujuſce Regis exemplo edocti, ejus veſtigiis ad certam perniciem ducentibus inſiſtere properamus? Vitanda nobis ſunt media, quæ ad infelicem adeo exitum deducunt: quod juſtum eſt operari, amplectamur, præſertim commodis ipſis id comitantibus;

305 Alia deinde arbitria, vel retinendi ſimul Principes, & Parlamentarios extra portum; vel removendi Parlamentarios ultra turres, ac tormentorum jactus, poſteaque Principes ad exitum, & exitium cogendi; ſive prioritatem ad exeundum iis permittendi, qui priores illam arripuerint; tandemque Principibus nec tres marinos æſtus concedendi, ac ſimilia juſtitiæ apertè adverſantur; quod altera jam allegatione propalavi; offenſiſque Principibus, Parlamentariis minimè ſatisfacimus. Certè ab uno Rege Catholico juſtitiæ adeo peramanti, alterique Regi fœderato, ali accenſam flammam inter juſtum Regem, & injuſtos clientes, videtur quidem aſtuti potiùs Achitophelis, quàm prudentis Chuſai conſilium, à nobis utique deſerendum abſque periculo ſuſpendii ab illius Authore tentandi. Unum ſupereſt corroborandum à me ſuſceptum, quod quidem juſtitiæ ſuffragatur, pietatem non lædit, promiſſam fidem aſſerit, exequentem Regem, juſtum, pium, fidelem, ac generoſum mirificè commendat. Ex eo tandem præcipuas rationes favendi aliqualiter Parlamentariis video evictas. Prima, dubiam fortè partium juſtitiam objiciens, nullum habet fundamentum: ſiquidem univerſale Concilium Conſtantienſe damnat pro hæretico formali eum, qui aſſeruerit licere alicui ſubdito, vel ſubditis legitimum ſuum Regem occidere, quanvis ab eo tyrannicè habeantur: Rex Carolus primus magnæ Britanniæ Rex erat legitimus, ut ipſi Parlamentarii fatentur, nec tyrannidem unquam exercuit; debet igitur omnis Catholicus Rex hanc ſententiam tanquam de fide amplecti, citra omne periculum errandi. Secunda, competentes nos Judices eſſe hujus cauſæ inficians, non obſtat; ad quemlibet enim Chriſtianum ſpectat pro certo habere, quidquid fides definit. Tertia, quæ defuturum commercium arguit, eſt planè invalida; non enim ex Parlamento noſtra pendet conſervatio: jam aliquandò intermiſſa eſt Angliæ pax cum Luſitania, quæ tamen firma, & invicta ſtetit. Quòd ſi everteretur Parlamentum, nunquid idcirco correret Luſitania? Si res ita ſe habet, non eſt, cur de aliquo cogitemus, brevi utrique petituri. Abſit, ut à rebellibus res Luſitana pendere judicetur:

Concil. Conſt. ſeſſ. 15.

non illos blandè habeamus; in omnibus enim defectus deprehendent, qui vel in Chriſto Domino (quod hactenus hæreticorum nemo) eos excogitarunt. Meminerimus licere nobis à Parlamentariis, utpote à rebellibus, noſtrarumque immunitatum violatoribus, universa hæc intercipere navigia, quibus addita, quæ in Braſilia, India, cæterisque Luſitanæ ditionis portubus numerant, magnum illis ablata detrimentum, nobis addicta æquale afferent incrementum. Cæteris, quæ fortè occurrent, objectionibus libentiſſimè reſpondebo, ut magis veritas illuceſcat; quò plures erunt, eò fortiùs à me propoſita ſententia ſolidabitur. Addo tamen cum Marco Tullio: *Ego malis ſententiis vinci non poſſum, bonis poſſum, & libenter.*

306 Non contentus Princeps tam multis, iiſque validiſſimis, rationibus Palatinorum Principum cauſam propugnandam ſuſcepiſſe; infringendis deinde oppoſitis objectionibus ſtrenuam operam impendit: ejus hac de re ſunt expreſſæ allegationes à me Latinè redditæ. Primis (inquit) quæ mihi opponuntur, objectionibus occurrere ſtatuo, iis primùm hac potiſſimùm ratione in compendium redactis. Prima. Initum à Luſitaniæ, Angliæque Regibus fœdus, ipſius quoque Parlamentum, utpote illius Regni præcipuam partem, involvit. Reſpondeo percuſſum à nobis fœdus cum Rege Carolo, ejuſque legitimis ſucceſſoribus, & ſubditis; quorum neutrum Parlamentarii ſunt iſti: deinde licèt ad Parlamentum quoque ſancitum fœdus ſpectaret, ad legitimum utique, Regique fidele Parlamentum, non ad illegitimum, & rebelle, quo cum nihil nobis commune, ſpectaret.

307 Secunda objectio. Multis nominibus non tenemur ad trium dierum promiſſionem Palatinis Principibus factam. Primò, quia Principes Palatini, antequam Parlamentarii adventarent, præmoniti ſunt, æquum eſſe, ut ſibi opportuno è noſtro portu exitu conſulerent, cùm de illorum adventu certò conſtaret. Secundò, quia ut Parlamentarii cogerentur Regiis ſtare promiſſis, neceſſum eſſet cum illis agere, quod Rex Carolus omnino abnueret. Tertiò, quia jam Parlamentarii non, niſi ultra noſtras turres, extraque tormentorum jactum ſibi cum Palatinis fore confligendum pollicentur. Quartò, quia conceſſa Palatinis exeundi poteſtate, quam illi datis ad Regem literis poſtulant, nulla fit injuria. Quintò, quia non tenemur ad promiſſa facta ſine requiſitis ſolemnitatibus, quæ in hac promiſſione minimè intervenere. Reſpondeo ad primum: Palatinorum Principum moram ex noſtra potiùs, quàm ex illorum culpa ortam, ob cauſas nemini non exploratas. Deinde præmoniti quidem ſunt, ut exirent, at abſque ulla comminatione, quod oportebat; præterea non illis proprias eorum ad exeundum utilitates, ſed noſtras tantùm indicavimus: præterquamquod abſque ulla præfixi temporis limitatione intrà noſtrum portum recepti ſunt. Tandem poſtquam ad exeundum ſunt invitati, trium dierum promiſſio illis fuit denuo confirmata. Ad ſecundum dico, poſtquam ſemel Parlamentarios ad familiare colloquium, neceſſariò admiſimus non invitum cenſendum magnæ Britanniæ Regem, quòd illis factam à nobis Palatinis Principibus promiſſionem renuntiaremus. Præterquamquod ad interdicendum Parlamentariis è noſtro portu exitum, non verbis, ſed ignitis globis cum illis foret agendum; qua ratione ardenter optat magnæ Britanniæ Rex, ut cum illis maxima nobis ſit communicatio. Ad tertium dico, nequaquam liberum poſſe appellari exitum Palatinis Principibus à nobis promiſſum illum, cui exitii periculum annexum eſt ex neceſſario cum Parlamentariis congreſſu, quo permiſſo, nulla-

tenus implemus trium dierum pollicitam protectionem. Ad quartum diſtinguo, non teneremur ad promiſſionem trium dierum, ſi Principes abeundi poteſtatem, etiam illa non impleta, non verò aliter, poſtulaſſent. Ad quintum dico, ad promiſſionis ſolemnitatem ſufficere, quòd ſub Regio ſigillo facta fuerit, tum in reſponſo ad Arnoldum Lisleum, tum in literis ad Regem magnæ Britanniæ, Principemque Robertum. Ad hæc juxta commune Philoſophorum placitum, promiſſio conditionis, quam illi appellant *ſine qua non* (qualis hæc noſtra eſt) obligat ſemper, omnique modo, ſaltem ad conditionis ſubſtantiam adimplendam.

308 Tertia objectio. Exaggerat pericula, quæ ſubire poſſumus, bello cum offenſis Parlamentariis denuo ſuſcepto. Primum, quia in præſentiarum univerſa militaris potentia eſt penes Parlamentarios, qui poſſunt conqueri violatam ſibi ſecuritatem, qua portum noſtrum inivere. Secundum, quia poſſunt Caſtellanis ſocia agmina jungere, mutuoque adverſus nos inſurgere. Tertium, quia tollent commercium, redditusque ab illo ſequi ſolitos. Quartum, quia peribit major pars noſtræ Braſilicæ claſſis, cui plurium millionum ſummam inveximus. Quintum, quia ſi ad anguſtias redacti auxilium implorabimus, nullus ex amicis Regis magnæ Britanniæ indigentibus auxiliabitur. Sextum, quia non, niſi poſt longam annorum ſeriem, magnæ Britanniæ Regem avito ſceptro reddendum longa nimis ſpes eſt. Septimum, quia maxima eſt Angliæ poteſtas, certo experimento confirmata, dum Luſitania Caſtellæ cohæreret.

309 Reſpondeo prudentiæ fore communi omnium amicitia frui, quandiu per conſcientiam, publicam exiſtimationem, & privatum commodum licet. Verùm ſi cum aliquibus neceſſariò, cum Parlamentariis in primis bellum ſuſcipiendum eſt. Quare ad primum dico, penes Parlamentarios quidem eſſe non modò militarem potentiam, ſed bella etiam civilia cum Rege, illiusque fœderatis. Neque jure poſſunt conqueri de mora ſibi à nobis injecta, tùm tentatæ conditiones non fuerint ſubſignatæ, quas ipſi nimia dillatione poſt elapſam tempeſtatem violaverint. Ad ſecundum, id quomodocunque ab illis præſtandum, ſi è re ſua eſſe judicabunt, aliter nullo modo. Ad tertium, partim inteſtinis bellis, partim Galliæ, Principiſque Roberti claſſibus, noſtriſque diſtrahendos, quominus id præſtare tutò poſſint. Ad quartum, æquè illis, atque nobis utile haberi noſtrum commercium, à quo ſi velint abduci, Caſtellanoque uti, maximum à noſtri commercii ceſſatione fructum amittent, propè nullum à Caſtellano percipient, ſuperantibus hîc, deficientibus illic, quibus indigent, mercibus, quas Galli, Hollandi, Suecique diſtrahent communi omnium emolumento: poterimusque noſtrarum navium numerum valde augere, interceptis ultra ſexaginta eorum (ut audiò) navigiis apud noſtros portus ſubſidentibus, de quo monendus quantocyùs Braſiliæ Gubernator. Ad quintum, longè nobis fore deterius adverſarios illos habere, quàm non auxiliares. Ad ſextum, certiora nobis eſſe vaticinia. Ad ſeptimum, jam reſponſum. Addo Regiam fidem ſemel datam debere quovis alió eſſe firmiorem.

310 Hactenus in diverſis habitis ea de re conciliis Theodoſius Palatinorum Principum cauſam, ſivè juſtitiam, datæ Regiæ fidei complementum, nutantem Regiam auctoritatem acerrimè propugnavit. Duplicem præterea pro iiſdem Palatinis Principibus confecit allegationem maximi habendam, eòque ad finem ſecundi libri apponendam. Ejus quidem ſuffragium poſſem in

compendium redactum, ut in oppoſito præſtiti, exhibere, at ſatius duxi ex integro illud legentium oculis objicere, ut in ejus verbis, ſententiis, rationibus, ac reſponſis, Principis adoleſcentis maturam prudentiam, ingenii acumen, generoſitatem, veritatis, fidei, juſtitiæ, ac totius honeſti expreſſum zelum contemplari ſimul, & admirari univerſis pronum foret. Admirati ſunt certè, qui frequentibus expediendo difficillimo negotio conciliis adfuere, majoremque, quàm hactenus, æſtimationem de illius eximiis dotibus concepere, audita ſæpe variis in congreſſibus recitatione ſuffragii tanto Principe digni. Interim, licèt ex contextu id ſatis conſtet, expreſſiùs tamen obſervandum; quoties vel à Principe, vel ab ejus hiſtorico, Parlamento inſultatur, ſermonem eſſe non de Parlamento abſolutè, ſed de Cromuelico rebelli, eòque deteſtando, & diris omnibus devovendo: innocens nanque Parlamentum fidele, ſuique Regis obſequiis, & imperiis addictum, omni veneratione proſequendum, ac juxta patrium morem retinendum, nemo prudens non judicabit. Ita expreſsè ſupra §. 306. Quidàm è Magnatibus Infulatus, qui oppoſitæ ſententiæ mordicus adhærebat, per eos fortè dies, quibus id negotium verſabatur, Principem adiit, ſive proprii ſuffragii apud Principem contraria ſentientem purgandi cauſa, ſive Illum excogitatis denuo efficacioribus rationibus expugnaturus; ſive tandem ejus benevolentiam omni ratione capturus. Ubi virum eum maximæ quidem auctoritatis adeſſe Principi nuntiatum, è veſtigio Ille præter ſolitum ad ſuprêmum palatii oſtium, quaſi hoſpitem honorabiliùs, & indulgentiùs excepturus, progreditur, expetitoque ibi, ac è vagina educto, quo utebatur, gladio, juſſum aſcendere in ſcalæ ſummitate opperitur; qui ubi armatum Principem conſpicatus eſt, ſubito, & inſperato aſpectu perculſus, intimoque timore correptus paulisper hæſit conſilii dubius, & quò ſe proriperet incertus: Ad quem Princeps: *Eccur ad ſuum Principem accedere cunctabundus dubitas? Timeo mihi* (reddit ille) *à Celſitudine veſtra ſtrictum mihi gladium intentante.* Tunc Princeps: *Si Luſitanum, tibique in paucis familiarem Principem innocuo armatum gladio tantopere pertimeſcis, cur Britannicum Principem ferro, flammiſque violati fœderis indignitatem vindicaturum non potiùs exhorreſces?* Mox ſepoſito mucrone, factaque ſe tutò conveniendi fiducia, virum eum blando, ſed efficaci eloquio penetrabiliori omni gladio ancipiti exceptum, in ſuam traxit ſententiam; cui demum univerſi propè dedere manus, Sereniſſima in primis Regina æquiſſimo Principis ſuffragio annuente.

311 Igitur ubi ſedit à Palatinis Principibus quamlibet hoſtilem vim omnimodè prohibendam, Parlamentariis nulli conditionum æquitati acquieſcentibus, & quas inflammatum odium ſuggereret, unicè proponentibus, permiſſus tandem, Principibus annuentibus, liber è portu exitus, quem jam diu flagitabant. Mox, ne iidem paulò poſt exituris Palatinis navium numero longè inferioribus deſtinatam cladem inferrent, eorum undecim roſtratis navibus, quibus Regia conſtabat claſſis, additæ Luſitanæ tredecim ſtrenuiſſimo inſtructæ milite ſub Præfecto maximo Georgio à Mello Luſitanarum triremium Præſide, cui à Rege imperatum: *Regiam ut Palatinorum Principum claſſem non, niſi à Parlamentaria longiſſimè diſſitam, demitteret; vim fortè à Parlamentariis tentatam pro virili propulſaret.* Hujuſmodi Regiis mandatis noſtri, Palatinique mirificè gratulabundi tandem è portu ſolvunt, Palatina, Luſitanaque Prætoria præeuntibus, cæteris ſubſequentibus, omnium Ducibus, & militibus ad utrunque paratis; ſeu liberam per medias obſtantium Parlamentariorum naves viam reperire, ſeu ſtricto ferro, & exploſis bombardis aperire. Suos tam Palatinos,

 quàm

quàm Luſitanos vela dantes, hoſtibusque, ſi obſtare tentarent, certum daturos exitium ex arce San Juliani ad portus fauces edita proſpectabant ſimul, & faventium oculorum proſpectu animabant Sereniſſimus Rex Joannes, ac Princeps Theodoſius, certi non minùs eſſe in concitando adverſus hoſtes odio regios oculos ſtrenuos incenſores, quàm vulgò ſunt in excitando erga familiares amore Duces; maximumque momentum ad profligandas hoſtiles acies ineſſe in Regis ſuos inſpectantis intenta oculorum acie. Id Blaco Parlamentariæ claſſis Præfecto cùm eſſet exploratum, animadverſo Luſitanarum navium auxilio ex ea, qua ſolas Palatinas opperiebatur, ſtatione, imperat ſuis retro vela dare, vaſtoque Oceano ſe committere, ſi fortè poſſet ſimulata fuga inſequentes noſtros à maritimis monumentis, ac Regio proſpectu alacriores animos inflammante, longiſſimè avocare, tunc demum in adverſos proras commodiùs obverſurus. Interim noſtri, Palatinique certatim cedentibus, oblatamque pugnam detrectantibus hoſtibus inſiſtere, ac demum tormentorum exploſione provocatis, & obſurdeſcentibus inſultare. Iidem ad præfixum à Rege ſpatium, quod ultra progredi non liceret, eos inſecuti, ad portum iterum deſperata pugna devolvuntur parum læti, etſi non inglorii hoſtem loco pepuliſſe, quo cum victrices manus mallent conſerere, coramque Rege, ac Principe ſpectantibus bellicæ virtutis ſpecimen præbuiſſe. Poſtera die, ac ſequentibus nonnullis, ad eundem, ex quo pridie ſolverant, locum redditi hoſtes, ſimili eventu exinde à noſtris compulſi, frequenti abitu, redituque adumbratæ potius, quàm veræ pugnæ ſimulachra edidere; donec vehementiori ex adverſo coorta tempeſtate huc, illucque longiùs abrepti, noſtris intuentam victoriam, Palatinis liberam abeundi poteſtatem reliquere: à quibus in diſceſſu pro ſingulari beneficio Sereniſſimo Regi, Principique cumulatiſſimæ redditæ gratiæ, promiſſaque Britannicorum Regum nomine in poſterum perpetua gratitudo. Nec immeritò, ſi, quæ deinde unica ea de cauſa Luſitanis acciderint, æſtimentur. Enim verò Parlamentarii ereptæ ſibi à Luſitanis auxiliantibus prædæ dolore, rabieque incenſi, eòdem præterita defuncti tempeſtate repetunt, ibique aliquandiu adverſus noſtras onerarias, quàm roſtratas naves, animoſiores non mediocria nobis damna intulere; ſeptem earum interceptis, una incenſa; etſi non penitus impunè, nec ſine ingenti Luſitanæ virtutis gloria. Cùm enim per eos dies unam è noſtris roſtratis navibus, cui præerat Emmanuel Pacheco à Mello anchoris haud longè ab arce, cui ab eminentibus in mari ſcopulis *Caput Siccum* nomen inditum, ſtare immotam, cæteris reflante vento longè diſſitis, conſpicarentur, in eam quinque, vel ſex Parlamentariæ, inter quas Prætoria, illique dignitate proxima, invehuntur: univerſis parem, immò ſuperiorem ſe præbet inclytus Dux, innumeriſque datis, & exceptis tormentorum percuſſionibus, accedentes propiùs, & aſcendere tentantes ſtrenuiſſimè repellit, magna hoſtium edita ſtrage; qui ad extremum, ut cuidam ſuarum navium ſuprèmùm laboranti, propèque deprimendæ opportunam opem ferrent, à noſtra receſſere, invictum eſſe illius Ducem confeſſi, omnique laude majorem, qui unus tam multis adeo glorioſè reſtiterit; univerſiſque ſingulari virtute deterritis, celerioris è noſtris oris diſceſſus venerabilis Author extiterit. Hæc fuit Parlamentarii belli terrifica expectatione minoris finis, opinione ipſa felicior; ex cujus extrema compoſitione univerſis innoteſcet, ex Principis Theodoſii juſtitiæ, veritati, datæque fidei patrocinantis ſuffragio ſuſceptum glorioſè bellum, ejuſdem cœleſti (ut par eſt credere) auxilio magna cum Luſitaniæ gloria fuiſſe confectum.

P. Anton. de Maced. in vita P. Alm. l. 2. c. 6.

CAPUT XXIV.

Expeditionem Elvenſem delibérat, expetit, ac demum arripit Princeps Theodoſius.

312 JAm decimum octavum ætatis annum inierat Princeps Theodoſius omnigenis tum civilibus, tum militaribus diſciplinis eo temporis apprime inſtructus, prævalidi corporis viribus, & generoſi animi virtute juxta præcellens, ſuaque opinione ad capeſſendum bellum planè idoneus. Multa Illum ad auſpicandam militiam invitabant, & Martialibus igniculis jam diu incenſum animum, bellicis exercitiis aulicum permutare otium ſtimulabant: ingens honeſtæ gloriæ cupido, ingenuus pudor, ardens patriæ, ac ſuorum amor, & (quod caput erat) Divini obſequii à ſe deinde opportuniùs promovendi ardentiſſimum deſiderium. Militaris in primis gloriæ vehemens cupiditas, qua ſe hactenus immunem doleret, quæque generoſos, & ad ſumma editos animos perpetuò exagitat, acribus eum ſtimulis incitabat. Ad hæc ingenuo ſuffundebatur pudore, quoties ſuorum Ducum, ac militum illuſtria, quibus ipſe non intereſſet, facta recenſeri audiebat. Similiter cùm coram illo referretur Sereniſſimum Carolum ſecundum magnæ Britanniæ Regem ſibi coævum duobus jam præliis, etſi parum feliciter, at ſtrenuiſſimè cum Parlamentariis fuiſſe congreſſum. Neque minùs, cùm ſecum reputaret Sereniſſimum ſuum Avum Theodoſium ad bellum Mauritanum cum Sebaſtiano Rege ôlim, undecenni paulò majorem proceſſiſſe: Sanciumque Principem magni Alphonſi Henrici filium vix duodennem in Arganalenſi prælio Luſitani exercitus jam Ductorem Caſtellanas Regis Ferdinandi copias profligaſſe: ſuoſque alios majores ſe ipſo natu minores militaribus triumphis clariſſimos extitiſſe; quos Ille jam adultus adoleſcens non dum fuerat auſpicatus. Præterea generoſo Principe indignum judicabat ſuis in acie impigrè laborantibus, & pro tuenda patria fortiter belligerantibus non adeſſe, ac præire. Ad extremum, ſe belli Duce, bellum ipſum expectatione celeriùs conficiendum credens, mutua deinde, Hiſpano bello profligato, contra hoſtes fidei arma convertenda, bellumque longè glorioſius tartareis infidelium poteſtatibus inferendum religioſa mente agitabat.

P.Guer.in fun.conc.

Luſit.Monarch.3.p. l.11.c.13. 4. Affirmam.& Bolacio vid. Monticlar.

313 Hiſce potiſſimùm, aliiſque ſimilibus inductus rationibus Sereniſſimum Parentem adit, ab eoque liberam ad Elvios commigrandi, ſuis auxiliandi, ac rem Luſitanam ad optatum exitum ſua præſentia perducendi, poteſtatem expoſcit: *Quominus id hactenus tentarit à prudentibus immaturæ tribui ætati; ea verò jam militarem adepta maturitatem, nihil eſſe, quod poſſet cauſari, quò ſe ab inglorii Principis turpi nota liberaret: omnium in ſe unum intentos eſſe oculos: à Ducibus, ac militibus ſe belli Ducem deſignari; ſui unius univerſum Regnum opem implorare, proindeque dignaretur & ſuis, & ſuorum æquiſſimis votis, conceſſa, quam ſuppliciter, enixèque rogaret, facultate, annuere.* Collaudata bellicoſi Principis generoſitate, intimis idcirco gaudiis delibutus Sereniſſimus Rex ſatis tunc habuit magnificis verbis conceptam Principis ſpem alere, commodamque ad exer-

citum

citum profectionem in opportuniorem, cùm res poſceret, occaſionem differre. Verùm inſtantiùs indies in id ipſum urgentem Principem, è re ſua, & publica duxit, militari, totiusque periculi experti diverticulo, interim deſtinere, intempeſtivumque ipſius cum hoſtibus intutò confligendi ardorem, aut illudere, aut ſaltem tantiſper cohibere. Imperat fido ſibi, notæque prudentiæ Miniſtro, ut Principi edicat, *ſibi eſſe in animo eum cum ampla poteſtate maritimæ Vlyſſiponenſi oræ, univerſæque adjacenti Provinciæ præficere; ſi fortè honorifico eò contentus munere, non niſi maximis viris committi ſolito, ab Elvenſi expeditione abſtineret.* Sed fruſtra; Principe non decora belli apud Ulyſſiponenſem oram quieſcentis, at apud Elvios maximè vigentis munia glorioſè ambiente. Quare Miniſtro Regias partes, & proprias impigrè peragenti, efficacibusque rationum momentis Regium intentum ſuadere adnitenti demum reſpondet: *Vlyſſiponenſis maritimæ oræ Præfecturam cum Elvenſi nequaquam involvere contradictionem; utranque ſimul à ſe libentiſſimè, Sereniſſimo Parente annuente, acceptandam.* Deinde Rex aliis, atque aliis ſubterfugiis Principis redintegratas ſæpius preces intermedii temporis longa dillatione protrahere; optimum ratus optimos Principis conatus ſuo commodiùs tempore, ſi publica res exigeret, effectum habituros, inter certam ſpem glorioſæ generoſitatis altricem; & incertam repulſam imminentis periculi vindicem, diutiùs è proprio nutu pendulos ſuſtinere.

314 Tunc Princeps, cui obſequioſa erga Sereniſſimos Parentes obſervantia nihil unquam fuit prius, certus ſua vota Sereniſſimo Parenti nullatenus diſplicere, cùm illa ſæpe laudabilia pronuntiaret, ſibi facilè perſuaſit gratum Illi futurum, ſi veterum Heroum veſtigiis ipſe inſiſtens illorum ſimile facinus ſummis poſterorum encomiis celebrandum æmularetur. Legerat inclytum olim Joannem Auſtriacum Imperatoris Caroli quinti filium Melitenſis belli cupiditate inflammatum repentino ab aula diſceſſu, non impetratâ, immò nec expetita, Auguſti Parentis venia, celerrimè Barcinonem iter arripuiſſe, comitante nobilium globo, idque in eadem propè, qua ipſe, duodeviginti annorum ætate. Ibidem obſervarat militare, generoſumque Alexandri Farneſii undecennis pueri, jam tunc arma frementis poſtulatum. Id ipſum poſthabito patriæ charitati parentum amore ſæpe diverſis temporibus Luſitanorum nonnullos ex illuſtriſſimis præſtitiſſe, inſalutatisque parentibus ad bellum profectos conſcius, eorum æmulari bellicam gloriam decrevit; longè Ipſe laudabilior, qui repetitis precibus Patriam voluntatem à generoſo conſilio nuſquam alienatam ſæpius explorarit. In his acriores Principi addebant ſtimulos tum magnus D. Joannes à Caſtro Indiæ poſtea Prorex inſciis parentibus ad Tingi Cæſaream propugnandam generoſè profugus; tum in primis Infans D. Ludovicus Joannis tertii Luſitaniæ Regis frater, ipſo diſſuadente, ac invito, ad expeditionem Tunetanam ſub Carolo quinto Imperatore Barcinonem commendabili ſubterfugio celebris. Neque dubitabat Princeps longè indulgentiùs habendum Filium ſe patriæ cauſa finitimis repellendis hoſtibus objicientem à Parente Joanne quarto, quàm à fratre Joanne tertio fuit habitus Infans Ludovicus externa bella ſuſcipiens; cujus tamen improbatum generoſum conſilium miſſo poſtea navali ampliſſimo auxilio approbavit. Re igitur cum duobus è Cubiculariis Comite Vimioſenſi, & Joanne Nonio à Cunia ſingulatim, ſecretòque collata, & approbata; huic imperat, ut ad ſubitam, clandeſtinamque in Elvios profectionem compareret,

Apud P. Strad. de Bello Belgic. Dec. 1. l. 10.

Ibid. lib. 9.

P. Vaſc. in vita Reg. Sebaſt. §. 7.

Freyre in ejus vita l. 1. §. 43.

Ibid. §. 16.

ret, quæ omnino neceſſaria judicabit. Interim Princeps ipſe ad D. Joannem à Coſta Caſtrorum Magiſtrum, Luſitaniſque apud Elvios armis tunc Præfectum propria ſcribit manu, novum, eumque magnum Hoſpitem, poſitis proprio pro nomine manifeſtis ſignis, Elviis propediem affuturum; proindeque ſummo cum ſecreto illi excipiendo opportuna quæque in promptu haberet. Igitur Elviis, Ulyſſiponeque ſub idem temporis inviolabili ſecreto rebus profectioni rite comparatis, ea, quæ pervigilium Sanctorum omnium anni 1651 ſequuta eſt, nocte Princeps cum duobus, quos dixi, Cubiculariis, cum Clavigero inſuper, & Veſtiſpico tantùm, inſtructum lembum conſcendit: hìc ſociis pro re bene geſta gratulabundus vela dare jubet, auſpicatis cœptis propitio Numine implorato. Ad quem è commilitonibus unus: *En Amyclæ cymbam noſtri Cæſaris vectricem.* *Non ita* (occurrit Princeps) *Enim verò Cæſar adverſus patriam in aperta ſe pericula, tranſmiſſo Rubicone, conjecit; ego pro tuenda patria Tagi ulteriorem ripam prætervectus majora, quàm ille, ſubire non dubito. Et quidem certò velim ſcias, niſi Deo acceptiſſimam fore hanc meam expeditionem mihi perſuaderem, nunquam illam ſuſciperem, etſi longè celebriorem mihi, quàm illi, famam indulgentior Fortuna polliceretur.* Brevi ſecundis ventis uſus, & ad crepidinem oppidi Tranſtagani (vulgò *Aldea Gallega*) novem ab Ulyſſipone diſſitum milliariis appulſus, pauliſper ſubſtitit in hoſpitio; quod olim & Sereniſſimum Sebaſtianum Regem ad Guadalupenſem Virginem adeuntem, & annis aliquot elapſis Sereniſſimum Avum Theodoſium ad comitia Catholici Regis Philippi tertii venientem exceperat: id verò fortuito eventu, cæteris diverſoriis frequenti viatorum turba impeditis. Hìc unà cum ſociis indiſcretè, ne dignoſceretur, habitus, capto parabili, perperamque condito cibo, prima poſt conticiniam noctem hora, ſylveſtrem iniit viam; noctiſque reſiduo devotis partim precibus, partim jucundiſſimis ſermonibus conſumpto, meritoriam tandem tabernam (vulgò *Pegoēs*) octava diei hora tenuit; ubi ſupra ligneum pluteum placidiori, quàm ſupra molliſſima ſtragula, ſomno parumper indulſit.

315 Interim Ulyſſipone tranquillam anteactæ noctis quietem, ubi primùm illuxit, inquies fluctuantium animorum motus, cognito Principis repentino diſceſſu, excepit. Reliquerat Ille ſcriptas à ſe literas ad Sereniſſimos Parentes, in quibus expoſita prudentiſſimè ſui conſilii ratione, ut boni, æquique illud conſulerent, ſuppliciter precabatur; eas verò literas à cubiculi Regii Præfecto Comite Penaguiano Regi traditas reperio in quadam relatione typis mandata. Alias præterea literas prudentiſſimus Princeps fido ſibi Miniſtro commiſerat ſub poſteram auroram tradendas Secretario à Statu, Doctori Petro Ferdinando Monteyro, Gaſpari Faria, Antonioque Cavidio, quos ſciret apud Sereniſſimum Parentem gratia, & auctoritate multùm valere, quò Illi ſui probandi conſilii Authores forent. Earum argumentum ex epiſtola, quam unicè potui reperire ad Penaguianum, venerari licet; eam ille propria Principis manu ſcriptam, eòque inter æſtimabiles reliquias aſſervari dignam in ſua relatione proteſtatur. Sic habet: *Comes amice. Nonnullis de cauſis, quas probè noſti, certum mihi eſt ad Tranſtagana confinia me conferre; id verò quia delibero, non obtenta expreſſa Parentu mei venia, ei offeres incluſam epiſtolam, ubi primùm hanc accipies: nec dubito, quin ſuſceptum à me id conſilium utpote generoſum, Regnoque utile, à te ſit coram Illo excuſandum, tuoque interventu à Sua Majeſtate pro meis erga ſe meritis accipiendum. Ex Palatio trigeſima die Octobris anni 651.*

Pena-

Penaguianum, cæteroſque Principis literis condecoratos, nec ſibi, nec ejus apud Sereniſſimum Regem cauſæ defuiſſe par eſt credere. Præ omnibus iidem conſtat impenſiùs faviſſe Religioſum quendam Regi, Principique juxta fidum, & gratioſum, qui ſingulari, qua multùm valebat, eloquentia, expenſa coram Rege ſuſcepti à Principe glorioſi conſilii generoſitate, maximi ab omnibus facienda, ſummæ lætitiæ indices lacrymas ex Regis oculis expreſſit; quas perlectis Filii literis uberiùs, & exultantiùs effudit. At vulgò etiam creditum, fuiſſe nonnullos, qui vel publicis, vel privatis adducti rationibus longè aliter glorioſos Principis conatus interpretati, eos Regi ingratos reddere haud fruſtra conati ſunt. Interim evulgata per Urbem ſubita Principis ad Elvios profectione, incredibile dictu eſt, quo ardore ad eum proſequendum omnium tum Procerum, tum popularium animi commoverentur; nonnullis à Rege nondum alienato libenter facta poteſtas; haud multò poſt prævisa Regiæ Urbis brevi futura ſolitudine, niſi communibus ergà dilectiſſimum univerſis Principem ſtudiis tempeſtivè occurreretur, ſeverè cautum, nequis ad ulteriorem Tagi ripam injuſſus tranſmitteret, abeuntem Principem ſequuturus.

316 Jam Ille magnis itineribus cæptum iter proſequutus diverſorium (vulgari nomine *Vendas Novas*) tenuerat, ubi conceptam rei hactenus auſpicatò procedentis lætitiam ſubitus Comitum Turrienſis, & Mirandenſis, ejuſque fratris Ludovici Soſiæ ab Ulyſſipone illùc adventus non nihil corrupit; iis poſt mutuas ſalutationes atteſtantibus primò gratam, mox valde ingratam, Regi accidiſſe Principis profectionem; cui acerbiſſimus in primis extitit ſparſus in aula (ut ferebant) rumor, ſuis commilitonibus malum à Regia indignatione portendi. Hinc ad oppidum Montem Majorem, Principe ab omnibus, quacumque pergeret, palam jam cognito, & feſtivis plauſibus excepto, perventum eſt. Inde ad oppidum *Arrayolos*; illic inter jucundiſſimas acclamationes, accenſis circumquaque per domorum feneſtras luminibus, cymbalorumque pulſibus publicæ lætitiæ famulantibus, in Cœnobio Patrum Sancti Joannis pernoctatum. Ibi accepit Princeps duplicem à Sereniſſimo Parente per expreſſum curſorem epiſtolam, in quarum una à Regii ſcrinii Præfecto ſcripta certior fiebat admonitum jam Regiis literis caſtrorum Præfectum ſibi non minùs, quàm Ipſi Regi, cum univerſo exercitu ſubjiciendum; id enim illi actutum injunxerat, poſtquam de ipſius ad Elvios profectione certus fuerat; in alia ſecretiori epiſtola, rogantibus ſociis dixit Princeps, mixtas reprehenſionibus paternas blanditias contineri. Haud multò poſt matutinis ejus diei horis, ex Ulyſſipone venit Comes Penaguianus cum recentibus Sereniſſimorum Regum ad Principem literis; paternæ quidem ejuſdem erant, quo proximæ, argumenti; maternæ ardentiſſimis deſideriis, & amoris ſignificationibus plenæ. Ex *Aldea Gallega*, & mox ex *Arrayolos* juſſerat Princeps caſtrorum Præfectum de ſuo proximiori adventu fieri certiorem, quò præmiſſo equitatu viarum ſecuritati proſpiceret. Hinc ad tria milliaria progredienti occurrit equitum Magiſter paucis comitatus Andreas Albuquercius, qui Principem ingenti omnium lætitia ad uſque Ducis diverſorium excepit; hinc cum nonnullis turmis ejus adventum opperientibus ad Stremotium adulta jam nocte devenit, univerſo equitatu extra oppidum diſpoſito, militari plauſu, ac triplici exploſione venientem Principem ſalutante, oppidanis, expoſitis ubique confertiſſimis luminaribus, & campanarum

ſonitu

ſonitu ſingularem tripudiantium animorum lætitiam in adventu ſui Principis propalantibus. Eam verò noctem in Palatio D. Franciſci à Mello jucundiſſimè tranſegit.

317 Poſtera die univerſo, qui è proximis præſidiis cogi potuit, equitatu ſtipatus ad Elvios eſt progreſſus: extra Urbem eduxerat legiones caſtrorum Præfectus D. Joannes à Coſta unà cum bellicis tormentis, univerſoque militari inſtrumento; idem ultra tria milliaria in latè patenti planitie aciem inſtruxerat, vexillis ad illius caput explicatis. Ad primum Principis jam adventantis adſpectum ter detonantibus tormentis, & fulgurantibus æneis tubis, adeſſe Luſitani belli Fulmen noſtris, hoſtibusque, repercuſſo aëre ad proxima inſolitum fragorem deferente, nuntiatum. Mox caſtrorum Præfecto, cæterisque militaribus Legatis, ac bellicis Primatibus ad Principis genua procumbentibus, Illiusque dexteram oſculantibus, in Elvios acie inſtructa procedens militari triumpho glorioſiores de hoſtibus ominante, ſub veſperam diei quartæ Novembris anni 1651 invectus eſt; quanto bellicæ Metropolis plauſu vix credi, ne dum verbis exprimi ſatis poteſt: id tamen expreſſere utcunque à majoribus bombardis per munitiſſima propugnacula diſpoſitis editi ſæpe horribiles boatus, civium, ac militum juxta exultantium gratulatoriæ voces longævitatem, & illuſtres victorias Urbem triumphantis more ineunti Principi adprecantes. Generoſo Ille inſidens equo, cujus habenas regebat Andreas Albuquercius, Hipparchum maximum agente Joanne Nonio à Cunia, ſub umbella per Urbis oſtium Oliventiam reſpiciens ad Epiſcopale Palatium regifico apparatu inſtructum deductus eſt. Agebam tunc in ea Civitate, cùm Princeps Elvios iniit, eoque oculatus eorum, quæ dicam, teſtis; quod in mea maxima pono felicitate. Altera, quæ illius adventum, noctemque artificioſis luminibus perilluſtrem ſequuta eſt, die Primores Civitatis, Militiæ, ac Eccleſiaſticæ dignitatis, & Religioſi cœtus ad Aulam frequentes accurrunt, officii, & gratulationis cauſa. Omnes à Sereniſſimo Principe humaniſſimè quidem habiti, at vultu gravi ad inſitam majeſtatem, quàm ad lætitiam proniore. Poſtremus omnium cum ſubditis accedit venerabundus noſtri Collegii Rector, modeſtia, ne inter primos irrumperent, amorem coercente. Vix illos Princeps conſpicatus, cum repente majeſtatis veluti oblitus, alium ſe ab eo, qui modo erat, hilari vultu præbere; erga Societatem ſemper, & ubique idem, ſibique perquam ſimillimus; oculis amorem ſpirantibus accedentes allicere; approximantibus etiam arridere; familiares cum Rectore ipſo miſcere ſermones; nullis denique parcere benevolentiæ ſignificationibus, quas vehemens amor imperabat; obſervantibus hæc interim, qui plurimi aderant, & admirantibus tenerrimi affectus minimè à me hic prætermittendi, maximi à noſtratibus faciendum exceſſum.

318 Paucis poſt diebus Elvios tenuere à Sereniſſimo Rege miſſi D. Thomas Noronia Principis Cubicularius, & Pater Doctor Andreas Ferdinandus noſtræ Societatis, tunc primùm publicè deſignatus Principis Confeſſarius; cujus tamen regendæ conſcientiæ privatim jam diu præerat: utriusque adventus fuit Principi jucundiſſimus. Miſit prætereà Rex Antonium Cavidium ſibi ex longo acceptiſſimum, ut Principi eſſet à ſecretis. Interea per univerſam percrebuerat Luſitaniam, Principem togatæ hactenus Palladi plus nimio indulgentem, jam armatam apud Elvios multò impenſiùs colere, à literariiſque libenter avocatum exercitiis de cogendo exercitu, de tuenda

 patria,

patria, de profligandis hoſtibus unicè cogitare. Incredibile dictu, quantùm ea fama ubique ſparſa Luſitanorum animos erexerit, Caſtellanorum, ad quos etiam penetravit, tumorem depreſſerit, dum illi ex Theodoſii magnanimitate certum ſuis rebus præſidium, hi certiſſimum indidem ſibi exitium ominantur. Et tamen D. Franciſcus Tutavilla Dux Sangermani, qui eo temporis apud Pacem Auguſtam Elviis oppoſitam ſummo Caſtellanæ militiæ arbitrio fungebatur, diſſimulato ex tanti Principis vicinia concepto timore, immodicæ lætitiæ ſigna ore, habituque præter ſolitum ſplendidiori præ ſe ferre, glorioſumque ſibi ducere à tanto Principe, quò reſcunque caderent, vel vinci, vel victoriam reportare. Indubium illi erat non, niſi potentiſſimo fretum exercitu, vel jam conflato, vel propediem conflando, Luſitanum Principem periculoſam dubii Martis aleam ſubiturum. Igitur à Catholico Rege imminentis periculi admonito auxiliaribus copiis imploratis, mittit Elvios (ut vulgò creditum) noſtras exploratum vires Religioſum Virum ſpectatæ prudentiæ, minimæque contemnendæ dexteritatis. Is etſi ſuo adventui privatum ſuæ religionis negotium prætenderet, prudentiſſimus tamen quilibet longè aliter interpretabatur; miſſum nempe à Duce Sangermani, qui Caſtellanis tunc armis præerat, ſpeculatum conſilia, & potentiam noſtri Principis, cujus inopinato adventu haud mediocriter angebatur, timorem acriùs intendente amplificato inter ſuos rumore adventantis propediem Luſitani exercitus, magnum aliquid ſub tanti Principis auſpiciis aggreſſuri. Verùm, utcunque res ea tulerit, in noſtro Collegio juſſu Principis novus hoſpes perhumaniter habitus, cæpit multa de Sereniſſimo Principe ſciſcitari; noſtris, ut par erat, egregias Illius dotes non minùs verè, quàm magnificè prædicantibus. Hìc ille oblata ſibi opportunitate utendum ratus non dubitavit ardentiſſimum, quo flagrabat, ejus videndi, & alloquendi deſiderium profiteri. Quare ipſo enixè flagitante, ac noſtram operam, ut voti compos fieret, implorante, per unum è noſtris res tota Principi coram nonnullis aulicis renuntiatur; ex quibus erant, qui admittendum ad colloquium à Principe judicarent.

319 *Sic* (dicebant illi) *Principis exiſtimationi expedire, quæ major quidem eſſet, quàm ut unius Caſtellani aſpectu, aut alloquio minueretur. Immò poſſe hoſtes ex illius poſtea teſtimonio planè agnoſcere, quàm meritò eſſet Princeps, & ſuis amabilis, & quibuſcunque adverſariis formidabilis. Ad hæc, introſpecta Principis generoſitate, quam Ille vultu ſemper, & verbis præ ſe ferret, atteſtari apud ſuos poſſe malignam eſſe de illo famam, quæ præcellentes ejus dotes evulgando potiùs extenuaret, quàm immodicè attollendo amplificaret; quæ omnia concilianda Principi noſtro etiam apud hoſtes venerationi, terrorique ipſis incutiendo quantùm conferrent, nemo eſſet adeo cæcus, quin videret.* Alii nihilominus ex adverſo contendebant in præſentiarum nullatenus è re publica eſſe ad colloquium Principis introduci hominem, etſi Religioſum, at Caſtellanum, à Duce Sangermani certè miſſum, eòque ſuſpectum: *Explorata nobis eſt* (reponebant hi) *ſingularis prudentia noſtri Principis, in quo nihil, quod jure reprehendat Caſtellanus hoſpes, quantumvis lynceus deprehendet, multa certè, immò, quæ miretur, univerſa. Scimus præterea prudentibus, ac generoſis Principibus non è perpetuis latebris, quæ ſolos decent ignavos, aut ſtolidos, auctoritatem, & venerationem eſſe captandam. At neminem latet interdum vel ſolem ipſum parumper ſub nubibus latere ſolitum. Deliteſcat igitur tantiſper ſub convenientia nube noſter Sol, nec hujuſce hoſpitis oculis affulgeat. Demus nullum aliud in hoc mutuo aſpectu eſſe in-*

ſermones; de ordinanda in primis acie; de oppugnandis, propugnandisque arcibus; de pedeſtris, equeſtriſque pugnæ ratione; de optimo munimentorum genere; ac de univerſis militaribus quæſtionibus per otium differere Principi erat voluptuoſiſſimum. De cujuslibet præterea Provinciæ ſtatu, progreſſibus, & incrementis ad ſe venientes Idem ſolicitè rogare; illuſtrium Ducum, & ſtrenuiſſimi cujuſque nomina, facinoraque, ad cæterorum æmulationem proferre, meritiſque laudibus celebrare; nihil denique prætermittere, quominus bellicam fortitudinem, vel in aliquibus ſopitam excitaret, vel in pleriſque inflammatam ardentiùs accenderet. Hunc Principis adeo intimum erga militares quoſque amorem confirmat ejus Confeſſarius conceptis hiſce, in quadam familiari epiſtola, verbis: *Summa ejus ſolicitudo milites erant, toties ab eo tentata profectione, ut illis adeſſet; ut eiſdem promptè ſtipendia ſolverentur, &c.*

321 Sed cùm probè ſciret nullatenus aptiùs ali bellicæ virtutis flammam, quàm largiter ſuperinfuſo præmiorum oleo, fuit celebris, & quidem ſingularis ea de re Principis hìc inſerenda ſententia. Coram Sereniſſimo Joanne, ſub primis ejus initi regni temporibus, agitabatur: *Quid è republica foret utilius, quid in beneficiis, præmiiſque dividendis conſultius?* Fuere, qui judicarent non impertitis, ſed expectatis beneficiis, quandiu bellum vigeret, alendam ſpem tum militum, tum omnium de republica bene merentium; extincto demum bello tunc à Rege, pro cujuſque ſeu militaribus, ſeu civilibus meritis, præmia ex æquo dividenda; interim munia tantùm civilia, & militaria, ſine quibus domi, ac militiæ reſpublica nequit adminiſtrari, dignioribus eſſe conferenda: cui quidem valde probabili ſententiæ minimè contemnenda rationum momenta patrocinari videbantur. Ea nanque in primis ratione poſſet Rex facilè ab univerſis Regiis redditibus, ex commendatiis vectigalibus, ex abſentûm bonis regio Fiſco addictis, tandem ex oblatis libenter decimis moderatè nimis exactis, omni alio procul tributo, tantam in publicum ærarium pecuniæ ſummam inferre, quæ abunde ſufficeret tum præſidiarii militis prompto ſtipendio, tum in tempore cogendis exercitibus; tum denique quibuſcunque publicis, privatiſque ſumptibus, abſque ulla plebis oppreſſione faciendis. Quàm multas, magnaſque utilitates in publica commoda exinde orituras quis non videt? Omiſſis aliis; ſuperante prompta pro militari ſtipendio pecunia, non domeſtici modò, ſed exteri etiam noſtræ militiæ certatim nomina dabunt, à qua pleroſque deterrent, avertuntque quotidianæ potiùs rei domeſticæ anguſtiæ, quàm cum hoſtibus aliquando confligendi timor. Iidem indulgenter, liberaliterque habiti, nihilo ex rerum inopia imminutis viribus, laborioſam militiam, & grave Martis opus alacriùs aggredientur, diutiùſque pro virili ſuſtinebunt. Tandem milites, Ducesque certi non, niſi profligato demum bello, pro re ſtrenuè geſta ſibi debita præmia perſolvenda, non illi, ut ſæpe accidit, protrahendo, ſed brevi conficiendo, animos, vires, & indefeſſam induſtriam collocabunt. Neque idcirco civili, militarique gloria præcellentes, vel rei familiaris inopia laborantes opportuno ſubſidio deſtituentur; augendi quidem interim non perpetuis redditibus, ſed temporariæ pecuniæ ab illis provenientis ampliori largitione, quæ levi publici ærarii decremento ſit cæteris ad maxima quæque aggredienda non mediocre incitamentum. E converſo exhauſtis reddituum fontibus, & in paucos tantùm eorum, ut plurimùm ex Curialibus Regi proximioribus, Re-

giæ liberalitatis fluentis derivatis, contraria publicis utilitatibus (ut cuilibet ſecum reputanti planum erit) incommoda conſequentur.

322 Utinam probabilis adeo ſententia totius privatæ cupiditatis omnino immunis in praxim tunc deducta contrariæ prævaleret; quæ ſub ſpecioſo prætextu benemeritos quoslibet, præſertim duces, ac milites ſtatim, abſque mora remunerandi, magnam Regiæ, publicæque ſubſtantiæ partem in particulares aliquot convertit, qui publicæ defenſionis neutiquam participes juſtam dedere cauſam, ut militibus in acie impigrè laborantibus, ipſiſque à bellico labore penitus ceſſantibus, Evangelica verba ſenſu aculeato apptarentur: *Alii laboraverunt, & vos in eorum labores introiiſtis.* Ex quo conquerentium vulgò militum juſtus dolor; ducum aperta indignatio; debiti utriſque ſtipendii longinqua dilatio, animorum, & armorum remiſſio; plurimaque alia maximi momenti paſſim incommoda orta ſunt: quæ tantum publicæ incolumitati malum minimè afferrent, ſi Theodoſius jam tunc militaris prærogativæ ſtrenuus aſſertor auſcultaretur. Illius id fuiſſe ſub idem temporis, ac deinceps conſtans judicium liquidò conſtat: *Nempe duces, militeſque ſtrenuos eſſe cujuslibet bene conſtituta reipublicæ nervos, ejuſdem laborantis Atlantes, lapſa reparatores, unicum præſidium, & validiſſimum irrumpentibus hoſtibus oppoſitum munimentum: bellantium militum, non imbellium civium, ope, ac induſtria maximas olim conditas, & ad ſummam evectas potentiam Monarchias tandiu viguiſſe, quandiu in illis militaris fortitudo maximis honoribus, & beneficiis cumulata urbanæ imbecillitati, ſocordiæque præhabita ſit; ea vel amiſſa, vel paulatim elangueſcente, miſerabilem eaſdem traxiſſe ruinam. Quare in dividendis beneficiis potiorem militarium, quàm reliquorum civium, à prudente quolibet Principe habendam rationem: Regis, ac reipublicæ vel placidiſſima fruentis pace, maximi referre hujuſce profeſſionis viros ſibi beneficiis devinctos, & ad nutum promptos habere; ut ſi fortè bellum ingruat, habeat expedita fulmina, Duces nimirum, & milites, quæ adverſus hoſtes ejaculetur. Oportere quidem, ut Rex ſit Iupiter omnibus idem, univerſis prò cujusque meritis benevolus, ac beneficus; at eidem expedire maximè tempore belli Iovis inſtar, in largiente dextera fulmen horrificum, ad pedes aquilam etſi oculatiſſimam habere. Illum meminiſſe debere à ſapientis Iovis capite ortam olim Palladem, & armatam, & togatam: quæ tamen dextra fortiori, ac digniori militarem haſtam, ſiniſtra infirmiori, & ignobiliori ſcientificum librum geſtet; ſapienti nempe Regibus documento, quo loco, quave æſtimatione haſtati, ac literati ſibi ſint habendi. Si pace vigente, pro adminiſtranda juſtitia, potiorem ſibi locum togata Pallas ſuo quaſi jure vendicet, cur urgenti bello proximos Iovi honores eadem armata non occupabit? Tunc præter promiſſa ſtipendia militibus indubia fide ſolvenda, eos in accipiendis debitis præmiis, cæteris præferat Rex, iiſque ſe præſtet longè profuſiorem; qui pro Regia dignitate tuenda nobilium animarum prodigi proprium effundere ſanguinem minimè dedignantur.*

323 Exploratum erat ducibus, ac militibus hujuſmodi non ſemel à Principe propalatum judicium, ideoque Illum ardentiſſimo amore proſequebantur; utque Ipſi ſupremum armorum regimen committeretur, jam diu cupidiſſimè præoptabant. Ubi commiſſum illud ſuo Principi videre, votorum ſummam veluti adepti, vix dici poteſt, quàm ſibi plauderent, mutuòque congratularentur: neque modò intra plauſus, & congratulationes res ſtetit; incredibilem præterea Martialem ardorem ex aſpectu bellicoſi Principis concepere univerſi; quo ſi tunc Rex uteretur, mediocri juſſo conflari exercitu, cui Princeps præficeretur, vel confectum citiùs bellum, tandiu deinde pro-

protractum, vel optatiſſimos alios effectus experiretur: tam erant omnium animi ad nutum Principis obſequentes. Ille primùm omnium recognoſcendis Elviorum munimentis ſedulam impendit operam; in illis, ſiquid fortè à militari deviaret norma, corrigere; Idem labantia reficere; imperfecta perficere, interruptaque opera omni ope, ac ratione urgere. Mox legiones, ac turmas ad Urbis præſidium excubantes, ne otio torpeant, in aciem frequenter educere, militariaque munia, & futuri belli ſimulachra obeuntibus intereſſe. Accidit ſemel, dum Princeps hujuſmodi ſpectandis proluſionibus operam daret voluptuoſiſſimam, excuſſum à tubo æneo plumbeum globulum non longè ab ipſo Principe innoxio ictu cecidiſſe: hîc turbari omnes, qui Principi aderant proximiores, amore periculum exaggerante, ac tuta omnia (uti aſſolet) pertimeſcentes; rogareque Principem, ut priuſquam ordines ſolvantur, diligenter jubeat inquiri, undenam tantum ſibi, univerſiſque periculum intenderetur: enim verò Caſtellam ab Elviis parum abeſſe, ſimilique habitu Caſtellanos, & Luſitanos uti. Ad quos imperterritus Princeps, quaſi non is eſſet, cujus cauſa omnes timerent: *Abſit* (inquit) *abſurda inquiſitione ibi culpam velle deprehendere, ubi nullum ſubeſt culpæ veſtigium: fortuitum certè, quem Deus avertit, caſum ſatius eſt deſpiciendo extenuare, quàm inſpiciendo inutilibus, noxiiſque rumoribus cauſam dare. De Caſtellanis id ſuſpicari nefas duco; ſiquis Luſitanorum me velit offendere (quod nemo credet) defenſione penitus abſtinerem. Nullæ hîc inſidiæ tales; non eſt, cur nobis hinc ſit abſiſtendum, aut bellicum exercitium abrumpendum.* Quotidianum aliud etiam militare munus libentiſſimè Princeps proſpectare cæpit; à quo tamen ex juſta mox commemoranda cauſa paulò poſt abſtinuit. Sub veſperam ſolemnis eſt ducibus conſuetudo, deſtinatis cuique diebus ſuas cohortes ad civitatis oſtia, publicumque forum, & ad privatas militiæ Principum fores deducere, illic per viginti quatuor horarum ſpatium præſidio futuras. Eas omnes juſſit Princeps per plateam deduci, cui Epiſcopale, ubi agebat, palatium immineret, duces, militeſque quotidie inſpecturus, & ex legionis Legato, aut Tribuno, qui tunc ſibi aderat, ducum, ac militum nomina, & merita percepturus: quibus illac ſeriatim progredientibus gratiſſimum erat Principem ſuum è feneſtra proſpectantem ſæpius ea occaſione intueri, ab eoque deſpici ſimul, & agnoſci.

324 At non diu tenuit ea conſuetudo: cùm enim in qualibet prætergrediente cohorte alios militari habitu ad elegantiam inſtructos animadverteret; nonnullos verò laceris, & attritis veſtibus, hyberni frigoris tunc maximè vigentis injurias perperam repellentibus, incompoſitos obſervaret; miſerandi hujuſce ſpectaculi offenſus indignitate, indignum duxit Principis oculis ſpectabilem præberi inopiam, quam illico non poſſet ſublevare; priuſque oportere indigentium militum nuditati proſpicere, quàm armis onuſtos, & veſtibus ſpoliatos aſpicere. Ea propter humaniſſimus Princeps cæterorum militum jucundiſſimo ſibi aſpectu fraudari voluit, donec tum adverſus hoſtes, quàm adverſus inimicæ hyemis inclementiam, univerſos probè armatos ſibi liceret ſyncera omni ex parte voluptate intueri. Exinde frequentioribus literis Ulyſſiponem repetitò miſſis non ceſſabat Regiam opem pro militum inopia, nuditateque opportunè reficienda implorare: iniquum eſſe non ſemel atteſtatus, ſeminudis, & ſtipendio indigentibus militibus in tempore non ſuccurri, qui pro patria, pro Regia dignitate ab hoſtium incurſibus aſſerenda, illis occurrere ſeminudi, ac inopes non dubitarent. Cùm juſ-

tis adeo poſtulatis à Regiis miniſtris non deferri, militareque ſtipendium præter ſolitum ſibi ab iiſdem differri animadverterent, occultam ſubeſſe cauſam interpretati; ut nimirum hiſce difficultatibus, & repulſis graviter commotus Princeps de repetenda Ulyſſipone cogitaret, id quod à pluribus agitari acceperant, in haſce militares ampullas, minasque palam prorumpere non verebantur: *Fallitur, quiſquis à nobis noſtrum Principem avellere conatur, priùs animas è corporibus avulſurus. Si nolunt neque Illum, neque nos alere, malumus cum Illo famelici mortem obire, quàm ſine Illo (quod abſit, à nobisque nullatenus permittendum) in ſumma rerum omnium affluentia vitam ducere.* Interim ſubmiſſam ſibi à Sereniſſimo Parente pro privatis ſumptibus pecuniam in egentiores milites diſtribui Princeps jubet; miſſa verò ſibi à Sereniſſima Regina Matre dulciaria, Ulyſſiponenſesque delicias ægrotis militibus impertiri: quo memorabili facto in vulgus mox edito, ipſis militibus ſui Principis erga ſe amorem, & liberalitatem paſſim extollentibus, incredibile dictu eſt, quàm ardentem in omnium animis jam diu conceptum amorem denuo Idem inflammarit; ſub tam amabili, ſuorumque peramante Principe profeſſis omnibus, nihil tam fore arduum, & ſummis plenum periculis, quin vel cum propriæ vitæ inevitabili jactura promptiſſimè aggrederentur.

325 Adeo perhumaniter erga probos, & militaris diſciplinæ cuſtodes milites ſe Princeps habebat; longè aliter adverſus improbos, & facinoroſos. Argumento ſit pro cunctis eorum unus, qui ob patratum aſſaſſinium ante Principis Elvios appulſum in carcere detinebatur; obſtante jam diu tum civium, tum militarium aliquot plus nimio potentium favore, quominus capitali ſat merito ſupplicio afficeretur. Iidem animadverſa Principis erga omnes ſingulari benevolentia, opportunam rati facilè impetrandæ cujusvis, etſi maximi, criminis impunitati, militarium cauſarum Generalem Quæſitorem adeunt, enixèque rogant, ut ſententiam tandem in miſerandum reum tandiu dilatam ferre ne moretur ultra. Abſque mora exorantibus morem gerit, capitisque damnat pro meritis improbum caput. Ad Principem (ut in ſimili ſolet) provocant ejus deprecatores ſub ſpecioſo pietatis, & humanitatis prætextu. Illi exponunt *Egregiam ſuæ Celſitudini oblatam occaſionem, tum oſtentandæ clementiæ, qua initia recentis Principatus mirificè confirmantur, tum colligendæ ab omnibus, maximèque à militibus benevolentiæ, quæ ad res maximas in bello capeſſendas plurimùm valet. Militem eum ſtrenuiſſimum quidem eſſe, urgentique bello maximè opportunum: unius militis ſervatam vitam magnis olim ducibus qualibet victoria multò fuiſſe chariorem: propriam ab illo non ſemel ſummis periculis objectam, ſæpius deinceps ab eodem tali obſtricto indulgentia majoribus objiciendam. Cauſam ſuæ neci, meritasque illatâ amico injuria occiſum dediſſe pœnas: dignum eſſe venia eum, qui invalidi amici vindicandas injurias ſuſcepiſſet. Tandem, cæteris omiſſis, quæ impetrandam criminis atrocioris impunitatem ſuaderent, legitimam Regum, ac Principum conſuetudinem eſſe, primum ſibi quodlibet oblatum crimen indulgere; ſuique regiminis felicitatem non à rigoroſa juſtitia deterrente, ſed à miſeratione animos conciliante auſpicari: hunc adeo vetuſtum morem obſervandum à clementiſſimo Principe, cui multò erit glorioſius hoſtium priùs, quàm ſuorum militum, effuſo ſanguine primò eductum è juſtitiæ vagina gladium cruentare.* Hiſce rationibus convictum Principem daturum manus, ac delicti veniam, qui eis utebantur, Magnates viri, ſupremæque in militia poteſtatis, at falsò, credidere. Alium quemlibet, non Principem adeo ſapientem, juſtum, & prudentem, cui ſceleſti facinoris ſeries univerſa in-

notuerat, expugnarent. Iis attentè, placidèque auditis, hujuſmodi reſponſum reddidit.

326 *Miror tales, ac tantos viros tanto impendio in liberando gregario milite à juſto ſupplicio laborare. Non illum eſſe ſtrenuum, ſed ignavum, & vilem pacta pecunia per inſidias admiſſum turpiter homicidium planè demonſtrat. Quid adverſus hoſtes glorioſum ab inglorio, & ignobili aſſaßino ſperandum, quem adverſus incautum commilitonem impotens furor, ac turpe lucrum impulere? Certè non defenſoribus iſtis in ſuos vulgò audacibus, in hoſtes plerunque timidis, & imbellibus res noſtra eget. Si aſſaßino indulgendum, quo ſoſpite nullius eſt ſatis tuta ſalus; in quem juſtitiæ gladius ſtringendus? Scio colligendam militum benevolentiam, at non erga improbos, immanium ſ elerum permißione, ſed prompta in benemeritos beneficiorum exhibitione. Clementem oportet eſſe Principem, fateor, at in propriis, non in alienis reipublicæ injuriis facilè remittendis; illud clementia ſuadet, ab hoc maximè abhorret. Quare quam mihi fortè injuriam, etſi nolentes, intuliſtis, dum indigna poſtulatis, libenter vobis condono; illatam reipublicæ condonare, iniquum foret: ſatis clemens habendus Princeps, qui unius capitis juſto damno univerſorum ex eo periclitantium indemnitati providè conſulit; clementiæ ſumma genus eſt inexorabilem ſe aliquando exhibere: clementer ſatis is ſe habet, cujus imperio noxius aſſaſſinus de medio tollitur, qui niſi juſtè occideretur, plures innocentes injuſtè foret occiſurus. Iam verò ea, quæ legitima citatur conſuetudo, primo crimino ſo condonandi, talis cenſenda eſt, cùm fortuitum, reipublicæque minimè pernicioſum, neque in plurimorum ſtragem ſerpens crimen occurrit; non verò è contra: mos nanque legitimus rationi conſentaneus ſit oportet; quæ jubet infectivum pracidi ulcus, ne cætera membra lethaliter inficiat. Permittite igitur ſuſpendi aſſaſſinum, è cujus nece multorum vita, & reipublicæ pendet tranquillitas; quem non ego, ſed aquus Iudex, quem innocentis effuſus ſanguis juſtitiam implorans, quem ipſius in primis execrandum ſcelus juſto ſupplicio addicit.*

327 Etſi evidentibus adeo argumentis convicti, haud tamen deſtitere illi, quorum intererat, juſtam iniqui aſſaſſini pœnam deprecari; non tam illius vitæ, necisve (quod Principem minimè latuit) ſtudio, quàm ut illius impunitate impetrata, facilior via ſterneretur ad impetrandam veniam pro cive quodam Elvenſi univerſis valde accepto, qui patrati homicidii ex condicta pecunia præcipuus author extiterat, ab Elviisque aufugerat; cujus cauſa nullum movere lapidem ejus familiares ſuperſedere. Illis ergo ſolicitantibus, nemo fuit alicujus apud Principem gratiæ, aut auctoritatis, quin Illum ſupplicabundus adiret; ſi fortè importunis omnium precibus moveretur, qui Minois, aut Rhadamanti, Areopagitæve inflexibilis inſtar in eadem æquiſſima ſententia immotus, conſtansque ad extremum perſtirit. E tam multis unus fuit, qui militari licentia Principi hæc objicere auſus eſt: *Ne, quæſo, adverſus folium, quod vento rapitur, nempe adverſus gregarium militem, oſtendat Veſtra Celſitudo potentiam ſuam, contra proximos hoſtes potiùs exhibendam. Debeat vitam V. Celſitudinis indulgenti edicto miles, quò cateros deinceps habeat ſuis dictis obſequentiores.* Cui Princeps: *Parciùs hæc à viro adeo bene morato* (ironicè dictum; erat enim is vulgò habitus profligatis moribus famoſus) *Mores tuos corrige; ſin minùs, meritò à me ſupplicio afficiendus.* Quæ Principis aculeata verba ſic hominem intrepidum alioqui pupugerunt, ac turbarunt, ut oſtium, quo ſe ab Illius conſpectu ſubduceret, inquirenti neceſſe fuerit unum è Cubiculariis, id mihi commemoranrem, indigitare. Alium ex potentioribus liberiùs monentem, ne vellet ſua Celſitudo abjectiſſimi cujuſdam militis cauſa, cujus vita, vel

nihili eſſet facienda, communem omnium Ordinum id flagitantium alienationem ſub initium ſui auſpicatiſſimi regiminis ſubire, animoſiùs, & graviùs excepiſſe Princeps fertur: *Scito* (inquit) *Elvios me non veniſſe juſtitiam, ſed hoſtes, ac ſceleratos profligare; non ad fovendam, ſed compeſcendam militum, aut civium licentiam. Caveant ſibi, quicunque iniqua vel faciunt, vel conſulunt: mihi enim ab infimi, qui ſe primus obtulit, ſupplicio incipienti ad maximos quoſque progrediendum. Fac certò ſciant omnes, ſub me vel rectè, vel nullatenus eſſe vivendum.* Obmutuit, nec deinceps vel ille, vel alius ea de re mutire auſus eſt.

328 At Princeps æquiſſimus, cùm inter alias pro reo allegationes audiret non ſervata plenè in illius damnatione omnia Juris decreta, initio hujuſce controverſiæ Ulyſſiponem maximo cum ſecreto miſit expeditum curſorem cum literis, ipſiſque Actis ad Senatorem quendam Regium (à quo id accepi) cujus ſapientiæ, perſpectæque integritati multùm deferret; illi ſeriò injungens, ut Actis illis, militariſque Judicis ſententia ſedulò recognitis, moneret ſe demum, an aliquid in illis à Jure requiſitum deſideraretur? An è contra omnia rectè, riteque procederent? Quo judicante fuiſſe militaris Judicis æquiſſimam ſententiam, nihilque illi aut addi, aut detrahi oportere; exequutioni eam mandari juſſit, aſſaſſinumque ſuſpendi, maxima cum bonorum omnium approbatione, vel eorum, qui pro illo inviti, ab aliiſque invitati ſupplicaverant: cunctis optimi Principis prudentiam, & juſtitiam extollentibus, mirabilemque conſtantiam adverſus potentiſſimos patronos meritis encomiis cumulantibus.

329 Conſtat Sereniſſimum Regem, cui juſtitia nihil unquam fuit antiquius, conſcium quid Princeps in ea cauſa deliberarit, ac ſe quàm prudenter, conſtanterque geſſerit, mirificè ſibi de omnibus complacuiſſe. Ad ipſum Sereniſſimum Regem reperi quandam Principis ex Elviis epiſtolam, in qua occaſione alterius negotii mentionem facit hujuſce facti. Et licèt verba, quæ ad illud ſpectant, ſatis foret exprimere, totam nihilominus epiſtolam dare libet, quoniam ex Ipſius verbis minimè ſupprimendis planiùs innoteſcet, non juſtitiæ tantùm, ſed clementiæ quoque apud Elvios Principem ex æquo indulſiſſe. Duo tantùm, quæ prodere non expedit, nomina fuere à me conſultò premenda; cætera ſic habent: *Non longiùs, quàm par eſt, excurram, ne deſtinato à Veſtra Majeſtate tempori natalitiis cantilenis explorandis ſim impedimento. Non tamen omittam, quin de M. V. valetudine, quam propriam duco, nuntia expetam; in hoc enim jam deſideria in vota degenerarunt. Fruatur V. M. optima, quam maximè opto, valetudine. Hìc tempus currit placidiſſimum: & quidem eſt, cur Transtagana regio de V. M. conqueratur, quam ex inclementi frigore commendat: illud certè hactenus Ulyſſiponenſi vehementius mihi non videtur. Inter epiſtolas, quas V. M. mihi ceſſerat, una eſt. N. in qua de cauſa. N. copioſè diſſeritur; de illa denuo controverti accepi. Mihi viſum eſt M. V. in memoriam revocare, quod jam olim M. V. palam feci: oportet enim nobilitatem benevolam habere, juſtitia minimè reluctante. Id V. M. pronuntio poſt juſſum à me in malam crucem agi hominem ea digniſſimum, interim ad ſupplices omnium Elvenſium preces inexorabilis; atque adeo nihil juſtitiæ contrarium V. M. unquam ſuggeram: æquum eſt, ut V. M. mihi juſta conſulenti acquieſcat. De cæteris, quæ ad V. M. ſcripſi, expecto reſponſum, quale ſperare jubet tum V. M. in me amor, tum regius, & generoſus V. M. animus. Soſpitet Deus Regiam V. M. Perſonam, ut opto, & indigeo. Elviis 11 Decembris 1651.*

Oſculatur Regiam V. M. manum ſuus obedientiſſimus Filius *Princeps.*

CAPUT

CAPUT XXVI.

Suprema Principis Theodoſii apud Elvios militarium, & Chriſtianarum virtutum monumenta.

330 NOn hiſce tantùm commemoratis hactenus virtutibus in edito militaris regiminis ſolio collocatus Princeps enituit; aliarum præterea egregium ſpecimen tulit, plurium, & illuſtriorum certè laturus, ſi diutiùs militari clavo aſſideret, ac ſi fata Illum paterentur ſuis auſpiciis glorioſam utique vitam ducere, ſponteque ſua bellicas curas componere. Interim haud ceſſabat frequentibus literis Sereniſſimum Parentem, ejusque miniſtros admonere, quid è re publica maximè fore judicaret, quid optimum factu rebus Luſitanis promovendis, & ad optatum exitum perducendis; ſimulque rogare, ut ſuſceptum à ſe conſilium Elvios properandi æqui, bonique conſuleretur; ex qua perſuaſione privata, publicaque pendere commoda non immeritò exiſtimabat. Hujus argumenti epiſtolam Ipſius ad Sereniſſimum Parentem minimè prætermittendam juvat hîc apponere, quò univerſis planum ſit, qualesnam fuerint eo maximè temporis generoſi Principis ſuſpiciendæ cogitationes: hujuſmodi epiſtolæ à me Latinè fideliter redditæ ſic habet exemplar: *Non minùs quidem dolerem, ſi exiſtimarem ſuſceptum à me conſilium Majeſtati Veſtræ diſplicuiſſe, quàm gaudeo ea ratione factum à me ſatis, tum Filio Luſitani Regis, tum Principi hujus Regni; id verò non temerè, neque aliis, quàm quos dictavit prudentia, expenſis rationibus. Enim verò cùm paucis ante diebus, (ut æquum erat) V. M. expoſuerim rationum momenta, quæ planè perſuaderent ad conſervationem V. M. ejusque Regiæ coronæ, ſimulque ad meam exiſtimationem pertinere, ut à V. M. mitterer ad aliquod è noſtri Regni confiniis; univerſa illa in præſentiarum longè validiora eſſe compertum eſt, maximè poſt accepta Catalaunici belli nuntia: ſic enim noſtris novus accreſcet promptæ defenſionis ardor, hoſtibus ex adverſo perturbatio; cùm videant novum ſibi à nobis intendi bellum, qui noſtris hactenus quaſi ſilentibus, & ſopitis armis, ſeriò cogitarent de recuperanda Catalaunia, quæ ad felicem V. M. acclamationem prima præluxit, & nunc eſt veluti exterior noſtri Regni murus; quo in poteſtatem hoſtium redacto, proximiores illos noſtris mœnibus habebimus, ad illorum expugnationem intentos. Igitur, Domine, ſi aliquando noſtris rebus attentiùs à nobis proſpiciendum eſt, cur non modò, cùm ad expeditam defenſionem neceſſaria plus nobis fortè, quàm unquam aliàs, ſuppetant? Si hactenus tempus nobis iniquum extitit, cur ſperandum in melius illud mutandum, nobis minimè immutatis? Quòd eò uſque id conſilium non ſuſceperim, in cauſa fuit, vel quia optanti opportunitas non affulſit; vel quia per invalidam ætatem non licuit; vel quia ſperabam mitti à V. M; cui propterea omnimoda, neque vulgaris hujus actionis gloria, mihi ſolius obedientiæ laus foret tribuenda. Pergat igitur V. M. meos hoſce fovere conatus, neque velit glorioſæ hujus expeditionis inutilem jacturam facere; quæ ſi propria erit V. M. multò evadet glorioſior. Illius cauſa, quas ego, ut potui, conatus ſum explicare, V. M. longè ſunt exploratiores: nec dubito, quin effectus meo reſpondeat affectui, ea ratione in maximam ſpem erectis Luſitanis, redditis ardentioribus militibus, turbatis hoſtibus, confirmatis amicis, & fæde-*

ratis, demumque ſtabilita Regia M. V. corona. Neque verò ſumptuum exinde provenientium habenda eſt ratio; ſyncerè nanque proteſtor apud M. V. cuidam militi multò minus ſufficere, quàm vulgò creditur: mihi certè id tantùm volo, quod ſit omnino neceſſarium, ne aliis ea deſint, quibus omnino indigent: & quidem id fuit inprimis, cur eo maximè modo hanc adornarim profectionem. De periculis ne quaſo ſolicita ſit V. M. cedatque hac in parte judicio amor, qui à me fuit victus, cùm à V. M. ſum avulſus, licet eidem ego ſatisfecerim: huic velim condonet V. M. ſiquid amaritudinis, (quod vix credo) V. M. meus hic attulit diſceſſus: idem ſit V. M. author, ut meam hanc probare dignetur actionem, ſuamque omnimodè reddere, quò mihi liceat auſpicatiſſimos ominari eventus ſub paterna V. M. benedictione, quam ut Filius hactenus, & perpetuò futurus V. M. obſequentiſſimus expeto, & ſpero.

Oſculatur Regiam M. V. manum ſuus obedientiſſimus Filius
Princeps.

331 Qua die fuerint hæ literæ à Principe ſubſignatæ? Quodve illis reſponſum Sereniſſimus Rex adhibuerit? Non ſum certus, etſi utrunque diligenter inquiſierim: quas reperi, ſuis inſeram locis, certam dictis fidem facturus, & veritati enucleandæ multùm profuturas. Interea Princeps, dum ex Ulyſſipone Regium placitum conflando exercitui, quod unicè habebat in votis, opperitur, univerſæ regendæ Provinciæ diu, noctuque ſedulus invigilat. Ab unoquoque cujuſlibet oppidi, arcisve Gubernatore, quibus indigeat, accuratè rationem exigit; quæ Ipſe poteſt, largè ſuppeditat; de aliis certiorem Regem facit, quò providenda curet. Eorundem dubiis, nulla interpoſita mora, plenè ſatisfacit, adhibito frequenter in dubiis militari concilio: ſiqua interim, vel obitu, vel tranſmigratione ducum vacarent munia, digniſſimo cuilibet confert, nulla gratiæ, vel ambitus habita ratione, præmiſſa publica nonnunquam, ſecreta ſemper uniuscujuſque meriti exquiſitiſſima perſcrutatione: qua in re duo memorat minimè pœnitenda, neque à me prætereunda exempla ejus Cubicularius Joannes Nonius à Cunia: *Quidam* (inquit) *vir illuſtris cujuſdam Præfecturæ candidatus Principem Elviis agentem convenit, ad eumque ita verba fecit: Fertur V. Celſitudinem de conferenda tali dignitate nonnulli digno cogitare. Non niſi digniori hanc, vel quamlibet aliam conferre vellem*, intercipit Princeps. *Audio N* (proſequitur candidatus) *hujuſmodi Præfecturæ inhiare. Notum ſit V. Celſitudini eum non ſemel ſibi defuiſſe; N verò eſſe novum hominem nullis natalium ſplendoribus. Satis eſt* (iterum, atque iterum ait Princeps, hominis procedenti maledicentiæ occurſurus) at cùm ille aliis detrahere minimè ceſſaret, ſiluit Princeps, patienterque obtrectatorem ad ſatietatem alienis defectibus inſultantem auſcultavit: mox ad illum: *Bene habet. Ex tuis allegationibus indignum te habeo eo munere, cùm de tuis meritis ne verbum quidem feceris; in aliorum demerita ſedulò inquiram; vacantemque Præfecturam benemerito ſtatim deferam, ne ſi diu diſferam, alii tibi mutuam vicem reddant, ac ſimilia de te proferant.*

332 Alter non inferioris proſapiæ, nec diſparis mordacitatis, quò infenſum ſibi æmulum à dignitate, cui proximè imminebat, longè averteret, ita Principem dicitur alloquutus: *Ego Domine ſum nimis fidelis; at N infidelitatis, & proditionis infamia laborat.* Cui Princeps: *Valde miror, cur hæc ad Fiſcalem Indicem non detuleris: mitte aliis obloqui, de tuiſque tantùm rebus alloquere, ne culpæ, quam alteri objicis, reus habearis: ſi enim fuiſti conſcius tanti criminis, illud celando incurriſti: quòd ſi, quæ profers, probare non vales, ea mihi ne dixeris.* Certè, quid

con-

conſultius dici, aut fieri poſſit, non video. Principum aulæ vulgò calumniarum ſunt officinæ, quæ ſubtiliſſimi ad inſtar fulminis, aut ſternunt, aut afflant optimos quoſque, niſi Regia lauro protegantur. Coram Theodoſio raró auſus quis alieno detrahere honori; ſecuriores omnes Principis præſentia reddidit, quàm propria innocentia. Illud eo in genere non ſilendum, quod Regibus, & Principibus erit ad nominis æternitatem æmulandum. Haud ſemel Princeps militaria munia non ambientibus, aut ſupplicantibus, verùm de illis ne quidem cogitantibus, at meritorum explorata præſtantia excellentibus, ad ſe venire juſſis detulit; quò nimirum cæteros edoceret, neminem, niſi benemeritum, poſſe de ſe bene mereri; eamque unicam, & expeditiſſimam eſſe viam à ſe maxima quæque impetrandi, quæ illuſtribus deſignata facinoribus ad ardua, & præclara duceret.

333 In ſcrutandis præterea hoſtium viribus, novis auxiliis, & conſiliis, propriiſque occultandis indefeſſum ſtudium eo temporis Princeps adhibuit; utpote qui ſciret, in bello tanti eſſe momenti hoſtium occultiſſima quæque præſcire, quanti ab illis propria, vel publica neſciri. Præter alias occultas rationes, & ſtratagemata, quibus utebatur, eò quidem validiora, quò ſecretiora, ſæpe in hoſtium fines armatas turmas immittere ſub ſtrenuiſſimis ducibus locorum, & viarum expertiſſimis. Accidit ſemel, ut noſtris ad interiora penetrantibus occurreret hoſtilis equitatus: concurritur utrinque, validiſſimaque pugna conſeritur; in qua noſtri equites ſuperiores adverſariorum pleroſque armis, equis, & veſtibus ſpoliatos, ſeminudos Elvios deduxere. Ab iiſdem ſeorſim interrogatis cognito rerum ſuarum ſtatu, miſerabili eorum ſorte, ac nuditate, maximè in ſumma ſævientis hyemis inclementia, commotus clementiſſimus Princeps, veſtibus, & libertate donatos, monitoſque, ne Luſitanorum militum inurbanitatem iterum experiri vellent, domum remiſit, futuros Ipſius humanitatis, & generoſitatis teſtes locupletiſſimos. Aliàs equeſtris turmæ Ducem Lupum à Siqueyra ea tempeſtate celebrem, gravi accepto vulnere, ſui milites Elvios quoque adduxere, non ſine ingenti Principis dolore, cui ſtrenuus vir ob ſingularem virtutem, & bellicæ fortitudinis edita paſſim documenta erat in paucis acceptiſſimus. Illum per ſuos aulicos ſæpe inviſit, humaniſſimiſque verbis ſolatus eſt adeo, ut mille ſibi vitas optaret inclytus Dux, quas tanti Principis indulgentiſſimæ humanitati libens impenderet. Illius præterea laudes in familiari cum ſuis, & exercitus Primoribus ſermone Princeps extollere, dignumque prædicare, qui magnis à ſe præmiis, & dignitatibus afficeretur. Hinc in aliquorum animis orta invidia, quæ licèt non niſi parvulum ſoleat occidere, magnos etiam viros gloriæ cupidos, aliquem ſibi præferri ægrè ferentes, aliquando tangit. Cæpere hi apud Principem abſentem virum deprimere, qui rebus geſtis ſupra plurimos emineret: *Strenuum quidem eum eſſe* (id inficiari, quia omnibus exploratum, haud valuere) *ſed honeſtis licèt parentibus natum, nulla tamen eum illuſtrium majorum commendatione conſpicuum: quare non tanti faciendum, quem tam multis generis claritudine præcellentibus viris Deus ipſe, ac natura longè fecerit inferiorem.* Plura conantes proſequi Princeps intercepit in hanc memorabilem ſententiam: *Veram, unicamque nobilitatem ſolùm habendam virtutem; probatique viri cujusque genus virtutis proſapiam eſſe; ſibi non tam in pretio fore ab illuſtribus parentibus, & majoribus, quàm ex clariſſimis, maximiſque rebus geſtis ortam nobilitatem; eam ineſſe Lupo à Siqueyra, quem illuſtribus excellentem facinoribus illuſtriſſimum me-*

Lud. Mach. in funeb. conc.

meritò haberet; proindeque ſi viveret, ac cæptis inſiſteret, Comitem eum à ſe creandum, & plurimis, qui ſimilia non ediderint, quantumvis illuſtriſſimis, præferendum. Magnifica promiſſa quominus impleret Princeps, obſtitit intra paucos dies ſtrenui Ducis ſequuta mors, quam ſummi doloris ſignificationibus Idem proſequutus eſt, non aliter, quàm ſi dilectiſſimo amico, aut conſanguineo deſtitueretur.

334 Privatum hunc dolorem vehementior alius ex publica cauſa ſuſceptus, & ex bellicis curis, poſtquam Elvios tenuit, indies augeſcens intendebat, Principiſque animum haud mediocriter cruciabat. Secum nempe reputabat *inter arma verſari ſe ducibus, & militibus ſtrenuiſſimis ſtipatum, ſed ab armis omnino ceſſantem, militariſque gloriæ, quam maximè appeteret, penitus immunem. Ad hæc, difficilius ſibi eſſe cum Miniſtris, & Conſiliariis Vlyſſiponenſibus longinquioribus, quàm cum proximioribus hoſtibus bellum; dum illi diſſuadendis belli auxiliis omnino neceſſariis vires omnes exſerunt; iſti bellum dum non inferunt, detrectare videntur. Nequaquam ſuis æquiſſimis poſtulatis deferri; immò ſolita etiam, & à ſe implorata ſæpe pro indigentibus militibus, ſtipendia plus æquo differri. Cogendi exercitus nullam alicubi mentionem: unicam eſſe Aulicorum curam, ut in Curiam Princeps nulla re memorabili geſta inglorius revertatur: fruſtrari ea irrationabili adeo ratione glorioſos Ipſius conatus; conceptam de ſe ab univerſis expectationem inſperato à ſe abortus expoſitam.* Hæc, & ſimilia bellicoſi Principis animum gravibus curis anxium, & immodico dolore ſaucium exagitabant. Ei verò dolori mulcendo, bellicisque curis vel mitigandis, vel diſſipandis levamen aliquod ſoliciti Aulici excogitarunt. Nec fuit difficile reperire probè conſciis unum eſſe (de quo jam diximus) oblectamenti genus (Trochum
Hoc lib. §.129. appellant) cui Princeps libenter indulgeret; ſive quia exercendis viribus maximè commodum, militariſque prorſus exercitii ſimulachrum expertus fuerat, geminis hinc inde infenſis haſtis ſibi occurrentibus, & certo ictu projectis ligneis globis de incruenta veluti victoria decertantibus; ſive quia familiare noſtris, qui feriatis diebus in ſuburbanis prædiis, ad reficiendas vires nimio ſtudiorum labore depreſſas, illo ſolent exerceri. Hujuſmodi ludo Alcantaræ jam diu Princeps aſſueverat; eundem ut Elvios transferri jubeat, à ſuis facilè adducitur.

335 Verùm de opportuno loco dum ambigitur, illico reſpexit Princeps ad noſtrum Collegium, quò animus inſita propenſione inclinabat. Nec mora, edicit ſuo Confeſſario, diligenter ut obſervet, an intra noſtri Collegii ſepta complanari poſſet longè, latèque patens area, quam neceſſariò is ludus exigit, ut illuc, dum à publicis negotiis vacandum foret, cum ſuis purpuratis aliquantiſper diverteret. At invidere nobis hunc ſummum honorem, ſuamque Principi non mediocrem voluptatem, noſtræ domus è primis fundamentis tunc vix emergentis anguſtiæ, tanto Principi excipiendo impares. De quibus ubi per Confeſſarium certior fit, dolens talem ſibi è manibus elabi occaſionem cum noſtris frequentiùs, & familiariùs confabulandi, ea dejectus ſpe imperat, in præalta foſſa cujuſdam propugnaculi, quo cumulus (vulgò dictus *Caſſaramus*) occupatur, capacem ſibi ſterni aream, quo ſe cum paucis tum ex ſuis Aulicis, tum ex belli Primatibus, ad bellum etiam ludendo præluſurus, haud rarò conferebat; ſemper tamen aliquot è noſtris illic intereſſe juſſis, pro uberiori maximæ oblectationis complemento. At minimè omittendum, non aliunde, quàm ex noſtro Eborenſi Collegio voluiſſe

aſpor-

aſportari appoſita hujuſmodi ludo inſtrumenta; quatuor nimirum prægrandes ligneos globos, totidem oblonga haſtilia, & aptum excipiendis globis ferreum circulum, aurei verè Principis aureum Societati noſtræ ſeculum reducentis monumenta. Neque ad extremum ingrato involvam ſilentio, quod quidam ex Ipſius ingenuis pueris, qui cum Principe tum Alcantaræ, tum Elviis colludens, Societati poſtea nomen dedit, accuratè obſervavit: Principem nimirum ſæpe inter ludendum tum vocabula ipſa, tum familiares loquendi modos, & metaphoras, quibus noſtri per jocum in hujuſmodi exercitatione utuntur, uſurpare ſolitum. Omnia Ille curioſa indagatione à noſtris ſcrutatus, in omnibus quaſi unum è noſtris ſe gerere geſtiebat. Hîc Illum non ſemel vidi exultantem, ſummam in ludendo dexteritatem, validiſſimaſque vires. globis longinqua colliſione propè diffractis, oſtentantem, & inſignem in erecto ſemper corpore gravitatem, in placidiſſimique oris aſpectu eximiam præ ſe ferentem humanitatem.

336 Dum hujuſmodi adeo honeſto, virili, ac militari prorſus oblectamento veſpertinis aliquando, ut ſolebat, horis vacaret Princeps, edito repente ſumma ex arce veri belli ſigno, à ſimulato abſtinere, omiſſoque ludo ſeria cogitare compulſus eſt. Univerſus nempe hoſtilis equitatus ex diſpoſitis inſidiis ſubitò erumpens in exploratoriam noſtram turmam invectus, eam ad Elvenſia uſque oliveta inſequutus eſt. Hinc maxima militarium rerum inexpertis perturbatio, non tam de proprio, quàm de Principis falsò à ſe concepto periculo trepidantibus: quare Illum monere, ut conſcenſo equo properè ſe in Urbem proriperet, imminentique diſcrimini ſubduceret. Militares è contra viri, conſcii nullum ſubeſſe periculum Principem ita compellare: *Domine, hoſtis in oliveta minimè penetrabit; quocirca æquum eſt, ut proceſſuris obviàm ducibus, ac militibus ſe offerat V. Celſitudo ſocium: enim verò ex ſubitis eventibus, ubi nullum aditur diſcrimen, maxima comparatur exiſtimatio.* Utriſque Princeps nihilo turbatus, eadem, qua paulò ante inter ludendum, ſerenitate generoſum juxta, & prudens præbuit reſponſum: *Nequis falſa de me opinione decipiatur. Neque ſi maximum urgeret periculum, illi cederem; neque ubi nullum eſt, vana oſtentatione animoſitatis futilem adumbratæ virtutis gloriam aucupabor; ſuum quiſque munus exequatur, meum ego promptè obibo.* His dictis conſcenſo curru, jubet legiones extra Urbem procedere; noſtrum equitatum in hoſtilem invehi, qui momento ad noſtrorum è longinquo adſpectum evanuit.

337 Aliàs ipſe Princeps, ut militum ad confligendum cum hoſte ardorem, & alacritatem exploraret, juſſit à ſe deſignata hora conficto belli ſigno edito ad arma conclamari. Igitur proximis campis à noſtro equitatu recognitis, frequentiori ſolito equitatu comitatus, extra Urbem longiſſimè à munimentis Princeps procedit, quaſi finitimam luſtraturus regionem, genioque pauliſper indulturus. Ubi ad collem, de quo convenerat, ventum eſt, ſigno è ſpecula dato, proſilit è vicinis latebris numeroſa turma omni armorum genere inſtructa, Luſitana quidem, ſed ſtrictis gladiis, Caſtellanoque idiomate horriſonum infrendens, nihil, niſi hoſtile, præ ſe ferens. Caſtellanam eſſe turmam, reliquumque hoſtium equitatum haud procul abeſſe, qui Principi aderant, non dum propalato errore, ſibi omnes perſuaſum habuere. Hîc eorum plurimi hoſtibus obviàm ire, ſeque indubio vitæ periculo audacter objicere, primum hoſtium impetum moraturi, dum Princeps in Urbem tutò ſe reciperet: alii circa Ipſum fundi, conglobatique ſtrictis mucronibus vndique circum-

circumvallatum protegere: pauci, quibus poſtea militariter inſultatum, ad repetendam feſtinatò Urbem, præſensque auxilium implorandum accingi: Principe interim univerſorum vultus, motus, & bellicæ fortitudinis manifeſta indicia lætanter obſervante; donec brevi deprehenſo ſtratagemate, cognitisque viciſſim noſtris, ſubitus inſperati certaminis tumultus quievit,& in mutuam lætitiam abiit; cunctis ad pedes victoris Principis arma ſubmittentibus, atque Illi incruentam, eòque voluptuoſiorem victoriam gratulantibus, Illo interim tum ſimulatis hoſtibus, tum veris commilitonibus pro re bene, ſtrenuèque geſta plaudente, ac ſibi mirificè complacente, cui ſtrenui adeo duces, ac milites contigiſſent. Feliciùs quidem ſecum actum, quàm
Vaſconc. in ejus vita §. 3. cum Sereniſſimo Rege Joanne ſecundo, profeſſus eſt: Illi nanque arma olim induiſſe ideo libuit, ut nimirum proprio experimento compertum ſibi foret, quibus potiſſimum fidere, deferreque deberet; ſibi verò arma tractanti eos eſſe duces,ac milites, quorum omnium exploratæ virtuti omnia eſſent committenda. Ita ſuos Princeps indies animoſiores,& ad ardua quæque ſubeunda promptiores reddere ſatagebat.

338 Sed inter militaria hæc exercitia, bellicaque præludia, ſui haud oblitus Princeps ſpiritualium exercitiorum, quibus Ulyſſipone aſſueverat, præcipuam habere rationem: ita de bello hoſtibus inferendo cogitare, ut ſibi difficilius aliud indicere non abſiſteret; ſic externis regendæ Provinciæ negotiis ſedulò vacare, ut interno profectui, Deo, Chriſtianisque virtutibus indulgere, prima ſibi eſſet ſolicitudo. Hinc audiendo quotidie Sacro religioſiſſimè intereſſe; Divinum, Deiparæque Officium exactè recitare; plurimas alias ſibi conſuetas preces rite obire; Confeſſionis, & Euchariſtiæ Sacramenta ſtatutis ſibi diebus ſtudioſè frequentare;Orationis mentalis penſum matutinis, nocturnisque ſolitis ſibi horis accuràtè abſolvere; ac (ut verbo dicam) reddere Cæſari, quæ forent Cæſaris, & quæ Dei, Deo. In hiſce verò adimplendis ſpiritualibus muniis ita ſe prudenter gerere, ut ſiquando urgens negotium interveniret, illi expediendo, intermiſſis nonnunquam precibus, ne ſibi, aut juſtitiæ deeſſet, ſedulò incumberet. Ad cujus confirmationem referre juvat exemplum, cujus meminit ejus Cubicularius Joannes Noniis à Cunia iiſdem prorſus, quibus ille, verbis à me tantùm Latinè redditis: *Suis* (nempe apud Elvios) *recitandis precibus operam Princeps dabat: intervenit ſupplex libellus cujuſdam Tribuni militum, cui Ulyſſiponem mox abituro ſummam quandam pecuniæ ſolvi juſſerat: dubitavi ego recitantem Principem interturbare, proximèque ad Illum pedetentim acceſſi. Quid hoc rei? (rogat à me Princeps) expoſui quid eſſet, vererique me ab oratione ſuam Celſitudinem avocare: mox ſubſignato libello addidit. Majus certè obſequium Deo præſto in expedienda ſupplicatione Viri adeo benemeriti, quàm orationi vacando per plures noctes, etiamſi majori devotione illi attenderem. Si fortè dormiam, & ad ſolutionis plenum effectum aliquid à me adjiciendum adhuc ſupererit, excitato me; in eo enim mihi gratum feceris.*

339 Illuxit pervigilium Sanctiſſimæ Deiparæ à Conceptione paucis poſt diebus, ex quo Princeps Elvios advenerat. Illius feſtum ſolemniori apparatu, & impendio celebrare decrevit non Elviis, ſed Villaviſſoſæ, ubi (ut alibi
Hoc lib. §. 15. & §. 207. dictum) magnificum immaculatæ Virginis templum ampliſſimè auxerat Sereniſſimus ejus Parens, concredita victrici Virgini denuo à ſe aditi Regni tutela, ſolutòque illi quotannis ea die perpetuò ex ſignatis ejuſdem effigie argenteis nummis tributo. Illuc opportuno ad ſui præſidium equitatu comi-

tatus,

tatus, inſperatusque adiit, incredibili oppidanorum plauſu exceptus unica ea, qua ibidem immoratus eſt, nocte. Sequenti mox die ſolemni Sacro, & panegyricæ de Virginis immaculatæ laudibus orationi, ſumma omnium ordinum frequentia, & exultatione interfuit, ac ſub veſperum Elvios repetiit. Ibi Sodalitium in Collegii noſtri templo denuo inſtitutum, Sanctiſſimoque Xaverio dicatum invenit, cujus obſequio illius civitatis, & militiæ Primores nomina dederant: iiſdem ſupplicantibus Princeps ex longo Xaverii venerationi addictiſſimus ejuſdem Sodalitii Protectorem perpetuum ſe ipſum pronuntiavit. Illius feſtum univerſa ſtipatus militari Curia longè ſolemnius, & auguſtius eo anno in Collegii noſtri templo ſua præſentia reddidit. Hoc ſingulari beneficio noſtrum auxiſſe Collegium minimè contentus, alterius inſuper maximum addidit incrementum; juſſa ibidem publicis Regiis ſumptibus magnifica erigi Aula, in qua è noſtris quidam duces, militesque nonnullas Mathematices ſpecies militaribus maximè utiles edoceret; deſignata pro alendo Magiſtro, Mathematicisque libris, & inſtrumentis coëmendis opportuna ducentorum aureorum ſumma. Utrunque illico exequutioni mandatum, magno militarium vel è Primoribus ad eam aulam concurſu; omnibus præeunte Andrea Albuquercio, qui Equitum Magiſter non dubitavit alieno ſubjici Magiſterio, ſedulamque operam dare Patri Audueno Flandrobelgico è noſtra Societate, qui primus omnium in ea aula Mathematicas diſciplinas profeſſus eſt, maximo cum diſcipulorum ad eum confluentium proventu: Principe ipſo nonnunquam tum à Magiſtro eorum, quæ doceret, tum à majoris notæ diſcipulis eorum, quæ addiſcerent, rationem exigente, & cum univerſis diſputante. Non dubito, quin alia plurima memoratu digniſſima ibidem ediderit, quæ me latent, Princeps maximus, dum Elviis adeo brevi eſt immoratus. Eadem, iiſque affinia elegantiori, elogiacoque ſtylo deſcripta pro complemento hujuſce capitis hîc addidiſſe, jucundiſſimum, ut puto, erit curioſo lectori, cupidoque ſciendi omnia, quæ ad tantum Principem ſpectant: ſic ejus apud Elvios facta, dictaque unus è noſtra Societate exprimit P. Franciſcus Machado eximius tum Rhetor, tum Eloglaſtes.

340 *Nunquam* (inquit) *popularem arctiùs devinxiſti gratiam, quàm cùm ſolutus omnibus aliis negotiis, Te addixiſti Caſtrenſibus. Nullum pulchrius populo ſpectaculum, quàm Princeps pro populo paludatus. Erubuit purpura publico amori deſtinata latere ſub umbra. Hoc ſolum habebat in votis maſculum genus, videre ſuum Principem devotum bello; voti compos extra votum ivit: appellare non ceſſat Præſidem belli Principem pacis. Ex quo Te armatum vidimus, argumentum belli vertimus in auſpicium pacis. Pax aurea ex ferreo Principe. In bello fortitudine conſpicuus; in pace juſtitia: niſi quòd fortior videaris in reipublicæ muneribus æquè dividendis, quàm in hoſtibus impigrè debellandis; cùm fortiorem exigat Principem æqua honorum diviſio, quàm hoſtium everſio. Mira æquitas tua in ipſa rerum diviſione indiviſa. Neſcio quid robuſtius in Te immineat pro Hebræorum Imperatore, quando illi concredita Telluris diviſio. Ille diviſit ad ſortilegium, Tu ad meritum. Invenere tandem merita Principem ſimul, ac Iudicem. Vel gratia munera diſpenſas ad juſtitiæ libramentum, cùm ſcias auferri omnibus, quod uni confertur. Non quæris magiſtratus hominibus, ſed magiſtratibus homines; nec ſola cunabula, ſed merita; quales, non unde ſati. Quaſi putares majorum duntaxat gloria ornatos, quoſdam veluti truncos alienis ſpoliis onuſtos: non quòd oderis fumoſas imagines, ſed fumum. Generoſæ nobilitatis ingens adeo æſtimator, ut publicis muneribus præcipuas inter virtutes jubeas habere illam. Mavis eligere nobiles,*

Joſue 1. Confortare, & eſto robuſtus; Tu enim ſorte divides populum. n. 6.

les, quàm facere: meliores ferè, qui ex melioribus. Verùm præponis ſpectatos commendatis; quia nemo facilè commendat ſibi præponendos. Eligis ad judicium, non ad placitum. Nec ſine conſilio agis, nec ex ſenſu pendes alieno: conſulis, ut homo; imperas, ut Princeps. Quamvis nemini uni obedias, plurimos ſemper audis. Qui multos conſulit, errat in paucis. In caſtris nihil Tibi antiquius, quàm donare veteranos, informare rudes, induere nudos. Vel purpura exuenda (generoſa vox tua) militi induendo. Æmularis planè Imperatorem maximum, cùm de Trabe propriam militibus donavit trabeam. Nam cùm ab alio amor vinci non poſſit, ſibi de ſpoliis fecit opima ſuis. Nunquam ornatior Princeps, quàm cùm pro milite nudus. Miſſa Tibi bellaria jubes diſtribui præ morbo deficientibus, ut reficiantur ad bella. Robuſtiores quidem reddit, quos delicatos viſa eſt facere tua benignitas. Solus in prælio durat miles, quem fovet Principis indulgentia. Mira humanitas in ſocios, par in hoſtes.

341 *In bello captos non ſinis manu mitti ſpoliatos; ornas veſtibus, afficis muneribus: nova de hoſtibus victoria, nova ſpoliorum acceſſio, & parcere, & donare. Interiùs ſpolias, quos veſtis; arctiùs conſtringis, quos ſolvis; validiora amoris vincula, quàm ferri. Nemo à Te mæſtus recedit, obæratus omnis; in ære tuo vel hoſtes numeras. Clementior ſub Theodoſio ſervitus, quàm ſub alio Principe libertas: cùm in poteſtate tua ſic animos, ſic corda habeas, ut fias reus liberæ voluntatis. Cuidam increpanti militem verboſiùs, quàm decebat, facta narrantem ſua, quaſi indignabundus occurriſti; ſine, non tædet audire, quæ patrare glorioſum eſt: non quòd pluris facias verba, quàm facta; ſed quia miles ſemper ſociam verbis adhibuerat manum; Herois illius inſtar, qui ornatiùs dixit ſine lingua, & dexteriùs pugnavit ſine dextra. At linguam ſolùm poſtulatus, porrexit ſimul & manus; ut moriendo etiam facta verbis attemperaſſet; nunquam lingua ſine manu. Nihil Te latet, quia pates; ſed nemini magis, quàm militi. Indecorum dicis invios fieri Principis aditus, queis ſcimus pervios hoſtium cuneos, &c.* Hactenus eximius, & quidem veriſſimus de Theodoſii apud Elvios memorandis actionibus Author; ubi ſi diutiùs moram traheret, bellumque ſuo prudenti, & generoſo arbitrio moderaretur, ſuſpiceret Orbis Ducem numeris omnibus abſolutum; cui poſteritas omnis, Ille paucis ex celeberrimis retroactæ antiquitatis invideret. Sed jam dicendum, qualenam fatale prorſus aſtrum eam bellatrici Luſitaniæ bellicam gloriam invidit? Rem quidem ſcitu dignam, plurimis olim controverſiis politicis obnoxiam, aliquorum ſcriptis tempori ſervientibus cæcam, tenebriſque hactenus involutam, in lucem proferam; veritate ad intima penetrare ſolita viam commonſtrante, certaque ab incertis diſcriminante.

CAPUT XXVII.

Iuſſu Sereniſſimi Regis cogitur Princeps Theodoſius Ulyſſiponem redire.

342 AD primum Principis ex Ulyſſipone clandeſtini exitus nuntium, à quodam, ut ſupra diximus, Religioſo viro tam Regi, quàm Hoc lib. 4. 313. Principi juxta gratioſo expenſum, ſatis conſtat, non modò non indignatum Regem, ſed maxima dignum laude habuiſſe Principem, qui adeo generoſo

ſuſcepto

ſuſcepto conſilio, publicis, privatiſque rationibus ex æquo ſatisfecerit. Immò eidem Religioſo, aliiſque ſimiliter animatis factum Principis pro dignitate commendantibus, de illoque Regi gratulantibus mirificè Illum plauſiſſe, omnibus exploratum eſt. Accepta Idem epiſtola, quam diſcedens Princeps Regii Cubiculi Præfecto Comiti Penaguiano, Sereniſſimo Parenti commiſerat tradendam, eaque perlecta in eadem perſtitit ſententia; cui fidem facit indubiam per ipſummet Penaguianum miſſum ad Principem ipſius Sereniſſimi Regis placidum quidem, & intimi amoris ſignificationibus plenum reſponſum; quod hujuſmodi eſt: *Fili. A mei Cubiculi Præfecto accipio tuas literas, ex quibus expoſitam mihi tuæ profectionis cauſam agnoſco. Quæ Me Tui deſideria exagitent, poteris Ipſe, ut par eſt, intelligere: & verò ne dolorem exaggerem, ultra non progredior. Meam Tibi remitto benedictionem, ſolicitus itineris, & in Elvios tranſitus, cui periculum ſubeſſe poteſt. Quæ Tibi opus erunt, ſubmittenda curo; de cætero ſecretiora mea excipies monita. Mitto ad Te Præfectum mei Cubiculi, qui Mihi de Te ſpecialiora referat nuntia, Matris tuæ, ac Fratrum dolori factura ſatis. Deus Te ſoſpitet. Vlyſſipone 2 Novembris 1651.*

Tuus Parens, qui Te plus diligit, & optat
R E X.

343 Ex hac adeo familiari epiſtola, paternum, intimumque amorem ſpirante ſatis liquet, quo tunc animo fuerit Sereniſſimus Rex erga Filium ſibi chariſſimum, & quid eo temporis de Illius expeditione judicarit. Neque minùs ex variis, quas legi, Sereniſſimæ Reginæ ad Ipſum Principem literis; quarum aliæ autographum, tranſumptum aliæ referebant: univerſæ ardentiſſimis deſideriis, & exquiſiti amoris lenociniis planè redundant. Unius ex his epiſtolæ 11 Novembris datæ initium ſic habet: *Neſcio tuis literis reſpondere, quæ Te ſolùm unicè amare ſcio, ſimulque tuam dolere abſentiam, ac in Te omnia eſſe ad amuſſim, juſtaque rationi conſona, planè agnoſcere. Quòd ſi talia fortè non eſſent (de quo maximè ſemper dubitabo) Tibi certè indicarem, apud alios ubique Te acerrimè propugnatura: id enim meus eſt apud omnes, ne dum erga Te genius, qui es totus meus amor, unicumque bonum: id Te minimè latet; de quo maxima mihi eſt jactantia, &c.* Cujus epiſtolæ, aliarumque ſubſignatio (nequid curioſum lectorem fugiat) hujuſmodi erat: *Tua Mater, quæ Te plus, quàm ſe diligit.* In alia ſic: *Tua Mater, quæ Te ſolum amat.* In altera tandem: *Tua Mater, quæ Te unicè amare novit.* Id certè fuit Sereniſſimæ Reginæ maximi quidem faciendum de Principis ad Elvios profectione ſyncerum planè judicium: in qua nihil, niſi rationi conſentaneum, ſe reperire profitetur. At reperiſſe nonnullos, quid in præcellenti adeo actione reprehenderent, Sereniſſimoque Regi reprehendendum ſuaderent, ab aliquibus, qui Elvios ex Ulyſſipone advenerant, certior factus eſt Princeps, non ſine ingenti ſuo dolore, non tam ſui, quàm in rempublicam ex hujuſmodi ad Regias aures ſuſurris incommodi orituri unicè ſolicitus. Certè Rex, vel re attentiùs ſecum per otium reputata, vel alienis ſuaſionibus aliò averſus, priori abdicata, in qua brevi perſtitit, ſententia, paulò poſt omni ratione, jam paternis blanditiis, jam ſuaſoriis epiſtolis, modò dilato militibus ſtipendio, ſubtractiſque vel ad ipſius Principis ſumptus neceſſariis; ac tandem adverſus Principis domeſticos, & familiares acerbiſſimis intentatis minis eum Elviis Ulyſſiponem reducere adnixus eſt. Jam verò quibus potiſſimùm de cauſis Rex à Principe, cæteriſque credi voluit priorem ſe mutaſſe ſententiam, ex Ipſius ad Principem miſſa, mox producenda, epiſtola Hic §. 349

 mani-

manifeſtum erit: quas autem Illi nonnullos clanculum ſuggeſſiſſe Principi nuntiatum eſt, à me quoque propalandas duco; ne mihi Perfecti Principis veram effigiem exprimenti deſim; cujus proinde munus eſt optimos pictores æmulari, qui non modò elaboranda à ſe imagini conſpicuos, nitidoſque colores, ſed obſcuras quoque umbras paſſim inducunt, nævoſque à natura inſitos adjiciunt; ſic ſpectabiliori expreſſa effigie, quòad eum, quem repræſentat, veriùs accedit.

344 Igitur ex aulicis, & miniſtris Ulyſſiponenſibus nonnulli comperto ex Principis repentino abitu Regis dolore, quem patrius utique amor eidem ſuadebat, non quidem ei leniendo, ſed amplificando aulicas artes accommodarunt. Nimirum, *non debuiſſe Principem amantiſſimo Parente inſcio è Regia aula per nocturnas tenebras furtim ſubduci; pauciſſimiſque præter Regiam dignitatem comitatum procedere; periculoſo itineri hoſtilibus turmis infeſto ſe committere; univerſam Curiam dubio timore, anxiaque ſolicitudine implere; rumoribus tum apud indigenas, tum apud exteros cauſam dare; plurimis tandem exinde orituris incommodis implicitam adeo viam aperire.* Hæc ſibi timidè proferentibus cùm placidas præbentem aures, facilèque annuentem Regem animadverterent, ad commemoranda ea, quæ inſinuaverant ſubſequutura, incommoda longè animoſiores progrediuntur: *Prudentis eſſe* (dicebant) *futura non prævidere modò, ſed in tempore præcavere; ingenti cuilibet malo in prima ſui ortu, cùm adhuc invalidum eſt, facilè occurri poſſe; difficilè quidem. ſi diutiùs progrediendo viribus acquiſitis adultum indies convaleſcat. Serò, & infructuoſè medicinam parari, cùm mala per longas invaluere moras. Quare ſeriò, ac per otium recogitandum à ſua Majeſtate, è re publicane, ac privata Ipſiuſmet ſit adoleſcentem Principem juvenili ardore, ſe inſcio, ad arma etſi glorioſè proſilientem, jamque Regio aſſenſu Tranſtaganæ militiæ Præfectum arma ſinere ſuo arbitria moderari; an eundem ſub quolibet honeſto prætextu revocatum, ſecurioremque apud ſe in officia continere, in aciem proceſſurum, cùm res ipſa poſcat, aut à ſua Majeſtate, non verò à ſe, vel ab aliis impellatur? A Principe quidem adeo prudente, juſto, paterniſque juſſis hactenus obſequenti nihil eſſe timendum; at ipſi Principi eſſe maximè pertimeſcendum, ne immaturi juvenum ſibi plaudentium conſiliis abreptus majora viribus juſto animoſior audeat, ſeque, reſque noſtras hactenus tutas in maximum aliquod diſcrimen adducat. Ad hæc, S. M. ſatis fuiſſe haud pridem recenti experimento compertum, quo ardore ad primum Principis Ulyſſipone abeuntis nuntium Ulyſſiponenſes univerſi ad eum proſequendum commoti ſint; parumque à ſolitudine Curiam abfuiſſe, niſi tempeſtivè ſua ſponte procurrentibus univerſis occurreretur: ſi talis, tantuſque fuit animorum motus, invita S. M. qualis, quantuſque futurus creditur, invitante? Si Principi regendus exercitus committatur, quis dubitet univerſam Regni nobilitatem ad merendum ſub Illa convolaturam? Primos omnium malè contentos Illi adhæſuros; & fortè pejus aliquid novitatis ſtudioſos molituros; deſerto interim Rege vacua tantùm in aula Æolica non abſimili regnante? Ea verò incommoda, pluraque alia iis majora forſitan oritura poſſe facilè nunc temporis declinari, ſi Principi ſub honoris ſpecie injungatur, ut luſtratis brevi Tranſtaganis oppidis, & arcibus ad Regni confinia poſitis, Ulyſſiponem tandem feſtinatò redire jubeatur, redditurus V. M. rationem de omnibus, quæ locis illis eſſe neceſſaria iudicabit, tum ad hoſtium, ſi res exigat, offenſionem, tum in primis ad Provinciæ defenſionem; injecta opportuniori tempore colligendi exercitus ſpe, cui Princeps ipſe præficiatur.*

345 Quæ tamen illi ſyncero fortè ducti zelo, candidique animi ſana intentione publicum bonum unicè reſpiciente Regi ſuggeſſerant, non defuere,

re, qui ad Principem longè aliter deferrent, ac ex privatis orta rationibus interpretarentur: *Curiales nempe viros ab omni prorſus armorum genere abhorrentes ejus eſſe ingenii, ut cùm bella manus poſcunt, ſpecioſis, & argutis verbis bellum, aut confici, aut eludi poſſe arbitrentur; eoſdem ſuſpicioſum hominum genus eſſe, ibi vulgò artes ſuis ſimiles ſubodorantium, ubi ſyncera omnia, nullaque inſidiæ tales deprehendi poſſunt. Ab eorum nonnullis ideo gerendum ſeriò bellum Regi diſſuaderi, quia timent, ne vel ipſi, vel ſui ad illud, ſi fortè ingruat, capeſſendum, deliciasque Vlyſſiponenſes, à quibus abſtrahi nequeunt, deſerendas compellantur. Alios non tam Regis, quæ ſemper integra, & inviolata manebit, quàm propriam potentiam imminutam iri, Principis auctâ poteſtate, reformidare. Eoſdem, cùm apud Regem nihil non poſſint, omniaque, vel ſaltem ampliora emolumenta, hoſte inſalutato, percipiant, meritò vereri, ne juſto Principe militarium meritorum teſte oculato ſuadente, iis fraudentur, in duces, ac milites benemeritos utique diſtribuendis. Paucos tandem, ut publico bono cæteris longè perniencioſiores habendos, qui nolint eum Principem ſummo regimini admotum rerum potiri, qui ſingulari ſapientiâ, eminentique judicio præditus eorum technas, artificiaque medullitus introſpiciat, cuique proinde imponere, aut lucrum ex adulatoriis artibus portare nullâ ratione poſſint. Hoſce priùs domeſticos hoſtes oportere à ſua Celſitudine, vel deterreri, vel omnino profligari; propalata omnimodè Sereniſſimo Parenti veritate, detectis eorum privatis commodis publicæ utilitati maximè adverſantibus. Tunc demum, & non aliter, poſſe reliquos externos hoſtes faciliùs debellari; glorioſoſque ſuæ Celſitudinis conatus Patriæ propugnationem, Paternæque coronæ ſtabilimentum unicè reſpicientes (quod ipſi optarent, & proprio ſanguine confirmare parati eſſent) feliciſſimum exitum habere.*

346 Sic Sereniſſimum Regem Ulyſſiponenſes aulici, ſic liberiùs Principem Theodoſium, diverſis utrique ſtudiis excipiebant; utriſque non nihil eorum, quæ perſuadere nitebantur, aſſequutis (ut in aula vulgò) ubi ad Principum aures, nullo veri, aut ſuſpicati diſcrimine omnia quælibet aura deducit. Deo, quem nihil boni, malive latet, ſuos Principes ea ratione optant aulici eſſe ſimillimos: in quo Deo nonnunquam maximè diſplicent optanti, ut non, niſi vera omnino, eiſdem proferantur; & vel ex iis plurima tacenda ipſis Principibus ſubtrahantur. Certè Sereniſſimus Rex proximis deinde ad Principem literis inter paternas blanditias exulcerati animi ſigna ejus factum apertè jam improbantis propalare, Ipſumque à cæpto ut abſiſteret, ſub aliquo honeſto prætextu adhortari. E contra Princeps, quò paternum animum penitus tranquillaret, ſibique omnino devinciret, opportunum fore ratus aliquem ex iis, qui tunc Elviis agerent, Regi gratioſum mittere, qui certiorem Illum faceret, quàm rectè ſub tali Duce res procederent, quantumque ſpei ex ducum, ac militum inſolito ardore rei bene gerendæ concipi poſſet, ac diſcuſſis quibuſcunque oppoſitis nubibus ſerenitatem reduceret, Præfectum Regii Cubiculi Comitem Penaguianum Regi acceptiſſimum cum literis ad eam rem maximè appoſitis legat, ipſumque perhumaniter habitum, & magnifica de ſe ſpondentem hortatur, ut apud Sereniſſimum Parentem publicæ, privatæque cauſæ patrocinium adverſus præpoſteros aliquot conſiliarios pro virili, ea, quam de illo ſperaret, fide ſuſcipiat. Sed cùm optatum fructum ex tali eo impendio minimè perciperet, immò ex Sereniſſimi Parentis inſperato ſibi reſponſo firmiorem Illum in ſuſcepto ſemel propoſito deprehenderet, elapſis nonnullis diebus, vehementiorem ad eundem aliam dedit epiſtolam, quam Latino donatam idiomate fideliter hìc ſubjicio, uni-

co tantùm ſuppreſſo verbo, quo Princeps Regios aliquot Miniſtros (nemine tamen nominato) acriter pungit: quod etſi Principi Sereniſſimum Parentem familiariter, ſecretòque alloquenti maximè tunc liceret, Scriptori ad univerſum orbem verba facienti non idem ſemper æquum eſt. Epiſtola ſic habet.

347 *Tandiu eſt, ex quo Majeſtatis Veſtræ literas non accipio, cùm illæ ſint, quas pluris facio, ut meis deſideriis unicum id remedium velim ſolicitare, plenus ſpei fore, ut fruatur V. M. ea valetudine, quæ mea debetur ſolicitudini. Et quoniam ab eadem cogor hanc epiſtolam V. M. ſcribere, in ea mihi viſum eſt M. V. aperire, quæ ſolicito mihi majorem injiciant anxietatem. Propè menſis abiit, ex quo ad hanc Vrbem deveni, non alia, quàm V. M. obſequii, meæque inſimul exiſtimationis cauſa; quæ non minùs ad V. M. obſequium ſpectat. Tantundem eſt, ex quo V. M. obſequium, quod maximos poſſet feciſſe progreſſus, nihil omnino profecit. Tantundem etiam eſt, ex quo mea exiſtimatio, (etſi mea profectione non nihil reparata) iiſdem, quibus V. M. obſequium, ſubjacet periculis, niſi ſemel capta proſequamur. Habet V. M. pro adverſario Principem omnium proximiorem, & potentiorem, pro amico vix ullum. Pro repellendo, quod hactenus nobis intulit, bello ægrè ſuffecit, quam attulimus, oppoſitio. Ille jam nunc ſuis hoſtibus expeditus univerſam adverſus nos exonerabit potentiam. Nos verò res noſtras non ſolùm in melius non promovebimus, ſed earum jacturam patiemur. Milites non deſunt; eorum maxima eſt virtus; opportunitas incomparabilis: ſola pecunia deſideratur; vel quia tributi ratio non eſt expediens; vel ſi talis eſt, non abunde ſuppetit ad ea omnia, quæ ſunt omnino neceſſaria. Hactenus malum hoc immedicabile videbatur, non quidem pecuniæ defectu; enim verò, ubi decima eſt, ibi novem adhuc partes ſuperſunt; ſed remiſſione, tædioque populorum, qui ad juſtam contributionem tenentur. Id jam incommodum meo in hanc Provinciam adventu omnino ceſſavit, omnium animis hactenus alienatis, jam nunc aliis, & quodammodo reviviſcentibus; univerſis ad maximum quodvis impendium erectis, inſolitamque virtutem præ ſe ferentibus. Quid igitur, Domine, agimus? Quid cogitamus? Cujus temporis inutilem jacturam facimus? Quando nobis ſimilis ſe offeret opportunitas? Quibusnam rebus diſtinemur? Tribus abhinc menſibus proximum ver appetet; ac tum demum elapſum irrevocabiliter tempus dolebimus, quod ipſius tantùm remedii jactura inutiliter elabi permiſimus. Igitur, Domine, quia ego ad hæc veni confinia, immolandus certè pro V. M. obſequio, pro perpetua hujuſce Coronæ ſtabilitate, pro animando Regno, quod exanime propè ruinam minitabatur; quia ego rebus hiſce lapſis auxiliari animum induxi, talis erit in iis erigendis incuria, ut in me unicè ab Elviis amovendo, in fruſtrandis maximis noſtris progreſſibus tota prorſus cura impendatur?*

348 *Ego, Domine, huc veni maximo quidem animo, ardoreque, ſed majorem adhuc concepi, poſtquam expertus ſum, quæ minimè ſperabam: unicus tantùm mihi dolor eſt, hujuſmodi conſilium non multò antea ſuſcepiſſe. Ego, Domine, haud veni huc imperandi cupidine, à qua maximè abhorreo; nec puerili appetitu ductus; ad id enim minimè conducit Vlyſſiponenſis Curiæ pro Elviis commutatio. Vnicus me huc impulit V. M. mea Patriæ, meæque exiſtimationis amor. Quæ cùm ita ſint, cui potior, quàm mihi, à V. M. adhibenda fides eſt? Meam quidem oppignero V. M. fore, ut me hinc excedente omnia in pejus ſint relapſura, experiamurque omnium peſſimum, quod cogitamus, rerum noſtrarum decrementum. At cur ita? Nempe ob adulatorum ſuaſiones, qui abuti volunt doloris ſignificationibus, quas ob meam abſentiam in V. M. deprehendere, ortis quidem ex amore, quo V. M. me proſequitur? Hujuſmodi ergo viris V. M. fidem habebit? Noſcat illos bene V. M. eoſque deſignet, ac mihi credat; inveniet profectò tales*

 eſſe

eſſe, quales re vera ſunt. Agnoſcant illi à V. M. odio haberi adulatores; qui ſi rectè ſuo iniquo munere uti ſcirent, pro demerenda V. M. gratia meam potiùs laudarent, quàm reprehenderent actionem. Domine, amori V. M. cætera poſthabeo. Sciat V. M. non oportere me hinc retrolabi, Regno certè unà mecum relapſuro. Loquor ex eorum, quæ video, certa experientia, publicæque utilitatis, quâ unicè ducor, zelo. Hic idem eſt communis omnium bonorum ſenſus. Soli adulatores prævalebunt? Non quidem, Domine; hic mihi bona M. V. venia ſubſiſtendum eſt, hic à me quàm certò ſciam M. V. obſequendum. Quòd ſi hactenus menſem unum negligenter perdidimus, eundem poſthac diligenter operando lucrabimur. Expecto à V. M. certam eorum, quæ ad hunc finem diriguntur, relationem; certiſſimam à me viciſſim habebit V. M. omnium, quæ hîc in obſequium V. M. peraguntur. Soſpitet Deus V. M. Perſonam, ut opto, & indigeo. Elviis 26 Novembris 1651.

Oſculatur Regiam M. V. manum ſuus obedientiſſimus Filius
Princeps.

Quid Sereniſſimus Rex huic adeo efficaci, & prudenti epiſtolæ reſponderit, haud ſatis ſcio; neque enim valuit requiſitum à me ſtudioſè reſponſum reperiri. Illud certò conſtat, eodem temporis, immò eademmet die, qua Princeps hujuſmodi literas ad Sereniſſimum Parentem Elviis dedit, Ulyſſipone Illum, toto cœlo (ut ajunt) ſenſuque diverſas ad Principem miſiſſe: quas, quia luculenter explicant validas certè rationes, quibus ſe duci credi voluit, quibusque Principem expugnatum iri, ut manus daret, ſeque in pedes daturum Ulyſſiponem, credidit, hîc viciſſim opponam ſumma fide à me Latino ſermoni redditas. Ita illæ ſe habent.

349 *Fili. Dolore mihi hactenus impedito haud liberum fuit Tibi ſcribere, quid de ſuſcepto à Te adeundi Elvios conſilio judicarem. Nunc, quid Tua interſit, expediam. Liberi Parentibus morem gerentes nunquam deviant; cùm enim filii ſint, & ſubditi, parere tenentur, etiam quando non tam parentibus, quàm ſibi patrocinari ratio videatur. Nec dubito, quin illius Monachi Tibi ſit exploratum exemplum, cui Superior injunxit, arenti ut ligno quotidianam aquam infunderet; cuique præpoſteris adeo juſſis promptè obtemperanti annuit Deus hujuſmodi obſequii æſtimator, ut reviveſcens lignum germinaret. Si ea profectio fuit expediens, æquum erat, ut me conſcio illam ſuſciperes; ſin minùs, illam exequi non oportuit. Fortè immodicis ſumptibus imminuendis haud abſurdum fuit vulgò credi, me inſcio, id tentatum; ſed ad expeditionem neceſſaria quæque prævenienda erant; præcogitandumque, an illi perficiendæ pares nobis vires ſufficerent? Evangelicus ſermo in ſimili eventu monet, ut hoſti occurſurus priùs vires ſuas quiſquis expendat. Poſſet quidem utilis eſſe profectio, ſi tempeſtiva eſſet: at in præſentiarum mille patet incommodis. Enim verò, ſæviente hyeme, nihil prorſus peragitur, etiam ubi bellum eſt truculentius. Elviorum mœnibus claudi Principem, indecorum: à Caſtellanis, Illo inſpectante, prædas agi longè inhoneſtiùs. Si extortas ab hoſtibus prædas noſtri aliquando reducent; aliàs (quod modò accidit) iidem hoſtibus erunt prædæ, captique deducentur. Si validioribus copiis irrumpenti hoſti jubeas occurri, periculoſum; ni jubeas, probroſum. Hactenus illi, cùm tam proximus adſis, tuo adventu nihil turbati ſunt; parum nempe ſoliciti de unius Viri ad exercitum acceſſione: ſi, ut oporteret, ibi adeſſes, maximo illis terrori eſſes. Parum, ac propè nihil eſt, quod exercitu deſtitutus in militari diſciplina poſſis proficere: neque verò è re noſtra eſt, dubiis præliis, quorum eſt eventus varius, decertare; præſtat longè tutiori defenſioni omnino inſiſtere.*

350 *Plebs generoſum ſui Principis conſilium laudibus extulit; at non idcirco ad*

ulteriorem ſuppeditandam pecuniam privatas opes contulit. Ex iis prudentiores in contraria ſunt ſententia, neque probant profectionem tam multis incommodis obnoxiam. Optimates eam publicè defendunt, at ſegniter optimis rationibus deſtituti; eorum unus ego ſum. Cùm primùm ſibi perſuaſum habuere, me annuente, ſuſceptam expeditionem, ſubſequi univerſi voluere; at ubi contrarium illis conſtitit, moderatiùs ſe geſſere. Quicunque Tecum iſthic agunt, modò abſumunt, quibus data opportunitate indigebunt. Pecunia, quæ à triplici Statu ſubmiſſa eſt, præceſſit quidem, at non excrevit: quam Antonius Cavidius detulit, ea expectatione minor fuit. Domus Brigantina redditus alendis militibus hactenus addicti, ſi ad privatos Principis uſus deriventur, quidquid Illi accedet, illis decedet. Poterunt in poſterum Caſtellani Elvios obſidere, cogemurque in illis exinde propulſandis expendere publicas opes defenſioni omnino neceſſarias.

351 Non poſſunt interim à Te ad eas anguſtias adduci Caſtellani, ut de paciſcendo nobiſcum animum adjiciant: ſi plus nimio à nobis urgeantur, cum aliis potiùs, à quibus minùs ſe læſos exiſtimant, licèt indignis conditionibus pacem ferient, ut nobis expeditiùs bellum inferant. Ab illis unicam tulit offenſam Rex Catholicus; à me multiplicem ſibi credit illatam; qui etſi jure meo Luſitaniam Illi extorſerim, Catalaunitum, & Gallicum bellum foverim, ad iniquas cum Hollandis pacis conditiones compulerim, Caſtellam magnis cladibus affecerim; præter alia plurima, quæ ab hiſce ortum habuere. Et verò credi nequit, fœdus unquam ab Illo mecum ineundum, niſi eò miſeriarum deveniat, ut ab illis ſe aliter nequeat expedire; quò tamen Illum impellere non valemus. Longè aliud erit, ſi Rex ipſe à vivis abeat; tunc enim, qui mecum contrahet, alius erit, minùsque alienato in me animo. Quoniam hoſtes nec penitus delere poſſumus, neque, ſi poſſemus, Chriſtianum eſſet, ad interjecti temporis opportuniſſimum omnium auxilium provocare conſultiſſimum erit. Si res noſtræ ita feliciter procedunt, quid juvat remiſſiores hactenus hoſtes irritare, ut atrociùs nobis bellum moveant à nobis intempeſtivè laceſſiti? Bonum exinde nullum nos percepturos planum eſt; malum, quod prudentes univerſi devitant, quid placet arceſſere? Plurima certè pericula prudens mora declinavit; plura, & maxima incommoda inconſulta ſæpe celeritas invexit.

352 Audivi Tutavillam, qui nunc apud Pacem Auguſtam Caſtellanis armis præeſt, cæterosque hoſtilis militiæ Primores exquiſitiori habitu ad inſolentis lætitiæ ſignificationem aſſumpto tuum adventum celebraſſe: ſi vera eſt ea fama, ſatis prudentes illos habeo; quibus tam eſt glorioſum cum æmulo Principe, quàm inglorium Illi cum longè inferioribus manus conſerere. Milites modò tuum adventum feſtivis plauſibus excipiunt; & meritò quidem, quia ſibi perſuadent à Te rei familiaris, cujus premuntur, anguſtiis fore ſublevandos: id quidem, quin ad illos accederes, ſi fieri poſſet, libenter præſtarem. Et licèt interim à me ſubmiſſa pecunia ex parte recreentur; multò erit iiſdem acerbius, cùm in poſterum ſimili prompti ſtipendii difficultate laborent. Præterquamquod ſi fortè in ea, cui modò præes, Provincia militaria ſtipendia exactè ſolvantur, vel ad eam unam ex aliis univerſi commigrabunt, vel militiam deſerent, animadverſa iniqua ſolutionis ratione; cùm alioqui omnibus Regnum ſtrenuè propugnantibus omnia ex æquo præſtare debeamus.

353 Quod ego ad extrema (ſi unquam fortè ad Triarios veniendum foret) validiſſimum telum ſepoſueram, eo nunc uſus es. Neque Te latet Regem Catholicum haud pridem, dum in Cataluniam (& quidem non intempeſtivè) ſæpius tamen moveret, à plurimis incomitatum proceſſiſſe. Credo non potuiſſe illos Regi ſuo toties adhærere. Quas Tibi edico, eæ ſunt evidentes rationes, quas manibus attrectare fas eſt, longè quidem veriores, quàm quas concipit intellectus; multum enim inter practicum, & ſpeculativum intereſt. Quare quod è republica, privataque utriuſque noſtri eſt, id ad extremum accipe. Recog-

noſcenda Tibi erunt aliquot oppida v. g. Campus Major, Caſtellum à Vite, Arronches, Amaa, facto per Villamviſſoſam, Eboramque circuitu. Sic mihi renuntiabis, quid ubique repereris, ut collatis mutuò ſententiis promptum indigentibus remedium præſtare poſſimus. Et quidem fieri poteſt, ut Tibi ex militari profeſſione redeunti major, quàm mihi, ſit deinde vis eloquentiæ ad petendam; impetrandamque à populis pecuniam, faciliùsque Regnum elargiatur ad ſuam propugnationem neceſſaria. Quod ſi fortè accidat, uberrimum ſanè fructum ex hac profectione percipies; ſin minùs, planè intelliges pecuniæ difficultatem in eam mordicùs retinentibus, non in eandem remiſſiùs exigentibus ſitam eſſe. Sapientis eſt mutare conſilium. Deus Te ſoſpitet. Vlyſſipone 26 Novembris 1651.

Tuus Parens, qui Te multùm diligit.

Inſcriptio verò tum hujus epiſtolæ, tum cæterarum Sereniſſimi Regis ad Principem (ne id quoque premam) hujuſmodi erat: *Ad multùm honoratum, & appretiatum D. Theodoſium, Principem Braſiliæ, Ducem Brigantiæ, Primogenitum meorum Regnorum, & Dominationum, meum ſupra omnes multùm dilectum, & appretiatum Filium.*

354 En Regiam planè epiſtolam ex integro Regiis delineatam characteribus, prudentiſſimam quidem, & validis fultam rationibus, ad perſuadendum maximè appoſitis. Illius reſponſum à Principe citra dubium judicioſè conficiendum, quòd hactenus poſt exactam à me adhibitam inquiſitionem minimè repererim, tantus mihi eſt dolor, quantus, credo, erit lectori adeo pretioſa margarita fraudari. In hac verò Regia epiſtola ſola fit mentio rationum ad publicum bonum conducentium, nulla peculiarium, quas ſupra diximus ſuos Illi aulicos ſuggeſſiſſe; vel quia illarum nullam habuit rationem; vel ſi fortè habuit (quod nonnulli credidere) verbaque, quibus Principem Elviis venientem à Rege privatim exceptum infra dicendum, haud obſcurè innuunt; illas hìc prudentiſſimè preſſit. Non omnia, quæ prudens vir mente concepit, ad linguam, ne dum ad calamum, exire oportet: abortivæ imprudentiæ fuerit vel bene concepta intempeſtivè cuncta effundere. Scio Principem haud pridem militarem hanc miſſionem implorantem, ſcriptasque rationes pro ſe offerentem à Sereniſſimo Parente ſæpe rogaſſe, ut illis juberet à contradicentibus fieri ſatis; eundem neutrum palam impetrantem ea, qua diximus, ratione arripuiſſe occaſionem paternæ voluntatis interpretandæ. Neque verò me latet, deficientibus nonnunquam magni alicujus viri ad objecta ſibi propriis reſponſis, licere Scriptori ex ſuo illa ſupplere, iis compoſitis, quæ prudentia dictat ab eodem fuiſſe proferenda. Id quidem quominus hoc loci præſtare audeam, moveor tanti Regis veneratione; cujus velle infringere rationes, infirmi eſſet judicii. Verùm, ne tantus alioqui Princeps, cui mea in primis qualiſcunque obſecundat induſtria, omnino indefenſus à rerum imprudentibus inconſulti fortè conſilii reus palam habeatur, proferendæ mihi ſunt nonnullæ rationes, in quas incurri, dum in Illius inquirendis laudabilibus actionibus ſedulus adlaboro. Incidi in politicam allegationem, cui hujuſmodi erat inſcriptio: *Certamen politicum circa deliberationem à Sereniſſimo Principe D. Theodoſio legitimo Luſitanæ coronæ ſucceſſore ſuſceptam, prò regendis in Regni confinio armis.* Authorem hujuſce politici certaminis etſi non video ibi ſubſcriptum; militarem eum virum, rei bellicæ apprime gnarum, prudentem, eruditum, politicisque artibus eximium, ſatis confirmant eæ, quibus utitur, validiſſimæ rationes; quas quidem in compendium redactas, Latinèque à me donatas, pro earum ſupplemento, quas pro ſe indubiùm, quin Princeps allegarit, hìc delibandas, curioſique lectoris oculis

Hic §. 315

Hoc lib. §. 368.

oculis ſubjiciendas duxi: ſunt verò hujuſmodi.

355 Certum in primis, omni procul dubio, eſſe debet, ad maximi cujuſque negotii præſertim bellici optimam expeditionem maximi referre ſedulò ad illud intendentis Principis præſentiam; cujus ad omnia efficax intuitus deſides, ac ſocordes excitat, inſolentes compeſcit, ignavos erigit, fortes, & ſolicitos fortiores, ac ſolicitiores reddit, univerſos vel ſupplicii metu, vel certa laudis, gratiæ, præmiive ſpe ad rem bene gerendam ſtimulis haud mollibus urget; illuſtrium Principum Alexandri, Cæſaris, Trajani, & ſimilium paſſim ab orbe condito exemplis, communique omnium prudentium conſenſu exploratæ huic veritati adſtipulantibus. Indubium pariter ſit oportet, ex ſe ſumma fuiſſe dignam laude Sereniſſimi Principis Theodoſii ad arma prævolantis, aulicumque otium, & Ulyſſiponenſes delicias cum militari negotio, bellicisque periculis permutantis deliberationem: in qua generoſi animi celſitudo, honeſtæ gloriæ ſtudium, patriæ tutandæ ardor, ſuorum in acie periclitantium amor, exiſtimationis propriæ ſolicitudo, plurimæque aliæ præcellentes virtutes enituere; maximè verò in adoleſcente Principe, cui multa licent, quæ maturum virum, ſenemque dedecerent. Ex ætate nonnunquam virtutes, & vitia dignoſcenda. Quæ actio emeritum, & annoſum virum temeritatis juſta nota inureret, eadem adoleſcenti, aut juveni laudi, virtutique meritò vertitur: è contra, quæ in ſene prudentia ducitur, probroſæ ignaviæ juveni tribueretur. Neque verò ad hujuſmodi, & ſimilium actionum laudem, vel reprehenſionem ſolius ætatis, ſed temporum etiam, perſonarum, regionum, rerumque aliarum, quas prudentia reſpicit, habendam duco rationem in hoc difficili dubio expediendo. Sunt enim in Europa Reges, qui primogenitos ſuos arma tractare non permittunt; alii ſuos à prima ſæpe pueritia in armis educant; utrique juxta patrium morem, juxta propriæ, alienæque potentiæ amplitudinem, ac indigenarum, alienigenarumque varium genus, & temporum diverſam exigentiam. Quare, cæteris proprium utile diverſimodè ſectantibus interim omiſſis, quid in præſenti rerum noſtrarum diſcrimine privata, publicaque Luſitani Regni ſalus poſtulet, unicè nobis in hoc politico certamine decernendum.

356 Mihi certè præſenti noſtri Regni ſtatu, rationibusque omnibus expenſis, Regiæ in primis incolumitatis, Regni defenſionis, noſtrorum armorum exiſtimationis, Luſitanorum tandem omnium ſolatii, maximi videtur intereſſe, ut Princeps Theodoſius armorum jam potens, iis regendis in Transtagana Provincia præſit, cæterasque obeundo luſtret. Singula jam confirmo: & primùm omnium Regiam ſecuritatem id exigere. Res nobis eſt cum proximo, & potentiſſimo Rege Luſitaniæ Regno jam diu dominante; quod ejus Avus Brigantinis Principibus extorſit, ejuſdem Parens pacificè tenuit, Ipſe demum amiſit: ubi, non obſtante ſumma Luſitanorum erga indigenam, & legitimum ſuum Regem fide, plurimos habet multis ſibi nominibus addictos, plurimis, ac maximis beneficiis, honoribus, ac titulis valde obſtrictos; quos, licèt falsò, fidelem tamen operam ſibi præſtituros ſperat, ſi (quod abſit) Sereniſſimus Rex noſter ſpontaneo fortè fato (eſt enim mortalis) vel violento haud ſemel ab hoſtibus tentato ſuccumbat: Principe interim rerum inexperto, utpote in Ulyſſiponenſis palatii ambitu educato, minimè valente ſub idem tempus hoſtilibus copiis undequaque irrumpentibus obviàm procedere; nutantem, & tumultuantem, ut in ſubito eventu, inſtabilem plebem

bem continere; dubios, perfidoſque ad potentiorem vulgò relabentes compeſcere; innumeriſque ſe difficultatibus expedire; quæ omnia imperterritum, & per omnia expertum Ducem poſtulant, rebus dubiis, & incertis certum, & indubium auxilium allaturum. Aliter ſe res habebit, ſi Principem admotum caſtris, Præfectum exercitibus, ab univerſis militaribus in veneratione, amoreque habitum hoſtes ipſi ſuſpiciant. Deſperabunt profectò Regio capiti nil ſibi profuturas inſidias moliri; cùm videant Principem rerum potentem, à cujus nutu populares, militareſque juxta pendeant, qui paternas injurias acerbiſſimè ulciſcendas perſequatur. Timendum Regi, Regiæque proli, dum ab inermi Principe nihil ſibi timendum hoſtes judicabunt: ubi armatum Illum Patris imperio unicè parentem, cæteris imperantem animadvertent, de ſuo ſoliciti, alieno inſultare capiti abſiſtent. Nec Hercules contra duos; ne dum Herculis virtuti longè inferiores Caſtellani, contra duo fulmina belli, Parentem Joannem, & Filium Theodoſium ſe mutuò protegentes prævalebunt. Ut olim in ſecundo Punico adverſus Anni- Flor. lib. 2. c 6.
balem bello Scipio Africanus prætextatus admodum, & Joannes II Luſitaniæ Rex in Taurinenſi prælio, Parentem uterque ſuum, ne armatus in hoſti- Vaſc in ejus vita.
um poteſtatem veniret, ſtrenuè vendicavit; ita modo Theodoſius, at non niſi armatus, toties tentatas ab hoſtibus Sereniſſimo Parenti inſidias in eorum perniciem retorquebit.

357 Jam verò ad promptam Regni defenſionem plurimi refert, ut Princeps in Tranſtagana Provincia reſidens, cæteras exinde luſtret: non quidem reſideat Elviis, aut contermino alio Caſtellanis oppido, ſed vel Eboræ, vel Stremotii opportunis munimentis redditi validioris. Id autem non alicujus periculi metu, ſed obſervandæ Principis auctoritatis cauſa; cui non nihil poterit detrahi ab hoſtili equitatu, nonnunquam è proximis agris impunè prædas agente. Eſſe quidem id maximè neceſſarium pro Regni tuta propugnatione, manifeſtum eſt, tum ex publicis, tum ex privatis rationibus: publicas nulli certè non perſpectas referre pudet; cùm omnibus exploratum ſit jam olim unius Principis ſuis commilitantis præſentem opem pro decem milli- 2. Reg. 18. 3
bus computari; pluſque momenti ſuis armis præſentem afferre Principem, quàm integrum eiſdem additum exercitum; univerſis nempe ad Illius placidum aſpectum majora viribus audentibus, ex Ipſiuſque intuitu, ne dum æmulando exemplo inſolentiorem bellicum ardorem concipientibus. At peculiares rationes, Luſitanorum genium, eorumque cum Caſtellanis bellum reſpicientes, longè adhuc majoris ſunt momenti. Gens quidem eſt Luſitana omnigenæ gloriæ, at præſertim militaris laudis, in paucis immodicè appetens; inclytis ejus rebus geſtis toti orbi jam exploratis id atteſtantibus. Eadem Regum ſuorum, ac Principum præter modum amantiſſima; quos non ut Reges modò, ac Principes, ſicut cæteræ Nationes ſuos diligunt, ſed ut Parentes indulgentiſſimos, à quibus ſimiliter, viciſſimque diligi cupiunt, quaſi filii dilectiſſimi propè deperiunt. Pro Illis, ſi opus eſt perire, Luſitanis tam pronum eſt vitam ſummis quibuſque periculis libenter, avidèque objectare, quàm cæteris gentibus propriam tueri. Iidem ſi Rege, aut Principe inſpectante aliquando cum hoſtibus congrediuntur, Illius aucupandæ gratiæ, propriæque colligendæ gloriæ inhiantes, incredibile dictu, quo ardore inflammati leonum inſtar per medias hoſtium irrumpant acies, certi aut ſtrenuè vincendi, aut glorioſè occumbendi. Teſtor ipſum Sereniſſimum Regem

noſtrum

noſtrum Joannem in Caſtellanos primum Luſitanum exercitum ex Ebora, ad quam movit, immittentem: cujus vel è longinquo proſpectu noſtri afflati ea edidere facinora (ſupra videantur) quæ ſi ab antiquis annalibus referrentur, vix illis fides hodie haberetur. Eodem paulò poſt Ulyſſiponem repetente, militum ardor non parum elangueſcere; res noſtræ minùs feliciter procedere; nutare militaris virtus, ex Regio proximiori nutu, vel remotiori ſolita vulgò vel remitti, vel intendi.

Hoc lib. cap. 10. per totum.

358 Adde ab innato Luſitanis gloriæ appetitu, veluti ab optimo parente progigni ſolitam peſſimam, ac degenerem prolem, inſitam nempe illorum animis mutuam invidiam; cui multùm obnoxii alienæ gloriæ incrementum, propriæ decrementum dum perperam interpretantur; ne parta ſuis impendiis laude maximus quilibet Dux fruatur, remiſſiùs nonnunquam agunt; ſæpe vanis objectis difficultatibus, prælii detrectatione feliciſſimos belli annuentis eventus conſultò renuunt, maximo cum publicæ utilitatis incommodo. Quod quidem omnino ceſſat, Principe arma moderante; cui ſupra omnes eminenti, citraque omnem invidiam in edito Regiæ fortunæ poſito univerſi promptè obtemperant; cujus nutibus annuunt; cujus gloriæ augmentum unuſquiſque ducit ſuum. Quæ unica ratio, etſi reliquæ nullæ forent, quantam habeat vim, nemo, quanvis invidia ipſa obcæcatus, erit, quin videat. Verùm alia inſuper ex hoſtium potentia manifeſtè deducta non minoris debet eſſe apud cordatos viros momenti. Cum iis hoſtibus bellum atrox, ac diuturnum gerimus, qui nobis nec inſito immortalis gloriæ appetitu, nec innata Martiali fortitudine (quidquid ſibi nonnullorum evanida falsò arrogantia blandiatur) minori fortaſſis inter ſe invidiæ nota ſunt inferiores. Iidem militum numero, amplioribus, quibus bella conſtant, opibus, ac theſauris, & (quod caput eſt) militari diſciplina ex longo rerum bellicarum uſu in Flandrobelgicis, Gallicisque nuper bellis adepta (ut cætera, quæ poſſent in juſtam venire contentionem, omittam) longè nobis & vulgò habentur, & re vera ſunt ſuperiores. Quæ cùm ita ſint, vulgaris monet prudentia, excogitandam eſſe à nobis rationem aliquam, ut in plurimis inferiores, illis vincendis pares, aut ſuperiores poſſimus evadere; quandiu enim impares ſumus, longè ſuperiores, & valentiores ſuperare haud valebimus. Mihi certè multùm, diuque cogitanti nulla occurrit expeditior, quàm Principis præſentia in ea, quam dixi, ſede, inde ſuos duces, ac milites principali, multiplicique ſpiritu confirmantis; cujus intuitu auctus denuo amor, ex amore orta militaris fortitudo unum Luſitanum militem duobus ad minimum Caſtellanis parem reddat: eidem placendi ardens ſtudium bellicæ diſciplinæ addiſcendæ, ac exercendæ univerſos ſtudioſiſſimos efficiat, ac demum ad ardua quæque aggrediendа, & ſuperanda ſolito animoſiores.

359 Verùm (dicet aliquis) multas olim majores noſtros, easque glorioſas à Caſtellanis reportaſſe victorias, jam tunc nobis numero, divitiis, ac militari forte diſciplina ſuperioribus; ſimiles proinde poſſe à nobis, etſi multò inferioribus, comparari. Certum id eſſe fateor; at non niſi ſub Regibus, ac Principibus bellicoſiſſimis unà cum ſuis in acie perpetuò verſantibus, illuſtres eas victorias adepti ſunt: præcipuas earum ſub Alphonſo primo, qui ſuis ad bellum ſemper prævivit; ſub Joanne item primo, qui arma nunquam exuit; ſub Joanne prætereа ſecundo, qui eadem ſæpe induit; ſub aliis tandem glorioſis Regibus, qui ſuis nunquam edixere, *Ite ad bellum, ſed venite.* Ipſa Caſtellæ

Regina

Regina inclyta Heroina Eliſabetha id palam atteſtante. Hæc cùm rogaretur, cur adeo pauci Luſitani tam multis Caſtellanis alioqui ſtrenuiſſimis toties prævalerent? *Quia* (inquit) *Luſitani ut filii pro Rege commilitone, Caſtellani ut clientes pro nobis in acie non verſantibus præliantur.* Quòd ſi ulteriùs non nemo urgeat, jam nos per duodecim annos, Principe Theodoſio ab armis vacante, Caſtellanis impigrè reſtitiſſe, prompta eſt reſponſio. Id quidem non tam nobis, quàm Sereniſſimi Regis noſtri virtuti tribuendum; qui tertio ſuæ felicis acclamationis anno, Ulyſſiponenſi palatio excedens, Eboramque uſque procedens, illinc in Caſtellam exercitum immiſit, à quo tot, tantiſque affecti cladibus Caſtellani antea inſolentiores, deinde redditi moderatiores, adhuc perhorreſcunt Martialis alicujus fulminis vel à Sereniſſimo Parente, vel ab ejus Filio eruptionem. Tanti ergo Parentis veſtigiis inſiſtat generoſus Filius, Eboræque ſubſiſtat, indeque ſuis præſit, ac multùm proſit exercitibus. Præterquamquod Caſtellani aliis impliciti hoſtibus, & externis impediti bellis juſtum hactenus adverſum nos minimè conflarunt exercitum, indubiè id illis jam ceſſantibus conflaturi, maritimaque fortè potentia nos inſimul adorturi. Quibus ut in tempore pro virili obſtare poſſimus, maximi refert Principem armorum Præſidem militari uſu inſtructum ſuos habere devinctos, quò facilè devictis hoſtibus valeat triumphum reportare. Vaſc. in Vita Joan.

360 Neque de immodicis ſumptibus ea occaſione faciendis magnopere curandum: ſi enim de privatis Principis ſumptibus ſermo erit, eos prorſus apud Eboram, quos apud Ulyſſiponem, faciet: in quibus expendendis oportet, ut Princeps aſſueſcat publicos olim moderari, & in parvis ad maxima præludere. Quòd ſi de militaribus expenſis fiat mentio, licèt Princeps non foret bello præficiendus, fieri eas omnino oporteret. Enim verò militibus neceſſariò pendenda ſunt ſtipendia. Exercitum certè, militaremque diſciplinam penitus ſolvet, qui debita militibus ſtipendia tempeſtivè ſolvi non curabit. Principe verò militiæ Præfecto, quidquid militibus ſtipendiorum difficultate hactenus laborantibus additum, etſi nimis exiguum erit, maximi certè momenti fuerit, ad eorum ſibi colligendam benevolentiam, ac animorum inſolitam promptitudinem. Nec dubium, quin populi ſui Principis amantiſſimi, cùm eum ſibi protegendis videant penitus intentum, quidquid ulteriùs ad id opus erit, libenter ſuppeditabunt. Minùs autem audiendi, qui vano trepidare videntur timore, ubi nulla eſt probabilis timoris umbra: poſſe nimirum fieri, ut Principe à Sereniſſimo Parente longiùs abſtracto, militum, Magnatum, & popularium animi ad invicem diſſocientur; aliis Regi, Principi aliis adhærentibus; rupto ea ratione mutui amoris vinculo, quo hactenus firma, ſibique cohærens Luſitana reſpublica continebatur. Abſit, ut ſub Principe Theodoſio evanida hæc ſuſpicio alicui veniat in mentem; cui nihil prius, nihil paterna charitate unquam, venerationeque antiquius; cujus præcipuum ſemper fuit ſtudium alienatos qualibet ratione à Sereniſſimo Parente animos eidem conciliare: illorum nonnullis ad Sereniſſimi Regis gratiam, è qua exciderant, Principe ſedulò, induſtrièque agente, revocatis! Cur potens rerum id faciliùs non aſſequetur, quod adhuc impotens toties eſt aſſequutus? Immò in poſterum ſuo Regi erunt univerſi obſequentiores, cui viderint Principem ipſum obſequentiſſimum. Ad hæc, ſi uni è clientibus erit aliquando neceſſariò fidendum, commiſſa illi, cùm res poſcet, ſumma rerum militarium poteſtate; cui potiùs, quàm tali Filio ſibi dilectiſſimo, ſuique

 aman-

amantiſſimo confidendum? Tandem eradenda penitus eſt ex prudentum omnium animis, & ad barbarorum fines procul exterminanda paucorum ſuperſtitioſa planè fiducia, qui prateritis prodigiis, vel (ut ajunt) miraculis unicè freti, Divinitus nobis donatum Regem, ac Regnum præſenti Dei auxilio hactenus defenſum, ab eodem miraculosè defendendum, plus nimio præfidentes proteſtantur. Divinæ quidem protectioni, ac providentiæ multum detrahit, illi manifeſtò injurius, qui plus æquo eidem tribuit. Præterita certè prodigia, ſive miracula revereri, ut pium, & Chriſtianum eſt, ita futura præſumere, temerarium, & inſanum. Optimus Deus non ſolet abſque neceſſitate patrare miracula. Qui fecit, ac defendit nos ſine nobis, noſtræ tunc impotentiæ habita ratione, neque ſalvabit, neque defendet nos ſine nobis. Oportet nos Divino ejus auxilio ſervatos hactenus noſtræ conſervationi, Divinæque ipſius operationi cooperari, ac opportuna media optato fini aſſequendo adhibere. Hoc autem eſſe omnium opportuniſſimum, nemo erit prudens, quin illud aſſerenti mihi aſſentiatur.

361 Ad extremum (quod initio tertium probandum propoſui) maxima quidem erit noſtræ militiæ, Nationiſque gloria, cui prudentiſſimus quiſque inhiare debet, ſi noſtris regendis exercitibus Princeps noſter præficiatur. Certè Græca, Romanaque, vel quælibet ex antiquioribus Monarchia tandiu glorioſa, & invicta extitit, quandiu induſtrios, ac bellicoſos, à quibus regeretur, Imperatores, aut Reges nacta eſt: earum verò quælibet ubi ad ignavos, otioque potiùs, quàm bello deditos, Principes devoluta eſt, exterarum Gentium armis obnoxia, penituſque ingloria miſerandam demum traxit ruinam. Id ipſum domeſtica recolenti exempla indubium erit. Noſtrum enim Luſitanum Regnum, ſub intrepidis, & bellicoſis ut plurimùm Regibus, ad ſummam evectum eſt gloriam, & potentiam: idem ſub uno, vel altero minùs bellicoſo minores feciſſe progreſſus planum eſt. Unde patet ejuſdem, omninoque invariatæ gentis gloriam, vel ingloriam à bellicoſo, vel minùs bellicoſo Principe unicè pendere. Neque verò (quod à nonnullis opponi audio) aliqua ex parte inglorium erit noſtro Principi Luſitanis præeſſe armis, dum Caſtellanis dignitate longè inferiores Duces præſunt. Marti, Mortique idem eſt genius: tam Mors, quàm Mars quamlibet inæqualitatem æquo proterit pede, ac ſumma infimis æquare ſolet. Summi olim Reges cum privatis Ducibus manus conſeruere. Innumeris aliis omiſſis, Mithridates Ponti Rex, Epirotarum Pyrrhus, Græcorum Perſeus cum Romanis Conſulibus conflixere. At noſtro ævo Franciſcus inclytus Galliæ Rex cum Hiſpanis Ducibus: & Carolus quintus Imperator maximus cum rebellibus Germaniæ Ducibus decertare non dubitarunt. In armis non tam decori, quàm victoriæ, propriæque conſervationis potiſſima ratio prudenti politico eſt habenda.

362 Neque tandem mihi quis objiciat, noſtrum Principem in majori haberi apud Ulyſſiponenſe palatium veneratione; ab eoque non niſi ad extremam aleam opportuniùs, maximèque cùm ſummo aliquo laborans periculo reſpublica exigat, illiuſque ſupremam imploret opem, avocandum. Enim verò futilis, prorſuſque deſpicienda eſt veneratio, quæ Principi ab inertibus, ingloriiſque latebris conciliatur. Et, quî poterit ad ſupremum conflictum eſſe idoneus, qui primum omnino inexpertus nunquam ſubiit? Quæ non niſi à veterano, emeritoque Imperatore pericula poſſunt declinari, quo jure, quave prudentia rudi Tyroni prima difficillimæ militiæ rudimenta tunc auſpican-

picantis committenda erunt? Cætera, quæ in contrarium objici poſſunt, argumenta, incommodaque, vel ejuſmodi ſunt, quibus parva declinatione, aut acceſſione facilè occurri poſſit; vel ſi ex maximis difficultatibus evincere conantur, neque noſtrum, neque aliquem alium Principem in armis verſari oportere, cùm plus nimio probare videantur, nihili facienda ſunt, juxta vulgatum, & certiſſimum Philoſophorum effatum: *Argumentum, quod multum probat, nihil probat.*

363 Hactenus, etſi latiùs, & luculentiùs vir eximiè politicus, verèque prudens, pro tuendo Principis Theodoſii ad arma proſilientis laubabili conſilio, validiſſimas proponit rationes prædictis Regiis opponendas; an iiſdem præferendas? Rex ipſe ſententiam tulit; qui eis aut lectis, aut auditis, haud multò poſt (ut infra commemorandum) pronuntiato Principe totius Regni militiæ ſupremo Arbitro, juſſoque apud Eboram belli ſedem figere, indeque reliquas obire Provincias, Regnique munimenta recognoſcere, planè declaravit conſultiſſimam hanc ſententiam, ad ſuſceptum à Principe conſilium proximè accedentem, ſuæ fore præhabendam. Interim tamen Rex, vel ut obſervantiæ ſibi à Principe debitæ periculum faceret, eumque in poſterum ſuo imperio, ac nutui obſequentem haberet; vel ne toties mutata ſententia inconſtans haberetur; in eodem hæſit propoſito, certus Principem ab Elviis Ulyſſiponem revocandi. His acceſſit Regis ipſius genius à bello, maximèque offenſivo prorſus abhorrens. In quo, mirum dictu, quàm ab expectatione publica, immò à ſemetipſo diſcreparit. Factus ad belli munia, omnibus à natura bellicis inſtructus dotibus inter cæteros ſui, & retroacti ævi Principes eminebat. Ignavi otii, deliciarumque contemptor, cuilibet durando labori obfirmatus; ſomni parciſſimus, quem nudæ humo, aut lapidi, quàm mollibus potiùs ſtragulis, applicitus ſub diu ſuaviùs captaret: cibus ei obvius, & parabilis eò jucundior, quò auſterior: nullam non levandæ ſiti opportunam etiam è lacubus aquam ducebat: caloris, frigoriſque juxta patientiſſimus; totius cultus negligens; veſtitus à vulgari parum diſcrepans. In perſequendis cervis, aut apris, modò eques, modò pedes infatigabilis; quem nemo luſtrandis frequenti venatu ſylvis diu proſequi, omnes Ille fatigare ſoleret. In tractandis omnigenis armis, & equis peritiſſimus. Corporis viribus planè giganteis pollens; quas ſæpe ſuſtinendis utraque manu ferociſſimis tauris in Regia Villaviſſoſæ ſylva periclitaretur. Ex chalybe, vel adamante formatum crederes. Adhæc, impavidus eidem animus, humano major, invalidi timoris neſcius, maximi cujuſque periculi omnino expers. Ingenium acutum, acre, ac feſtivum; judicium maturum, & maximarum quarumlibet rerum capax. Bello, ac ducendis exercitibus, debellandiſque hoſtibus natum, nemo, qui eum apprime noſſet, dubitaret. Nec dubium, quin talem ſe præſtaret, ſi unquam aut res poſceret, aut niſi Caſtellæ (ut par eſt credere) propitius Deus, ne ab Illo bellicoſiſſimos ducente Luſitanos funditus everteretur, pacis, & juſtitiæ potiùs, quàm bellicis munùs exercendis, eum redderet propenſiorem. Contentus redditum ſibi Divinitus, ſuæque fidei commiſſum regnum propugnare, de hoſtibus expugnandis parum ſolicitus. In eorum fines exercitum eo, quo ſupra dictum, ſucceſſu ſemel tantùm impulit, at invitus, invitatuſque Fœderatorum Principum repetitis precibus, quibus morem gerere neceſſum fuit. Siquis deinde (quod ſæpe accidit) Illi author eſſet inſtructo exercitu Caſtellam invadendi, ita conſulenti occurrere vulgò

Hoc lib. 4. 377, & 378.

Supra c. 10

ſolitus quaſi per luſum: *Sibi quodam in ſcrinio propheticam ſervari ſingrapham, qua palam prædiceret Caſtellanos, quoties in Luſitaniam irrumperent, debellandos; ſimiliter Luſitanos, quoties Caſtellam invaderent.* Is quidem genius, præter ſuperiores rationes, iis bellicis maximis inſtructum Regem induxit, ut tanto impendio ad avocandum Elviis Principem adniteretur.

364 Princeps nihilominus, certus alioqui paternæ voluntatis expreſſæ ſignificationi obſequendi; nequid tamen intentatum relinqueret, quo paternum placitum ad ſua vota deflecteret, ultimò ad Regios aliquot miniſtros literas dat, humaniores alias, quæ allicerent, acerbiores alias, quæ deterrerent, prout opportunum ſuis conatibus, & rebus ita exigentibus judicavit. Sed cùm neque id Illi è votis procederet ad flectendum Regis obſirmatum animum, quem nonnulli ex illis fortè confirmabant; immò cùm ex eorum uno abſonum prorſus reſponſum acciperet, continens inepta quidem rationum momenta juſto liberiùs explicata, quibus de repetenda quàm primùm Ulyſſipone admoneretur; certus unum eum ex illis eſſe, qui Regi talia ſuaderent, juſſo ad ſe venire quodam intimo ejus familiari Elviis tunc agente, hæc ad Illum verba feciſſe ſcribit in ſua relatione Joannes Nonius à Cunia, quæ Latinè à me reddita hic profero: *Scis bene, quantum tibi hactenus tribuerim, nec ſum neſcius, quantum tibi Pater meus deferat; quare oportet ad Illum ſcribas, dignetur ut ſua Majeſtas aliter me habere; ſicut enim (ut par eſt) Illius obſequi placitis nunquam deero, ita etiam æquum eſt, ne ſua Majeſtas mea deſit exiſtimationi conſulere. N mihi hanc ſcripſit epiſtolam, continentem rationes aliquot meis auribus indignas; ſcio probè, quo reſponſo dignaretur. Sed quicunque auſus fuerit cogitare, ſe apud Parentem meum indignis modis valiturum, ſciat à me ex editiſſima Regii palatii feneſtra præcipitandum. Ubi enim S. Majeſtas hujuſmodi homines ſibi proximos non habebit, ſtatim meæ rationi acquieſcet; quam niſi adhuc dignoſcet, ſimilibus punitis hominibus, non dubitabo pœna ſubjici mihi à S. Majeſtate imponenda. Nemo de me deceptus vivat. Ego enim probè ſcio, quid maximè ad obſequium Divinum, publicumque Regni bonum conducat; & poſt hujuſmodi factum ad ſacram percipiendam Euchariſtiam accedam, certus in eo gratiſſimum Deo à me oblatum holocauſtum.* Ad verba Principis contremuit vir ille; ſeque ſuæ Celſitudinis imperio fore audientem promiſit. At nemo ſibi perſuadeat, ex vindictæ, quantumvis juſtæ, ſed ex terrificationis ſtudio prolatas à manſuetiſſimo alioqui Principe hujuſmodi minas: inſitum Illi, Divinitusque inditum qualeſcunque devorare, facilèque remittere illatas ſibi injurias; quod ex alibi commemorandis planiùs innoteſcet. Voluit injecto eo terrore à noxiis apud Regem adulationibus aulicum illum deterrere. Nec dubium, quin illi per amicum meritò irati Principis minæ aperirentur; ſimulque Regi tam ad concipiendam iracundiam, quàm ad deponendam facili: ea verò tunc haud leviter correptus, Principis domeſticis graviter minatus eſt, graviſſimas ſibi daturos pœnas, ſi ulteriùs ab iiſdem Principem Elviis retineri experiretur.

Lib. 1. §. 58. 67. 68. & 69.

(✠)

CAPUT

CAPUT XXVIII.

Deliberat, exequiturque Princeps Theodoſius reditum Ulyſſiponem: & quî ſe ibi habuerit, donec Regni Archiſtrategus fuit renuntiatus?

365 DElatis ad Principem Regiis adverſus domeſticos ſuos minis, effectum certiorem, quàm quas Ipſe Ulyſſiponenſi aulico intentaverat, habituris, deploratàque omni ſpe Sereniſſimum Parentem, dum abeſſet, ad ſua vota traducendi, deliberatis Ipſius obtemperare juſſis, Ulyſſiponemque recta contendere demum decrevit; tum ne præfixos debitæ obedientiæ, cujus ad unguem obſervandæ perpetuò fuerat certiſſimus, tranſgredi terminos videretur; tum ne ſui cauſa ſuis domeſticis ab irato Parente infortunium aliquod obveniret; quo nihil ſibi poterat acerbius evenire. Juxta Regia mandata, ſub finem epiſtolæ à nobis ſupra expoſitæ, poſſet quidem Princeps ea, quæ illic Rex deſignaret, oppida obire, illorumque munitiones vel obiter, vel per otium recognoſcere, omnium exactam rationem jubenti Regi redditurus; non ſine aliquali ſpe, poſſe intermedii temporis objectu, quod immedicabilium alioqui malorum eſt præſentiſſimum amuletum, rebus interim occaſione aliqua mutatis, Regiam pariter mutari voluntatem, & ad ſuis votis annuendum commoveri. Neque dubito, quin adeo perſpicaci Principi obvium id arbitrium facilè occurrerit, vel illud ex militaribus, aut domeſticis aliquis Illi ſuggeſſerit. Verùm prudens Princeps, quia poſt acceptam eam epiſtolam, diuturniori apud Elvios mora protracta, ulterioris impatientem Regis animum, præſentiori à ſe adhibendo pharmaco emolliendum judicabat; vel quia æquiſſimæ ſuæ cauſæ præfidens, conſciusque paterni erga ſe amoris, certò ſperaret, ſe apud amantiſſimum Parentem perorante, validiſſimasque rationes pro privata, publicaque cauſa proponente, flectendum, quò maximè optaret, expediretque, Illius animum; noluit tandiu opportuniſſimam omnium ex propria præſentia medicinam, Regiæ indignationis ſerpenti ulceri adhibendam differre; ne aulicis fomentis indies auctum altiùs in Regio pectore radices ageret, & in ſuorum certam perniciem noxia dilatione invaleſceret. Hic §. 349. & 353.

366 Quare publicis, privatisque rebus brevi compoſitis, mox cum Præfecto Caſtrorum D. Joanne à Coſta, ſe abſente, militiam moderaturo, & cum paucis admodum ex ſibi fidiſſimis deliberatione ſua collata; iiſdem actutum redeundi facta ſpe, dataque fide, hebdomadario prius Curſore Ulyſſiponem dimiſſo, in poſteram diem profectionem ſuam edicit. Interim ſpem eam placido vultu ſimulans, & præſaga mente conceptum dolorem intimis premens præcordiis, illius jam immoderatiùs prævalentis impotens, tres, qui ſibi aderant, Cubicularios (eorum uno Joanne Nonio à Cunia Ipſius expreſſa verba referente) obortis lacrymis, ita dicitur alloquutus: *Vado quidem inglorius, &, ut credo, exanimis, honoris, ac vitæ immunis. Annuat Deus quidquid ad*

ſuum maximè conducet obſequium: mihi enim ſola ipſius major gloria optabilis eſt. Reſpondit Joannes Nonius à Cunia: *Redibit quidem V. Celſitudo; & plurima regna expugnabimus.* Cui Princeps: *Unicum mihi cæleſte regnum arridet; pro alio ne impendas operam: Ego enim ſi poßim, præ iſto cætera deſeram, & flocci faciam.* Igitur propriæ domus cura Joanni Nonio à Cunia demandata, vigeſima Decembris die, poſt ſolis exortum, exploratis priùs, quà Principi eundum foret, itineribus, ex Elvenſi Urbe tanto exiit dolore, quanta eandem voluptate nuper inierat; cæteris tum civibus, tum militaribus inſciis tunc, at poſtquam reſcivere, incredibilis mœroris ſignificatione, lacrymis ubertim fluentibus, elatisque ſuſpiriis abeuntem chariſſimum ſibi Principem proſequentibus. Eum Stremotium uſque univerſus Elvenſis equitatus eſt ſubſequutus; ubi pari lætitia, & admiratione ortis ex inſperato, ſubitoque reditu, cujus haberent inexploratam cauſam, exceptus eſt. Dum hîc paulisper hæret, vetus nobiliſſimi Oppidi Caſtellum, in quo Sanctiſſimam olim Reginam Eliſabetham egiſſe animam exploratum habebat, recognoſcendi vehemens animum inceſſit cupido. Singula Caſtelli perluſtranti, quærentique venerandum certè locum, è quo ad cœlum ſanctiſſimus ille ſpiritus evolarit, oſtenſum ſpatium arcti, temporisque injuriis obnoxium, ſitu obſitum, ruinis deforme, vaſto ſaxorum viciſſim diſſidentium hiatu, quaſi adaperto ad querelas ore magnam temporis etiam in ſaxa valentis vim, majorem incolarum incuriam, ſummamque rei indignitatem incuſans. Ibi dum audit ex majorum traditione Regiam olim fuiſſe aulam, cujus ne veſtigia quidem extarent, unde ad cœleſtem auguſtiſſima Regina commigravit; gravi dolore ſaucius, & ad pietatem inflammatus Princeps: *Hîc* (inquit) *Sanctiſſima Eliſabetha tuo nomini à me olim erigendum, aut auguſtum templum, aut magnificum ſacellum eſto; modò favens, ut placidum Numen tuis è cœlo adſis Luſitanis, noſtramque militiam vel illuſtribus victoriis, vel optabili tandem aliquando pace confirmes.*

367 Sic precatus, memorabili ſalutato hoſpitio, viæ ſe dat. paucisque deinde comitatus turmis ad tutiora uſque, hoſtibusque inacceſſa loca deducitur. Illis Elvios redire, ſuique reditus illic ſpem alere juſſis, eaſdem viarum ambages, notaque ſibi hoſpitia, ſed non eadem, qua paulò ante, exultantis animi exhibitione remetitur: quàcunque pergeret publicis plauſibus modeſtè recuſatis, & ad feſtivum reditum differri imperatis. Tandem Dominici Natalis pervigilio Ulyſſiponem, Regiumque palatium inſperatus, & improviſus adit; nactusque Sereniſſimum Parentem in Regio ſolario perambulantem, paternam dextram ad oſcula expetit, facilèque impetrat, Rege chariſſimum ſibi Filium arctiſſimè amplexante: qui ereptam nuper Aulæ, Urbique ſuo diſceſſu lætitiam, utrique ſuo adventu cumulatiſſimè reſtituit; plurimis ex univerſis ordinibus ad palatium certatim confluentibus, ubi veniſſe Principem tota repente Urbe pervulgatum. Rex Illum publicè coram nonnullis humaniſſimè quidem habuit, multa de itinere, Ipſiusque valetudine, pauca de Luſitanis copiis, & rerum publicarum ſtatu ſciſcitatus. Verùm, dum remotis arbitris cum eodem ſecretò colloquutus, acerbiſſimè accepit. Violatæ Illum paternæ obſervantiæ reum poſtulat, tum ob clandeſtinum, ſe inſcio, & inſalutato, ex Ulyſſipone diſceſſum; tum maximè in protracta diutiùs, quàm par eſſet, Elviis mora, ſe jubente actutum ut rediret. Hîc Princeps, implorata ſuppliciter pro ſe dicendi venia, ita exorſus eſt: *Siquis fortè in meis actionibus fuit, meus certè omnino, nullius alterius fuit damnandus error; hic*

verò

verò non ex voluntate Veſtræ Majeſtatis obſequiis addictiſſima profectus, ſed ex intellectu reputante nihil à me ſuſceptum, quod V. M. placitis vel foret, vel deberet eſſe contrarium. Condonabilis quidem eſt, niſi fortè aliquando ſit laudabilis, quiſquis cauſas habet error honeſtas: à me verò nihil, niſi honeſtum, Majeſtatiſque V. Filio dignum, admiſſum eſt. Certè ſi pro V. M. ſtabilienda corona, pro tuenda patria, pro commilitonibus ſtrenuiſſimis confirmandis, ad veram eniti gloriam crimini dandum, neque illud à me commiſſum inficior, neque mihi objectum erubeſco. In diſceſſu, redituque meo id à me præſtitum, quod à V. M. maximè probandum exiſtimabam, ob cauſas à me ſæpius inculcatas. Qui crediderim ſoli M. V. poſſe diſplicere factum, cui omnis Luſitania, immò univerſa plauſit Europa? Clam è palatio, fateor, Elvios ſum egreſſus, at palam pro V. M. incolumitate, obſequioque vitam ſummis belli periculis objecturus: citiùs, quàm par eſſe judicarem, dum redeo, meam exiſtimationem, quam vita ipſa pluris facio, V. M. imperio, meæque obedientia libens devovi. Qua ratione poſſim V. M. me obſequentiorem exhibere, non video. Siquid propria vita, & exiſtimatione majus mihi adhuc ſupereſſet, id totum V. M. promptè offerrem, abſoluti holocauſti flammis me penitus donaturus.

368 Plura pergentem dicere Principem, ac de nonnullis modeſtè conqueri Rex intercepit; conceptamque jam diu, vel à ſe, vel ab alijs exſufflatam adverſus immeritum Filium indignationem verbis immodicam iracundiam ſpirantibus effudit. Illa etſi à Joanne Nonio à Cunla in ſua relatione reperetim propalata, ſatius duxi à me hic premenda, non minùs reverita objurgati Principis, quàm objurgantis Regis auctoritate. Id tantùm ſatis ſit indicaſſe, ita Innocenti Principi Regem improperaſſe, ut poſſet à Rege Davide Filio Abſaloni, ſi prælio foret ſuperſtes, meritò improperari. Audiit Ille patienter aculeata plus nimio commoti Parentis verba; dandumque implacabili tunc iræ locum oportere è re ſua ratus, aliò ab iracundo Parente ſeceſſit; neque illa nocte natalitils de more adfuit matutinis; non tam ex itineris, publicè tamen prætexta laſſitudine, quàm ex animi privato angore tenebris committendo, & emolliendo, donec tempeſtas illa detumeſceret. Per dies aliquot ea tenuit; neque modò in Principem, ſed adverſus conſilii ejuſdem conſcios vehementiùs detonuit; Rege non impunè illos laturos haud ſemel minitante. Crediderim data opera inſolitæ adeo terrificationis, & alienati à Principe ſibi alioqui dilectiſſimo animi ſigna Regem edidiſſe; non quidem quòd Illius erga ſe obſervantiæ minimam poſſe inuri notam exiſtimaret, ſed ut ea ratione omnem Illi Elvios repetendi ſpem præcideret, cæteroſque in officio contineret; ac ſibi univerſi ab eo Rege timerent, qui proprio chariſſimo ſibi Filio non pepercerit, eumque adeo ſeverè habuerit.

369 Illud mihi mirum, eademmet die, qua Princeps Ulyſſiponem tenuit, palatiumque improviſus intravit, datas fuiſſe ad Ipſum Sereniſſimæ Reginæ literas, quas Illius manu ſcriptas ad manum habeo, quæ ſunt ejuſmodi: *Nuntiis, quæ de tua valetudine mihi refers, in immenſum plauſi; eadem miſſo à Te legato confirmante, qui opportuniſſimus acceſſit: ut ſunt omnia, quæ à Te diriguntur. Doleo quidquid Tibi rigoroſum obſtiterit. Quare oportet iſthic immorari, donec à Te deſtinatum effectum aſſequaris. Utinam tuis, meiſque votis felici Tibi debito exitu cuncta reſpondeant! Tua ſoror ſua reſponſum epiſtola avidiſſimè opperitur. Ego verò, ut mihi dicas, quàm multùm natalitia nocte ſomno indulſeris. Cæteri Fratres tuam manum oſculantur. Ulyſſipone 24 Decembris 1651.*

Tua Mater, Tui ſemper amans. *Regina.*

370 Ex qua epiſtola duo palam conſtant; primum, approbaſſe Reginam non modò Principis in Elvios ſubitam profectionem, quod aliis ejuſdem li-
Hic §. 343 teris ſupra confirmavimus, verùm etiam longiorem ibi ab eo moram protrahendam, donec ſuſcepti à ſe propoſiti compos fuerit. Quæ ſententia quanti ſit facienda, norunt, qui ſummam ejus prudentiam exploratam penitus habuere. Secundum, clam Illa fuiſſe tum Regis imperantis ſupremum mandatum, tum Principis obtemperantis deliberatum reditum: utroque Ipſum celantes, quæ gravi dolore afficerent ejus animum Principis judicio addictiſſimum. Ille quidem exinde acri dolore affectus, & multorum probabili opinione confectus tandem eſt. Duplex acerbabat cauſa dolorem; prima, eaque omnium maxima ex Sereniſſimi Parentis indignatione, cuius ipſe Author, etſi præter opinionem, extiterat: nihil ea re in totius vitæ decurſu ſibi gravius accidiſſe in familiari apud ſuos ſermone ſæpe profeſſus eſt. Secunda ex deſperato penitus ad Elvios reditu; Sereniſſimo Parente omnes ad ſe aditus ea de re mentioni præcludente; nemine auſo hujuſmodi ſermonem apud Illum injicere. Plurima prætere, eaque graviſſima, exinde oritura incommoda acri mente prævisa, non mediocriter anxium ſtimulabant: data in primis à ſe non ſemel redeundi fides, quam ſolvere ſibi non dabatur: propria deinde exiſtimatio, tum apud Luſitanos, tum apud exteros quoſque rerum inſcios in ſummum periculum adducta: ſuorum item diſcrimen, Rege criminoſos eos ſui cauſa reputante, illiſque acerbiſſima minitante: glorioſi tandem à ſe conatus, pro Luſitana re promovenda, non ab alienigenis, aut hoſtibus, ſed (quod magis dolendum) ab indigenis, & amicis penitus diſturbati. Quæ omnia generoſi Principis animo ſimul objecta, etſi dolorem, ex eoque mœrorem maximum, non tamen deſperationem injiciebant: certum Illi erat, Deum, cui unicè in omnibus obſequi decreverat, in cujuſque manu Regum corda ſunt, poſſe Regium Sereniſſimi Parentis cor facilè immutare, Illique optima, & ſibi placita ſuadere.

371 Igitur ex præteritis jactationibus mundana ſpernens, ac terrena faſtidiens, in æternorum deſideria quodam mentis rapi exceſſu; de cœleſti regno expugnando, quod ſoli rapiunt violenti, ſeriò cogitare; de inferenda ſibi vi, quam hoſtibus non poſſet, rationem inire; ad placandum Deum, cujus nutu conſtant, & reguntur imperia, Illique omnimodè placendum ſedulò animum adjicere. Hinc ſolitas ſibi mentalis orationis horas exquiſitiùs obire, longiùſque producere, cæteraque ſibi conſueta ſpiritualia exercitia, pro militaribus, & exercitu inſtruendo, ritè, ſolicitèque adimplere: tum verò libris ſpiritualibus omnium optimis conſiliariis, & amicis, maximèque Sacræ paginæ ſeduliorem curam impendere, ac ex illis edita Divina oracula multò attentiùs auſcultare. Quod ſupererat temporis, utiliter collocare, tum legendis optimis hiſtoricis, tum Mathematicis, aliiſque à ſe hauſtis diſciplinis ſtrenuam denuo navare operam; Divinamque in omnibus implorare opem, ut ſibi, ut Regiæ Domui, ut Luſitano Regno, ſub ejus patrocinio ad promiſſam Imperii gloriam proceſſuro, adeſſe dignaretur. Interim de ſuis, qui Elviis ſubſtiterant, Ulyſſiponem revocandis ſolicitus, primum omnium ſuum Confeſſarium, utpote ad conſcientiæ miniſteria omnino neceſſarium, cujus propterea abſentia maximè angebatur, accerſiri jubet; intimoque ſibi Ludovico Soſiæ imperat, per familiares literas eum, ut quàm citiſſimè veniat, adhortetur. Ille Principi morigeraturus, poſt ſolitas urbanitates, ſic ad eum ſcribit:

ſcribit: *Nunc aptiùs id conſequi poſſum, de Sua Celſitudine recenſitis V. Dominationi nuntiis. Optimè quidem valet; at minorem hîc, quàm iſthic, lætitiam præ ſe ferens. Quare tum pro debitis Illi à V. Dominatione obſequiis, tum pro meis erga V. D. meritis, quàm poſſum enixè, rogo V. D. ut confeſtim, actutum, omni procul mora in hanc feſtinet Civitatem. Et quia ita futurum ſpero, verbum non amplius addo. Soſpitet Deus V. D. Vlyſſipone 28 Decembris 1651.*

Amicus, & maximus Servus Ludovicus Soſia.

372 In ejuſdem epiſtolæ inverſa pagina (tantum utrique tribuebat Princeps) hujuſmodi Latinam ad eundem epiſtolam propriis ſcriptam characteribus ſubjicere dignatus eſt; quam tamen occultis aliquot notis, quæ ſolus poſſet Confeſſarius diſpungere, multò reddidit familiariorem: ſic illa habet: *Illud ſanè modò dicam, nova Me ſcripturum, utpote nova expertum: non enim Mihi amanti tanta unquam contigit abſentia; nec fieri putavi olim, me tot vivum obſtare poſſe deſideriis. Sed ipſis fallebar nominibus: nam quòd adhuc vivam, munus amanticida Amoris eſt, qui dum ſemel vitam ſubduxit, mellita prorſus morte ingeſta, quaque falſo vitæ nomine decipiat, nullis malis cedere novit; his crucior, his delector, his morior, his vivo: viden, ut nova ſint! Atqui cùm non omnia dicere queam, tacere præſtantius duco.* (Hîc occultis characteribus quatuor interjicit ignotas lineas, & proſequitur ſic) *Hæc dum ſcribo, accedit Antonius Ribeyro, aſſerens noſtrum tenere portum Catalonium Legatum, huc à Gallis miſſum; Condeum Burdegalis eſſe cum 26 navibus Hiſpanis, geminasque arces Regias jam ab eo eſſe captas, Gallumque Regem inter arma verſari. Hæc, noſtraque aſpice, & crede quòd Nec Saturnius hæc oculis Pater aſpicit æquis: ſed fata viam invenient, &c. Vale mihi, tibique, & ne obliviſcaris. Vlyſſipone 28 Decembris 1651.* *D.*

Subſignatio hujuſce affectuoſæ adeo epiſtolæ litera, D, definita ſignificat, *Doſitheus*, quod (ut ſæpe diximus) idem eſt ſub anagrammate, atque *Theodoſius*. Eam verò, ut patet, poſt tertiam à ſuo Ulyſſiponem appulſu diem ſcripſit. Alios deinde domeſticos, reditu ſuo prorſus deſperato, univerſos humaniſſimè Ulyſſipone Princeps evocavit. Rex eoſdem pro cujuſque merito, vel demerito, variis propitii, vel alienati animi ſignificationibus excepit; eorumque nonnullos hujuſmodi averſione contentus diu torſit.

373 Princeps interim à publico abſtinere, conceptique mœroris reliquias objecta ſolitudine alere, ægerrimi animi oſtentatione tum privatis, tum publicis fortè malis opportunam medicinam quæſiturus. Eodem temporis Sereniſſimum Parentem omni ratione demereri, nihilque prætermittere, quod ejus colligendæ benevolentiæ non tam ſibi, quàm ſuis profuturum judicaret. Neque verò fuit difficile, ubi horrida illa tempeſtas evanuit, ſereni cœli placidam faciem priſtinæ ſerenitati redditam intueri; Rege ſuo de more cœleſtis arcus inſtar, & impendentem pluviam, & futuram mox ſerenitatem inſimul promittente. Igitur Rex voti compos, ſuisque obſequiis, quibus nunquam defuerat, omnino addictum Principem expertus, de rebus publicis in melius provehendis, tempeſtivè ab ipſomet Principe, aliisque prudentibus viris injectam mentionem libenter admiſit: præſenti rerum ſtatu, ex hoſtilibus copiis indies auctis, atrociusque bellum intentantibus, præſentius auxilium, majoremque in poſterum conflando exercitui adhibendam ſedulitatem exigente. Dum ea de re conſulitur, ſeriòque deliberatur, communi omnium conſenſu demum ſedit: *E republica omnino eſſe, Principem Theodoſium popularibus juxta, & militibus acceptiſſimum, Luſitanis præfici armis; ei uni promptiùs*

populares

populares neceſſariam omnino pecuniam, militares debitum obſequium, & animorum inſolitum ardorem, in quibus bellica res vertitur, exhibituros: ea maximè ratione, jubente Rege, non injuſſo Principe ad arma prævolante, Regiam auctoritatem ſtabiliri: ſic Principis nutanti exiſtimationi, ſic ejus votis, & communi omnium Luſitanorum, & exterorum Gentium expectationi fieri ſatis: exinde non niſi auſpicatiſſimos poſſe ſperari exitus: à Principe luſtranda univerſa Regni confinia; ſed in eorum nullo diutiùs ſubſiſtendum, ne diuturnitate, aut improſpero aliquo eventu ejus auctoritas minuatur: Eboræ, Conimbricæque viciſſim Illi vulgò inhærendum; indeque ab eodem, prout res tulerit, univerſis confiniis providè auxiliandum: hæc verò interim, deinceps à tempore, ac rerum exigentia optimis conſultoribus opportuniora conſilia fore accipienda. Ad quæ omnia in Principe nulla mora, immò ſumma, Sereniſſimo Parente ſic ſtatuente, promptitudo. Eum etſi Adoleſcentem, contendebant ad extremum, *talem jam ab univerſis haberi, & re vera eſſe, cui meritò aptari poſſint Nazarii de Conſtantino verba: Adhuc ævi immaturus, & jam maturus imperio, oſtendiſti curſum ætatis non expectandum in feſtinatione virtutis, &c. Quare Illum eſſe imperio dignum, qui antequam poſſit populos, & exercitus regere, ſuis jam diu cœpit moribus imperare.*

Naz. in paneg. Conſt.

374 At Rex priuſquam hujuſmodi conſiliis omnino acquieſceret, quæ poſſent ex adverſo illis obſtare, per otium ſecum reputans, nonnullas adhuc difficultates expendi juſſit. Habeo quandam prima ejus manu ſcriptam allegationem, cui alicujus momenti objectiones commiſit: eam, quia nonnulla continet obſervanda, Regiamque vel de minimis exprimit ſedulitatem, hîc pariter duxi adjiciendam: hujuſmodi habebat inſcriptionem, & ſub ea rationum momenta.

Incommoda, quæ Mihi ſe offerunt pro nova Principi conferenda dignitate.

375 *Qui ſumptus pro domo, domeſticaque Principis familia denuo accreſcunt, militibus ſunt detrahendi: ſi enim ex Brigantini Principatus redditibus erunt ſupplendi, quidquid exinde militibus conferebatur, illis deerit. Audiendi ſunt priùs pannoſi, & ſeminudi milites. Hactenus iiſdem, quibus Ego, Regiis inſtrumentis, & miniſtris utebatur Princeps; poſtmodum diverſa hæc omnia Illi erunt ſuppeditanda. Abeuntem ex Ulyſſipone Principem deberet ſubſequi Trium Statuum Tribunal; id verò fieri nequit, ejus miniſtris ob alia munia Ulyſſiponi penitus addictis. Bellicum præterea concilium, oportet, ut ſecum deferat Princeps; non enim expedit, ut cum alicujus Provinciæ miniſtris faciendam pro aliis Provinciis proviſionem conferat; qui potiorem habebunt de ſua, quàm de alienis rationem, deque his minùs ſoliciti, de ſua tantùm curabunt. Aliter, ſi concilium id Ulyſſipone vigeat, inde in commune proſpiciens univerſis ex æquo conſulit; niſi fortè conſiliariorum aliquis peculiari Provinciæ ſit ratione aliqua obæratus, tunc ſemper videbitur urgentiorem in ea eſſe indigentiam. Certum eſt plurima, quæ Ego continebam, & hujuſmodi Tribunalibus interdixeram, illico introducenda, Principe abſente, rerumque inexperto, cui errando diſcendum, ut mihi diu contigit; neque dubito, quin etiamnum accidat.*

376 *Iis, qui Principem ſequentur, neceſſaria eſt ſatis pinguis crumena; ſi erunt copioſi, paucis elapſis diebus, dicent terras eſſe difficillimas, quibus illi erunt multò difficiliores. Si egeni ſunt, auctiori; ac duplicato indigent ſtipendio. Extra Ulyſſiponem enim haud ſufficit Ulyſſiponenſe diurnum ſtipendium: eorum unuſquiſque pro duobus abſumet, pro uno minimè laboraturus. Deus quidem pro redimendo mundo propria vita fecit jacturam;*

turam; Ego verò hactenus vidi neminem, qui pro lucrando Regno propriæ facultatis jacturam fecerit. Si eam nonnulli offerant, decies amplius eorum, quæ obtulere, & quindecies plus eorum, quæ promiſerunt, exorant. Si ex nova Principis dignitate omnia in melius procedent, ſuperante pecunia, rebuſque noſtris tot progreſſus facientibus, quot nonnulli pollicentur, maxima Mihi multis nominibus erit exultatio; ſin minùs, planè intelligam multùm diſtare aëriam elocutionem à prompta exequutione; iiſdemque hos, atque illos incommodis urgeri. In iis regionibus, ubi bellum viget, exercitus à pecunia incipiunt, & conflantur; hic video velle Principem ab exercitu exordiri ad pecuniam colligendam. Apud Germaniam ex agris, & incolis alitur exercitus; apud Luſitaniam illi ab exercitu aluntur. Magnopere vereor à populis, & Regno extorquenda, quæ ad novum bellum ſunt maximè neceſſaria; id verò an expediat? Maximè dubitandum. Belli miniſtri, ac Regni Primores parum curant populorum commoda, minùs verò ejus Judiciales miniſtros: utroſque ni Ego impensè foverem, jam penitus eſſet juſtitia deplorata: in ea quidem non æquum eſt à Me diſpoſita inverti.

377 Hactenus optimus Rex, cujus minimè pœnitendis rationibus, aliis, quas validiores haberent, oppoſitis, inſuper conſiliarii addidere: *Nihil magnum eſſe, quod magnum non ſit obnoxium difficultatibus; in iis ſtrennè ſuperandis fortis, & induſtrii viri ſpectari generoſum animum: longè majora poſſe incommoda è contrario ſuboriri, quibus non tam facilè occurri poſſit. Tentandum hoc auxilium, quod omnium promptiſſimum, & opportuniſſimum prudentes viri judicent; telum hoc omnium validiſſimum in hoſtes contorquendum, quod illi præ cunctis aliis maxime reformidant: ſi hoſtes in conſilium adhibeantur, indubium eſſe, quin Principis noſtri arbitrio Luſitanam militiam regendam inſicientur; nimirum, quia nihil minus è re ſua eſt: igitur nihil magis è re noſtra eſſe credendum eſt.* Dedit manus Rex; præcogitataque per otium ratione, qua maximè oporteret Principi ſummam eam Præfecturam deferri, hoc demum diplomate Regia manu firmato, Principem Theodoſium ſupremum Luſitanæ militiæ Arbitrum renuntiavit: cujus exemplar hic apponendum operæ pretium judicavi.

378 *D. Joannes Dei gratia Rex Luſitaniæ, Algarbiorum, &c. Notum facio univerſis, qui noſtras haſce patentes literas viderint, conſideranti Mihi ſummam ſolicitudinem, quam exigit hujuſce Regni, & clientum conſervatio, Principemque Theodoſium meum ſupra omnes multùm dilectum, & appretiatum Filium jam in ea eſſe ætate, quo cum partiri bellicas poſſim curas, tum ob egregias, quibus præditus eſt, dotes; tum ob ſedulitatem, & impendium, quod militaribus exercitiis præ ſe fert; Regemque Caſtellæ iis, quibus hactenus diſtrahebatur, bellis indies expeditiorem eò jam deveniſſe, ut maximè liber impedimentis multùm adverſus hoc Regnum poſſit prævalere; conſideranti prætereà, neceſſum eſſe Luſitano, ultramarinoque bello ſimul occurrere, oportereque munia hæc ita dividere, ut maxima cura, & diligentiâ meliùs exequutioni poſſint mandari ea, quæ magis expedient, Mihi placitum fuiſſe committere Regni bellum adverſus Caſtellam gerendum Principi meo multùm dilecto, & appretiato Filio, ut quàm celerrimè prævenire valeat omnia bello neceſſaria omnibus modis, qui ſibi ad Regni tutelam videbuntur opportuniores. Quare nomino, conſtituoque Principem meum Filium ſupremum armorum in hoc Regno adverſus Caſtellam Arbitrum; ut bellum ea ratione adminiſtret, quæ ſibi videbitur opportunior, tam ad meum obſequium, tum ad Regni utilitatem, cum eadem juriſdictione, facultateque ad me ipſum ſpectante; Ducibus nominatis per patentes literas ſuo nomine ſubſignatis; iiſdem amotis, aut imminutis, eadem prorſus, qua Ego poſſum, ratione. Quamobrem præcipio bellico Senatui, Tribunali triplicis Status, Quæſturæ Generali, armorum Præfectis, cæteriſque tam belli, quàm bellici ærarii miniſtris, ut*

ad

ad Illum ſuas in poſterum dirigant conſultationes, & negotia eodem modo, quo ad Me hactenus ea dirigebant. Præcipio item reliquis perſonis, & clientibus, cujuſcunque qualitatis, conditionis, & præeminentiæ, ut Illi rebus in bellicis, & ad bellicum ærarium ſpectantibus obtemperent, ejusque integrè obſervent edicta, ſicut in hiſce patentibus literis continentur. Quæ omnia Regali potentia, & auctoritate neceſſaria, ſine ulla limitatione confirmo. Harum verò patentium literarum propter earum præcellentiam in nullo libro habenda eſt ratio, ſed tantùm vigore literarum, & decretorum; quæ ſcribi jubeo ad Tribunalia, ad armorum Præfectos, præcipuosque urbanos Regni Senatus, ſint univerſis notæ, ut id impleant, & obſervent, prout ad quemlibet ſpectat. Pro confirmatione autem omnium prædictorum, haſce patentes literas à Me ſubſignatas Illi tradi juſſi. Pantaleon Figueyra confecit Vlyſſipone 20 Iannarii anni Dominicæ Nativitatis 1652. Petrus Vieyra à Sylva ſcribi feci.

REX.

CAPUT XXIX.

Quomodo ſe geſſerit Princeps Theodoſius in ſuprema Luſitanæ militiæ Præfectura?

379 SUpremus Luſitanæ militiæ Dux renunciatus Princeps Theodoſius primùm omnium auſpicatum novi regiminis initium à Deo ducere, Illumque omnimodè demereri ſtuduit, certus Deo duce, ac auſpice feliciter ſibi omnia proceſſura. Igitur eademmet die, qua ſummus Regni armorum Arbiter incredibili omnium ordinum, maximèque militarium exultatione creatus eſt, piiſſimam compoſuit orationem, qua commiſſa ſibi regenda Luſitaniæ arma Deo exercituum obtulit, ejúsque præſens auxilium, quò non niſi ad ipſius Divinum placitum, & majorem gloriam eadem unquam moveret arma, ſuppliciter, enixèque imploravit: eam verò orationem haud contentus ad inſtar Salomonis ſub primis ſui regiminis auſpiciis ſemel tantùm coram Deo fundere, ter quotidie flexis genibus quoad vixit, ſingulari penitus devoti animi affectu coram Sacra Crucifixi Domini effigie recitavit. Hujuſce Orationis, etſi apud plurimos paſſim repererim mentionem, apud Principis Confeſſarium multò inveni luculentius teſtimonium; qui eam elegantibus tranſcriptam characteribus in ſuo Breviario pro ſacra icuncula perpetuò geſtavit. Eſt verò hujuſmodi, tum præfixa inſcriptio, tum ipſamet oratio: *Oratio, quam Sereniſſimus Princeps Theodoſius, qua die ſupremam armorum Regni adminiſtrationem ſuſcepit, piè compoſuit; exindeque flexis coram Chriſto Ieſu ſubmiſsè genibus, ſupplex, ac fervens ſpiritu, ter quotidie effundebat.* Hactenus orationis inſcriptio compoſita, ut puto, ab eodem Confeſſario, cujus aureum planè ſtylum ſat mihi notum ſapit; deinde ſubſequitur à Principe compoſita oratio: *Domine, qui poteſtates, & regna toti terrarum orbi diſpenſas, preis exercitibus, & Dei Sabaoth nomine dignaris; Tu de tua immenſa bonitate mihi, etſi viliſſimæ creaturæ tuæ, Regnum iſtud Luſitanum tuendum dediſti; quod & ad majorem laudem tuam ſuſcepi, & pro charitate, qua tua gratia fretus in Te tendo, nihil aliud volo, quàm quod tuo Sanctiſſimo Nomini glorioſius, & decentius fuerit. Vnde potentiſſime Deus, qui omnia diligenti Te in bonum ceſſura promiſiſti; qui Salomoni regendi ſcientiam dediſti, Davidi,*

& Ioſue

& Ioſua militarem fortitudinem induiſti ; Te precor per Vnigenitum Filium tuum, Dominum meum Ieſum Chriſtum, ut dum hocce me munere fungi velis, ſic fortem, & ſapientem me geram, ut plurimas inde Tibi referam grates, quod & me ſpondeo ſemper facturum. Amen.

380 En generoſæ, planèque Divinæ Principis ſapientiſſimi expreſſæ in hac ſua non minùs eleganti, quàm pia oratione, cogitationes. Non Illum, ut pleroſque Regum, ac Principum, aut inanis gloriæ inſitus vanis mortalibus appetitus, aut prorogandi ſive jure, ſive injuria imperii fines inſatiabilis cupiditas, vel ulciſcendæ alicujus injuriæ vehemens ardor ad arma capeſſenda impellebat; unica tuendi patrii Regni, Divinique obſequii promovendi cauſa ad militiam, & grave Martis onus tolerandum movebatur. Quàm multa quieſcerent bella, & ex illis ortæ clades, ac Regnorum ceſſarent excidia, ſi eadem, quæ Theodoſio, cæteris Regibus, ac Principibus mens ſolius Divini obſequii appetens inſediſſet! Ille quidem non modò ea toties repetita oratione, ſed frequentibus maximarum virtutum exhibitionibus propitiato Numine, proximam deinde curam ſuo muneri ſedulò, impigrèque obeundo impendit: omiſſis aliis, quæ longum eſſet ſtrictim recenſere, ad tria maximè præcipuam contulit ſolicitudinem; nempe ad bellici ærarii, ex quo univerſa pendet militia, promptam expeditionem; ad munimenta, ſine quibus Urbes, & oppida propugnari nequeunt, ubique urgenda; tandem ad optimorum militum conflando exercituì delectum: in hiſce omnibus quàm ſe prudenter, utiliterque Princeps habuerit ſimul, & publici promovendi commodi, & privatì popularium removendi incommodi habita ratione, à nobis erit perſtringendum.

381 Conciliandis ſibi omnium ordinum animis, ſub prima initi Regni primordia, intentus Sereniſſimus Rex Joannes, à Caſtellano regimine invecta denuo tributa, quibus immodicè populi premebantur, libenter eiſdem remiſit, certus ad colligendam liberorum clientum benevolentiam præcipuum eſſe Regùm attributum, eos tributis liberare, ipſumque contribuendi odioſum nomen abolere. Multum certè ſibi Rex imponit qui ſuis multa, & iniqua tributa imponit: graveque ſibi damnum ipſe conflat, qui plus nimio ſubditos immodicis aggravat exactionibus: idem ad indubiam rebellionem populos incitat, quibus invitis, & invalidis majora viribus portanda onera, certè mox excutienda, Roboamica ſtoliditate denuntiat. Aliter, cùm aliquando juſta invitante cauſa, publiciſque rebus exigentibus, libenter illi, nemine cogente, juſto ſui Principis oneri, levique jugo ſuccedunt; ne longè gravius hoſtile ſubire cogantur; illis meritò conferendi, qui ut lethalem morbum in viſcera jam ſerpentem evadant, venas ſibi aperiri æquanimiter patiuntur, opportunis proprii ſanguinis emiſſionibus privatam, publicamque incolumitatem redempturi; vel illis æquiparandi, qui horrida tempeſtate navi, nautiſque ſupremam everſionem minitante, ſponte ſua res ipſi ſuas in tumidum mare projiciunt, prudenti, quæſtuoſaque jactura ſe, ac pretioſiora, quæ ſibi ſuperſunt, ſervaturi. Hæc omnino exploratiſſima cùm haberent fideliſſimi Luſitani, propriæque incolumitatis alioqui avidiſſimi, dum in primis Ulyſſipone habitis comitiis de prompta pecunia pro imminentis belli ſumptibus in commune conſuleretur, etſi Caſtellanis tributis à Rege nuper liberati, novo ſe tributo libentiſſimè obſtrinxere, oblatis omnium, quæ poſſiderent, vel induſtriè lucrarentur, decimis, quas tunc ſupplendis totius belli

 ſumpti-

ſumptibus pares fore prudenti æſtimatione judicatum : licèt poſtea ea ſumma impari deprehenſa, in aliis comitiis ſemidecimam iidem pro ſupplemento æquali alacritate addiderint.

382 Pro hujuſmodi decimis , & liberis oblationibus colligendis , expendendisque novum Rex erexit Tribunal, cui à Triplici Statu inditum nomen, ex Eccleſiaſticis, nobilibus, & plebeis Miniſtris conflatum : huic Tribunali Principem ſupremum armorum Præfectum ex duplici præcipua causa conſultiſſimè Rex præfecit : prima, quia Principi omnium animis acceptiſſimo promiſſa tributa imploranti libentiùs univerſi contribuerent : ſecunda, quia Ipſe humaniſſimus juxtà, & æquiſſimus, benevolentia , & auctoritate apud omnes plurimùm valens potentiores, ac ditiores compelleret ; ab invalidis miniſtrorum exigentium ſolitas vexationes facilè prohiberet. Hujus igitur Tribunalis ſibi jam ſubjecti conditis olim recognoſcendis ſtatutis primam, eamque ſedulam impendit operam Princeps , conſultis ea de re viris judicio, & maximarum rerum uſu pollentibus; juſſis iis, ut per otium meditata, ſcriptisque mandata documenta , quæ quiſque opportuniora judicaret , ad promptiorem rei nummariæ tum collectionem, tum diſtributionem ſibi ſuggereret. Ab illis ſtrenuam pro ſe non minùs in publica commoda, quàm ad privatum Principis obſequium operam navantibus, collegit Ipſe conſultiſſimas quidem allegationes, è quibus nonnullas legi ſalutaribus planè arbitriis, & monitis refertas: quarum ope , frequentique cum ejuſdem Tribunalis miniſtris collatione , Sereniſſimo Rege annuente , novam condidit inſtructionem, nonnullis ex veteri vel correctis, vel abolitis, plurimis in commodiorem formam redactis, paucis additis, in omnibus æquitati ſervandæ intentus; ne potentiores minora, tenuiores majora viribus ferre , ſolvereque cogerentur, ſed pro cujuſque opibus, aut inopia, æqualis, juſtaque contributio ſtabiliretur ; facta ſemper in libra juſtitiæ favorabili ad egentiores inclinatione: pro argumento ſint pauca è multis, quæ à diverſis ejuſdem Tribunalis miniſtris accepi. Cùm Principi renuntiaretur bellico ærario deberi quadringentos mille aureos ſub pignoribus ; juſſit propriis Dominis pignora reſtitui, eosque commoneri, ut modicis per intervalla ſolutionibus eo ſe debito exonerarent, à ſuis Luſitanis nulla, niſi mutui amoris pignora velle ſe palam profeſſus. Iidem cùm aliàs pro Parochiarum additamento ſpecioſum offerretur arbitrium, ex quo magna vis auri cogi poſſet, eo diligentiùs examinato, cognitaque inæqualitate, noluit oblatas ſibi literas ſubſignare. Ejuſdem memorabilis ea vox erat à multis cum plauſu audita, digna quidem omnium vocibus celebrari: *Malle ſe pauca ſibi libenter oblata, quàm plurima vel illibenter donata, vel per vim extorta; illa rei publicæ multùm prodeſſe, iſta plurimùm obeſſe:* quam aureis characteribus deſignandam ſententiam duplici , eaque aptiſſima ſimilitudine confirmare ſolitus erat: *Moderatus cibus, potusve appetenter ſumptus, vel hauſtus ad nutrimentum maximè proficit; immoditus renuenti ſtomacho ingeſtus valetudini multùm officit. Item, optimum, ac præſentiſſimum habetur balſamum, non quod vulneribus ex arbore violenter exprimitur, ſed quòd arbor ipſa ſponte ſua deſudat.*

383 Non prætermittenda hic elegantiſſima, juxtaque veriſſima eximii, de quo ſupra, Elogiaſtes verba, quibus luculentiùs commendatur noſtri Principis prudentia, æquitas, humanitas, reliquusque maximarum virtutum apparatus, in re nummaria pro bello colligenda, vel diſtribuenda. Sic Ille: *Tuorum famam, fortunam, fortunasque computas inter tua, non ad uſum, ſed ad tutamentum.*

Hoc lib. 4. 339, & 340.

tum. In ancipiti jure non tibi, ſed ſubdito rem adjudicandam cenſes: rarum; experimur cauſam Fiſci nunc malam eſſe, quia ſub optimo Principe. Subſidia publica neceſſitati ſponte oblata ſatius ducis impetrare, quàm imperare. Tributa non exigis, ſed tribuis; cenſus ſine ſenſu, quoniam æqualiter diſtributus. Nullum morte gravius, nullum intolerabilius vectigal; toleratur tamen ſine querela, penditur ſine tumultu, quia ſine diſcrimine, omnibus commune. Redemiſti queſtus, & auxiſti quæſtus, ubi in publicam utilitatem exegiſti privatam. Nemo querulus, ubi nemo exemptus. Ultra Auguſtale exemplum perſcripſiſti manu propria novas contributionis tabellas, ne ullus proſcribi queat. Votivas dicimus, non vectigales. Perfeciſti, quod erat in votis, defenſari, non decimari. Verus patriæ defenſor, ac paſtor, quia tueris, ac paſcis innoxius. Qui Ægyptios juxta, ac Iſraeliticos ſervavit populos, Iſraeliticus olim dictus eſt paſtor: illos videlicet pavit pro tritico tributis obnoxios; hos ſine pretio, ſine cenſu. Dignius igitur Luſitanus vocabitur Paſtor, qui providet, qui paſcit ſine Regis fænore, ſine gentis diſcrimine. Præcaviſti legibus exactorum fraudes in gratiam tenuiorum, iniquum putans defraudari per avaras exactiones eos, quibus etiam reſpublica ſuſtinetur. Iuſſiſti exprimi potius ſpongias, tonderi vellera magiſtrorum, ne degluberentur oviculæ. Felicior ſub Theodoſio miſer, quàm dives. Hoc tuum majus negotium, viduarum cauſas tibi facere individuas, pupillorum habere in oculorum pupillis. Verus ſol, quia ſolus cuncta reſpicis ſine perſonarum reſpectu, &c. Jam verò ex publicis largitionibus coacervatam pecuniam non ſervare inutiliter privatis, ſed publicis utilitatibus impendere præcipua Theodoſio cura fuit; primùm omnium in urbium, oppidorumque Regni confiniis adjacentium munitionibus promovendis, vel perficiendis eam largè inſumere; ac quidquid unaquæque Provincia in publicum ærarium libens inferret, ad ipſius tutamen multò libentiùs conferre: ſic brevi effectum, ut liberaliùs populi deinceps elargirentur promiſſam pecuniam, quam adeo bene collocatam experirentur; ad hæc ex munimentis in dies augeſcentibus noſtris ingens facillimæ propugnationis fiducia; hoſtibus difficillimæ oppugnationis haud minor deſperatio augebatur. At minimè contentus Princeps veteres ab aliis cæptas munitiones omni impendio urgere, tres alias omnium longè maximas, & ad totius Regni omnimodam ſecuritatem maximè neceſſarias denuo aggreſſus eſt: nimirum Ulyſſiponenſem, Cetobricenſem, & Eborenſem. Earum quælibet, quominus cogitari, ne dum tentari poſſet, maximarum difficultatum inſuperabilem prorſus molem objiciebat. Et quidem inſanum in primis videbatur omnibus ſanæ mentis viris ampliſſimam totius Europæ urbem Ulyſſiponem non vallo, & aggeribus tantùm, quod arduum ſanè foret, ſed lapideis loricis, & propugnaculis per immenſum circumquaque ambitum velle præcingere. Cetobricam quoque proximis undique clauſam montibus, quibus alii, atque alii ſubinde imminent, difficillimum erat aptis ad propugnationem munimentis circumvallare. Eboræ tandem poſt Ulyſſiponem facilè Principi Luſitaniæ Urbi, etſi Sertorianis mœnibus pro illa tempeſtate validiſſimis circumſeptæ, novas, quæ recentium tormentorum ictus ferrent, munitiones circumducere, res immenſi operis, pro latè patenti maximæ Urbis circuitu, credebatur. His omnibus bellici temporis inexhauſtos exigentis theſauros, alìorſum minimè divertendos, iniquitas accedebat. Hiſce tamen ſummis quidem ſuperandis difficultatibus par extitit, immò ſuperior generoſus Theodoſii animus: qui juſſis in primis per viros peritiſſimos delineari hujuſmodi circumvallationibus; mox iiſdem a ſe recognitis, & oppidanis facilè adductis ad majorem denuo

De Aug. Tacit. 1. Annal.

pecuniæ ſummam pro re ſibi adeo utili, omninoque neceſſaria ſuppeditandam, præter eam, quam ex publico ærario Ipſe juſſerat applicari; eodem ferè tempore triplici huic operi ſedulam, indefeſſamque adhibere operam imperat: Ulyſſiponenſi ſua Ipſe præſentia, & frequenti recognitione maximum brevi attulit incrementum; haud ſecus Cetobricenſi, quò ſe contulit, ut mox dicendum; deſtinata paulò poſt ad inviſendum Eborenſe feſtina profectione; quæ Principis ſubſequuto poſtea morbo, morteque penitus interrupta pendentes operoſas ſubſtructiones, ſuſpenſaque maximorum conatuum molimina ſegniùs deinde proſequuta, & aliquando ad optatum exitum deducenda reliquit. Primum triplicis cujusque operis propugnaculum Theodoſii auſpiciis cæpti, ejus auguſti nominis appellatione inſignitum; pro æterno apud memores poſteros tanti Principis monumento, præſentiſſimoque adverſus futuri temporis injurias, & hoſtium irruptiones patrocinio.

Infra hîc

384 Audiendum hîc quoque judico laudati à me nuper Elogii Authorem optimis quidem ſententiis hujuſmodi Theodoſii opera Cœlo attollentem, æternitatique meritò commendantem. Ita Ille: *Luſitaniam inſtauras, non modò moribus; ſed mœnibus, circundas turribus, exornas artibus: Lateritiam inveniſti, relinquis marmoream. Adhibes eoſdem ſimul & fabros, & milites; altera manu cæmenta portantes, altera ferrum. Novum armatorum genus, qui deſtruant hoſtem, qui extruant patriam. Præ cæteris coronatum attollit caput Oceani Regina, egregius Græci Herois labor. Mirum: auſus es mœnibus includere orbem in urbe: ſed amabile inter Principem, & cives certamen de munienda, vel non munienda Vrbe. Videlicet cives Numantinorum veterum Luſitanorum more objectabant fida pro muris impenetrabilibus pectora, brachia pro ingentibus propugnaculis, animos pro muralibus tormentis. Princeps verò, quanvis patriæ murus aheneus, reddere à periculis tutos contendebat cives. Satiùs dicebat unum ſervare civem, quàm innumeros profligare hoſtes. Victus tandem à Principali popularis amor. Novum conditorem miratur Vlyſſipo, præhabet Theodoſium, poſthabet Vlyſſem: meritò; nanque defendis ſimul, & condis. Tantas Tibi erigis ſtatuas, quantas civibus arces; tot monumenta, quot munimenta. Pugnas pro mœnibus, dum exædificas mœnia. Favent intra muros dimicantibus domorum tegulæ, parietum umbræ; ipſe militat æther. Vel natura nos docuit muris circundare, quæ diligimus. Cor chariſſimum vitæ theſaurum mille obvallavit repagulis; roſas ſpinarum ſatellitio; mella Caſtrenſi apum artificio; valles montium præſidio; aurum, & argentum abſtrudit immis terræ viſceribus; aurum inſuper, & ſulphure, & margaritano, gemino veluti muro avara operit, provida tuetur. Quin ipſe naturæ Author, Beatam ſuam Civitatem, etſi omnem ultra ictum poſitam, adamantino circuncingit muro. Immortale planè mortalibus documentum. Vicerunt, qui didicerunt. Nemo prudens ab orbe condito Vrbem condidit ſine mœnibus, ſine munitionibus. Solus belli aleam in aperto experiri tentat miles inexpertus; niſi urgeat, ſeu deſperata neceſſitas, ſeu ſuperior pugnæ conditio. Muralibus munimentis adhibes aliud impenetrabilius; nempe juratam tuorum civium concordiam. Audiat hoſtis oraculum pluſquam Delphicum, & non audeat. Nulla Natio quanvis minima poteſt deleri; niſi propriis ſimultatibus ſe ipſam conſumpſerit, &c.*

Ut olim Aug. apud Juſt.

Flor lib. 2. c. 18.

Vox Scip. & alior. ex Plutarc.

Apoc. 21. 12.

Agel. l. 13. c. 3.

Veget. l. 3. c. 9.

385 Major pro conflando juſto exercitu, qui vel hoſtilibus copiis obſiſtere, vel, ſi res poſceret, aliquave opportunitas ſe daret, in Caſtellam poſſet irrumpere, Theodoſium ſolicitudo inceſſerat. Ante omnia ſtipendiarios milites tum pedites, tum equites Ulyſſiponem invexit, illos ad ſubitum aliquod incommodum maximè maritimum avertendum perpetuò excubantes, ſimulque relevandam urbanam militiam quotidiano, & gravi excubiarum

onere,

onere; cui hactenus haud levi rei familiaris jactura ſubjacebat; hos verò & Curiæ ſplendori futuros, ac exinde illuc, ubi majus intenderetur periculum, promptiùs advolaturos. Compendioſam Principis manuſcriptam allegationem legi militaris ipſius ſolicitudinis, & providentiæ indubium argumentum; ubi de omnibus ad exercitum ſpectantibus dilucidè meminit; nonnullis, de quibus dubitaret, indecisis, & ad conſultationem reſervatis; plurimis aliis indubiè deliberatis; è quibus memoratu digniora erunt à me commemoranda, quæ ſunt ejuſmodi: *Luſitanus exercitus indigenarum paucitate laborans externorum militum delectu ſupplendus eſt, cæterarum gentium exemplis id ſuadentibus; id ipſum conſulente Aurelio Victore conceptis verbis*: *At mihi quidem* (inquit) *audienti multa, legentique planè compertum, Vrbem Romam externorum virtute, atque inſitivis artibus præcipuè creviſſe.* Aurel. de Cæſar. in Domit. *Peculiare de rebus militaribus, maximè munitionis, inſtruendi exercitus, caſtrametationisque ſtudium inducendum. Inutiles ab armis removendi. Nobilitas ad arma capeſſenda ſtimulanda. Exercitus Principes inter ſe diſſidentes ad concordiam reducendi. Movendi ſunt iidem, ut ſuos milites ad rem ſtrenuè gerendam adhortentur. Vrbana militia, auxiliariumque ratio habenda. Militarea univerſi à peritiſſimis exercendi. Militibus præmia proponenda. Omnium in primis mores, ut poterit meliùs, corrigendi. Faciliùs quippe inimicorum acies cadunt, ſi noſtro ævo delicta ſubducimus.* Caſſiod. l. 9. epiſt. 18 Enim verò quî poterunt hoſtibus obſiſtere, qui ſibi, ſuisque cupiditatibus non valent obſtare? Quomodo profligabunt hoſtes ſuis antea vitiis profligati? Ad hæc, cum abſque Divino auxilio neque victoria, nec ullus rerum noſtrarum felix exitus eſſe poſſit, quî poterunt illud ſperare, qui Dei ſe hoſtes per ſummam iniquitatem profitentur? Id omnium longè ſtudioſiùs Illum agitaſſe, eò maximè induſtriam omnem ab eo deinde referendam, apud plurimos certam reperio mentionem, ſed omnium luculentiorem apud Elogiaſtem egregium, de quo non ſemel ſupra meminimus.

386 *Renovare cupiens* (inquit ille) *militiæ magiſtratus, quædam diſponis ex tempore, quædam rejicis in tempus; non transfers; nec invertis homines, ſed mores; eo ſcilicet artificio eoſdem tranſmutas in alteros, ut videaris inveniſſe potiùs bonos, quàm feciſſe. Debemus Tibi, & homines, & mores. Non dum Rex, & jam præcipuam regnandi profiteris ſcientiam; ſcire quos regas; ingenium ſequi, non mutare. Imperaturus es hominibus, qui pluris faciunt famam, quàm vitam; & laus pro pretio, honos præ divitiis, Principis favor præ cunctis. Revocas incorruptam illam, & veterem Luſitaniam, abſque recentis injuria. Non facilè dixerim, moderatiane magis, an ſapientia? Haud ita tamen veſtigia majorum premis, ut tua non audeas exprimere. Quoniam nec omnia apud priores meliora, nec ſemper novitas periculoſa. Aliquando nova fuere, quæ nunc creduntur antiqua. Orbis ipſe innovando perficitur, vetuſtate nobilis, novitate felix. Inter exempla erunt, quæ tuis modò tuemur exemplis. Gentilitius ſerpens, quo regale coronatur ſtemma, nunc poſitis novus exuviis ſpirat novitatis gratiam, quin exuat vetuſtatis gloriam. Viridis ſenectus, matura juventus. Martius item ille ſpiritus, qui per ſpiramenta temporum cœperat frigeſcere, fœderato nunc ſenectutis, ac juventutis robore per Te duplicatus incaluit. Conferrem Te cum Vate magno, qui in Diſcipulo geminavit ſpiritum; niſi ille in uno tantùm, Tu in omnibus. Duplo major, inexhauſtus ſanè ſpiritus, qui ſe cunctis communicat, abſque diminutione ſua: quia confertur, non aufertur.* 4. Reg. 2. 9 *Auferri videbatur regiminis ſpiritus à maximo populi Duce; verùm nec in minima defraudatur portione: Diviſio ſervavit integrum, &c.* Num. 11. 17.

387 Præter hæc, nonnulla optimo regimini facientia obſervari ab optimo Principe optima quidem axiomata, tum ab aliis, tum ab ejus maximè Confeſſario compertum habeo; quæ ſunt hujuſmodi: *Conſulendum priùs, deindeque optimo conſilio firmiter adhærendum. In agendis ſolius rationis unica ratio habenda eſt. Vacandum labori, ut vacare poſſis. Conſilia quò rectè procedant, priùs cum Deo, deinde cum hominibus conferenda.* In his, ac ſimilibus, & proferendis, & exequendis, & ſi multus eſſet, in eorum extremo plurimus certè fuit. Priuſquam ſupremo armorum regimini admoveretur, orationi mentali, vocalique quotidianas ad minimum quinque horas impendere ſolitus, ut conſtat
Hoc lib. §. 371, & lib. 3. à §. 168. ad 170.
ex ſupra dictis, infraque dicendis; poſtea eandem in orando contentionem irrevocabili adeo tenacitate retinuit, ut quantalibet negotiorum undique ſibi paſſim ſupervenientium mole premeretur, nihil unquam de illa remitteret. In Eremita ſoli Deo, ſibique vacante foret id ſummis laudibus cumulandum; in tanto Principe tot maximi momenti curis ad arctiſſimi temporis anguſtias ſæpe compulſo omni laude majus habendum eſt. Fuit tamen hæc, ut cæteræ hujuſce Principis morales virtutes, intra prudentiæ limites ejus legibus obnoxia: hinc quoties alicujus nominis negotium brevi expediendum interveniret, de illo à conſciis ſui propoſiti monitus quaslibet preces, à ſe repetendas intermittere, ac cœleſte orationis otium cum publici negotii
Hoc lib. §. 338.
expeditione commutare. Hujus argumenti manifeſtum dedimus ſupra Elviis à Principe editum exemplum; aliud nunc Ulyſſipone ab eodem exhibitum pro confirmatione adducimus. Divinis vacabat precibus in ſemoto ſui palatii cubili unà cum Doctore Joanne Piſſarro id referente, cœleſtiumque Illius curarum participe; cùm ab eodem certior fit adeſſe Comitem Mirandenſem cum literarum faſciculo à Secretario Status, quò eas Princeps ſubſignaret, mittendas illico per ordinarium curſorem ad Provincias. Tunc Princeps cœlo penitus addictus, terrenaque faſtidiens monenti reſpondit, *Statim*; ſed cùm ille urgeret, ſubindeque admoneret gratius Deo fore, ſi, quod ad Celſitudinis ſuæ munus pertineret, literas illas illico ſubmittendas ſubſignaret, poſtulans pugillarem illis ſuum nomen ſubſcripſit, & ad mentalis orationis cœleſtes delicias actutum rediit; ex quarum mentione ad extrema ejuſdem militiæ tam proficua certè Luſitanis, quàm innocua Caſtellanis tempora nos redire pariter æquum eſt.

CAPUT XXX.

Supremi Principis Theodoſii ad arma conatus Ipſius invaletudine intercepti.

388 EX quo Sereniſſimi Parentis juſſu ab Elviis invitus Princeps Ulyſſiponem inauſpicatò avocatus eſt, eatenus optimè valens, improſpera deinde valetudine uti cæpit: à falſa (ut Medici ferebant) pituita prima indies invaleſcentis mali labes; cujus originem nonnulli bonis artibus vulgò infenſi ad nimiam Principis in literarum ſtudium intentionem; alii terrena potiùs, quàm cœleſtia ſapientes ad indefeſſum in aſſequendis, exer-

exercendiſque omnigenis virtutibus laborem naturæ violentum referebant; immeritò quidem mea ſententia utrique. Nihil enim ſapientiæ commune cum morbis, quorum potiùs cauſas dignoſcit, evitareque docet; in quas ſibi occultas inſipiens ſæpe incurrit: qui morbidam fingit ſapientiam, & ægritudinibus obnoxiam, nunquam illius clamitantis vocem audivit: *In me omnis fons vitæ*. Multò minùs ſalutari prorſus virtuti à ſanis viris affectæ valetudinis invidiam conflare licet; in illa nanque tum animi, tum corporis morbis aut avertendis, aut perſanandis præſentiſſimum eſt amuletum. Certè quandiu intemeratam virtutem mortales omni procul vitiorum fæce immunes coluere, optima valetudine uſi ſunt; at ubi pro virtutibus vitia invaluere, febrium, & morborum omnium terris incubuit cohors: ſcimus ex Sacris, ex Eccleſiaſticis, prophaniſque Annalibus plurimos, immò pleroſque ſapientiæ, virtutique deditos in ævum, aut longiſſimum annorum ſpatium protraxiſſe vitam, totius morbidæ contagionis expertem; è contra inſipientes, ac vitioſos ut plurimùm, vel fatum ſibi maturaſſe, vel vitam morti ſimillimam innumeris affectam ægritudinibus traduxiſſe. Verùm utriſque poſthabitis, ex ſolo Theodoſio petenda unicè hujuſce veritatis evidens confirmatio. Ille quidem ad octavum ſupra decimum ætatis ſuæ annum integer vitæ, ſceleriſque purus, ſapientiæque plus nimio addictiſſimus; nulla tamen unquam invaletudine, niſi fortè aliquando leviſſimè, tentatus eſt: Idem, quò intentiùs ſapientiæ, virtutique tam in pueritia, quàm in adoleſcentia ſtrenuam navavit operam, eò validiorem ſe indies, ac ſaniorem expertus eſt. Vidi egomet Illum Elviis apud Caſſaramicum propugnaculum coævis, adoleſcentibus, aut grandævioribus colludentem viris, eas exerentem vires, quibus nullius alterius conferri poſſent: eaſdem Herculeis pares propiùs certiori experimento didicere non ſemel ipſius domeſtici, quibus cum ſive acinacem rotando, ſive militaria hujuſmodi exercitia obeundo, manus ſemper victrices deſtinatis ad id horis conſerebat.

389 Verùm demus immoderatum in ſtudendo laborem cuilibet honeſto viro, ne dum Principi, omnino diſſuadendum, non nihil ejus valetudini obeſſe potuiſſe, ab eodemque libris perpetuò inhiante aliqualem literarii veneni hauſtam particulam. Certum eſt, quominus Illi noceret, ſummam obſtitiſſe voluptatem, quam ex comparata occultarum rerum certa notitia percipiebat: ut venenum alioqui maximè noxium, contrariis tamen qualitatibus attemperatum, non modò inſitam nocendi vim quandoque amittit, ſed ſalutarem ſæpe conficit theriacam; ita plurium annorum certa experientia compertum eſt, immodicum ſtudium longè majori exinde perceptæ voluptatis virtute, aliiſque honeſtis exercitiis modificatum nullatenus conſtanti ſtudioſi Principis valetudini noxium extitiſſe. Quæ omnia cùm viris prudentibus forent explorata, cauſam mali tanti aliorſum, in maximum dolorem, ſummamque mœſtitiam à Principe conceptam, poſtquam ex Elviis Ulyſſiponem re infecta inglorius (ut Ipſe putabat) redire compulſus eſt, veriùs meo judicio rejiciebant. Juſti doloris multiplicem cauſam ſupra delibavimus: perniciosi effectus hìc nobis dolendi; cujus quanta ſit ad nocendum vis, verbis vix poteſt explicari: quàm multi nimio dolore olim contabuerint, ac etiam nunc paſſim conficiantur, plena ſunt veterum annalium, & recentium tumulorum atteſtantia monumenta. Principis certè dolor eò major, ac nocentior extitit, quò taciturnior; placatur nonnunquam lacrymis, leni- Lib. 1. §. 370.

 tur

tur ſermonibus, mitigatur querelis, egeriturque omnino dolor; at, qui taciturnitate concoquitur, qui pectore, cordeque reconditus diu continetur, mœſtis cogitationibus innutritus, in ipſum vitæ fontem cor, & vitalium ſpirituum receptaculum caput, lethale, immedicabileque virus effundit, quo cætera membra ex capite, cordeque vitales functiones haurientia inficiuntur. Talis profectò fuit Principis dolor, intimusque ab illo exortus mœror. Licebat Illi quidem exiſtimationis propriæ, dataque à ſe ſui reditus, nec impletæ fidei jacturam, publicaque alia incommoda nulli non cognita cum familiaribus conferre; ſicque dolorem vel imminuere, vel exonerare; unum erat, cujus recordatione ſupra modum angebatur, à cujusque commemoratione paternam, & propriam exiſtimationem indecenti prorſus abſtinere decreverat; verba nempe, quæ ſecretò à Sereniſſimo Parente plus nimio iracundo, ſibique objecta immeritò audierat; ægerrimè quidem ferebat de candore ſui animi paternis obſequiis unicè addicti poſſe ab eo dubitari, Regiæque offenſæ loco haberi; Regiæ dignitatis, publicæque incolumitatis ſyncero zelo paratam à ſe defenſionem. Hiſce, ac ſimilibus cogitationibus nulli communicatis, ſuæ conſcius innocentiæ immodicè à ſe ipſo torqueri, rerum terrenarum tædio affici, adverſam valetudinem ex vehementi dolore, mœroreque bene conſtitutos hactenus humores prævertentibus, experiri, viribus ſenſim deſtitui, omnimodèque malè habere.

390 Animadverſa, tum ab Aulicis, tum à Medicis Principis indies deficientis funeſtiora præſagiente invaletudine, ab utrisque, maximèque à Sereniſſima Regina Rex admonetur, tanto ut malo præſens aliquod remedium quàm primùm jubeat adhiberi, ne mora invaleſcens ulcus inſanabile prorſus redderetur. Non diſtulit Rex à præterita iracundia jam diu collectus, quod judicavit omnium præſentiſſimum, adhibere; Principe, ut diximus, ſupremo Regni armorum Præfecto renuntiato die 21 Januarii anni 1651, elapſo ab Elvenſi reditu menſe. Non poterat quidem generoſi Principis ægro animo aptior medicina præſcribi, ſi tempeſtivè, ſtatimque poſt ejus ad Ulyſſiponem appulſum induceretur; priuſquam fatalis lues in publicam perniciem latiùs ſerpens afflicti Principis animo, corporique, jactis altè radicibus, inhæreret. Interim concepta Ille ſpe priſtinæ jacturæ recuperandæ, cæpit meliùs aliquantisper habere, univerſisque probabilem ſpem facere ad priſtinam valetudinem brevi redeundi. Mox ad militaria impendia revolutus majori conatu ad futurum bellum neceſſaria urgere cæpit: ad illud rebus Ulyſſipone jam conſultis, omninoque comparatis, de obeundis Provinciarum totius Regni confiniis ſeriò cogitabat.

391 A Sereniſſimo igitur Parente apud thermas Obidenſes valetudinis cauſa tunc agente ad id exequendum veniam expetit, eo per literas ſub finem Julii menſis datas monito, *inſtare opportuniſſimum Autumnale tempus; ne minima quidem ejuſdem particulæ faciendam jacturam; opportunitate calvæ occaſionis, priuſquam elabatur, utendum; paratis ſemper nocuiſſe moras, ne dum imparatis omnino; ſe paratiſſimum eſſe ad exequenda, quæ imperaret; proindeque dignaretur ſibi præſcribere tum rationem itineris ineundi; tum ſocios miniſtros, cæteraque ad feſtinam profectionem neceſſaria providere.* Ad quæ poſtulata hujuſmodi reſponſum Sereniſſimi Regis ipſius manu ſcriptum præ manibus habeo, dum hæc ſcribo: *Fili hodie à Te mihi datas literas accipio, quibus eadem met die reſpondeo; quò tibi innoteſcat, omnia, quæ deſiderantur, ut de profectione poſſis cogitare, mihi jam eſſe præmeditata, tam*

quæ domum tuam, quàm quæ illius commodum reſpiciunt. Documenta, quæ ad id ſpectant, ſunt confecta, ut me iſthuc adventante exequutioni mandari poſſint; traditio infimul fieri, certiorque ſis de his, quæ ad profectionem debeas diſponere. Ego ſub exitum inſequentis hebdomada iſthic adero, & mox cæteri, qui deſunt, Comites renuntiabuntur; & qui muneribus erunt præficiendi, eorum deſignanda ſtipendia, ſimulque modus, quo debent progredi, cognoſcendus; quæ omnia meam exigunt præſentiam; ſimulque debeo certior fieri de his, quæ Tibi poſſum ſuppeditare neceſſaria pro tua domo, ac primùm omnium, de præſenti rerum, ac reddituum ſtatu, ut conſtare poſſit, qua ratione illis uti debeas; enim verò nunc eſt opportunum tempus hiſce omnibus peragendis; quare nihil ultra Tibi hac de re ſupereſt dicendum. Deus te ſoſpitet. Ex Thermis poſtridie Kalendas Auguſti.

Tuus Parens, qui Te multùm diligit

REX.

392 Hæc ſcripſiſſe Regem propriis characteribus certum mihi omnino eſt. Ac certò etiam conſtat ad Principis deſtinatam profectionem neceſſaria non dum expedita fuiſſe die vigeſima inſequentis Septembris anni 1652, Rege, vel ejus Miniſtris, vel utriſque ſimul de induſtria, vel fortuitò procraſtinantibus, moraſque ardentibus Principis deſideriis innectentibus: enim verò eadem Ille die Ulyſſipone in morbum incidit, qui primus omnium auxilio Medicorum indiguit. Sub idem tempus Sereniſſimos quoque ipſius Parentes ſua tentavit ægritudo; Regem gravior, ſed brevior; Reginam levior, ſed diuturnior. Primus Rex priſtinæ ſanitati redditus de ſolicitanda Principis paternam ſedulitatem adhibuit: deinde Regina, viribus non dum ex integro receptis, confirmatæ valetudinis ſpeciem præ ſe ferens ad Principem adhuc jacentem, plus de Illo, quàm de ſe ipſa ſolicita ſe contulit, præſentem Illi opem, aut aliquale levamen materna præſentia collatura. His Ille maximi quidem faciendis benevolentiæ ſignificationibus, opportuniſque medicæ artis remediis magnopere ſublevatus, ad ſuburbanam villam eo loco ſitam, cui *à Palea Vana* nomen inditum, mutato domicilio, ibique liberioris aëris ſaluberrimo uſus beneficio, reſumptis viribus brevi convaluit; reſidua tamen ex præteriti morbi reliquiis importuna tuſſi, quam tempori permittendam, abolendamque tum Ipſe, tum Medici judicarunt. Inhorreſcebat tunc violentus December itineri faciendo prorſus incommodus: & tamen Princeps, ne ſibi vel per inclementiſſimam hyemem deeſſe videretur, jactis Ulyſſipone primis futuræ munitionis fundamentis jam emergentibus, ſimilia Cetobricæ auſpicaturus, eò ſe contulit cum ſociis, & miniſtris à Rege deſignatis. A Cetobricenſibus incredibili exultantium animorum ſignificatione, publiciſque ſolito de more plauſibus exceptus eſt: mox ad ſe venire juſſis nobiliſſimi oppidi Primoribus, plebiſque Tribuno, coram omnibus cauſam ſui adventus exponit; eos hortatur, *Ut seriò, ſedulòque ſuæ incolumitati proſpiciant; meminerint unum id eſſe oppidum, cui validiſſimam Sancti Philippi Arcem Rex olim Philippus ſecundus imponendam maximis extructam ſumptibus judicarit, non ad ipſius oppidi præſidium, ſed excidium, ſi fortè Caſtellanum jugum excutere cogitarent. Certò ſcirent ejus nepoti Philippo quarto nihil prius eſſe, quàm à Cetobrica Luſitaniæ vindictam auſpicari; ſibi è contra nihil tam cordi eſſe, quàm opportunis circumductis munitionibus chariſſimos Cetobricenſes tutos omnino reddere, ac adverſus quamlibet hoſtilem impreſſionem inexpugnabiles.* Haud pluribus opus fuit, ut univerſi certatim Principis pro ſingulari adeo amore, beneficioque oſculata dextra, unanimi conſenſu profiteren-

fiterentur Suæ Celſitudinis nutibus, ne dum juſſis, præ omnibus fore ſe perpetuò obſequentiſſimos; proindeque de omnium non fortunis modò, ſed vita, prout liberet, promptè ſtatueret, promptiſſimos ſe futuros ad exequenda quælibet Suæ Celſitudinis mandata. Illis viciſſim gratulatus Princeps eam fidelium animorum promptitudinem, acceptataque, quam denuo libenter obtulere, annuæ pecuniæ ingenti ſumma, pro auſpicandis, & ad optatum exitum promovendis Cetobricenſibus munitionibus, eas jam deſignatas exequi jubet, manuſque operi utiliſſimo adhiberi. Præterea ſaluberrima ibidem condidit, exactèque obſervanda reliquit ſtatuta, quibus hæc, & ſimilia munimenta regerentur; eadem ad cæteras Regni munitiones traducta maximam ad eorum incrementum attulere utilitatem. Quis dubitet ſimilem obſecundantium animorum alacritatem ad omnia, quæ laudabiliter tentaret, quàcunque pergeret, Principem experturum, ſumma cum univerſæ Luſitaniæ utilitate, ſi eam obiret, neque tam citò ipſe obiret?

393 Rebus adeo brevi, auſpicatòque Cetobricæ conſtitutis, relicto in omnium animis ardentiſſimo ſui deſiderio, confirmatis inſuper iiſdem, facta ſpe ſui reditus, pro revidendis cæptarum munitionum incrementis, & in extremo diſceſſu ex omnibus ordinibus ad littus confluentibus humaniſſimè ſalutatis, paratum lembum conſcendit, & ad Ciſimbram oppidum novem inde diſſitum milliaribus, Ulyſſiponenſis portus faucibus proximum, vela dare jubet, pro re Cetobricæ adeo proſperè geſta non mediocriter lætus. Hîc duo memoratu digniſſima Principi accidiſſe, qui eum comitabantur, poſterorum memoriæ prodidere. Juſſerat Princeps currus, & equos, cæteraque impedimenta terreſtri itinere, ad certam ſtationem procedere, ubi cum ſociis è lembo deſcendere deſtinabat: verùm adverſis uſus ventis, & contrarii æſtus violentia longè alìorſum abreptus, in arenoſum ab oppido longinquum littus exponi coactus eſt: nulla ibi currus, aut equorum alibi opperientium copia; unica tantùm Eccleſiaſtici cujuſdam illac fortè prætergredientis ephippiaria mula reperta eſt, quam ille Principi libenter offert, ab eoque ſuppliciter, enixèque rogat, ut humili eo Bucephalo conſcenſo dignetur Sua Celſitudo laborioſæ per inſtabile ſabulum viæ ſatis longæ moleſtiis ſe liberare: id ipſum à Principe reliqui, qui cum eo aderant, enixiùs exorabant: tunc Princeps primùm gratificata Presbytero oblatione, repudiataque urbaniſſimè re oblata: *Abſit* (inquit) *ut Presbyterum, quem ab omnibus ſuſpici oportet, ob ſacram dignitatem Regia longè majorem, eques ego peditem deſpiciam. Praſtat meo exemplo commilitonum levare laborem, quam mihi prorſus injucundum illis laborantibus captare levamen.* His dictis in viam ſe dat, ſolutis arenis greſſus retardantibus faſtidioſam, ſocios præcedens, eorumque defatigationem civilibus, & ſuaviſſimis ſermonibus oppidum uſque demulcens; eò tandem ventum eſt primis noctis tenebris ſe intendentibus, nòn ſine maximo Principis à præteriti morbi reliquiis non dum penitus immunis incommodo; cui lenta febris, à qua vix unquam ceſſabat, ad hiberni frigoris inclementiam, tædiotæque viæ pedeſtris aſperitatem, inſolitum præ cæteris attulerat communis laboris additamentum. Eo certè memorabili edito exemplo, non modò æmulatus eſt Princeps Sereniſſimum Luſitaniæ Regem Joannem primum, ſed longè ſuperavit, & albis (ut ajunt) equis præivit. De illo memoriæ proditur ſimile quidem factum apud oppidum *Torres Vedras*, ex quò recedentibus nonnullis Luſitanis comitem ſe dedit, longum cum illis pedes proſoquutus iter,

Ferdin. Lopes in ejus Cron. 1.p.c.173.

quò

quò pedeſtri ſe comitantium itinere laborem Regio exemplo allevaret. Id quidem præſtitit Rex humaniſſimus, at optima tunc valetudine, integriſque viribus confirmatus. Similiter Theodoſius, at lenta febri ex præterito morbo reſidua laborans, & malè ſanus. Quare magno Alexandro in ſimili viarum difficultate deprehenſo, ac prævio exemplo ſuis præeunti conferre Illum non dubito: *Cæterùm* (inquit de Alexandro Curtius) *ipſe equo deſiliit, pedeſque per nivem, & concretam glaciem ingredi cæpit; erubuerunt non ſequi primùm amici, deinde copiarum duces, ad ultimum milites; primuſque Rex dolabra glaciem perfringens iter ſibi fecit; exemplum Regis cæteri imitati ſunt.* Non ſecùs Theodoſii veſtigiis omnes inſtitere, inſtabilique præcedentem ſabulo Ciſimbram uſque ſunt ſubſequuti. Q. Curt. lib. 5.

394 At priùs, quàm in oppidum invectum Illum intueamur, aliudque ibidem longè memorabilius ab eo editum ſummæ pietatis exemplum proferamus, juvat paulò attentiùs auſcultare laudatum ſæpius à nobis ejus Elogiaſtem meritis encomiis hanc ejus actionem celebrantem. Sic Ille: *Omnes ſuſpiciunt Principem, amant commilitonem; parem experiuntur officio, ſuperiorem venerantur imperio. Monſtras tolerare labores, non jubes; niſi quòd ſtrictiùs jubeas, cùm facis. Principis exemplum lex validior. Quando navigaſti inviſum Cetobricæ arces, longè diſtantem ab equitatu appuliſti portum. Non miles, nec etiam aulicus arenoſam ultra Tagum viam recuſavit pedes, ubi Te vidit præire peditem. Equum fortè oblatum renuiſti aſcendere. Facientibus ſociis iter pedibus, dixiſti, nolo equum; grave levamentum, laborantibus cæteris. Pedes injeciſti compedes cordibus, alas pedibus. Longum iter perſpatium, breve per exemplum. Arena littoris verſa eſt in virtutis aream.* Elog.

Igitur intra oppidum ſolito popularium concurſu, & feſtivis plauſibus receptus, ab iiſque in paratum ſibi hoſpitium deductus, id ibidem ſumma dignum admiratione præſtitit Chriſtianæ religionis, Divinique amoris documentum, cui vix fidem haberem, niſi alioqui ſumma ejus in Deum pietas mihi eſſet explorata, & memorabili præterea facto indubiam fidem juramento confirmatam faceret ejus Clavicularius Antonius Rodericus Almeyda teſtis oculatus, cujus proinde conceptis verbis à me Latinè donatis rem tantam totius paralleli prorſus expertem duxi commemorandam: *Accidit hoc* (inquit ille) *Principe Cetobricam adeunti, ejus oppidi munitionis cauſa, quæ ſtatim ut videre eſt, effectum habuit. Affecta Ille valetudine ibat febri rarò intermittenti plerumque obnoxius. Illinc ad Ciſimbram proceſſit, quadam Decembris die adeo inclemente, ut illius acerbitatem rectè valentes ægerrimè ferre poſſent. Sub noctem ita ſe Princeps debilitatum expertus eſt, ut fateri non dubitaret minimè à ſe poſſe caput ſuſtineri, nec ceſſaret inquirere, lectiſternium ne jam advenerit? Quo ſerò nimis adventante, cubiculum illico ivit; jamque detractis ſibi ocreis, juſſit Cubicularium foras, certum quid edicere. Vidi ego interim in excavato pariete occluſum conditorium; cupiduſque ſciendi, quidnam ibi lateret, reperi eſſe lararium, continereque præter alias Crucifixi Domini ſacram effigiem; tunc futura præſagiens nolui Principi, quid repererim, indicare, niſi ſemel, atque iterum me interroganti. Ubi planè reſcivit quid eſſet; edicito* (inquit) *D. Thomæ* (is erat illius diei Cubicularius) *ut tantiſper expectet, donec quibuſdam legendis literis aliquale tempus inſumo; cubiculique fores occluſit. Ad focum Dynaſta ſe applicuit, & cùm omnes delaſſati eſſemus, horaque decima tunc ſonaret, dormitavit. Undecima deinde, duodecimaque concubiæ noctis hora demum perſonuit; & qui paulò ante laſſum caput ſuſtinere vix poterat, jam ſeminudis pedibus, genibuſque flexis, per duas integras horas potuit illic ſubſiſtere. Tunc ego, nemine imperante, veritus*

ritus, ne grave Principi nocumentum exinde proveniret, ſimulato adultioris noctis multùm productiori ſpatio, Illum ab oratione avocavi. Non dubito, quin prudens lector tam inſolitum, & inflammatum erga Crucifixum Dominum affectum ſecum reputans, mecum meritò admiretur, Deumque hujuſmodi actionum Authorem ſuſpiciat, qui Principem noſtrum ſpiritu adeo præcellenti, planèque principali, qualem ſibi Regius Vates olim concupiverat, in ſumma ægri corporis infirmitate confirmavit.

395 Brevi, ut ſolebat, ſomno refectis artubus, poſtera die evigilans Princeps, matutiniſque de more precibus rite perſolutis, ad recognoſcendam ejus oppidi maximi quidem momenti Arcem ſe convertit: ubi opportuniſſimum ad majora ſitum cum ſtructoriæ Artis peritis conferens, juſſis iis, quid optimum deinde factu, Ille ſimul, ipſique judicarent, delineare; Ulyſſiponem repetiit, Sereniſſimum Parentem facturus de omnibus certiorem. Ulyſſiponem appulſus à Sereniſſimis Parentibus, cæteriſque aulicis jucundiſſimè acceptus, ubi de omnibus à ſe obſervatis, à Regeque neceſſariò jubendis exactam reddidit rationem; quandiu per hybernum tempus longiùs ſibi progredi non liceret, de Scalabi adeunda cogitabat, cujus ſummo cacumini capacem plurimorum militum, ac tormentorum Arcem, ibidem poſtea erigi cæptam, imponendam, pro nobiliſſimi oppidi, prodigiiſque cœleſtibus Luſitanorum omnium celeberrimi inexpugnabili præſidio, arbitrabatur: dilata interim, dum remittenti hyemi clemens ver ſuccederet, ad cæteras Regni arces, & præſidia perluſtranda commodiore profectione. Et quidem ſparſo jam diu per univerſum Regnum eo rumore, non modò à proximioribus Scalabitanis, ſed à longè diſſitis totius Luſitaniæ populis incredibili aviditate, mutuaque conſentientium animorum conſpiratione, quaſi Angelus è Cœlo ad commune omnium bonum delapſurus, Princeps expectabatur. At nullibi, quàm Eboræ, Conimbricæque ardentiùs; ubi non minùs Togatæ, quàm Armatæ Palladis eximium Patronum Principem; ſcientiarum omnium illuſtribus clarum luminibus, Academica ingenia novis, & exquiſitis ſuæ uniuſcujuſque artis oſtentis diſtinere, bellicumque generoſi pectoris ardorem Apollineis tibiis vel demulcere, vel inflare potiùs, & ad veram gloriam inflammare jam diu cogitabant. Et quidem Eborenſis expectationis mentio fit ab Eborenſi Oratore in hæc verba: *Nonne qui dudum conſentienti Academicorum calculo deſignatus fueram Orator pro expectato Theodoſii Principis adventu, modò adſum dicturus pro funere, pro exitu? O diſparem conditionem! Qui paratus eram dicere jucundè, atque hilariter, modò compellor dicere lugubrè, ac flebiliter? O ſortem iniquam! Qui dudum ſperabam dicendo frui, ac beari jucundiſſimo, atque ſuaviſſimo Theodoſii conſpectu, modò avulſus, & abſtractus cogor e vivis abeuntem lacrymis proſequi, & vehementiſſimo abſentis deſiderio torqueri? O lubricam, ò fragilem expectationem! Tunc illa præſentis celſitudo, & majeſtas, illa pulcherrimi vultus in ſe omnium oculos convertentis gravitas, ac jucunditas, & noſtrum animum ad ornatius orationis genus excitaret, & vos quadam erectos novitatis delectatione paratiores redderet ad audiendum.* Expectatio verò Conimbricenſis hujuſmodi ſententiis ab Oratore Conimbricenſi propalatur. *Sed quoniam vobis placuit eundem modò Oratorem ad Principis funus deplorandum eligere, quem ſuperiori anno ad ejus plauſus celebrandos deſtinaſtis, ut qui vivo in Academiam adventum publica actione gratularer, nunc etiam extincto laudationem adornarem, & peritura cum voce ſolatia lacrymis adhiberem.* Verùm longè avidiùs, certiùs quidem, ab univerſis Beatorum omnium or-

dinibus cœleſtem planè Principem, cœloque ob egregias virtutes digniſſimum, propediem ſperari ejus in primis infirmior indies valetudo novis ſanguinis emiſſionibus attenuata; Ipſius deinde ſui proximè inſtantis obitus à ſe minimè obſcura edita oracula; cœleſtia tandem ita atteſtantia prodigia eo jam temporis indicabant; deſtinatamque ad Luſitanas arces luſtrandas profectionem, ad cœleſtem Illius virtutibus illuſtrandam divinitus commutari ſuadebant. Ea igitur, etſi reluctantem calamum ad ſe jam vocantia, recenſere, hiſtoricumque ſtylum à terrenis penitus avocatum, extremis, cœleſtibusque planè Theodoſii facinoribus ſcribendis impendere, tam cogor invitus, quàm libenter. Ille rerum hanc humanarum viciſſitudinem, terrenæque mortalitatis ad cœleſtem immortalitatem converſionem vivens ſemper appetiit, moriens avidiſſimè amplexus eſt.

CAPUT XXXI.

Admiranda nonnulla, quæ Principis Theodoſii obitum præceſſere, commemorantur.

396 ADmirabilis certè Principis Theodoſii obitum, mirum foret, niſi admiranda plurima præceſſiſſent, quæ vel Ipſe de aliis, vel de ſe, vel de ipſo per alios Deus obſervanda certè prænuntiarent. Solet enim is, qui eſt mirabilis in Sanctis, & in omnibus operibus ſuis, multifariam, multisque modis plurima de Principibus, in quibus publica cujusque reipublicæ ſalus conſtat, maximèque de illorum obitu nonnunquam prædicere; vel ut propria prævisâ mortalitate ipſi ad beatum finem poſtea conſequuturum ſuas dirigant actiones; vel ut cæteri exhinc de vano mortalis gloriæ fuco eruditi, ad cœleſtem, quæ ſola vera eſt, unicè, flagranterque adſpirent. Multa in primis de aliis certa prædictione protulit Princeps, quæ promiſſo à ſe olim exitu confirmata magnam apud conſcios vel rari judicii ventura præſagientis, vel cœleſtis inſtinctus futura prædivinantis exiſtimationem Illi concivere. Univerſa Idem ad Mathematices aſſerendam certitudinem, vero popularis auræ contemptu referebat.

397 Non ſemel coram Principe nonnulli ſyncera, ut par eſt credere, intentione, ſive generoſum Illius genium aliquo memorabili apophtegmate prodendum exploraturi; ſive Togatæ Palladi plus nimio indulgentem ad ejuſdem Armatæ munia traducturi, Catholici Regis tot Regnis longè, latèque dominantis formidabilem potentiam amplificantes, Luſitanam è contra brevibus anguſti Regni terminis circunſcriptam plus æquo extenuabant. Ad quos Ille ſimili plerunque ſenſu: *Prævalebit indubiè, licèt parva Luſitania non modò adverſus ampliſſimam Caſtellam, ſed contra univerſos ipſius hoſtes, quandiu apud nos humano Divinus amor, ac timor prævalebunt.* Id ſub nonum ætatis ſuæ annum primò, deinde ſæpe aliàs prænuntiaſſe fertur: quod, ut hactenus, ita in poſterum perpetuò pondus habeat, Deum Luſitaniæ vindicem, & Theodoſii prædictionis Authorem deprecamur. Idem duodennis jam, & Mathematica peritia pueriles annos prætergreſſus, conditaque Aſtrologia, quæ Christianam

Judiciariam complectitur, variis conficiendis horoſcopis, maximèque Sereniſſimorum Infantum, incubuit: eos poſt Principis obitum ſibi ſummo in pretio habendos aſſervavit ejus Cubicularius Indiæ Prorex (de quo in Prologo, & de quibus infra) mihique legendos indulgentiſſimè obtulit: ſed cùm mihi tunc ſatis otii non foret, ejuſque apud Goam lugubris mors eos legendi copiam mihi abſtulerit, haud poſſum plurima inibi prænuntiata propalare; quæ aliunde habeo explorata iis, quæ me latent, fidem præſtare poterunt. De Sereniſſimo Infante Alphonſo poſtea Rege hujus nominis ſexto aſſeveravit *Sibi futurum olim infenſum; eundem Regio titulo inaugurandum, & regnandi cupidine ſtimulatum turbas excitaturum.* Quàm verè, paucis poſt Sereniſſimi Parentis obitum annis, tempus docuit. De Sereniſſimo Infante Petro, nunc Luſitaniæ Principe, ac ſupremo Gubernatore præfatus eſt *fore ſibi familiariſſimum, judicio præpollentem, ſtrenuum, omnibusque acceptiſſimum.* Veriſſimum id eſſe indubio experimento compertum eſt. De Sereniſſimis Sororibus Joanna, & Catharina certum quoque judicium prætulit, ſequuto poſtea eventu comprobatum; cùm enim coram Sereniſſimis Parentibus agitaretur, *Utra earum nuptias cum Rege aliquo, aut maximo Principe celebrare deberet?* Dum pro utraque diverſæ allegationes in medium proferrentur, conſtanter edixit Princeps, *Non quidem Ioannam, etſi ad connubium tunc promptiorem, ſed Catharinam à nuptiis prorſus abhorrentem, in qua maxima quæque obſervarat, Regio matrimonio addicendam.* Utraque diſpari eventu haud vanam fuiſſe Theodoſii prædictionem palam fecit; enim verò Sereniſſima Joanna à Principis ipſius exceſſu menſibus tantùm quatuor decima ſeptima die Septembris ejuſdem anni 1653 ad Bethlemicum tumulum delata eadem lectica, qua Princeps Theodoſius fuerat elatus, innupta fato conceſſit: Sereniſſima Catharina annis aliquot labentibus ad Sereniſſimi Caroli ſecundi magnæ Britanniæ Regis conjugium expetita Regium thronum conſcendit.

Prolog. §. 18. Lib. 2. §. 27.

398 Quæ de conjugio Sereniſſimarum Sororum proximè delibavi, à Sereniſſima Regina Matre ipſemet accepi. At inſuper addidit, quæ ſuperaddere Illius irrefragabili confirmatus auctoritate minimè reformido. Semel Theodoſio in mentem venit (per ſomnium, an in vigilanti oratione? Haud auſim affirmare) longum ſe conficere iter, comitante Sereniſſima Sorore Joanna. Qua de re cùm per otium ſecum ſeduliùs reputaret, planè intellexit longam eam peregrinationem ſibi ad Cœlum ſuſcipiendam, proximè ſubſequente, ac veluti comitante Sereniſſima Sorore Joanna; quod, ut proximè diximus, ſequutus eventus haud inane fuiſſe ſomnium, indubiam fidem fecit. Aliàs cùm Princeps de Sereniſſimo Parente apud Sereniſſimam Reginam Matrem verba faceret, de morte ſermonem injecit. Ad quem Sereniſſima Parens: *Quid hoc rei Princeps? Itane, jam Parentem tuum extinctum exoptas? Vitam Ille in plurimos, quod maximè optandum eſt, annos producet.* Cui Princeps: *Abſit, ut amantiſſimo Parenti fatum velim accelerari, cùm potiùs optem, ut de meis annis Illi Deus augeat annos. Verùm, ut in cæteris, ita in eo eveniet, quod Deo placitum, ac decretum erit: ſunt Reges, qui plures, alii qui pauciores annos regnando numerant; quidam non ultra ſexdecim ſceptro potiuntur.* Tot nempe annis Sereniſſimus Rex Joannes Neſtoreis certè digniſſimus Luſitanum Regium ſolium, neque plus ultra inſedit: Sereniſſima ipſa Regina Theodoſii Filii verba ſecum tacitè reputante, ac poſt obitum Sereniſſimi Conjugis, quàm vera fuerint, adnotante, ac mihi ediſſerente.

399 At non minùs admiranda, mea quidem ſententia, ea eſt, quam de Angliæ Rege Carolo ſecundo, ac de Cromuele, illiusque Parlamenti brevi potentia protulit Princeps Theodoſius. Occiſo enim per ſummam iniquitatem à Parlamentariis Londini Carolo primo eorum Rege, miſeræ reipublicæ navis quaſi amiſſo Rectore rapidis furentium ventorum turbinibus circumacta, & irrequietis aſſurgentium indies undarum cumulis pene obruta, certo proxima naufragio fluctuabat: Tyranno tamen Cromuele clavo aſſidente modò ſecundis, modò adverſis uſa ventis ad maximam, etſi nutantem ſemper fortunam evecta, nihilominus inconſtantis Oceani acceſſibus, & receſſibus obnoxia jactabatur. Nec placidior interea Sereniſſimi Caroli ſecundi ab Scotis Regis proclamati ſors, quem apud Hollandos tunc agentem terrificus paternæ cædis nuntius horribili primùm tonitru percuſſum ad Scotiam, indeque ad Galliam per medium Londinum maximis terræ, mariſque defunctum periculis demum compulit. In Scotia ſemel apud Dumbarim, iterum ad Uvorceſterem prope fluvium Thamum cum Parlamentariis infelici utrobique ſui exercitus ſtrenuiſſimè pugnantis exitu conflixit. In ſupremo Illum prælio cecidiſſe per univerſam Europam improba fama buccinante, ac veris, ut ſolet, falſa involvente, vulgatum eſt; cujus demum rumori Ulyſſiponem delato conſtantiſſimè reſtitit Princeps, incredibili atteſtatus fiducia, *Profligato prælio ſuperſtitem fuiſſe Carolum; neque tam Illum adverſariis, quàm adverſanti ſibi Fortunæ paulisper ceſſiſſe, donec eadem in melius mutata, invictumque tot adverſis Regium animum reverita, maximum eum magnæ Britanniæ Regem ſuſpiceret.* Principem ita conſtanter aſſeveraſſe Author eſt D. Petrus Vieyra à Sylva tunc Secretarius à Statu, nunc Epiſcopus Collyponenſis. Nec mox certior fama dubitavit Theodoſii verbis certam fidem conciliare. Haud multò poſt fideli relatione innotuit, ignotum Regem tonſa cæſarie, deformato vultu, habituque vulgari per diverſas latebras fidelium Catholicorum induſtria ſervatum, Londinum demum tenuiſſe, indeque ad Galliam emerſiſſe. Supereſt, ut avito jam Regno redditum, non modò maximum Regem, juxta Theodoſii vaticinium, ſed juxta aliud, quod Illi plurimi tribuunt, Carolo magno majorem, & ſumma, qua major eſſe nequit, felicitate perfruentem ſuſpiciamus. Ad hæc, jam ſupra Theodoſium audivimus mirabili planè eloquentia ſuadentem, eundem Carolum brevi paterno ſceptro reſtituendum, Cromuelis ſummam potentiam multò breviùs mole ſua ruituram, ac proinde Carolo potiùs adverſa tunc fortuna, quàm Cromueli proſpera utenti eſſe adhærendum. Immò cùm nonnulli ex adverſo futuras olim calamitates Palatinos Regios juvantibus ominarentur, Princeps reſpondit: *Certiorem habemus propheticum ſermonem.* Quaſi cœleſti afflatus lumine futura olim, quæ poſteri vidimus, certiſſimè prævideret.

Majolin. de bel. civil horum temp.

Hoc lib. 1 §. 274, & 301.

Supra §. 309.

400 Magnum quidem eſt, ac mirabile, quæ aliis eventura ſint, prænoviſſe; at longè majus, & mirabilius de ſe quid ſit futurum, certa præſcientia ſtatuere; telaque præviſa, eòque minùs ferientia, vel declinare, ſi fas eſt, vel eadem obfirmato animo excipere. Vulgò mortales ad aliena introſpicienda oculatiſſimi, ad propria intuenda cæci plerunque ſumus; ipſam oculorum naturam æmulamur, qui cùm cætera omnia extra ſe apprime videant, ad ſe videndos unicè cæcutiunt. Inſtar illius celeberrimi Philoſophi, juxtaque Mathematici, à ſe remotiſſima nonnulli ſpeculantur aſtra, neque ſibi proximos terræ, per quam incautè incedunt, hiatus, qui ad baratrum deducunt, in

eos prolabentes intuentur. Longè ab his alius fuit Theodoſius, qui cùm in alienis horoſcopis conſulendis multus foret, in proprio genethliacò ſeduliùs ſcrutando plurimus certè fuit. Utinam in cæteris adeo veridicus, de ſe non adeo vera, & nobis explorata prædixiſſet! Igitur Aſtrologiæ præceptis omnino inſtitutus univerſam totius cœli faciem, planetarum, aſtrorumque tum poſitionem, tum oppoſitionem, ſui ortus horam reſpicientium, tum omnibus per otium expenſis, cæpit ſecum reputare, quale nam ſibi vitæ ſpatium
Hoc lib. §.4. aſtra pollicerentur? In lucem editus fuerat, ut ſupra diximus, octava die Februarii, feria quarta Mercurio ab Aſtrologis ſacra, hora quarta pomeridiana, & quindecim minutis anni Virginei 1634. Tunc verò hujuſmodi ſuper noſtrum horiſontem habuiſſe poſitum, & planetas, & Zodiaci cœleſtia ſigna recitat in ſua funebri concione R. P. D. Fr. Ludovicus Sà pag 60. *In figura* (inquit) *nativitatis hujus Sereniſſimi Principis fuit Aſcendens ſive Horoſcopus Leo, Domus Solis, & Iovis triplicitas. Duo luminaria aſtrarum Principes, Sol, & Luna, tum temporis noſtrum viſibile hemiſpherium illuſtrabant, ille in Oriente, iſta in Occidente. Iupiter aſtrum benignum, & juxta Aſtrologos Fortuna major in ſigna Geminis, Domo Mercurii, intra terminos Martis aſpiciens ſolem aſpectu trigono veræ amicitiæ, licèt in domo ſuccedente cæteris planetis dignitate præceſſit; fuitque juxta potiorem Aſtrologorum ſententiam hujuſce nativitatis figura Almutem, ac Dominus. Secundus in dignitate, ſeu viribus fuit Saturnus in domo ſuccedente, in ſigno Sagittarii domo Iovis aſpiciens ſolem aſpectu ſextili per luminis receptionem factus Fortuna.* Hujuſmodi planetarum, & aſtrorum ſitum ſedulò Princeps, ac ſæpe dum obſervaret, palam deprehendit ad quinquageſimum tertium ſupra milleſimum ſexageſimum Virginei puerperii annum coincidentem propriæ ætatis anno decimo nono, ingens ſibi portendi periculum: id verò cùm ſemel, atque iterum accuratiùs obſervaret, torvo ſemper aſpectu ab aſtris, maximèque à Saturno ſuam vitam eo anno deſpici deprehendit; cumque mortalis vitæ ſibi futurum extremum terminum apud eos, quibus cum familiariter ageret, non ſemel prædixit. Iidem paſſim atteſtantur.

401 At eſt præterea hujuſce rei ſatis luculentum teſtimonium, quod ab aulica quadam Virgine, cui nomen Scholaſtica Cortez, ſcriptis mandatum eſt. Hæc puella nobilis Eborenſis ob eximias dotes, maximèque ab inſigni elegantiſſimè ſcribendi dexteritate commendabilis, ad Regium gynæceum avocata omnia pene opera Principis Theodoſii elegantiſſimis delineavit characteribus, ejusque poſt obitum virtutes ſibi maximè perſpectas ſcripto à ſe teſtimonio, quo ſæpe utimur, confirmavit; ejuſdem concepta verba ea de re juvat hìc transferre: *Sic* (inquit) *Principem aliquando rogavi. Quid hoc rei, mi Princeps, Veſtra Celſitudo toties nunc decumbit, toties è venis emiſſo ſanguine? Non ita hactenus.* Reſpondit: *Circa me volvitur Saturnus, meo Aſcedenti occurrens; maximèque obſervandum, quòd eadem die, horaque, qua ſibi occurrere, ſanguinem evomuerim; & cùm primùm ſanguinem rejeci, id accidit in mutuo utriuſque concurſu: & verò Saturnus, cùm tam ſit retrogradus, quàm antogradus, hinc eſt, quòd toties ſibi mutuò recurrant. Ab eodem iterum quæſivi, ſupereſſetne adhuc in poſterum aliquis eorum occurſus? Ita profectò*, reſpondit: *Conſultisque denuo libris, ſub Aprilis exitum, ineunte Maio, in eundem ſibi morbum relabendum non ſine maximo periculo edixit. Quid igitur* (inquam) *nullum erit opportunum malo avertendo remedium? Nullum* (reſpondit) *præterquam ad illud ſubeundum ſe comparare, ac Divinam ſolicitè ambire gratiam.* Hactenus aulica hæc Virgo, quæ teſtem hujuſce colloquii producit

 D. Ma-

D. Mariam Graneros æqualis fidei Dominam; & ad extremum juramento, ſi opus ſit, firmaturam ſe prædicta pollicetur. Id ipſum referens in ſuo ſcripto teſtimonio Petrus Soſia vir ſummæ fidei, olim apud Villaviſſoſam Principis puer ingenuus, affirmat Principem reſpondiſſe: *Vnum eſt remedium: ita vivere, ut cito moriturum decet.* Mirum, maximèque dolendum nihilo à prædictione Principis deviaſſe paulò poſt ſequutum eventum. An de illo certiorem à Divina præſcientia, quàm à Mathematica peritia cognitionem hauſerit? Suſpicari jubet tum demiſſa Principis ad Matheſim ſimilia referentis humilitas, tum arctiſſima ipſius ex longo, at eo temporis major, cum Deo familiaritas.

402. Certè quàm ſe Deo penitus devoverit duobus extremis vitæ ſuæ annis, terrenisque curis valere juſſis, cœleſtibus, quibus proximè immineret, ex integro totum ſe àddixerit, luculentiſſimum teſtem proferam Doctorem Joannem Piſſarro, qui per totius vitæ decurſum frequenti, immò quotidiano experimento de ſingularibus Theodoſii virtutibus edoctus, majorem eo temporis de Illo hauſerat exiſtimationem, quam hiſce verbis exprimit in quadam mihi tradita ipſius atteſtatione: *Duobus* (inquit) *extremis vitæ annis, decimo octavo, decimo nono, & paucis inſuper ultra tres menſes diebus, ita ſe virtuti penitus addixit, adeoque zelo, & amore Divino conflagravit, ut auſim affirmare, è multis, quas novi, & quibus cum familiariter egi, perſonis illuſtri ſanctimoniæ laude præcellentibus, nullam Principi Theodoſio excelluiſſe; immò Illum meo judicio plurimis præſtitiſſe, de quibus magnificè cogitabam.* Certus nempe breve illud biennii humanæ peregrinationis ad cœleſtem patriam ſibi ſpatium ſupereſſe, neque ultra futurum promerendi tempus, in eo tota contentione ad propoſitum, & ex proximo jam invitans bravium aſſequendum, curſum conſummare acceleravit. Huc faciunt ipſius Principis ad familiares eo maximè temporis ſupremi amoris, & ſummæ benevolentiæ plena, & ſæpius repetita verba, de quibus alibi pro alio confirmando argumento faciemus mentionem: cùm Lib. 2. §. 142. enim eorum nonnullos ſuæ affectæ valetudini ſeduliori affectu indolentes animadverteret, ſic eos frequenter ſolitus interpellare: *Ne, quæſo, citò periturum Principem tantopere deperite.* Sive illos de ſuo brevi exitu præmonitos, ut minùs de illo antea præviſo dolèrent, vellet ea ratione confirmare; ſive ut amorem, quem ſibi fruſtra impenderent, ad Principem Divinum nunquam interiturum utiliùs transferendum, eoſdem inducere præoptaret. Eò ad extremum ſpectat mirabilis ea ſolicitudo, qua ſe ad extremum agonem, in quo de ſumma rerum, nempe de æterna immortalis animæ ſalute agitur, Sapientiſſimus, ſi unquam aliàs, comparavit. Igitur quandiu benevaluit, etſi publico injuncto ſibi muneri nunquam defuit, illudque per omnia rite obivit, certus in eo gratum ſe Deo præſtare; tamen quidquid temporis à publicis miniſteriis ſibi reliquum foret, omne illud mentali orationi, aliiſque ſpiritualibus exercitiis, maximèque Sacræ paginæ, ac Sanctorum Patrum ſalutari lectioni, cæteris, quibus antea voluptuosè utebatur, libris poſthabitis, ſedulò, ſtudioſèque impendere. Ex hiſce puriſſimis fontibus tum perfectioris vitæ inſtituendæ, tum mortis ſecuriùs tranſigendæ ſaluberrima documenta, & rationes avidiſſimè haurire. Hìc ſæpe inter legendum incidit in ſententias, & adſpirationes nonnullas, quæ ſibi opportuniſſimæ viſæ ſunt, ut eas ad ultimas deficientis jam vitæ anguſtias quilibet prudens compulſus uſurpare deberet, pro Fide, Spe, Charitate, aliiſque ſub id temporis maximè neceſſariis

Y 3 virtu-

virtutibus excitandis, & exercendis. Eas quidem accuratè obſervatas Confeſſario ſuo commiſit ſibi extremo conflictu laboranti ſuggerendas. Non poſſum hîc non mirari ſtupendam certè adoleſcentis Principis aliis adeo inſolitam de proprio exitu ſedulitatem, & univerſis æmulandam providentiam; ſimilem certè de nullo, etſi maximo, Heroe, cujus laudes venerabunda meritò antiquitàs extollit, me aut legiſſe, aut unquam audiviſſe recordor. Nec mirum id illi videbitur, qui unicam novit eſſe Phœnicem mirabili natura præditam avem; quique Theodoſium ad inſtar Phœnicis ad proximum ſe obitum comparantis aromatica virtutum ligna colligentem obſervet, ex quibus Divini amoris ignem, quo demum conflagrabit, ſit excitaturus.

403 Admiranda profectò ſunt hæc, at meo judicio longè admirabilior ſapienti cuilibet videri debet hactenus traducta in ſumma innocentia Principis adoleſcentis aulica, & Angelica planè vita, quo ut nihil rarius, aut difficilius, ita nihil admirabilius, prudentiſſimo Caſſiodoro aſſentiente, habendum: *Hoc eſt profectò* (inquit) *difficillimum regnandi genus, exercere juvenem in ſuis ſenſibus principatum; rarum omnino bonum eſt, Dominum triumphare de moribus, & hoc conſequi in florida ætate, ad quod vix creditur cana modeſtia pervenire.* Id fortè cœlo ipſi admirationi fuiſſe putandum eſt, cùm paucis ante Principis obitum menſibus, ut mortales in admirationem Principis ad cœlum mox abituri raperet, inſolitum Cometem, quaſi facem ducentem, ſignantemque viam, quà Cœleſtis Princeps Cœlum aſcenderet, ſolito fulgentiore luce accendit. At quod magis mirere, cœlum ipſum adeò ſolicitum in Principis nobis luctuoſo, ſibi felici obitu annuntiando, in aëris ſuprema regione novo accenſo luminari, ſub idem ferè tempus, veterum, quibus orbem diu, noctuque illuſtrat, luminarium, Solis, ac Lunæ multiplici eclypſi lucem abſcondit. Utriuſque meminit, ſimulque rationem ſuo aptam argumento luculentiſſimè reddit Orator Conimbricenſis in hæc verba: *Iam nunc (ſerò tamen) intelligimus, Academici, quid nobis portenderet ſuperioris anni eclypſis horrida, Lunæ, Soliſque labores; quid à nobis peterent ominoſi Cometæ, quos paucis abhinc menſibus, ad Flandrias inſulas, vulgari nomine Tertias, oſtendit cœlum. Iam veſtrum neminem latebit laborantem Lunam Luſitaniam, deficientem Solem Luſitanum orbem orbatum lumine adumbraſſe; ut planè intelligatis ominoſos Cometas aërea fuiſſe ſydera, ut Theodoſium Luſitaniæ Theſaurum, quo modò nos ſpoliavit, viciniùs contemplaretur, ut raperet. A longè ſanè nobis indixit vulnus, quod tam cominus inflixit, noſtrumque omnium rupit pectora, diviſit viſcera, & animas ipſas ingenti dolore afflixit.*

Caſſiod. 11. var.

404 Eodem temporis conſtat à Mathematicis obſervatum, ab univerſiſque animadverſum alium Cometam in Luſitano, Indicoque utroque noſtro cœlo, cujus reperi mentionem in quadam epiſtola, quam ex Ebora ſcripſit Frater Antonius Ferràs noſtræ Societatis ad P. Doctorem Andream Ferdinandum ipſius Principis Confeſſarium, in qua citat paragraphum alterius epiſtolæ, quam ex India Orientali ſcripſit P. Emmanuel à Mendoſſa Provincialis Goanæ Provinciæ ad P. Leonardum Fuzeyro noſtræ Societatis, cujus hæc ſunt concepta verba: *Decima octava die Decembris anni 1652 obſervatus eſt in hac India quidam caudatus Cometa; ad tertiam tantùm ſequentis Ianuarii diem anni 1653 duravit; Non erat magnus, & habebat obtuſum aſpectum, motumque acceleratum. Varii Mathematici unanimiter de illo judicant alicujus potentis Regis mortem portendere.* Hactenus Epiſtola Indica; in ſua verò Frater Antonius hæc ſuperaddit: *Quod attinet ad Cometam, idem prorſus eſt, quem hic obſervavimus, iiſdem*

dem prorſus ſignis, eodem ferè tempore apparentem: quo nimirum decumbens Princeps cœpit malè habere. Non rarum quidem, & inſolitum ſimilibus portentis cœleſtibus ſolitos deſignari magnorum Regum, aut Principum obitus; plenæ ſunt ephemerides, plena totius antiquitatis monumenta hujuſmodi exemplis, quibus Divina providentia erudiendis mortalium animis unicè intenta eos per certa intervalla reddere attentos ſatagit ſalutaribus documentis excipiendis; ſive ut Magnates majoris debiti reos de reddenda ſtrictiori de ſe, ac de ſuis ratione ſeduliores ea reddat præmonitione; ſive ut minores majorum intentato ſupplicio deterriti ſibi, ac ſaluti ſuæ ſtudioſiùs conſulant: ſi enim cæditur catulus, ut expáveſcat leo; quàm eſt æquiùs, cæſo leone, catulum exhorreſcere: ſive tandem, ut utrique terrenis rebus plus nimio affixi unà cum oculis animos ad cœlum elevent, ubi eſt, cui ſunt mortalia curæ, quique nullius dignitatis, etiam Regiæ, ſed ſolius promeriti habita ratione, univerſos æquali trutina Judex æquiſſimus ponderabit. Cæteris, iiſque innumeris prætermiſſis, unus Theodoſius Imperator hujuſce nominis primus minimè omittendus; de quo ita D. Ambroſius: *Hoc nobis motus terrarum, hoc juges pluviæ minabantur, & ultra ſolitum caligo tenebroſior denuntiabat, quòd clementiſſimus Imperator Theodoſius receſſurus eſſet è terris.* In hiſce verò portentis, quæ Theodoſii obitum præceſſere, id peculiare obſervandum eſt, quòd aliorum Regum, ac Principum interitum, vel tantùm Cometa, vel ſola Solis, ac Lunæ defectio vulgò prænuntiare ſolet; Theodoſii verò longè luctuoſiorem obitum Cometæ ſimul, & Eclypſes prædixere. Unica hæc ratio unico verbo (*luctuoſiorem*) indicata, ſatis, ſuperque ſit pro pluribus aliis in eandem incurrentibus, quas non eſſet difficile invenire. Interim ingenioſam quandam, ipſique Principi olim maximè plauſibilem, ex ſimili prorſus eventu in obitu Sereniſſimæ Principiſſæ Joannæ, de qua jam ſupra meminimus, juvat delibare; cujus in Cœnobium adventum Cometa, obitum Luna deficiens præſagiit. Utrunque pereleganti quondam Epigrammate Principis Confeſſarius judicioſè ſatis expreſſit, aptiſſima reddita ratione, huc facilè traducenda, ſi pro Cœnobio Cœlum, pro Joanna Theodoſium legas; ſic habet.

D. Amb. de obit. Theod.

Hoc lib. 4. 110. & 111.

Dum Patria excedens ſceptris Ioanna relictis
Ire parat ſacris aſſocianda choris;
Tam nova ſtelliferum ruit in ſpectacula Cælum,
Et procul in ſpeculis totus Olympus erat:
Nec ſatis; ecce novum ſubitò micat æthere ſidus,
Dum plures oculos optat habere polus.
Poſt, ubi Ioannam expectant fata ultima, Cælum
In tenebris, Luna deficiente, latet.
Cerneret ut quondam primi miracula facti,
Cælum oculos ſenſit non ſatis eſſe ſuos.
Ne videat lethum indignum, ſua lumina Cælum
Condidit, & nullos vellet habere oculos.

405 Non aliter ad proximum Principis Theodoſii jam ad Superos properantis ſpectaculum, maximèque ſpectandum Cœlicolis ipſis triumphum, novos ſibi recentium Cometarum oculos, etſi Luſitaniam torva intuentes, cœlum adoptaſſe haud ineptè dicendum. Ipſum tamen cœlum alioqui clementiſſimum Luſitanorum ſuo Theodoſio commorientium dolore, ac commiſeratione tactum proprios clauſiſſe oculos, Sole, ac Luna deficientibus, ne videret

deret lethum indignum ejus Principis, qui, niſi ſtatutum eſſet hominibus ſemel mori, vita immortali digniſſimus foret habendus. At non è cœlo tantùm, è terris etiam orta prodigia cœleſtis hujuſce, ac prodigioſi Principis immaturum obitum præſignarunt; cœlo, terraque, quibus ſolent, mutis linguis mutuò atteſtantibus, magnum ejus ſpiritum maximis auctum cœleſtium virtutum, & meritorum incrementis, è terra tantæ jam impari magnitudini ad cœlum magnæ animæ unicè capax propediem abiturum. Celeberrimum eſt multis nominibus in Luſitaniæ Interamnenſi Provincia oppidum *Barcellos*, ab Auguſta Bracħara novem diſſitum milliaribus; at eò maximè, quòd proxima ejuſdem mœnibus, latèque patens planities prodigioſis quotannis Crucibus, quaſi Divinis floribus ſoleat germinare, à primis veſperis ad ſecundas diei tertiæ menſis Maji, & decimæ quartæ Septembris, in quas incidit duplex feſtum Inventionis, & Exaltationis Sanctiſſimæ Crucis ſolemni ritu ab Eccleſia Orthodoxa ſolitum celebrari. Hujuſmodi prodigioſæ planè Cruces ſubcinericii coloris in argilloſa terra nunc plures, nunc pauciores, aliæ majoris, minoris aliæ magnitudinis, univerſæ perfectiùs, quàm Apelleo penicillo, effigiatæ omnium ordinum ad earum venerationem per eos dies illuc confluentium oculis exhibentur; non quidem in ſola ſuperficie, ſed (quod magis mirere) in qualibet altè defoſſa profunditate; ſimilem ſemper colorem, & figuram retinentes; iis tamen elapſis diebus ex oculis evaneſcentes. Qui perpetui hujuſce miraculi primam originem, progreſſus, omnimodam certitudinem, aliaque ſcitu digniſſima ſcire cupiat, Luſitanum conſulat Agiologium Georgii Cardozii tomo tertio ad tertiam diem Maji, ubi oculatus tanti miraculi teſtis, ſummaque dignus fide Author, tum in prædicti diei textu, tum luculentiùs in ejuſdem commentario cuncta pleniſſimè perſequitur, quinque aliis productis famigeratis ſcriptoribus hujuſce prodigii mentionem indubiam facientibus.

Agiol. Luſit. tom. 3. die 3 Maji

406 Inter haſce verò Cruces die tertia Maji anno 1653 (à quo Princeps Theodoſius ad decimum quintum illius menſis vitæ mortalis ſibi ſupremum graviùs indies habere cœpit) inſolitam Spineam Coronam ibidem ſe viſendam cunctis ſpectantibus præbuiſſe, Author eſt P. Joannes à Payva noſtræ Societatis, vir ſummæ fidei, & probitatis, qui tunc in ea Provincia agebat, in quadam Epiſtola ad Fratrem Emmanuelem Figueyra ejuſdem noſtræ Societatis; de quo novo prodigio nunquam aliàs ibi animadverſo, maximaque omnium admiratione obſervato ad extremum vir integerrimus addit: *Neſcire ſe, an fortè fuerit præſagium ſequuti paucis poſt diebus obitus Principis Theodoſii, qui olim Ducis Barcellenſis Gentilitio titulo cunctis Auguſtæ Brigantinæ Domus primogenitis communi fuerat inſignitus?* Et verò quod modeſtus planè vir certò fateri non audet, id nemo prudens diffiteri audebit, cui præter eam probabilem certè Ducis Barcellenſis conjecturam, erit exploratum, quàm multus fuerit Theodoſius in contemplanda Chriſti Domini Paſſione, quantusque in primis ex frequenti acerbiſſimæ ipſius coronationis meditatione Divini amoris ignis in ejus corde exarſerit. Argumento ſit præter alia ardentiſſimum colloquium ab ipſo jam moribundo habitum ad unam ex Sacris Spinis, quibus Chriſti caput fuit transfixum, quæ ad ipſum extremo laborantem agone allata eſt. Cum illa, vel cum ipſa Spinea Corona in Sanctiſſimi Sudarii capite adumbrata ita refert Principem ægrotantem colloquutum R. P. Doctor Fr. Joannes à Sylveyra in ſuo funebri Sermone: *Quàm dives hæc Spinea Corona!*

Regnorum, & Imperiorum diademata largiatur Deus, cui libuerit. Quam unicè volo, exoptoque, Corona hæc eſt ex ſpinis contexta. Quàm dives Corona! Quàm vellem, meum illa caput redimiri, ac terebrari, effuſoque largè ſanguine madefieri? Certè quandiu vixi, nihil æquè, atque iſtam Coronam expetivi. Simili de cauſa ſcimus olim Sanctiſſimæ Catharinæ Senenſi Chriſtum Dominum ſpectabilem ſe dediſſe, geminam manu coronam prætendentem, hanc auro, illam ſpinis rigentem eidem juſſiſſe optionem facere. Illa non neſcia, qua ſponſus corolla ornatus eſſet, Spineam arripit, eaque caput ſuum exornat. Quid mirum igitur, ſi Theodoſio ſimili Divino amoris incendio flagranti, roſeaſque deliciarum coronas, quibus impii coronari ambiunt, averſanti, ſimulque ab aurea Luſitanæ Monarchiæ corona tantopere abhorrenti ſuam Spineam longè pretioſiorem Chriſtus ipſe ſub ſpecie Barcellenſis Spineæ Coronæ indulſerit? Non potuit aptiùs quidem ſignificari, cœleſti æternæ gloriæ corona brevi donandum Principem, quàm inter Barcellenſes Cruces effigiata Spinea Corona; qua non minùs aptè coronidem imponimus admirandis, quæ Ipſius nunquam ſatis dolendum obitum præceſſere: quanvis illa, quæ in extrema ægritudine eundem obitum proximiùs comitata, vel conſequuta ſunt, majorem fortè poterunt movere legentibus admirationem.

Faſti Mariani die 29 Aprilis

CAPUT XXXII.

Extrema Principis Theodoſii ægritudo, & invidendus è mortali ad immortalem vitam exitus.

407 SI Reges, Principes, & Magnates, quorum nutibus cæteri mortales obſecundant, morborum in univerſos debacchantium tyrannidi minimè ſubjacerent, certè humanæ felicitatis vino, cui abundè, inexplebiliterque indulgent, ebrii de cœleſti ſolummodo expetenda, vel nunquam, vel raro admodum, & leviſſimè cogitarent; morbi eos communis cum omnibus mortalitatis admonent, ac de corporis, animæque ſimul ſalute procuranda reddunt ſolicitos. Non quidem iis unquam fuit adnumerandus Princeps Theodoſius, qui præ cœleſti, veraque felicitate maximam quamlibet terrenam, & fucatam nihili ſemper fecit; cuique partim à natura optimè conſtituta inſitum, partim ex clara rerum æternarum cognitione pronum erat à prima pueritia caduca deſpicere, cœleſtia, & æterna in pretio unicè habere. Id verò impenſiùs, ubi haud pridem levi contracto eo, de quo ſupra diximus, morbo, proprio didicit experimento, non modò ſe mortalem eſſe, quod minimè ignorabat, ſed ingruenti morti proximum. Ex præterita ægritudine meliùs, at non dum optimè, habuerat. Illuxit tandem octava Februarii dies anni 1652, qua novem ſupra decem ætatis annos impleverat; cùm inter mutuos univerſæ Curiæ plauſus, feſtivaſque congratulationes, ut in natalitiis Principum diebus ſolemnis eſt conſuetudo, ſuprema gaudia luctus occupavit, univerſis exſanguibus, dum vident ſuum Principem ſanguinem evomentem, quem proprio penitus profuſo vellent univerſi reducem reparare. Major Sereniſſimos Parentes inceſſit ſolicitudo Principis ſaluti omni,

Supra §. 392.

omni, qua poſſent, ratione proſpiciendi. Vocantur Medici non modò Regii, & quicunque tunc Ulyſſipone præſtantes habebantur, ſed ex Conimbrica, Ebora, Elviis, Villaviſſoſa peritiſſimus quiſque arceſſitur: nec Medici modò, ſed inſignis quidam Pharmacopola, valetudinarius miniſter, idemque medicæ artis peritus, qui ægrotanti Principi aſſiduus miniſtraret, è noſtro Eborenſi Collegio Frater Antonius Ferràs, à quo multa ſcitu digniſſima de Principis eximiis virtutibus obſervata, quorum non ſemel facimus mentionem.

408 Poſt longam conſultationem convenit inter omnes invaleſcenti malo efficaciora adhibenda remedia, expellendiſque noxiis humoribus ſalutares vomicas aperiendas: quibus, opportuniſque aliis pharmacis lethale virus in viſcera paulatim ſerpens non nihil repreſſum, at non penitus oppreſſum. Appetebat jam ver, quo tempore ſolemne fuit Sereniſſimis Regibus Alcantaram aliquandiu divertere laxandi animi ergo, non intermiſſa interim publicis rebus attendendi ſolicitudine. Illac, valetudine aliquantiſper confirmata, placuit Medicis, ut ſimul abiret Princeps ex clementioris ſuburbani aëris temperie vires, & vitales fortè ſpiritus reſumpturus. Cum frequenti nobilitate, ac Religioſo cœtu ad Principis palatium confluente, accurrere pariter plurimi è noſtris abiturum Principem ſalutaturi. Univerſos Ille ſolita excipit benevolentia. Jamque ad conſcendendam lecticam per aulicæ ſchalæ gradus deſcenſurus, affecti corporis imbecillitate liberum inceſſum prohibente, repulit primò paratam ſibi geſtatoriam ſellam, qua commodiùs deferretur; mox nonnullis è Cubiculariis, & Magnatibus humeros, & brachia, quibus inniterètur, certatim offerentibus urbaniſſimè recuſatis, cauſatus ſingulari comitate, infirmiores ſibi vires interim eſſe, quàm ut cum ſtrenuis adeo viris poſſet colluctari, duobus è noſtris ad ſe vocatis: *Vos* (inquit) *me deſcendentem veſtris manibus fulcietis, & aſcendentem, ut ſpero, ad cælum veſtris orationibus adjuvàbitis.* Mox ad univerſos, qui aderant, converſus: *Quibus*(proſequitur)*commodiùs, ac tutiùs poſſum inniti, quam eorum humeris, qui magni Atlantis Ignatii genuini Filii unà cum fortiſſimo Parente Chriſtianum orbem ſuſtinent?* Cunctis annuentibus, & prudentiſſimo Principi applaudentibus; noſtris interim pudibundis ad Principis pedes demiſſis, & pro ſingulari beneficio gratias agentibus; prudentiſſimo quolibet maturum ejus judicium extollente, dum plauſibili adeo prætextu Optimatum omnium oblata ſibi reſpuit obſequia, ne duobus eorum admiſſis, cæteri pulſi aut inviderent, aut dolerent, dum pro illis duos eligit Religioſos, quorum favor nemini eſſet injurius. Aliis verba Principis de aſcenſu, & deſcenſu, ipſius invaletudine æſtimata, ſecum inter metum, & ſpem ſolicitè conferentibus, ſic ad lecticam lentè proceſſit; cui demum impoſitus effuſum latè populum vultu ad ſummam benevolentiam compoſito intuitus, univerſos ſibi proſperam valetudinem, & felicem brevi reditum adprecantes circunſpiciens, ultimum omnibus vale dixit Aprilis die 21 anni 1653.

409 Exceptus eſt Princeps in amœniſſima villa, palatioque ſatis magnifico nobiliſſimi Senatoris Regii Joannis à Carvalho, quod in molliter edito colle poſitum Regiam Alcantaræ villam è regione reſpicit. Hìc cœli, ſolique temperiem nactus indulgentiorem cæpit aliquantulum reſpirare, ac recuperandæ omnino priſtinæ valetudinis omnibus id unicè optantibus optimam ſpem facere. At fallacem, prorſuſque vanam eam fuiſſe haud multò poſt in

pro-

proximùm relapſus morbum oſtendit, copioſiùs è pectore per os rejecto ſanguine, febri hactenus occulta ſe vehementiùs intendente, aliiſque hujuſmodi ſintomatibus periculoſum eſſe malum manifeſtò indicantibus. Id ubi ad Ulyſſiponem, indeque ad univerſæ Luſitaniæ Provincias brevi percrebuit, incredibile dictu eſt, qualis, quantuſque omnium animos dolor, ſimulque mœror occuparit; univerſi pro ſalute Principis publicas ſupplicationes indicere; privatas preces paſſim ad Sacræ Euchariſtiæ, ad Virginis aras, ad Sanctorum pulvinaria effundere; jejunia, cæteraſque corporis afflictiones adhibere; nihilque non tentare ad placandam Numinis iram omnium capitibus intentatam. Interim univerſa nobilitas,& plebs Ulyſſiponenſis Alcantaram, alii cymbis per fluvium invecti,alii curribus, lecticis, equis, & pedeſtri plures itinere deducti, aſſiduo fluxu, & refluxu ad inſtar marini æſtus labentis, ac relabentis, frequentare. Nuſquam aliàs manifeſtioribus patuit indiciis, quàm impensè ab omnibus Theodoſius diligeretur; & quidem erat digniſſimus amari. Eorum plurimi, etſi non daretur ad eum videndum, nedum alloquendum, aditus, tamen aſpectu domus, ubi jaceret, acceptiſque ab iis, qui viderant, & audierant, nuntiis aliqualiter recreati proprias domus repetebant. Illi, quibus coram data copia vel videndi, vel fandi, generoſo ejus aſpectu, & ſuaviſſimis verbis exundanti dolori molliendo compoſitis mirificè deliniti, ſpem vultu ſimulantes, altum corde mœrorem ſupprimebant. Inter alios Tribunus Ulyſſiponenſis plebis Principem adiit, ejuſque oſculata manu,quanto dolore popularium omnium animi propè conficerentur,quantoque ardore pro Celſitudinis Suæ valetudine ſuſceptis votis,fuſiſque inceſſanter precibus Deum propitiari ſtuderent, expoſuit. Cui Princeps: *Edicito meæ dilectiſſimæ plebi, ut pro certo habeat velim, non minùs è cœlo, quò magis inclinat animus, ac deducit morbus, quàm è ſolo, ſi Deus fortè vitam annuat diuturniorem, illius me commodis,& incolumitati proſpecturum.*

410 Similia Sereniſſimis Parentibus eum frequenter inviſentibus,ægrèque Illius doloribus acerbiſſimis condolentibus promiſiſſe conſtat; ut enim illorum lacrymas ubertim fluentes abſtergeret,doloremque maximum aliqua ex parte imminueret, non ſemel eoſdem enixè rogavit: *Bono ut eſſent animo, certòque ſcirent præſentiori ſe auxilio in ſuppoſita forma* (ejus ſunt concepta verba) *è cœlo ipſis, ac Luſitaniæ rebus adfuturum.* Non irrita fuiſſe Principis adeo veridici promiſſa tum Sereniſſimis Parentibus, tum Ulyſſiponenſis plebis Tribuno facta, neceſſariò à nobis inferiùs confirmandum. Interim Medici pro ſe quiſque omnes ingenii, induſtriæque artes excutere, ac exquiſitiſſima quæque adhibere medicamenta indies invaleſcenti malo vel expellendo, vel mitigando. Teſtatur prædictus Frater Antonius Ferràs inſignem Medicorum juſſis præſtitam à Principe obſervantiam per totius morbi decurſum: *Quidquid* (inquit) *illi præciperent, quantumvis difficillimum, ſibique inſuave, actutum exequebatur; immò cùm nonnunquam Principis judicio adverſantia decernerent, proprio ſenſu poſthabito, illorum ſententiæ adhærebat. Sæpe ab Illo quærebam, libenterne hac, vel illa ſalutari medicina uteretur? Vulgare ſemper ejus fuit reſponſum; Nihil voluptatis in eo ſibi eſſe; at ſiquid ſibi faciendum præciperetur, libenter ſe obtemperaturum.* Si fortè Confeſſarius, vel quicunque alius, qui ratione aliqua ejus valetudinis rationem haberet, in vehementiori febris, doloris, aut lethargi intentione Illum admoneret, ut quieſceret, ut expergiſceretur, vel quid aliud præſtaret, illico magna ſæpe vi ſibi adhibita imperata exequebatur. Humanis tamen remediis

Hoc lib. cap. 34. à §.446 uſque ad 451

morum Parentum, nec Confeſſarii, quibus alioqui erat obſequentiſſimus, precibus unquam adduci potuit, ut ſimile votum emitteret. Immò acriùs ſemel urgenti Confeſſario, & ad vovendum pro hujuſmodi cauſa impellenti, reſpondit: *Nolle ſe prò temporali vita Deum interpellare.* Eidem verò importuniùs adhuc ſuadenti, licere id quidem pro majore Dei gloria, publicaque Regni utilitate, juxta plurium Sanctorum certiſſimam doctrinam: *Sine me* (inquit) *ita ſecuriùs procedentem; cur enim velim diutiùs in diverſorio immorari, cùm me pulcherrimum invitet palatium?* Neque hiſce contentus impensè rogavit Sereniſſimos Parentes: *Ne ultra permitterent pro ſua temporali ſalute nihil profuturis publicis precibus inutilem prorſus navari operam, Divinæque voluntati de ſe aliter ſtatuenti, cujus decretum eſſet, ut moreretur, fruſtra obniti; eas unicè Deo fore acceptiſſimas preces, quæ pro ſui æterna ſalute longè utiliùs effunderentur. Rogare ſe ad extremum, ſi bene quid de Illis mereretur, ſi ſe ipſum verè amarent, ne ſibi affulgentem jam ex proximo æternam felicitatem vellent importunis precibus vel tantiſper demorari.* Id quidem unum impetrare haud valuit ab amantiſſimis Parentibus, amoris potiùs, quàm Principis poſtulata reſpicientibus. Dum tamen Illi orationibus, omnique ratione prorogandæ Principis vitæ invigilant, longè ſedulior Ipſe de felici Juſtorum morte cogitare, ſeque ad illius ſupremum agonem ſtrenuè comparare. Certè, qui cum Sancto Zenone ſummam fortitudinem, inſignem alacritatem, rapidamque celeritatem, qua Sol ad ſuum occaſum properat, ſedulò expendat, non abſimilem fuiſſe dicet Theodoſii ad mortem procurrentis moriendi avidiſſimam feſtinationem: *Sol* (Inquit ille) *inſtantis finis ſorte non terretur, ſuos ut retardet curſus, ut horas, ac momenta producat, ut paulò diutiùs diei ſui demoretur in via, ſed fidelis ſemper, ſemper intrepidus ad ſepulchrum noctis cognatæ contendit.* Talis Theodoſius non modò ad mortis mentionem impavidus, verùm illius obeundæ perquàm avidus.

412 Nihil Illi jucundius, quàm de acerbiſſima Chriſti Domini morte aut audire, aut verba facere: hinc dolendæ Ipſius Paſſionis ex Sacris Chronologis frequenti lectione mirificè affici: hinc Sacram Crucifixi Servatoris effigiem, quam præ oculis ſemper habebat, manibus reverenter attrectare; ſacros pedes devotè oſculari; eandem vernantibus paſſim floribus redimire, hujuſmodique ſuaviſſimis verbis affari: *Mi Nazarene, feſtivo Te ritu juvat adornare, ut ſimili me viciſſim excipias.* Similiter Sanctorum vitas, & obitus ex Faſtis Marianis Confeſſario lectitante bibulis auribus, & vel inter prandium, & cœnam auſcultare; unico eo, ſibique ſuaviſſimo condimento lapſam orexim excitante. At non modò Cœlitum felices obitus, quos æternæ vitæ participes certò ſciret, ſibi recitari avidiſſimè optabat, ſed illorum etiam, quorum pretioſam in conſpectu Domini fuiſſe mortem ex religiosè traducta vita ominabatur. Ideo non ſemel Fratrem Antonium Ferràs ſibi perpetuò aſſidentem rogavit, ipſo atteſtante, *Vt ſibi exponeret, quomodo noſtri moribundi ſe haberent? Qua ratione imminentem mortem opperirentur?* Certus illorum æmulandis veſtigiis inſiſtere, ac memorabilia exempla imitari. Quid Frater ſciſtanti Principi reſponderit, alibi à nobis opportuniùs commemorandum. Lib. 3. §. 66.
Quantopere mortem oppetere optaret, illud evidenti argumento eſt, quod Ipſemet de ſe fateri coram aulicis non dubitavit; nimirum in confeſſione Sacramentali ſe accuſaſſe nimiæ, qua mortem appeteret, anxietatis. Idem multò antea Confeſſarium admonuit, ut cùm ſe nimis afflictum, immodiciſque doloribus imparem animadverteret, hæc Illi verba ſuggereret: *Princeps,*

adeſt hora; quaſi adverſus ingruentes proximæ mortis dolores ſenſum omnem ſibi adimentes, nullo præſentiori amuleto poſſet recreari, quàm mortis jam appetentis facta ſibi mentione. Id Confeſſarium ſemel præſtitiſſe fideli teſtimonio reperio confirmatum. In ipſius verò Confeſſarii remiſſionibus ratio redditur, cur adeo ardenter Princeps cuperet diſſolvi: *Quicunque* (dicebat ille) *certus eſſet videndi Deum, nonne illi qualibet brevis mora longiſſima videretur?* Ideo uni ex Regiis medicis, explorato Principis pulſu, converſoque aliorſum vultu, ne ab Illo audiretur, proferenti hæc verba: *Præceps currit, immò evolat*; audiens Princeps reſpondit: *Quin immò ſera nimis, & ſatis moroſa eſt.* Jam mirari omitto adeo fuiſſe optabilem Principi mortem, quam æterna mox felicitas exciperet: mirandum potiùs duco adeo certum de propriæ animæ unicè deſiderabili ſalute in plures, multòque vehementiores exceſſus minimè prorupiſſe; quorum tamen plura, eaque haud obſcura indicia hîc paſſim emicabunt indubiæ veritati certiorem fidem allatura.

413 Interim violentior indies febris teneros depaſcebatur artus, variiſque quotidie noxiis ſintomatibus ex ea erumpentibus immedicabile prorſus id malum eſſe noctu, diuque vigilantibus Medicis indicabat: eò tandem ventum eſt, ut ab univerſis deplorata Principis vita, monendum eum de ſummo periculo, ac de ipſius animæ ſalute unicè agendum pronuntiarent. Incredibile dictu eſt, quo dolore id ferale edictum primò per aulam, mox per Ulyſſiponem evulgatum omnium animos pene exanimarit; at multò eſt cogitatu difficilius, qua exultantis, ac propè tripudiantis animi alacritate id ſibi nuntium ex longo deſideratiſſimum Princeps exceperit. Illud, ut par erat, à ſuo Confeſſario effuſas ubertim lacrymas potiùs, quàm verba ſingultibus interrupta proferente audivit, majori ſanè lætitia, quàm ſi univerſi orbis dominium ſibi enuntiaretur; ea invitante, non modò Confeſſarium prope lectum in genua flebiliter procumbentem, ſed univerſos, qui fortè aderant, invitabat, ut ſibi potiùs meritò exultanti gratularentur, quàm immeritò illacrymarentur: mox Confeſſarium, quàm potuit pro infirmis viribus, arctiſſimè non ſemel complexus, illi pro gratiſſimo ſibi hoc præſtito obſequio gratias agit cumulatiſſimas. Conſtat ex ipſius Confeſſarii teſtimonio in quadam familiari ad amicum epiſtola. Tandem elevatis ad cœlum oculis, Pſalmographi verba ſibi paſſim olim familiariſſima, flagrantiori, quàm unquam alias, affectu profert: *Lætatus ſum in his, quæ dicta ſunt mihi; in Domum Domini ibimus*: ad inſolitam ſummi gaudii ſignificationem, ſummi doloris ſigna cæteris exprimentibus. Hîc obiter obſervandum, nihil Theodoſio fuiſſe frequentius hujuſce Pſalmi recitatione, cujus prima hæc verba, qualibet opportuna data occaſione, ſoleret præcipuo affectu uſurpare; adeo ut à Sereniſſimo Parente eximio muſici concentus compoſitore aliquando exoraverit, ut conditos à ſe numeros ſuaviſſimos, omnibusque acceptiſſimos, quos alteri Pſalmo *In exitu Iſrael de Ægypto*, adaptarat, ad hunc traduceret; quod & præſtitit maxima cum Theodoſii voluptate numeros eos ſæpius jucundiſſimè concinentis; verus profectò Cygnus, qui non ad Mæandri, ſed ad Tagi vada dulciſſima ea cantilena, non modò propinquum, ſed longinquum adhuc ſuum feliciſſimum obitum celebravit. Immò Divino ſimilior olori Chriſto Domino, qui unà cum Diſcipulis peracta legali cœna, ubi Sacram inſtituit Euchariſtiam, acerbiſſimæque morti proximus, hymno dicto, ſive (ut alii legunt) cantato, ſuaviſſima quidem melodia imminentes crudelis mor-

tis

tis dolores pro humana ſalute avidiſſimè perferendos vel ſalutavit, vel emollivit.

414 Theodoſius ad eandem Sacram Euchariſtiam pro viatico ſuſcipiendam dulciſſimo eocantu præmiſſo, in reliquis rite obeundis, quæ Chriſtianum militem extremum agonem ſuperaturum decent (quo majus dici nequit) ſe ipſum ſuperavit. Sub initium ingruentis ultimi hujuſce morbi totius anteactæ vitæ à prima pueritia generalem Confeſſionem ſæpius à ſe repetitam ſeduliori ſtudio, inquiſitioneque peregerat; ſingulis deinde, ut Illi mos erat inviolabilis, diebus conſcientiam expiabat; quotidie ſacro intererat etiam decumbens, portatili ad id erecto altari, eo ubi jacebat cubiculo; ſemelque ſaltem in qualibet hebdomada cœleſti pane animum reficiebat; neque interim à vocali, mentalique ſibi conſueta oratione, cæteriſque ſpiritualibus exercitiis, quatenus per morbum liceret, unquam ceſſavit; in ægro, invalidiorique in dies corpore validiſſimi ſpiritus majori exhibita promptitudine; certus nimirum fatalem ſibi horam brevi adfuturam, ultra quam nullum bene merendi fore tempus, idcirco à ſe redimendum nulla pretioſæ particulæ facta jactura prævideret. Igitur omnimodè jam diu paratiſſimo haud pluribus opus fuit, quibus ad Sacrum ſe Viaticum compararet. Quare totius vitæ Confeſſario ex tot generalibus, & quotidianis confeſſionibus exploratiſſimæ ſerie brevi admodum evoluta, plurimis, iisque ardentiſſimis exquiſitæ contritionis, Divinæ charitatis, fidei, & ſpei expreſſis actibus, abſolutioneque demum accepta, Sacri Viatici, Extremæque Unctionis ſibi ſuo tempore miniſtrandæ ſupremum beneficium, quàm potuit demiſsè, imploravit: mox venia priùs à præſentibus, immò ab abſentibus etiam, ſiquem fortè verbo, aut actione aliqua inſcius unquam læſiſſet, vel improvidus ſcandaliſaſſet, ſuppliciter expetita, incredibili Divinæ Euchariſtiæ deſiderio afficiebatur. Eam poſtquam Sacerdos attulit (is fuit proximæ Parochiæ Virginis ab Adjutorio Præſul) elataque manu omnibus adorandam exhibuit, venerabundus Princeps ignitis planè verbis Divinum amorem, quo ejus cor incendebatur, ſpirantibus, eſt alloquutus: quænam illa fuerint, ex multis, qui tunc aderant, non eſt, qui diſtinctè meminerit; nimio dolore, ac erumpentium lacrymarum profluvio rerum imagines confundentibus, & certam verborum recordationem diſturbantibus. Id unum liquido conſtat, facta Orthodoxæ Fidei, Euchariſticique myſterii profeſſione, habitiſque pro ſingulari beneficio gratiis, præſenti Numine afflatum Principem in eos tunc prorupiſſe affectus, quos humano eloquio is tantùm poſſit explicare, qui ſimili, quo Princeps ipſe, Divino amore, Cœleſtiumque inflammato deſiderio conflagraret. Tandem intra puriſſimi pectoris omnigenis virtutibus ornata penetralia excepto Cœleſti hoſpite, cum eo per otium intimis delibutus gaudiis deliciatus eſt.

415 Illud inſolentis lætitiæ cumulum Principi ea die attulit, quod Sanctiſſimo Joanni Evangeliſtæ ſuo Protectori eam ſacram eſſe animadvertit; ſexta nimirum Maji menſis ea fuit dies, quâ Dilectus Apoſtolus Romæ olim ante portam Latinam ſubeundæ pro dilectiſſimo Magiſtro morti ſe libenter obtulit; in eadem certum mortis nuntium, & æternæ vitæ Viaticum Euchariſticum Princeps excepit; id verò in ſumma poſuit felicitate, indeque præſentiſſimum ſui Protectoris in ſupremo ſibi agone adfuturum patrocinium certò præſagiit. Eademmet die Sacro ſimul oleo, Medicis annuentibus, inungi

voluit. Sacerdotem verò eundem ſibi id Sacramentum miniſtrantem, & præ dolore muſſitantem admonuit, ut Eccleſiaſtica verba lentè, ac elata voce proferret, quò Ipſe planè percipere, reſpondereque unà cum miniſtris poſſet: id quidem, ut juſſerat, à Sacerdote religiosè obſervatum, & à Principe ad ſingula incredibili affectu reſpondente, prout deſtinarat, religioſiſſimè præſtitum. Huc ſpectat minimè prætermittendum Doctoris Joannis Piſſarro ſcriptum teſtimonium: *Qua die* (inquit) *Euchariſticum Viaticum, & Extremam Unctionem excepit, juſſo Confeſſario, ut tranſum abiret, mihi dignatus eſt imperare, ne illinc excederem, ipſius fortè confeſſionem excepturus; ardenter enim optabat cum diverſis Sacerdotibus Sacramentum pœnitentiæ repetitò iterare, pro Sacramentali gratia comparanda, ſimulque pro lucrandis indulgentiis, quas ſibi nonnulli Religioſi applicarent. Igitur, remotis arbitris, cùm mutuò de rebus Divinis ſermonem haberemus, Principem rogavi, Deine videndi deſiderio teneretur? Subitò ita in ejus amorem exarſit, majorique, quàm excogitari poſſit, impulſu manibus ad pectus admotis, in*
Pſ.41.2. *illa prorupit admirabilia verba; Quemadmodum deſiderat Cervus ad fontes aquarum, ita deſiderat anima mea ad te Deus: Adeo, ut mihi neceſſe fuerit Illum in hæc verba compellare: Mi Domine, mi Domine, ſatis eſt, enim verò Deo minimè placent ii exceſſus, qui noxii eſſe poſſint Celſitudinis Veſtræ valetudini, &c.*

416 Sub veſperam ejus diei Sereniſſimi Parentes unà cum Sereniſſimis Infantibus, quibus inſito ſolicitante amore inquietum cor erat, ac pro periculo tam chari capitis valde anxium, ex Regia, quò ſe paulisper villa receperant, Principis palatium repetivere, mutuo aſpectu mutuum fortè dolorem, aut levaturi, aut (quod erat longè certius) exacerbaturi. A Principe ſoliti amoris, & extremæ obſervantiæ ſignificatione ſunt excepti. Poſt familiares aliquot ſermones, mentionemque à Principe injectam, de futili, nihilique à prudentibus facienda hujuſce momentaneæ mortalis vitæ prorſus inani gloria, cujus poſtremæ clauſulæ proximus Ipſe immineret, cæteri ſeriùs, aut citiùs ad eandem metam properarent; mox pluribus de ſolida, æternaque felicitate, quam ex ſolis Crucifixi Domini meritis certò ſperaret, cæteri quibus longior vita ſupereſſet, omni ſtudio, & infatigabili induſtria promereri deberent; denique ut Sereniſſimorum Parentum, & Sororum mœrorem extenuaret, æterni ſui erga omnes amoris certiſſimis monumentis apud ſingulos ſui memoriam voluit conciliare. Id verò qua ratione perfecerit, haud poterit meliùs explicari, quàm luculentis verbis deſumptis ex funebri oratione, quam habuit P. D. Benedictus Pereyra noſtræ Societatis in ſolemni pompa, qua Eborenſis Academia Sereniſſimo Principi parentavit: *His rite peractis* (inquit ille) *in ſupremum pietatis, & amoris monumentum pia dona chariſſimis Parentibus, ac Sororibus ſuo nomine tradi juſſit. In primis Auguſtiſſimo Ioanni Regi imaginem illam, quam olim Abagaro Regi Chriſtus Servator miſerat, quaſi archetypum, quo Reges ſuas omnes, & ſibi temperando, & aliis imperando, actiones metirentur: Auguſtiſſimæ Reginæ imaginem Servatoris è cruce pendentis, quæ Filii diſcedentis mœrorem ſedaret; & in quam totum ſuum à rebus aliis avocatum amorem transferret: Sereniſſimæ Ioannæ Sorori pulcherrimum S. Ioannis Evangeliſtæ ſimulachrum; & Sereniſſimæ Catharinæ inſignem B. Xaverii Reliquiam: quibus abunde diteſcerent, & Fratris abeuntis deſiderium ſatiarent, &c.* Præter hujuſmodi munera publicè in
Hoc lib.5. 234. Sereniſſimos Parentes, & Sorores diviſa, diximus ſupra donatum privatim à Principe ipſius Confeſſarium Reliquiaria theca, in qua pretioſa S. Xaverii ſpolia viſerentur.

417 A Sere-

417 A Sereniſſimis deinde Parentibus nonnulla viciſſim expetivit, certus haud irritas fore ſupremas preces apud Parentes ſui amantiſſimos. Primum omnium, *Vt pro demortui anima numeroſa ſuffragia fieri juberentur.* Mox, *Vt cadaver Seraphici Franciſci vili quidem in ſpeciem, at pretioſo ſibi habitu involutum abſque ulla pompa efferretur; nullo certo ſepulchri loco deſignato, pro quo qualibet pulveris exigui portio abunde ſatis eſſet.* Item, *Vt vel magnificum templum, vel regium ſacellum erigeretur Sanctæ Reginæ Eliſabethæ eo in loco, ubi Stremotii diem obiverat;* Præterea, *Vt Patres noſtræ Societatis ad Caput Viride, ubi cum maximo animarum proventu aliquandiu egiſſent, denuo remitterentur; certo deſignato annuo ſubſidio, quo Miſſionarii alerentur.* Deinde, *Vt univerſis ſuis domeſticis pro eximiis in ſe meritis liberali manu Regia beneficia dignarentur impertire.* Ad extremum (quod maximè optaret) *Vt deinceps de æterna ſalute ſe unicè agentem à nemine permitterent interpellari, ſolisque Religioſis exploratæ virtutis, quorum precibus, & ſalutaribus monitis juvari poſſet, aditus ad ſe pateret.* Annuere Sereniſſimi Parentes æquiſſimis dilectiſſimi Filii poſtulatis, eaque, quantùm ipſis licuit, exactè implevere. Tunc ab Iiſdem impetrata non ſine lacrymis benedictione, ad Regios Penates receſſere.

418 Ex illo rapidiùs fluere, ac retro ſublapſa referri Luſitanorum ſumma ſpes, quam in ſummi Principis diuturniori vita collocaverant; morbo ſe quotidie impotentiùs intendente. At exinde vehementiùs ſe intendit Principis ipſius Cœlum è proximo jam ſuſpicientis ſpes æternæ felicitatis quantocyùs obtinendæ. Ex quo Sacra Euchariſtia Divini cibi famelicum refecit animum, ad ſupremum ſui obitus diem decem adhuc fluxere dies; Criticos eos verè dixeris, ſive indicatorios maximarum virtutum, quas Princeps per totum innocentis vitæ decurſum exercuit, quarumque per id breve tempus, earum actibus frequentiſſimè repetitis, præclarum elaboravit compendium, ſive humanæ à ſe pereleganter repræſentatæ tragœdiæ illuſtriſſimum epilogum. Selectiores ex omni Religioſo cœtu Viri diu, noctuque ad Principis Palatium juxta Illius vota frequentes excubabant, vel Ipſi è longinquo noti, vel exploratæ ſanctimoniæ nota cognoſcendi: illorum erat, vel perenni oratione Deum pro temporali Principis vita exorare, vel apud Illum de ſempiternæ vitæ felicitatibus ſermones miſcere jucundiſſimos. Cum iiſdem conſcientiam viciſſim, & frequenter expiare, utpote qui certò ſciret nihil coinquinatum poſſe introire in ſanctam illam Civitatem, ad quam feſtinus accelerarct. De hiſce Principis per eos dies toties repetitis confeſſionibus admiranda profectò ſunt, ac de nullo, quem ſciam, inſignis ſanctimoniæ viro evulgata, quæ apud probatiſſimos reperio Authores, quorum concepta verba certiori fidei pro re adeo inſolita conciliandæ hîc proferam. R. P. D. Fr. Joannes à Sylveyra Carmelitanus, & in ſacra Theologia Primarius Profeſſor emeritus ſic habet in ſua funebri concione: *Cùm ægrotaret, morbo jam ingraveſcente, per ſingulas ſemihoras Sacramentali confeſſione animæ nitori conſulebat; ſed nova deficiente pro confeſſione materia, veterem ex præteritis confeſſionibus ſuggerebat; cui cùm objiceretur, Quorſum adeo repetitæ confeſſiones? Reſpondebat, Ad augmentum gratiæ, &c.* Id ipſum in ſua pariter funebri oratione confirmat R. P. D. Fr. Ludovicus à Sà, Ciſtercienſis, & Primarius in Conimbricenſi Academia Theologiæ Profeſſor in hæc verba: *Cùm in extremo agone plurimos haberet ſibi aſſiſtentes Religioſos, ab iis quolibet momento rogabat, ut ſibi ſacramentalis abſolutionis beneficium impertirent. Id verò cùm ejus Confeſſario videretur poſſe fortè*

 prove-

provenire à timorata conſcientia ſcrupulis, ab illo quaſivit, cur toties ſacramentalem eum actum iteraret? Ad quæ reſpondit Sapiens Princeps juxta ſublimiorem Theologiam, Id ſe præſtare pro augmento gratiæ, ad Beatorum Cœlitum æmulationem, qui nunquam à Divina Viſione ceſſantes, eam repetunt per totam æternitatem, quò æterna gloria perfruantur.

419 Eam tamen adeo frequentium confeſſionum contentionem abrumpebat prudens Princeps, modò familiaribus ſermonibus, non niſi de rebus Cœleſtibus cum ipſiſmet Religioſis, ac domeſticis; modò attentè auſcultata librorum ſpiritualium lectione, quos Ipſe deſignabat illis anguſtiis opportuniores; nunc mentali oratione, nunc vocalibus ex intimo corde ad cœlum evibratis ignitis jaculatoriis, nulla præterea de humanis rebus admiſſa interim mentione, niſi quam fortè Medici ad Ipſius ſalutem facientem injicerent; quorum monitis eò ſtudioſiùs obtemperabat, quò minùs profutura, niſi ad obedientiæ meritum, certò ſciret: *Quoties* (teſtatur ejus valetudinarius Frater Antonius Ferràs noſtræ Societatis) *Illum rogabam aliquid ſaluti conſentaneum, at moleſtum, vel faceret, vel medicamentum ſumeret, oculis ad cœlum elevatis, dicebat: Sit ob amorem Dei; illicoque à me inſinuata exequebatur.* Jam verò quale tunc fuerit præcipuum ejus ſermonum argumentum ediſſerit prædictus R. P. D. Fr. Joannes à Sylveyra hujuſmodi conceptis verbis: *Argumentum familiarium ſermonum erat purus Dei amor, vehemensque zelus, ut Orthodoxa Fides in hiſce Luſitaniæ Regnis intemerata conſervaretur; ardentiſſimum prætereà deſiderium, quod nullis verbis ii, qui Principi aderant, eumque audierant, ſatis poterant explicare; ut nimirum eadem ſacroſancta Fides per univerſum orbem evulgaretur. Contendebat namque Princeps, id maximè omnium ad Luſitanos Reges pertinere; cæteris enim Chriſtianis Regibus abſolutè, ac ſine addito ſuum unicuique Regnum Deus commiſerat; at Luſitanis Regibus ita Luſitanum Regnum divinitus conceſſum, ut Regnum ipſum peculiari ratione Chriſti Regnum deberet nuncupari, juxta ipſius Domini ad Sereniſſimum Alphonſum primum in Oriquenſi campo Divina verba: Volo in Te, & in ſemine tuo ſtabilire mihi Imperium. Quare cùm hujuſmodi Regnum ſpeciali jure ſibi proprium Chriſtus Dominus eſſe voluerit, illius in primis Regibus præ cæteris incumbere de promulganda Divina Fide per Evangelii prædicationem præcipuam, & ſeduliorem habere rationem.* Nonnulla in eandem rem addit prædictus Frater Antonius Ferràs minimè hîc prætermittenda: *In Divino* (inquit) *amore fuit ardentiſſimus; ſæpe cum lacrymis affirmantem audivi, nihil ſibi tam eſſe in votis, quàm diſſolvi, & videre Deum. Cætera, quæ miſeris mortalibus in pretio ſunt, præ hoc ſummo bono nihili à ſe habendo. De Chriſti Domini Paſſione tanto affectu verba faciebat, ut non ſemel extra ſe propè alienata mente rapi videretur; maximè cùm ipſius Domini è Cruce pendentis, omnique humano ſolatio deſtituti ſolitudinem expenderet. Nihil ſibi tam optabile in vita fuiſſe aſſerebat, quàm ut ſe Authore hîc Dominus orbi univerſo innoteſceret; cunctique mortales immortalibus obſtricti beneficiis illi ſe gratos exhiberent.*

Monarch. Luſit. 3. p. lib. 10. c. 5.

420 Eò conducit, quod de ipſo moribundo Principe ſcriptis mandavit R. P. D. Fr. Iſidorus à Luce Religionis Sanctiſſimæ Trinitatis olim Provincialis: *Certum* (inquit) *habeo ſupremis illis diebus, quibus à Medicis jam deplorata erat Principis ſalus, cùm eſſent doctiſſimi, graviſſimi, valdeque timorati, qui eidem aſſiſterent, tamen conſultò abſtinebant à mentione Divinæ Viſionis imminentis, quò certum averterent damnum, cui ejus valetudo fieret obnoxia, dum intimis, externiſque miris exceſſibus inflammatum videndi Dei deſiderium propalaret.* At fruſtra vel rapidiſſimum fluvium collectam ex longo aquarum molem in Oceanum exonerantem,

tem,

tem objectis irrito conatu obicibus repreſſeris; vel æſtuanti amori more ingentis incendii obvia, & objecta quæque abſumentis progredienti obſtare tentaveris. Licèt Religioſi,& prudentes Viri data opera iis parcerent ſermonibus,qui flagrantem Divino amore Principem plus nimio, eòque noxiè poſſent incendere, Religioſus è contra Princeps haud poterat ſibi, amorique Divino ſuadenti temperare, quin qualibet data occaſione hujuſmodi ſibi voluptuoſiſſimos ſermones uſurparet, non ſine magna eorum, qui eum auſcultabant, tum admiratione, tum utilitate. Aderat Principi jam malè habenti ejus Cubicularius D. Thomas à Noronha, cùm recurrente majoris hebdomadæ feria quinta, qua Orthodoxi Cœleſtis Euchariſtiæ à Chriſto Domino inſtitutionem, & illius erga homines ſummi amoris exceſſus annuis, & exaggeratis concionibus celebramus; imperavit illuſtriſſimo Viro Princeps, *ut ad audiendum celeberrimum eum, minimèque omittendum ſermonem ſe conferret*: abnuit ire urbaniſſimus Vir, cauſatus non decere ab amantiſſimi Principis latere, vel paulisper excedere peramantem clientem læſi amoris reum, qua die Divinus amor tantopere commendaretur; gratius Deo ſe facturum, ſi laboranti Principi ſuæ fidei commendato pergeret aſſiſtere, quàm amoris, licèt Divini, ac hujuſmodi humana obſequia imperantis commendationem audire. Tunc Princeps; *Quoniam* (inquit) *ita me diligis, & mei ergo recuſas abire, de amore Divino paululum interim colloquamur.* Mox Divina planè eloquentia, mirabilique inflammati ſpiritus ardore tam multa, & eximia cæpit de amore Divino dicere, ut ad uberrimas effundendas lacrymas ipſius Divini amoris indices, audito Regio Concionatore, provocati univerſi commoverentur.

421 De Illius voluntatis cum Divina unione, conformitateque licèt nonnulla jam delibaverimus, plurima ſuperſunt non ſine piaculo prætermittenda; ad morbi quotidianum incrementum mirabili cum Divino placito conjunctione augueſcente: *Nolebat* (inquit prædictus Frater Antonius Ferràs) *ut pro ejus vita Deum rogarem. Cùm Illi referrem meas preces, & Euchariſticam communionem pro Sua Celſitudine à me offerri. Quid à Deo pro me petiſti?* (Rogabat Ille: Cui ego) *vitam, & proſperam valetudinem. Non rectè poſtulaſti* (dicebat Princeps) *debes à Deo petere, ut mihi ſuam gratiam largiatur, ac de me ſtatuat, quod magis ad ejus Divinum obſequium, & voluntatem conducat.* Hæc egregius Principis virtutum,& omnium actionum obſervator Vir. Eidem, viſa Deiparæ miraculoſa effigie, quæ vitam Suæ Celſitudini annueret, monenti ut Cœleſte donum libenter, & gratulanter exciperet, Princeps reſpondit: *Pater mi, Cælum, Cælum.* Id ipſum diſertis hiſce verbis luculentiùs confirmat R. P. Joannes Nonius noſtræ Societatis, olim Principis ipſius, tunc Sereniſſimæ Reginæ Confeſſarius: *Conformitas cum Dei voluntate in omnibus eventibus fuit notabilis in ejus vita, ſed in extrema ægritudine multùm excelluit. Cùm Illi exponerem optari à nobis ejus vitam ad majorem Dei gloriam, ad ſalutem, & converſionem animarum Chriſti ſanguine redemptarum;* Reſpondebat: *Si pro eo fine, nec mori timeo, nec vivere recuſo; fiat voluntas Dei.* O beatum virum (clamat Eccleſia de S. Martino, & poſſumus meritò proclamare de Principe Theodoſio) qui nec mori timuit, nec vivere recuſavit. Addit verò idem venerabilis Pater: *Cùm Illum ita compellarem, Domine, hi dolores nimiùm intenduntur, iſtæ afflictiones ſunt quidem maximæ;* Reſpondebat: *Doleo eas non eſſe majores, quò plus aliquid haberem, quod meo Deo poſſem offerre.* Sic tandem concludit idem Author: *Totis decem diebus, ac noctibus continentibus, quibus in ſummo fuit periculo, certèque deploratus, non qui-*

dem memini vidiſſe me actionem, aut audiviſſe Suæ Celſitudinis verbum ullum, quod ad Deum minimè referretur. Quid majus de Viro eximiè Sancto à Viro ſanctimoniæ laude apud nos præcellente dici potuit? Et tamen non omittam dicere, quod ſæpe à me citatus R. P. Doctor Fr. Joannes à Sylveyra pro ejuſdem argumenti coronide ſuperaddit: *Conformitas* (inquit ille conceptis verbis) *Suæ Celſitudinis cum Divina voluntate excedit omnem exaggerationem; totum ſe Divinæ devovit voluntati, ut de ſe id porro juberet, quod ſuæ Divinæ Majeſtati libitum foret: dicebant Illi nonnulli ex Religioſis, qui eidem aderant, abire ſe pro Suæ Celſitudinis ſalute ſacrificatum. Ne id facerent, eoſdem ſeriò admonebat; nolle ſe, niſi quod unicè Deo placeret; à quo id tantùm petendum, ut Divinam ſuam in ſe voluntatem exequeretur. Dicebant alii, pro incolumitate Suæ Celſitudinis apud univerſos Religioſos cœtus ſupplicationes, & plurima ſpiritualia exercitia fieri. Ne talia fierent, enixè rogabat, ſinerentque Deum ſuam, cui obſiſtere intutum eſſet, implere voluntatem. Sed quia videbant earum rerum commemoratione Principem affligi, ſic Illius dolorem demulcebant. Domine, Luſitani omnes impensè amant Veſtram Celſitudinem, de cujus pertimeſcenda jactura multùm dolent, eòque ad ipſum Deum ſupplices accurrunt; illius auxilium imploraturi, reddita Veſtræ Celſitudini ſanitate.* Tunc Princeps pro ſuo regali, & humaniſſimo genio, cujus erat nihil cuiquam non indulgere, reſpondebat: *Faciant bonis avibus, quidquid ipſis libuerit; Ego quidem jam diu apud Deum meam expoſui voluntatem, eam nimirum eſſe, ut fiat omnino ejus voluntas.* Quibus concinunt verba Epiſcopi Japponenſis ejus Confeſſarii ea de re in epiſtola quadam familiari: *In obitu mirabilis conformitas, & ad oppetendam mortem alacritas, &c.*

422 Ad Divinam voluntatem pleniùs ex ſe perficiendam ſæpe ſuo injunxit Confeſſario: *Ut ex libro meditationum P. Ludovici à Ponte unum aliquod ſibi attentè auſcultanti legeret ex Divinis Attributis.* Qua finita lectione in meditanda ea Divina perfectione aliquandiu deliciabatur. Eundem præterea Confeſſarium ſeriò admonuit; *Ut à ſe præſcripta nonnulla capita ex Soliloquiis Sancti Auguſtini, pro anima doloribus depreſſa ad amorem Divinum erigenda, ſibi opportunè recitaret; ſimulque ſententias illas ex Sacra pagina, & Sanctis Patribus à ſe olim ſelec-*
Hoc lib. *tas pro juvandis moribundis* (quarum ſupra meminimus) *ſibi Cœleſtis hujuſce au-*
§. 402. *xilii tunc maximè egenti paſſim ſuggereret.* Tandem eundem ipſum impensè rogavit; *Ut ſi fortè ſibi vocis uſus foret ademptus, quoties Illum intentis oculis cum aliquali capitis inclinatione intueretur, ſibi tunc maximè laboranti præſentius auxilium ſuppeditaret.* Nec ſibi, nec ſuo Principi defuit induſtrius Confeſſarius in eo ſpiritualium exercitiorum genere in paucis peritiſſimus. In iis verò ita ſe prudenter gerere, itaque bono animæ Principis proſpicere, ut corporeæ valetudini nihil officeret. Eum verò cùm aliquando remiſſiùs ſuum munus obeuntem, & largiora ſolito intervalla trahentem Princeps animadverteret, ab eo quæſivit, *cur à creditis ſibi eis ſententiis repetendis abſtineret?* Non potuit prudens vir tergiverſari, verumque ingenuè non fateri: *Vacare ſe nimirum à conſueta repetitione ſententiarum, ne Sereniſſimorum Parentum ex occulto reſpicientium Regias aures, animasque flebili, & fortè ingrato eo ſono ſauciaret.* Ad quem animo-
Ita R. P. D. Fr. Lud. Sà. ſus Princeps elata, ut exaudiri poſſet, voce: *Non hoc* (inquit) *iſta ſibi tempus, etiam à longinquo, ne dum ex proximo ſpectacula, nec Regiam exigit præſentiam.* Quo audito Sereniſſimi Reges, ne delicias ſuas contriſtarent, aliorſum mœſtiſſimi, & lacrymabundi divertere. Haud poterat tamen Sereniſſima Regina materni amoris jam per dies aliquot gravibus ſtimulis agitata ſibi tandiu impera-

re,

re, quominus dilectiſſimi Filii aſpectu, quo amplius non eſſet fruitura, fraudaretur. Ex quo Ille deteriùs cæpit habere, uni ex Regiis penatibus conclavi affixa, per feneſtram è regione poſitam, cubiculum, ubi jaceret Princeps, indeſinenter proſpicere; hoc unicum ſuo ingenti dolori levamen quærere, ſibique imponere, quaſi è proximo chariſſimum pignus intueretur. At ſuperantis jam doloris impotens, virili alioqui animi Heroina, & ſummis quibusque infracta calamitatibus, ad Principis extrema jam patientis palatium ſe conferre deliberat: nec mora; illuc Regio comitatu accelerat; jamque primis ſuperatis adytis, renuntiatur Principi Sereniſſimam adeſſe Matrem, Ipſius videndi extremo deſiderio ſolicitam. Tunc Princeps ad Cubicularium id nuntiantem: *Edicito* (inquit) *amantiſſimæ Matri meæ, ſuppliciter me à S. Majeſtate hoc ultimum ſummi amoris pignus deprecari; ut humanis curis omnino ſolutum, & Cæleſtibus, ut par eſt, unicè intentum æquanimiter patiatur ſoli Deo ad cælum jam vocanti me vacare.* Non dubium, quin ægrè tulerit hujuſmodi reſponſum, & repulſam maternus affectus; verùm interno dolori præpotente inſitæ generoſitatis externa exhibitione Sereniſſima Regina virilem moribundi adoleſcentis conſtantiam, & ſenilem, ſeu potiùs cœleſtem prudentiam cum admiratione reverita, eòque unde venerat reverſa, non ceſſabat Divinæ gratiæ, ſimulque ſui Theodoſii cœleſtem in terris jam vitam auſpicantis, mirabilem virtutem prædicare. Hujus quidem memorabilis exempli relationem accepi à nobiliſſimo viro Sebaſtiano à Coſta Regii Sacelli Archiphonaſco, qui Principi, cui ob egregias dotes à prima pueritia fuit accceptiſſimus, tunc aſſiſtebat.

423 Ille vicinæ morti, ſeu veriùs immortali vitæ proximus, de hac tantùm diu, noctuque cogitare; ſolitas puriſſimi animi expiationes cum proprio Confeſſario, viciſſimque cum aliis Religioſis viris iterare; indulgentiis lucrandis præcipuo ſtudio invigilare; de Divinis, vel cum Deo, loqui; Confeſſarium eo temporis partes ſuas rite obeuntem, piiſſimasque proferentem jaculatorias ad Deum, ad Deiparam, ad Angelos, Cœliteſque univerſos, Princeps modò præire, modò ſubſequi; Crucifixum Dominum, & Sanctiſſimam Deiparam ardentiori affectu compellare; Patronos Sanctos, quos vivens maximè demeruerat, ad præſens auxilium implorare; In Sanctiſſimis Jeſu, & Mariæ nominibus ſæpius invocandis dulciùs, & longiùs immorari; nihil denique omittere ex iis, quæ ſanctiſſimos quoslibet Heroas eo diſcriminis adductos, aut egiſſe, aut dixiſſe legerat, vel audierat. Præ manibus habebat Confeſſarius Sacram Crucifixi Domini effigiem, quam ſiniſtra etiam Princeps, dextra ſacrum accenſum cereum fidei ſymbolum comprehenderat: tunc Confeſſario ſuggerenti hæc verba, *Ieſus totus meus*, reſpondit Princeps: *Et ego totus tuus.* Admirari omnes in ſumma deficientium penitus virium imbecillitate virilem adeo, & prævalidum vigere ſpiritum; & in moribundo Theodoſio illuſtrium Sanctorum maximas virtutes reviviſcere; dolere cuncti Luſitanum ſolem tam rapido motu ad occaſum properare; invidere univerſi adeo felici exitu non obeunti, ſed è terris ad cœlum abeunti ſuo Principi; cujus tamen mortem invidendam propria omnes vellent redimere, vitamque publicæ ſaluti adeo neceſſariam ultra Neſtoreos annos prorogari; placido Ille viciſſim aſpectu, ac dulciſſimo alloquio præſentes ſolari: *Propitium ſe illis, & Luſitano Imperio, è Cælo polliceri; eoſdem ad inſiſtendam virtutum ſemitam ad Cælum recta ducentem adhortari, ac ita vitæ ſuæ rationem inſtituere, ut quotidie ſe mori poſſe arbitrentur; ita demum vivere, uti ad mortis anguſtias adducti ſe vixiſſe optarent.*

424 Hujuſ-

424 Hujuſmodi Cœleſtibus planè exercitiis vacanti Cœleſti quidem Principi tandem eluxit Luſitaniæ fatalis, Illi verò auſpicatiſſima dies decima quinta menſis Maji 1653, qua decimum nonum ætatis annum, præter menſes tres, ac dies ſeptem impleverat, eadem plenus meritis, feliciſſimè peracta hujuſce mortalis vitæ navigatione, Cœleſtia (ut pium eſt credere) plenis ſubiturus oſtia velis. Tum verò iiſdem, quibus hactenus, precibus, ac multò flagrantiori conatu, matutinis horis ad undecimam uſque, juxta Hiſpanicam ſupputationem, traductis; invidus talis, inſolitæque adeo virtutis, ſimulque affuturæ mox æqualis gloriæ impatiens Tartareus hoſtis, id permittente Deo ad cumulatius ſuorum meritum, ut olim Sancto Martino Epiſcopo, aliiſque plurimis accidit cœlitibus moribundis, innocenti Principi (ut vulgò creditum) vel horrendum oculis objecit ſpectrum, vel, ut prudentiores exiſtimarunt, nefariam aliquam injecit puriſſimæ menti cogitationem. Certè, quidquid illud fuerit, ſive ex iis unum, ſive utrunque ſimul, Princeps ipſe viſus eſt totis artubus contremiſcere, ſuperaddita lecti ipſius, in quo jacebat, commotione. Obſervarunt præterea, quicunque aderant; Principem ipſum nutu capitis, & manus jactatione manifeſtè abnuentem, claraque voce verba hæc repetitò pronuntiantem: *Non aſſentior, non aſſentior*; quæ audientibus indubium fecere, vehementi alicui tentationi validiſſimè Illum obſtitiſſe. Tantus ille terror, luſtrali aqua circumquaque aſperſa, invocatiſque Tartaro terrificis Jeſu, & Mariæ ſalutaribus nominibus, brevi admodum evanuit; Principe ad priſtinam, immò ad inſolitam reddito animi, corporiſque tranquillitatem. Eam conceptis verbis à me Latinè donatis exprimit R. P. D. Fr. Joannes à Sylveyra Carmelitanus: *Appetente jam* (inquit) *felicis tranſitus hora, cæpit inſolitam quietem, raramque ſerenitatem præ ſe ferre, verbaque à corde amore Divino prorſus inflammato procedentia eructare; quandam præterea vivacitatem, quandam ſapientiam, & eloquentiam extra ordinariam ſupra humanam omnem conditionem exhibere.* De quo verba feciſſe videtur Clemens Alexandrinus: *Vir bonus* (inquit ille) *in confinio vitæ mortalis, & immortalitatis, &c. Vir juſtus* (proſequitur Concionator egregius) *morti proximus ità tranquillus, & ſecurus, ita loquitur, profertque res adeo ſuperiores, quaſi noſtræ mortalitatis vicinus termino, proximè ad immortalitatem ſibi perfruendam apud Deum accedat. Sua Celſitudo ita de ſupremis rebus verba faciebat, utpote qui miſeriarum hujus vitæ, quam mox eſſet prætergreſſurus, metam aſſequutus, proximæ Beatitudinis ſe invitantis aura placidiſſima afflaretur.*

425 Sub idem tempus in Regio palatio Ulyſſiponenſi perennem laudem noctu, diuque jam pridem indictam pro vita Principis aulicæ fœminæ proſequebantur, ſingulis exorando Numini horis per ſingulas diviſis; cujus mirabilis effectus mox dicendus. Interim ab undecima duodecimam uſque, quæ ſuprema fuit Principi mortalis vitæ hora, qua Cœleſtis Sponſus jam propè aderat, deſponſatam ſibi animam paratiſſimam cœleſtibus nuptiis illaturus; agebat Ille animam, accenſum dextra benedictum cereum plurimis divitem indulgentiis, ſiniſtra Crucifixum Dominum tenens, oculis in eum defixis; motis labiis, quia voce jam ægrè poterat, piiſſimis verbis, quæ Confeſſarius ſuaviſſimè ſuggerebat, repetitis. Religioſo interea cœtu ad commendationem animæ adnitente; Sereniſſimo Parente, Confeſſario, paucisque aliis ſelectiſſimis viris juxta lectum Principis extremam Illi operam lacrymis potiùs manantibus, quàm verbis navantibus. Erat in altari proximo ad id erecto

inter alias reliquias prægrande fruſtrum Ligni Sanctæ Crucis inſertum aureæ Cruci plurimis, valdeque pretioſis margaritis ornatæ, & cœleſtibus indulgentiis longè ditius, quod ſumma veneratione in Brigantino Principatu aſſervatur, Sereniſſimæ Dominæ Catharinæ Brigantinæ donum,& ampliſſimi majoratus caput ab eadem inſtituti. Eam Crucem expreſſis nutibus protenſo indice, vocis jam parum, ac ſui valde compos, deſignatam ſibi demum afferri Princeps jubet, allatam incredibili affectu amplectitur, devotiſſiméque oſculatus: *Hora* (inquit) *eſt amici, eamus.* Dubium, an ad præſentes, an verisimiliùs ad eos, qui ſibi aderant, Cœlites extremum allocutus: mox Sacris Crucifixi Domini plagis pedum, manuum, ac tandem ſacri lateris, ſeriatim oſculatis, fortiùsque, quàm infirmæ vires patiebantur, benedicto Cereo accenſo in ſignum ardentiſſimæ fidei compreſſo, in oſculo Dominici lateris fideliſſimus Princeps, paulò poſt meridianam horam, inter ſuorum acerbiſſimos ploratus, Angelorumque ſuaviſſimos concentus animam dilecto ſuo Domino Crucifixo reddidit Cœleſti Regno pro Luſitano donandam, die decima quinta Maji anni 1653. Auditos verò à ſe in Principis obitu Angelicos cantus ſub Evangelico juramento atteſtatur D. Maria Eſpinoſa nobilis aulica fœmina Caſtellana probatæ virtutis, & ſynceræ fidei opinione commendabilis. Illi proſequendæ perenni, de qua proximè diximus, laudi hora meridiana contigerat. Interim, dum coram effigie Sanctiſſimæ Deiparæ pro vita Principis enixè orat, ſuaviſſimum concentum, qui per breve tenuit ſpatium, quo ter ſymbolum Apoſtolicum poſſet recitari, ſibi certò audire viſa eſt, illi ſimillimum, quo à Regiis muſicis hymnus *Te Deum laudamus* concini vulgò ſolet: quo tempore ſibi veniſſe in mentem eadem ediſſerit procul dubio id eſſe momentum, quo Principis anima è terris ad cœlum evolarit. A vero nihil eorum abludere certus ab Alcantara de morte Principis eodem temporis Ulyſſiponem allatus nuntius confirmavit. Cui minimè contemnendo teſtimonio affinia nonnulla infra proferemus. Hæc certè fuit auſpicatiſſima Principis Theodoſii finis; hic exitus Illum forte tulit, ei quidem feliciſſima, nobis tam dolenda, quàm Regibus, Religioſis, & (ut verbo dicam) omnigenis mortalibus invidenda.

Ita Sá in ſua Concione.

Hoc lib. cap. 34.

CAPUT XXXIII.

Summus dolor in obitu Principis Theodoſii; ejuſdem funus, & exequiæ.

426 Qualis, quantuſque fuerit non modò in Luſitania, ſed per univerſum orbem, quò ejus fama pervaſerat, in Theodoſii obitu juſtus quidem dolor, vix poteſt cogitatione comprehendi, nedum verbis ſatis explicari. Magnus profectò extitit in morte P. Clodii, teſte Tullio ſic diſertiſſimè amplificante. *P. Clodii mortem æquo animo nemo ferre poteſt; luget Senatus, mœret equeſtris ordo, tota Civitas confecta ſenio eſt; ſquallent municipia, affliƈtantur coloniæ; agri denique ipſi tam beneficum, tam ſalutarem, tam manſuetum Civem deſiderant.* Major fortaſſe, utpote pro majori Principe Tito de-

Tull. tom. 3. pro Milone.

Eutrop. hiſt. Rom. lib. 7.

demortuo; luctus ſibi ſubditarum gentium animos occupavit, fidem faciente in hæc verba Eutropio: *Tantus luctus eo mortuo publicus fuit, ut omnes tanquam in propria doluerint orbitate: Senatus, obitu ipſius circa veſperam nuntiato, nocte erupit in Curiam, & tantas ei mortuo gratias, laudesque congeſſit, quantas nec vivo unquam egerat, nec præſenti. Inter Divos relatus eſt, &c.* At in Theodoſii exceſſu, cui hæc, & ſimilia magni doloris indicia aptè conveniunt, tantò lugubrior erupit dolor, quantò Ille cæteros dotibus, virtutibus, expectatione, amabilitateque inde orta ſuperavit. Summus ſcitè omnium citra invidiam, in quo ſumma fuere omnia, ſummo ab univerſis fuit merito doloris exceſſu proſequendus.

Prol. §. 15.

Author ipſius Principis Tumuli, de quo in Prologo, etſi hujuſce doloris magnitudinem nullis verbis æquabilem ſatis non expreſſit, at eandem, quàm potuit, expreſſis coloribus adumbravit, dum in quatuor ſui aurei Libri partibus, totidem inducit orbis regiones Europam, Africam, Aſiam, Americam, eximia eloquentia pro ſe quamlibet certatim proprii doloris cauſas in obitu Theodoſii exaggerantem; & ad illacrymandum optimè de univerſis meriti Principis tumulo patrios fontes, indigetes fluvios, vicinaque maria ſuſpiriis, ſingultibus, & ejulatibus provocantem; certè, ſiquis in tali cauſa effuſiſſimè flendo velit proprium dolorem vel augere, vel explere, hoſce perennes fontes adeat, indeque inexplebili ſiti hauriat, ſive dolori amplificando ſtimulos, ſive eidem aliqua ex parte moderando cauſas; ibi nanque optabili viciſſitudine, tum utile dulci attemperatum, tum ſuavibus acerba immixta inveniet. Ibidem ego inter alia inclyta reperi judicioſè obſervatum, omnigenis interim virtutibus ſuo eximio Aſſertori extincto ingemiſcentibus, ſola vitia ſublato ſuo integerrimo Vindice, in communi omnium luctu tripudiaſſe: quod eleganti, minimèque hîc prætermittendo Epigrammate ingenioſè propalatur; ſic illud habet.

Tumul. Theodoſ. pag. 45.

Principis ad tumulum deflent pia Numina mortem;
In lacrymas oculos ſolvere cogit amor.
Quiſque ſuas patitur defuncta in Principe manes;
Funera perque vices; & ſua damna dolet.
Iuppiter imperium, Mars robur, Pallas acumen,
Mercurius linguam luget, Apollo lyram.
Sola Venus ridet communi in funere; cunctos
Quòd doleant pungens, increpitansque Deos.
Aſpice, quos habuit Princeps, dum vixit, amicos;
Cùm reliqui doleant, rideat una Venus.

427 At miſſo, execratoque ſordidæ Veneris, vitiorumque omnium eidem morigerantium intempeſtivo eo plauſu, ad campanarum per tres inſequentes dies lugubrem, & nuſquam intermiſſum diu, noctuque pulſum Ulyſſiponenſium omnium ordinum, ſed in primis Sereniſſimorum Regum animi ſummo, & immedicabili dolore, quale ſolet eſſe in morte dilectiſſimi primogeniti, cruciabantur. Nec diſpar per univerſam Luſitaniam ad primum infelicis nuntii appulſum ex pari cauſa publica comploratio; dolorem intendente maxima, quam de maximo Principe univerſi conceperant, expectatione. Ea cùm ſe fruſtrari omnino animadverterent, in fruſta omnium pectora, exanimataque corda diſcerpebantur. Interim de Principis funere, ubi efflavit animam, agi cæptum; illud, quàm potero brevi, ac ſummatim exequar. [illegible] enim diligenti, & inutili ſingulorum commemoratione, quaſi antiqui

tiqui vulneris refricatione, aut mihi ſcribenti, ad utilioraque properanti, aut ſtudioſo lectori minuendum potiùs, quàm augendum implacabilem priſtinum dolorem pergam exacerbare? Meo quidem munere ſatis, ſuperque fungerer, ſi Regio apparatu, pompaque Principe digna elatum eum, & in Bethlemico templo tumulatum tranſcurſim dicerem; ſed quia Theodoſii funeri aliqua partim memoratu digna, partim prodigioſa nonnulla intervenere, hiſce ad ſequens caput, ubi ſimilia ſunt recitanda, rejectis, illa tantùm hîc Laconicè, nequid à nobis aliquis deſideret, delibabimus.

428 Præter alia, quorum ſupra meminimus, duo à Sereniſſimo Parente Princeps flagitarat; ut nimirum Seraphici Franciſci habitu defuncti corpus involveretur; ut deinde ſine pompa efferretur: primum pietati, & religioni permittendum; ſecundum majeſtati potiùs, ac dignitati aliud exigentibus, quàm ſupplicanti modeſtiæ deferendum viſum eſt. Igitur ſolitis in obitu Principum præmiſſis cæremoniis indutum cadaver pretioſiori omnium, quo utebatur, veſtitu, Sancti Franciſci habitu ſuperinduitur; mox militaris Chriſti Equitis, & Regni Archiſtrategi inſignibus adornatum, plumbeo loculo reconditum eburneo tandem pluteo Attalica veſte ornato includitur: inde ad ampliſſimam aulam Regiis veſtitam periſtromatis educitur, ibique ſupra editam machinam, ad quam per aliquot gradus facilis erat aſcenſus, pretioſo conſpiciendam ornatu, collocatur. Qui cætera, quæ ad funebrem pompam ſpectant, ipſius ſeriem, ſolemnes ritus, à quibuſque ſingula miniſteria rite ſint obita noſſe cupiat, is luculentam relationem conditam à Luca d' Andrade Præſide Parochiæ Villæ Viridis typis editam, univerſaque ſingillatim deſcribentem conſulat; ea vel perſtringere mihi nec eſt otium, nec lectori erit gratum rerum majorum longè utiliorem notitiam earum narratione differre. Sequenti mox die decima ſexta Maji apud ſeptem altaria ibidem erecta pro anima Principis à Religioſis Sacerdotibus, plurimiſque aliis Presbyteris operatum eſt Sacris, à quarta matutina hora uſque ad primam pomeridianam. Sub veſperum ejuſdem diei defunctorum veſperæ, ac matutinum à Regiis muſicis ad intempeſtam noctem ſolemni cantu ſunt recitata: ſimiliter in ſequenti die decima ſeptima celebrandis ſacrificiis, ut pridie, ſolemnibuſque concinendis reſponſoriis ſedula matutino tempore navata eſt opera. Mox ad quintam pomeridianam horam, ut Alcantaræ adeſſent univerſus Clerus Ulyſſiponenſis, omnigenique Religioſi cœtus, nullo excepto, Principis funus longo ordine præceſſuri, ſunt invitati. Conſtat ex ſolis Presbyteris ſecularibus præter regulares ſeptem millia conveniſſe; qui numerus certò eſt ſupputatus ex totidem cereis juſſu Capituli Ulyſſiponenſis in ſingulos diſtributis. Illuc pariter confluxiſſe ad centum millia virorum, ac fœminarum ex Ulyſſiponenſi nobilitate, plebeque confertiſſima Author eſt in ſua citata relatione idem Lucas d' Andrade, rerum prudentibus eum numerum ſatis probabili cenſu æſtimantibus. Nec mirum adeo effuſum fuiſſe concurſum ad funus ejus Principis, cujus amor aureis catenis omnium attractos animos ſibi devinxerat, cuique univerſi contumulari, quàm ſine illo ingratam vitam vivere præoptarent. Mirandum potiùs in tali exitu, vel non exiiſſe à ſe omnes, vel aliquem intra Ulyſſiponis mœnia, pomœria, & ſuburbia ſuperfuiſſe intimo, ac vehementi dolore procurſum extra præpediente.

Hoc lib. cap. 32. §. 417.

Ita Sá in Concione funeb.

Lucas in ſua relat.

429 Noctis jam ſe tenebris intendentibus, poſtquam efferendo mox cadaveri Sereniſſimus Rex domeſticis Palatinis atratis univerſis comitatus ul-

timum vale dixit, tenebroſiore intentioris mœſtitiæ nocte generoſo alioqui animo concepta; cæpit ſub horam nonam ex eo, ubi Princeps obierat, palatio ad Bethlemicum Regium templum uno diſſitum milliari, ejus funus procedere; feretro ampliſſimorum Magnatum Averienſis, & Cadavalenſis Ducum, Marchionis Niſiæ, Cubiculariorumque quinque manibus elato; ac ornatiſſimæ impoſito lecticæ; quali olim Julius Cæſar, ut eruditi obſervarunt, ad tumulum fuiſſe deductum perhibetur. Lugubris ſanè, ac Regius omnino apparatus, innumeris propè luminibus triſtiſſimam è cœlo noctem, non verò mœrore confectis animis Cimmeriam triſtitiam eliminantibus; de quibus id minimè ſilendum, quod citatus proximè fideliſſimus Author, ex iis unus, qui funereo adfuere ſpectaculo, hiſce verbis atteſtatur: *Vniverſus* (inquit) *tam Clerus, quàm Religioſus cætus accenſos cereos lutei coloris manibus præferebant; & tamen obſervavi ſub noctem, & juxta mare, ubi perpetuò venti, aut aura perflant, ne unum quidem ex tam multis luminibus fuiſſe extinctum per totius itineris decurſum!* Id verò ex ſe notabile, minimèque vulgare, fortuitone caſu, an Divino conſilio acciderit, illuſtrandæ, manifeſtòque indicandæ Luſitanorum fidei in ardentibus cereis expreſſæ tum erga Deum, tum erga ſuos Reges, ac Principes nullis unquam furentium ventorum flatibus extinguendæ? Curioſi ventilent, prudentes dijudicent. Similes certè, qui per idem tempus admirandi, & ſuſpiciendi effectus ſupra humanum morem accidere, de quibus mox, ab eadem omnes Superiori proveniſſe cauſa, omni procul dubio atteſtantur. Ut ventum ad Bethlemicum templum, haud longè ab illo, à ferali lectica feretrum extractum, Sodalium Sanctæ Miſericordiæ (ut mos eſt) tum illuſtrium, tum plebejorum humeris exceptum, uſque ad Sacellum majus ejus templi eſt aſportatum. Ibi extemporaneum Regio prorſus ornatu eminebat Mauſoleum, illis ſimile, quibus è regione Sereniſſimi Regis Henrici cadáver, & Sereniſſimi Sebaſtiani Regis umbra etiamnum tumulatur. Hìc à duobus, quos ſupra diximus, Ducibus, Marchione, Cubiculariiſque denuò reverenter receptum, ab iiſdem ad ſummum per gradus elatum in parato inibi conditorio repoſitum eſt. Cæteris rite obitis miniſteriis, ac pro Regibus, & Principibus obſervari ſolitis cæremoniis, demum occluditur: cunctis antequam in proprias domos abirent, ſeu potiùs inibi obirent, miſerando ejulatu, effuſis ubertim lacrymis, flebilibus ſuſpiriis, omnigenaque intimi doloris externa ſignificatione dilectiſſimi ſibi Principis Manibus æternam requiem, & ſempiternam felicitatem adprecantibus.

Infra cap. 34.

430 Supereſt dicendum (quod nemo ſcire non exoptet) quo epitaphio, ſive honoraria inſcriptione fuerit à Luſitanis pro tanti amoris inexplicabili monumento tanti Principis Mauſoleum exornatum? Nullo hactenus; neque id ingenuè fateri pudet; at cur? Vel quia nullius eſt tantum ingenium, qui auſit res tantas immenſum propè ſpatium exigentes adeo exiguis anguſti Mauſolei quantumvis auguſtiſſimi terminis circunſcribere; vel quia non æri, aut auro, ut reliquorum vulgarium Principum ſepulchrales notas, ſed propriis cordibus amabiliſſimi ſui Principis Theodoſii aptiùs incidendas cordatiſſimi Luſitani appoſitè judicarint; amore, doloreque longè artificioſiùs cœlo, & ſcalpro, certè veriùs eas inibi nunquam delendas expreſſuris. Quòd ſi veris adeo rationibus avida plus nimio curioſi lectoris mens non plenè acquieſcit, accipiat à me, non quidem veriorem, ſed germanam penitus rationem. Id, cujus memini, Mauſoleum interim tantùm, non perpetuò Theo-

doſii venerabiles certè reliquias aſſervabit; aliud ex pretioſis aut lapidibus, aut margaritis, quod exquiſitæ Ipſius virtutes ſuo jure poſtulant, multò auguſtius in auguſtiſſimo Sancti Vincentii Canonicorum Regularium Sancti Auguſtini templo erigi ſuo juſſit Theodoſio in ſuo Regio teſtamento Sereniſſimus Rex Joannes ejuſdem Parens, eòque transferri dilectiſſimi ſui Primogeniti oſſa ibi, ubi Rex ipſe magnificum jam habet Mauſoleum, Principis etiam erecto; ut duplici hoc quaſi propugnaculo, ſub inclyti Vincentii Tutelari patrocinio tuta vigeat Luſitania, duplicemque ſibi victoriam, tum de viſibilibus, tum de inviſibilibus hoſtibus certò polliceatur. Hoc opus brevi auſpicandum, & breviùs abſolvendum ſumma nobis promittit Sereniſſimi Principis noſtri Petri, tum religio erga Deum, tum pietas erga Parentem, tum amor erga Fratrem. Illi jam abſoluto, vel abſolutiſſimum omnium, quæ in lucem prodiere, vel ab omnibus collectum, erit incidendum Theodoſio dignum Epitaphium; exquiſito ſtudio ab univerſis Luſitanis ingeniis excogitandum; niſi Epitaphii loco ſolius Theodoſii auguſtum nomen inſcriptum, virtutes, ac dotes omnes in ſe uno continens, univerſaſque laudes ſuperans ſatis, ſuperque ſit. Interim ne omnino ea voluptate curioſum lectorem fraudare videar, pro uno triplex eidem libenter offero Epitaphium; quòd unico tantùm Theodoſii magnitudinem adumbrari, ne dum exprimi poſſe non exiſtimem. Primum, illudque valde illuſtre deſumptum ab illuſtriſſimo Authore Tumuli ejuſdem Theodoſii, de quo in Prologo. Secundum mutuatum In Prol. 4.
ab Excellentiſſimo pariter Authore, de quo etiam in eodem Prologo. Ter- 15. & 16.
tium tandem ignoti, & ignoſcendi Authoris, cui non temerariæ audaciæ, ſed potiùs æmulatrici laudi tribuendum tentare, ut inter duas eas Victrices lauros, vel ad cœlum uſque aſſurgentes cupreſſus ejus humilis ſerpat hedera, perpetuòque vireſcat:

Primum Principis Theodoſii Epitaphium.

431 Theodoſius Princeps Luſitaniæ, & Braſiliæ Imperator, vix dum adoleſcens, ſpei ſummæ; expectationis maximæ, ſed victæ; noſtri nec ævi, nec moris, ſed priſci; intra florem ætatis maturus; ante canos ſenex; citra diſciplinam doctus; ſupra mortalem excelſus; ultra hominem ingenioſus; vix imbutus, cùm perfectus; ægrè in limine, jam in limite conſtitutus; acerba morte ereptus, non immatura præreptus; ante diem, ſed poſt lucem; magna commendatione famæ; ingenti ſplendore gloriæ:

Occidit innocenti morte, rea vita; quæ deſtituit, cùm pondus virtutum ferre non poſſet: ſed hæc provocavit ad Superos, qui ornarunt, pene culpans, quòd obruerunt. Conſtat nullam in ejus morte fuiſſe culpam, fuiſſe cauſam: caduca oderat, immortalia anhelabat. Humanum modum exceſſit; cœlum attigit, pulſavit; receptus eſt, quem terra non caperet, ingreſſus æternitatem; aliena reliquit, ſua repetivit. Ne luge Viator; illius haud lugenda mors eſt, cujus vita fuit admiranda. Vixit annos XIX; votis ſuorum parum; ſuis diu; famæ ſatis; dotibus nimium; deſiderio æternùm vivet. Ei gratiæ, officii, obſequii, amoris, doloris ergo unus ex intimis aulæ mœſtiſſimus Aloyſius à Souſa Comitis Mirandæ Filius hoc Cenot. P. Anno M. DC. LIII.

Secundum Epitaphium Principis Theodoſii.

432 Theodoſio Principi Luſitaniæ, & Braſiliæ, Duci Brigantino, Regni Archiſtratego, Sereniſſimorum Luſitaniæ Regum Joannis IV. & Ludovicæ Guſmaniæ Filio; ingeniorum Coryphæo; magno Dei dono, ſed brevi; naturæ miraculo ad ſpecimen tantùm oſtenſo, mox à Superis vendicato; humanæ ſortis modum egreſſo; vix in vitæ limine, jam in termino conſtituto; nato ad ſpem regni terreſtris, ad poſſeſſionem cœleſtis tranſlato; dotium multitudine obruto magis, quàm defuncto; con-

temptori temporis; æternitatis candidato; patriæ quondam delicio, nunc dolori, & deſiderio; Anno ſalutis M. DC.LIII. ætatis XIX. matura Olli, nobis acerba morte extincto Joannes Rodericus Sà Meneſius Comes Cubiliarchus extraordin. in Angliam Legatus Londini hoc Cenotaphium mœrens S. S. E.

Tertium Epitaphium Principis Theodoſii Luſitanorum cordibus inciſum.

433 Non jacet hîc, ſed memoria vivit immortali Theodoſius, Sereniſſimorum Regum Joannis IV, & Aloyſiæ invidenda cunctis parentibus proles; perfecti Principis vera effigies; Politicarum virtutum in brevi mortalis vitæ circulo prælongus Epilogus; Chriſtianarum abſolutum à nullo comprehendendum compendium; omnium æmulandum Regibus æquè, ac Religioſis exemplar; Principum Phœnix, ſi fortè in eorum moribus reviviſcat; politicæ, Chriſtianæque vitæ conciliator; ſanctioris aulicæ paradigma; in breviſſima æternæ comprehenſor; naturæ miraculum, Divinæ gratiæ prodigium; jucundum in eo exornando utriuſque certamen; induſtriæ artis, & bonarum artium portentum; intemerata innocentia, & illibata virginitate terreſtris Angelus, cœleſtium æmulator; nuncupatis votis votorum ſummam ſupergreſſus; Jeſu, ejuſque Societatis unicè amantiſſimus; inexpugnabile vi-

 tiis

tiis propugnaculum, eorundem ſtrenuus expugnator; hoſtium ingens terror, ſuorum incredibilis amor: Luſitanorum, dum vixit, magnum, ſed breve delicium; dum obiit, æternum deſiderium; mundanæ magnitudinis magnus contemptor, cœleſtis ſummus æſtimator; librorum, & morum compoſitioni unicè addictus; ſapientiæ domicilium, ſcientiarum omnium pulcherrimum theatrum; in triplici ætate, infantia, pueritia, & adoleſcentia tergeminis dignus honoribus, quibus præclariſſimi quique juvenes, viri, ac ſenes claruere; noſtri ævi ſingularis gloria, ſuperioris pudor, poſterioris æmulatio; uni ſibi æqualis, cæteris major; alieno judicio maximus, ſuo tantùm minimus; omni laude auguſtior, nullius indigus, humanæ ſpretor; ſui ipſius Ipſe omnium optima panegyris. Obiit terris ſuæ amplitudinis prorſus imparibus, & ſub immenſa tot meritorum mole jam diu laborantibus; abiit in cœlum multis nominibus ex longo ſibi debitum, tantæque virtutis unicè capax Maji XV. anni M.DC.LIII. ætatis ſuæ anno XIX ultra menſes tres, ac dies ſeptem.

434 Vides, quàm longo, lectiſſimoque nobilium verborum ambitu duorum excellentium Magnatum illuſtria ingenia, tertiique Adaucti minimè vulgaris amor in exprimendo vivis coloribus mortuo Theodoſio, at fruſtra, deſudarunt! Simillimo certè, verùm etiam irrito conatu innumeri Sacri, & Academici Oratores, ubicunque amabiliſſimo Principi parentatum eſt, Ipſius incomprehenſibiles pene laudes, & virtutes aggreſſi, eas adumbrarunt potiùs, quàm ex integro expreſſere. Juſta verò Illi perſoluta ſunt non modò in Bethlemico templo, & Ulyſſipone in omnibus tum Parochiis, tum Religioſorum templis certatim, ſed per univerſam Luſitaniam etiam in maritimis ejuſdem ditionis Regnis, aut Provinciis regifico certè apparatu, quem tanti

Prin-

Principis amor, dolorque mutuò ſuadebant. Quin immò per longè, latèque diffitum Luſitanum Imperium, præter publica funeralia, nullum quidem fuit auguſtum palatium, aut anguſtum domicilium, vileque tugurium, in quo privatim flebilibus lamentis, inceſſantibusque lacrymis debita dilectiſſimo Principi juſta non ſolverentur. De publicis, & ſolemnioribus exequiis Ipſius obſequio conſecratis vel obiter meminiſſe, præterquam immenſi laboris foret, non minoris eſſet doloris, exulceratis denuo ſauciis animis præteriti luctus flebili adeo mentione.

435 At abſque ingenti piaculo minimè hìc ingrato certè ſilentio præterirem illuſtre memorabilis erga optimum Principem gratitudinis, ac ſuperſtitis amoris documentum. Vita functo Principe, & in Bethlemico,ut diximus, templo tumulato, Romæ interim agebat illuſtriſſimus Dominus Ludovicus à Souſa, de quo in Prologo, illuc ab eodem Principe ſui peramanti In Prolog. paulisper divertere juſſus ſpecioſo prætextu Romanis artibus optimi ingenii §.15. excolendi; at re vera longè altiori conſilio, ne ſi dilectiſſimi ſibi Principis imminenti fato intereſſet, eidem pariter immodico impar dolori ſuccumberet. Illius acerbiſſimo nuntio propè exanimatus, ubi ab impotenti dolore non nihil convaluit, minimè contentus propriis lacrymis proprium explere animum, & flendo, quoniam commoriendo non liceret, chariſſimum ſibi Principem proſequi, alienos oculorum omnium fletus, quos ſuis confunderet, ſolicitavit: ſic eleganter Ipſemet exprimit in ſuo ad lectorem Prologo: *Lacrymæ* (inquit) *ex oculis pretium habent; quas hic expreſſas vides, eæ à ſummis ingeniis precibus ſunt meis elicitæ; unius ſunt generis, ſi dolorem, diverſi, ſi fontem ſpectes: nam ubi terrarum aliquem novi exiſtere fontem, illum ego ſubornavi ad fletum. Ac vereor, ne etſi multi, & nobiles ſint, non ſatis pro jactura fleant; quod ipſimet teſtantur, & ego, qui meliùs dolendi cauſam novi, experior, &c.* Ex hiſce lacrymis, quaſi ex pretioſis unionibus in unum collectis, ſuo ſuum extincto Principi erexit Tumulum, de quo in noſtro Prologo, & ſæpe aliàs, ab omnibus, dum In Prolog. ſtabit orbis, cujus quatuor inducit flebiles partes, ſuſpiciendum, & vel ipſi §.15. Mauſolo meritò invidendum. Ulyſſiponi paulò poſt redditus, & ad Bethlemicum ſui Principis tumulum, amore illuc impellente, deductus, parum abfuit, quin juxta eundem ſummi doloris impotens tumularetur. Verùm ad majora, maximèque ad ipſius Principis omni ratione propalandam gloriam divinitus ſervatus ſtatuit ſolemnibus in eodem templo celebratis exequiis ſui Principis nuſquam interituram memoriam quotannis redintegrare. Id hactenus propoſiti reus rite implevit, invitatis ad id triſte quidem, ſed gratiſſimum Deo, ipſique Principi miniſterium, tum familiaribus Dynaſtis, tum Religioſis nonnullis, quos ad Principis obſequium noverat propenſiores. At non ſolùm, cùm Ulyſſiponi adeſt, etiam cùm aliqua occaſione abeſt, eadem ſuis ſumptibus expleri ſolemnia edicit; idque non in privata tantùm fortuna, ſed etiam poſtquam Curio maximus, Epiſcopusque Hipponenſis, & Archiepiſcopus tandem Ulyſſiponenſis eſt inauguratus. Faxit Deus, ut tandiu de ſe optimè merito Principi obſequium id maximi certè faciendum præſtare pergat, donec votorum ſummam aſſequutus, felicem, ac diuturnam vitam plenus dierum, ac meritorum feliciſſimo, & ipſius Principis ſimillimo exitu (quo majus Illi optari nequit) placidiſſimè claudat; & ad chariſſimi Principis cœleſte conſortium per virtutum omnium ab Illo haud leviter impreſſos gradus tandem conſcendat.

CAPUT XXXIV.

Prodigia, quæ Principis Theodoſii funus vel comitata, vel conſequuta ſunt.

436 BRevis eſt, ipſiſque vulgò terminis, quibus mortalis vita clauditur, definita mortalium amicitia; morienti amico paſſim commoritur amor; eademque vitæ ſimul, & familiaritatis fila immitis Atropos occat. Hujuſmodi amorem lumini cerei accenſi haud ineptè aptaveris, cujus lux tandiu durat, quandiu cera ipſa perſeverat, ea verò penitus liquefacta, illico lumen ipſum extinguitur; ſiquis ultra mortem amare pergit, næ ille immortali vita dignus, proximèque ad ipſum Deum accedit; cujus amor ab æterno cæptus cum ipſa certat, ac perennat æternitate. Immò, quos viventes Deus diligit, iiſdem poſt mortem uberioris amicitiæ ſigna exhibet, ac à ſe dilectos illos publicis nonnunquam oſtentis prodit, quibus cæteros ſimilibus ſpectaculis attonitos ad ſui amorem invitat. Talem ſe Deus erga Principem Theodoſium à ſe perpetuò dilectum geſſit: cui viventi ſumma contulit beneficia; cujus mortem multis antea illuſtravit, quæ jam diximus, portentis: poſt cujus obitum mirabilia edidit prodigia prodigioſo planè amico famulantia, ejuſque cœleſtem (ſi fas eſt dicere) gloriam, quodammodo indigitantia. Quæcunque hujuſce generis, vel publicis, vel privatis confirmata teſtimoniis inveni, proferam in lucem, non quidem ut miracula, & revelationes, quarum approbatio ad Orthodoxam ſpectat Eccleſiam, ſed quaſi prodigia præter ſolitum evenientia, & ad Principis virtutibus inſignis laudem prudentium judicio facientia. In iis commemorandis producam tum Authorum nomina, tum cætera omnia in rebus tantis faciendæ fidei argumenta, ne levibus me ad magna propalanda indiciis duci criticus aliquis arbitretur. A minimis juxta naturæ ordinem ad majora progrediendum; neque, ut alibi diximus, ſpernenda minima, quibus maximum Deum ad magna vel ſignificanda, vel facienda ſæpe uti ſolitum ex frequentibus, paſſimque obviis Sacræ paginæ teſtimoniis ſapientes evincunt.

Supra cap. 31. per totum.

In Prolog. §.7. & 8.

437 Primum inter commemoranda prodigia locum ſibi vendicat, qui tempore cætera præceſſit, parvus quidem, ſed non parvi faciendus papilio; cujus meminit in ſuis remiſſionibus Principis Confeſſarius, apud quem cùm hujuſce animalculi ſolùm nomen reperirem immixtum prodigiis, quæ mortem Principis vel præceſſere, vel ſubſequuta ſunt; neque ille verbum amplius adderet, ex quo conjectare poſſem, quid vellet innuere, neque aliunde dubitarem ſubeſſe occultum myſterium, à tali viro non ſine cauſa obſervatum; conſului Antonium Rodericum Almeyda Principis Clavigerum, quidnam id nominis eo loco à Confeſſario deſignati ſignificaret? Tunc ſic ille rei totius apprime conſcius mihi ſeriem expoſuit, in hæc verba: *Ex quo Princeps apud Alcantaram decubuit, viſus eſt quadam die papilio vulgaribus longè major, illis tamen multò ſpecioſior, verſicoloribus, aureiſque alis conſpicuus Principis lectum ſupervolitare, mox univerſam, qua jacebat, domum volatu circumire; tandem in altari, ubi Sacræ ima-*

gines erant collocatæ, ſubſiſtere, ac vernantibus ibi perpetuò floribus inſidere, illosque depaſci. Recreatus tali aſpectu Princeps, poſtquam ſolito longiorem apud ſe moram papilionem domeſticum trahere, neque aliò commigrare animadvertit, quaſi liberali hoſpitio delectatum, jubet ab omnibus novum hoſpitem novi aliquid fortè afferentem indulgenter haberi, eique quotidianum pabulum ex recentibus foliis, & floribus, aliisve, quibus libenter veſceretur, ſuppeditari. Principis mandatis gnaviter obtemperatum; quandiuque Illi vitalis aura, tandiu contubernalis papilionis hac illac placidè volitantis obſequio frui datum. Poſtquam obiit, actutum exinde abiit, neque uſpiam, etſi ſedulò requiſitus, comparuit. Hactenus citatus indubiæ fidei Author. Fuere, qui non temerè, ſed prodigioſè id accidiſſe ſibi perſuaſere, aliisque perſuaſum eſſe voluere; productis in medium ſagaciſſimi naturæ Exploratoris Plinii verbis: quibus fortaſſis innititur inconſtantis vulgi conſtans opinio exiſtimantis boni alicujus nuntii authorem eſſe vulgò papilionem alicui repetitò advolitantem: *Sunt* (inquit) *qui certiſſimum veris indicium arbitrentur, ob infirmitatem animalis papilionis proventum. Ideo eo ipſo anno, cùm commentaremur hæc, notatum eſt proventum eorum ter repetito frigore extinctum, advenasque volucres ad VI. Kalend. Februarii ſpem veris attuliſſe, mox ſæviſſima hyeme conflictatas.* Certè ſi appetentis veris certiſſimum ſignum papilionis adventus habendus ſit, cùm alioqui ſæpe Deus ſoleat naturalibus ſignis ad ſupernaturalia indicanda uti, ut planum eſt in Iride Naturali ſigno pluviæ imminentis, Supernaturalique diluvii non ampliùs terras inundaturi, deliberent prudentes, extraordinariusne ille, ac infirmus papilio infirmitate ſuprema laboranti Principi annuntiarit, poſt frigidæ mortalitatis rigentem hyemem adfuturum mox æternæ felicitatis ver perpetuum, ab omni inſtabilium temporum liberum inclementia?

Concion. funeb. in Iul.

Plin. l. 11. c. 26.

438 Id quidem mirabiliùs fortè oſtendit columba quædam, quæ ſub idem tempus, quo Princeps efferebatur, viſa eſt ſupervolitare Ipſius feretrum, illud ſubſequi, & ad tumulum uſque comitari. Hujuſce columbæ meminit etiam in ſuis remiſſionibus Confeſſarius, ubi citatis Marianis Faſtis, triplex adducit paralellum exemplum ſimilium columbarum, quæ S. Heriberti, S. Margaritæ, Sanctique Guidonis obitum, aut funus illuſtre, prodigioſumque reddidere. Præterea in monumentis ſcriptis, quæ Confeſſarius ipſe pro ſcribenda Principis vita ſibi ſepoſuerat, ſic ſcriptum reperio: *Secretarius a Statu Petrus Vieyra à Sylva* (jam Epiſcopus Coliponenſis) *aſſerit ſe audiviſſe à D. Georgio à Sylva Maſcarenia, viſam à ſe candidam columbam ſuper Principis tumulum ea nocte, qua ejus funus fuit peractum.* Item eo loco, ubi extractum è lectica Principis cadaver, ſodalibus Sanctæ Miſericordiæ fuit concreditum obſervatam à ſe aliam avem candidam; id ipſum confirmat teſtimonio R. P. Fr. Franciſci à Nativitate Bethlemici Monaſterii Cœnobiarchæ. Is verò in quodam epiſtolio ad ipſum Confeſſarium aſſerit Dominicum à Quercu, Antonium Guomeſium, Iſabellam Ferreyra, Marianam ab Angelis, bis eandem vidiſſe columbam, ſemel in medio, iterum ſub finem Bethlemici oppidi; & à Fratre Melchiore, qui Crucem præferebat, obſervatam eandem ad auguſti templi aditum. Frater verò Antonius Ferràs noſtræ Societatis ſæpe à nobis citatus in quadam ad ipſum Confeſſarium epiſtola refert eam columbam Principis cadaver fuiſſe comitatam. Omiſſis tandem aliis valde famigeratis hujuſce Columbini prodigii teſtibus, illius luculentam facit mentionem P. D. Benedictus Pereyra in ſuâ funebri Eborenſi Panegyri hiſce conceptis verbis: *Non*

Faſt. Mar. Mart. 16. Jul. 10. Sept. 12.

poterat

poterat inter homines diù eſſe, qui ſic excefferat humanam naturam, & conditionem; ad Angelos citò evolare, & inter Angelos per ævum commorari oportuit, qui Angelicam naturam ſic vita, & moribus effinxerat. Hinc ſcrutari, & interpretari haud temerè poſſumus fatale auſpicium, quo delapſa è cælo columba, ſatis notum Divini Spiritus Symbolum, circa Principis corpus feretro elatum volitavit; ut nempe intelligeremus corpus illud etiam exanimum, & humano ſpiritu viduatum caſtitatis dono plurimùm ad Spiritum non tam Angelicum, quàm Divinum acceſſiſſe. Hæc certè fuit prodigioſi eventus ſeries: quid verò ille portenderit? Niſi conſtrictæ hiſtoriæ leges obſtarent, facilè poſſem expedire, per affinia diſcurrendo exempla, ex quibus ſibi ſatis notis apprimè norunt profanis, ſacris, & eccleſiaſticis literis eruditi, quàm olim fortunatum ſimile fuerit auſpicium, evidensque ſummæ felicitatis, innocentiæ, animique Deo acceptiſſimi argumentum.

Concion. funeb. inſul.

439 Neque verò minoris habenda magna quidem, de quibus jam, prodigia: duo, quæ proximè inculcavimus, innocentem Principem prodidere; duplex ipſis annectendum innoxium Illum, innocentibusque auxiliatorem commendabit. Innumerabilis, ut diximus, tum Ulyſſiponenſis plebis, tum reliquorum omnium ordinum ad viſendum, comitandumque Principis funus confluxerat Bethlem uſque multitudo; adeo, ut impari Regio ſatellitio arcendæ in templum irrumpenti plebi, effusè illa intromiſſa totum quantum eſt illius ſpatium circumquaque repleverit: parte alia, quà data porta, reſidui extra templum populi magna vis ad ſacrum odeum turmatim evadit: hìc dum pro ſe quiſque primum occupare locum adnititur, poſtremique primos inconditè impellunt, & ad lapideos crates templo imminentes affligunt, hinc prægrandes violento impetu convulſi lapides ex edito ad pavimentum horrendo prorſus fragore devolvuntur; at (mirum dictu) innoxia prorſus ruina in templo turba undique ſe premente referto; nullo ex iis, qui proximè ſuberant, vel leviſſimè læſo, cunctis, quos repentinus fragor exciverat, admirantibus, & ſuiſmet oculis vix credentibus. Servatos tamen ſe divinitus ab evidenti adeo periculo, qui eidem erant proximiores, innoxii Principis præſenti patrocinio credidere. Ipſimet lapides adhuc in pavimento jacentes, neque dum in priſtinum locum repoſiti certam fidem adſtruunt prodigio; cujus præterea meminit aliàs à nobis laudatus Lucas Andrade in ſua relatione hiſce conceptis verbis: *Quo tempore pluteus corporis Principis geſtatoriis in alium inferebatur, nonnulli ex odei frontiſpicio lapides invicem diſſociati horribilem ruinam tanto fragore texere, ut templum ipſum corruere videretur; ex confertiſſima ibidem turba nemini noxia ruina obnoxio.* Crederes innocentis, innoxiique Principis molliſſimum genium ad illius aſpectum duriſſimos lapides induiſſe: ſic intra Bethlemicum templum ſuorum ſibi obſequentium, at non minùs extra illud eorundem Servator Theodoſius.

440 Extremis tumulato Principi rite perſolutis, intempeſta jam nocte, Ulyſſiponem tribus exinde diſtantem milliariis incondita ea multitudo curribus, lecticis, & numeroſo immixta equitatui repetebat. Ingens omnibus periculum, vel prolapſus per inæquales paſſim vias, vel proculcationis à tam multis quadrupedibus rapidè procurrentibus; hinc nocturnæ tenebræ, paucis accenſis funalibus haud parum impeditæ; hinc internus dolor omnium inſidens animis ſenſuum ad noxia præcavenda expeditum uſum adimentes ominabantur. At ſiniſtrum avertit Deus omen, potentibus (ut par eſt credere) Theodoſii precibus exoratus, univerſique reduces, & incolumes ad pro-

prias

prias ædes rediere. Id quò evidentiùs omnibus innoteſceret, fortuitus, periculoſæque plenus aleæ caſus propalavit. Inter Bethlemicum Oppidum, & pontem vulgò, *da Junqueyra*, pernicibus agitatus equis currus numeroſa gravis familia rapidiſſimè ferebatur; cùm ſubitò inverſis rotis miſerabili ruina totus involvitur, excuſſo per poſticum puero currenti jam rota indubiè proterendo. Inconditum attollunt clamorem Seraphici Franciſci Alumni, utráque Tertiarii; qui proximi aderant, Divino auxilio invocato. Hic R. P. Commiſſarius Fr. Maurus à Spe mirabili fiducia proclamat: *Adſis Sancte Princeps præſenti apud Deum patrocinio, neque illorum aliquem, qui è tuo funere redeunt, periclitari patiaris.* Res mira! Stetere furentes equi, immotoque curru, tum pûer, cui diſcerpendo extrema jam imminebat rota, incolumis eripitur; tum cæteri prorſus indemnes è curru exiliunt, maximoque omnes defuncti periculo, inter mutuas gratulationes, redditasque ſtatori Deo, & propitio ſibi Theodoſio grates expeditum denuo currum ingreſſi, cæptam viam exultabundi, tranquilliùs proſequuntur. Conſtat verò id ex publico inſtrumento à ſex Seraphici Ordinis Religioſis, quatuorque Tertiariis ſubſignato.

441 Ex alio præterea inſtrumento publica etiam fide conſcripto manifeſtum eſt, maximum quidem aliud in minimo oppidulo à plurimis obſervatum, omniumque veneratione recolendum prodigium. Haud longè ab ulteriori Tagi ripa, è regione Ulyſſiponis jacet ignobilis hactenus vicus vulgò, *Alhos Vedros*, nobilitate jam ex prodigio orta ſuſpiciendus. In eo, ut in cæteris Luſitanæ ditionis locis, juſta Theodoſio ſoluta ſunt in templo exigui pagi maximo, ad quartam Junii diem anni 1653, quæ per integras tres horas tenuere. Conduxerat ejus templi fabricæ Curator Antonius à Tavora funalia quatuor, ac cereos octo in eo funerali accendendos, quorum juſtum fuit pondus paululum ultra viginti novem libras. Igitur cùm jam æſtivum eſſet tempus, & ex ſingulis quatuor funalibus ultra ſemipalmum, ex ſingulis octo cereis ultra ſex digitos abſumeretur, finito demum funerali, appenſiſque denuo iiſdem cereis, & funalibus, nihil omnino de priori pondere imminutum fuiſſe inventum eſt. Locaverat eam totàm ceram Lucretia Franciſca de Mattos Ulyſſipone in aditu plateæ vulgò, *dos Eſcudeyros*: prædictique templi Sancti Laurentii erat Parochus Sebaſtianus Paes de Mattos, qui unà cum fabricæ Curatore publicæ ſubſcripſit ſcripturæ. Admiratione digna ſunt hæc; neque tamen mirari quis debet, non apud maximas Regni Urbes, nobiliſſimave oppida, in quibus Principi longè majori apparatu, concurſuque parentatum eſt, ſed apud ignobilem pagum id prodigii accidiſſe: ſimilium enim Author Deus contemptibilia mundi non ſemel eligit, ut confundat fortia; idemque apud nonnulla contemptibilia oppida plurima patravit miracula, quæ neque apud Hieruſalem, neque in patria ſua ideo illuſtriſſima, dignatus eſt perpetrare.

442 At apud nobiliſſimam Portuenſem Urbem, illuſtri prodigio Theodoſii Principis ſuſpiciendam virtutem ſole ipſo illuſtriorem in ipſomet ſole mirabilis Deus oſtendit. In ea Urbe de Principis obitu non dum conſcia, pro Illius ſalute publicas preces univerſi proſequebantur. Igitur cùm die vigeſima menſis Maji Senatus, Capitulum, ac frequens populus ſolemni ſupplicatione recitatis litaniis Urbem circumirent, juxta D. Sebaſtiani fornicem hora decima ad undecimam, obſervarunt univerſi ſolem candido circulo in luteum vergente undique cinctum; ſolare verò ipſum corpus colore amiſſo pallo-

pallorem præferens, pavoremque inſpectantibus ingeminans per unius horæ ſpatium, quo lugubre, ac horridum id tenuit ſpectaculum. Haud multò poſt hora ſecunda pomeridiana mœſtiſſimus de morte Principis nuntius illuc appulſus omnibus indubium fecit, quid ſibi vellet ſolis nuper laborantis pallida facies, imminentis, quo jam premerentur, ſupremi mœroris index. Certè D. Rodericus Meneſius Prætorii tùnc Præfectus, quò rei tantæ ad poſteros memoria perpetuò extaret, juſſit publicum inſtrumentum confici à Judiciario ſcriba Ferdinando Giraldes Durâm, undecim juratis teſtibus viris ſummæ auctoritatis in eo ſubſcriptis, ſubſignatisque Doctoribus Gaſpare d'Abreu de Freytas, Urbis Prætore, Proviſoreque, ac Martino d'Amaral Peſſoa civili Judice, certam hujuſce prodigii fidem facientibus. Luſitaniæ Solem fuiſſe Theodoſium longè, latèque confirmat in ſua funebri concione ſæpe à nobis allegatus R. P. D. Fr. Ludovicus de Sà. Nil mirum igitur; quòd fulgentiſſimi hujuſce Solis occaſum Sol ipſe memorabili, de quo diximus, deliquio non modò prænuntiarit, ſed Portuenſibus Civibus adeo inſolitis oſtentis poſtea denuntiarit.

Supra §. 403.

443 Hæc omnia præter cœleſtes, quibus in terris claruit, virtutes id meliùs atteſtantes, manifeſtum quidem faciunt, quàm dilectus Deo ſit, hominibusque debeat eſſe venerabilis Princeps Theodoſius, cujus obitum tot, tantisque prodigiis nobilitavit. Id ipſum nonnulla ſuperſunt alterius generis haud obſcurè confirmatura. Ea verò (ne quis addubitet) à me ſunt deprompta ex ſcriptis diverſorum teſtimoniis, quæ inter Confeſſarii monumenta deprehendi. Primum ſit Viri cujuſdam, de cujus virtute, ſynceraque fide honorifica ibi fit mentio, proprio ſuppreſſò nomine; qui quaſi de tertia perſona ſermonem faciens, ita refert: *Septima die Maji anni 1653 illi edixit Dominus per quandam intellectualem locutionem, quo ſæpe illum alloquitur; ſibi ſuos eſſe in terris cæleſtium deliciarum voluptuoſiſſimos hortos, vernantibus floribus amœniſſimos, ad quos frequenter divertere ſoleret; ex iis unum eſſe Luſitaniæ Regnum, ubi odoriferi virtutum omnium flores paſſim germinarent. Tunc recordatus pridie ſibi à ſuo injunctum Confeſſario, ut pro ſalute Principis Theodoſii Deum enixè deprecaretur, id ille præſtitit, quàm maximo potuit affectu. Cui Dominus: Hunc florem ſibi proximiorem eſſe vult meus Æternus Parens; mea viciſſim Mater Sanctiſſimo ex heſterna die flexis genibus haud ceſſat pro illo me rogare; id ipſum plurimi alii munus obeunt; fac tu ſimiliter; mihique offer omnia tuo exercitia: quod ille ſedulò eſt exequutus. Id verò eadem accidit die paulò poſt mediam noctem. Duabus abhinc diebus ſub eandem horam iiſdem precibus inſiſtenti dixit Chriſtus: Fili, cùm fructus ad perfectam devenit maturitatem, niſi ex arbore tempeſtivè colligatur, deperit. Hinc planè intellexit placitum eſſe Deo Illum ad ſe transferre plurimis orationibus cumulatum; quocirca eadem occaſione, ſequentique die illum monuit, ut pro Principe oraret. Ea, quæ ſequuta eſt, die poſt Sacram Dominici Corporis communionem illi Chriſtus objecit pulcherrimam Principis animam in quoddam immiſſam ſacrarium, criſtallinis undique ſpecularibus occluſam; eique dixit: Huc nullæ penetrant feſtucæ; ſignificans ita Deo eſſe addictam, ut nullis quantumvis minimis pervia eſſet defectibus. Tandem in ipſo noctis conticinio præcedente feriam quintam menſis Maji decimam quintam, vidit Chriſtum Dominum unà cum Sancta Deipara, & Sancto Ioſepho, innumeriſque Angelis è cælo deſcendentem pro Principis anima eò deferenda: obſervavitque totius Cæleſtis Curiæ exceſſivam eſſe lætitiam, maximè Chriſti Domini, cui ad id maximè intento nullo videbatur major alio ineſſe ſolicitudo. Deinde paulò poſt meridiem Cæleſtem animam cælo reddidit; neque ultra dig-*

natus

natus eſt Deus aliquid ad Principem ſpectans illi exponere.

444 Hactenus piiſſimus Vir, quicumque ille fuerit, cujus quidem verba longè à terrenis ſermonibus abhorrentia, cœlum, quò fortunaſſimam Theodoſii animam invectam eſſe memorant, planè ſpirant. Illi concinit epiſtola cujuſdam Abbatiſſæ, cui nomen Soror Anna Jeſu, ad Sereniſſimam Reginam Matrem; in ea poſtquam expoſuit plurimas in ſuo Cœnobio (incertum mihi quale nam fuerit) fuſas ad Deum preces, eique oblatas corporis afflictiones, tum pro ſalute Principis adhuc viventis, tum pro Ipſius jam defunct anima, tandem concludit; ſpiritualibus indiciis compertum omnibus eſſe, Principis animam cœleſtibus additam inter Angelos, & Apoſtolos maximis gloriæ gradibus cumulatam, beatam agere vitam, idque uni ex Monialibus manifeſtiùs, quàm aliis innotuiſſe. Nemo, cui certè explorata ſit ejus vita felici adeo exitu terminata, raris, & illuſtribus adeo virtutibus ornata, innocentiſſimèque vitii cujusvis fæce immunis traducta, in dubium id vocabit. Cui teſtimonio luculentum aliud alterius Monialis adnectendum, cujus graviſſimè ægrotantis cùm deplorata penitus eſſet vita, omni prorſus humano auxilio deſtituta, illam facilè Principis, ad quem magna fide ſe convertit, implorata ope divinitus, ut ipſa credidit, recuperavit. Sic atteſtatur eadem in quadam à ſe ſcripta ſyngrapha, & ad Principis Confeſſarium tranſmiſſa, in qua neque proprium ipſius, neque Cœnobii, ubi ageret, nomen reperio. Alia præterea Monialis, cui nomen Soror Aloyſia Mira in Monaſterio S. Benedicti Eborenſis extra muros, notiſſimæ ſanctimoniæ fama celebris illuſtre reliquit poſteris Theodoſii ad cœlum properantis teſtimonium. Hæc inter orandum, eadem, qua Princeps deceſſit, hora viſum à ſe Illum giganteis ad cœlum paſſibus feſtinantem, Purgatorio ne dum à limine ſalutato, certique coloris veſte indutum ſuo in primis Confeſſario, mox aliis ſibi familiaribus Virginibus, Deo, ut creditum, ad id evulgandum impellente, propalavit: Confeſſario interim confirmante ſimilis coloris veſte ſolitum vulgò uti Theodoſium. Habeo memorabilis quidem, maximique faciendæ viſionis ſcriptum, & juramento ſtabilitum memoriale.

445 Illuſtris tandem Vir, cujus etiam nomen ſupprimitur, primis poſt Principis obitum diebus, cùm maximis rei familiaris anguſtiis premeretur, à quibus cùm nulla ratione, omnibus fruſtra tentatis, ſe poſſet expedire, laborantique familiæ ſubvenire, tunc humanis auxiliis prorſus deſperatis, Principem implorans confidenter exoravit, ut à Deo ſuis meritis ſibi, ſuisque præſens auxilium dignetur impetrare. Nec mora, vix deprecandi finem fecerat, cùm extremæ difficultatis præſentiſſimum ſibi affulſit auxilium, oblato, unde minimè ſperare poſſet, opportuno ſubſidio. Idem poſtea, ſex elapſis diebus, fidem ſuam temerè obſtrinxit magnæ auctoritatis viro pro re injuſta; quod in ſe reverſus ubi animadvertit, eòque ſe ipſum eſſe adductum, ut vel datæ fidei, vel conſcientiæ deeſſe oporteret, non immodica cæpit anxietate fluctuare: tandem ſecum deliberans promiſſa potiùs fallere, quàm conſcientiæ obeſſe, à Principe, quem nuper adeo propitium fuerat expertus, demiſsè rogat, ut ſe ab hujuſmodi periculo dignetur liberare. Poſtera mox die expedita ſe illi nihil minus cogitanti, facilisque via obtulit, qua inviolata fide illæſam conſcientiam tueretur. Non dubito, quin pluribus aliis, quæ me latent, ſimilia jam contulerit beneficia; longèque majora beneficus adeo Princeps ſit collaturus; maximè poſtquam hæc ejus vita in lucem edita om-

nium, ſed in primis Luſitanorum votis aſſueſcet vocari. Illius ego (fateor) ſæpius opem imploravi, ut mihi de ſe digna ſcribere cogitanti facilis annueret; ut expectatiſſimum opus brevi abſolverem; ut tandem tenui meo ſtylo maximas ejus actiones, inclytasque virtutes extenuari ne pateretur. In hac extrema mearum precum parte propitiumne Illum habuerim? Meliùs dicent, qui faventibus hæc oculis lectitarint. Illud auſim pro certo affirmare, tam multis, maximisque difficultatibus, quas enumerare nec opus, nec otium eſt, à ſcribendo ſæpe me deterritum, ut quominus aliquando illis ſuccubuerim, cæptoque penitus abſtinuerim, præſentiſſimo Principis opitulantis auxilio non dubitem tribuendum; & inter cætera prodigia id minimè vulgare pariter adnumerandum. Pro majori fortè habendum, niſi præter ſtylum, quem potui optimum, nobiliſſimo argumento longè inferiorem, plurimi alia plurima reprehendant. Utcumque cæteri ſcripta hæc rectè, aut perperam interpretentur; mihi meo cœleſti jam Principi etiam minima ex maximo affectu olim ſolito æſtimare, cuique unicè mea qualiſcunque adlaboratæ induſtria, non diſplicuiſſe ſat eſt. Quòd ſi aliis vel omnino placeant, vel minùs diſpliceant, totum id Illius erga ſuum Scriptorem tutelari patrocinio, non meo ingenio, quod ſciò quàm ſit exiguum, referendum.

446 Prædictis prodigiis adnumerandos feliciſſimos nonnullos eventus Principis obitum proximè conſecutos, prudentes meritò judicarunt; memorabiles item victorias haud multò poſt Ipſius, ut par eſt credere, cœleſti patrocinio à Luſitanis comparatas: non quidem, quia ipſis toties victoribus rarum fuerit de hoſtibus triumphare, ſed quoniam adeo inſignes eæ fuerint, ut non niſi cœlitus datas credendum ſit. Primùm omnium, accepto Londini de obitu Principis Theodoſii nuntio, hactenus ad omnes oblatæ pacis conditiones obdurati Cromuelis, & Parlamentariorum animi adeo ſunt emolliti, ut paucos intra dies mutuæ concordiæ juſta capita facilè admiſerint, quæ antea per totos decem menſes à Luſitano Legato Joanne Roderico Sà Meneſio Comite Penaguiano ſæpius propoſita obfirmatè rejecerant. Author eſt in ſua relatione idem Legatus ad impliciti, ac difficillimi negotii optatam expeditionem plus ſibi profuiſſe unicam demortui Theodoſii mentionem, quàm per tot menſes indefeſſa & ſedula, nulla prætermiſſa induſtria, impenſa opera. Sic periculoſi belli horrida planè tempeſtas, cui juſtum Theodoſii pro Palatinis Principibus in Senatu Ulyſſiponenſi ſuffragium cauſam dederat, Ipſo Deum exorante, ſtabilitaque inter Anglos, & Luſitanos placida tranquillitate, detumuit.

447 Neque verò minoris faciendum Divinum certè beneficium Theodoſii jam cælicolæ precibus Luſitaniæ impertitum; expulſis omnino è ſuo
Supra §. 156. Braſilienſi Principatu Hollandis. Occupaverant illi per idem propè tempus ſubita irruptione Angolam, Maranonium, inſulamque D. Thomæ, Catholico Philippo quarto rerum interim potiente, belloque Catalaunico, ne obſtare, aut auxiliari poſſet, impedito. Haud multò poſt reſtituta Sereniſſimo Joanni quarto legitimo Domino Luſitaniæ corona, Maranonii, ac inſulæ D. Thomæ incolæ, qui haud pridem repentino hoſtium adventu conſternati ad proximos ſaltus dilapſi ſuis rebus conſuluerant, ſub novo Rege Luſitanos catenus ſopitos ſpiritus reſumentes, ardentiſſimo inſuper deſiderio ſtimulati patrias domos repetendi, collectis ex proxima regione opportunis auxiliis, incautos Hollandos, vice reddita, ſubito impetu adoriuntur, trucidatisque

ſibi obviis, cæteris ad promptas adhuc naves compulſis, proprios recuperant penates, hoſtium ſpoliis longè, quàm eos reliquerant, quaſi recepto fœnore, locupletiores. Exinde cautiores redditi, omni arte, ac induſtria præmuniti ad quamlibet Hollandorum impreſſionem.

448 Ex Angola, ubi per annos ſeptem altiùs jam radices egerant, difficiliùs credebatur eradicari poſſe Hollandos; inde tamen facilè ſunt ſtirpitus avulſi fortuitò illuc velificante Braſilicæ Societatis claſſe, cui nuper erigendæ ſtrenuam navarat operam ipſe Princeps: hæc igitur ſub Præfecto Salvatore Correa Sà Benavides viro per omnia inclyto ad Loandam Angolæ caput appulſa decima quinta die Auguſti anni 1648, expoſitiſque militibus valida, nec incruenta utrinque impreſſione, Batavos Luſitanæ virtutis oſtentis deterritos ad Urbis, arciſque deditionem compellit; eoſque à totius Angolæ dominio expellit eademmet (quod magis mirere) die 24 Auguſti, qua ſeptem ante annis ab iiſdem fuerat intercepta. Rem luculentiùs commemorant tum P. Simon Vaſconcellos, tum P. Antonius Macedo noſtræ Societatis in vita Venerabilis P. Joannis Almeyda multùm ad eam victoriam ſalutaribus monitis, & certis prædictionibus conferentis. P. Vaſc. lib. 6. §. 3. P. Maced. lib. 2. c. 6.

449 Unica penitus expellendis ab univerſa Braſilia Hollandis omnium difficillima ſupererat expugnatio, cujus cauſa ſuperiores, ſuperſtite adhuc Theodoſio, delibavimus. Eam Provinciam anno Chriſtiano 1630, capta ſubito incurſu Olinda, ſuæ fecerant ditionis, illamque ſuperadditis firmiſſimis munimentis reddiderant prorſus inexpugnabilem. Eidem recuperandæ miſerat Catholicus Rex Philippus anno 1638 validiſſimam claſſem D. Ferdinandi Maſcareniæ Comitis à Turre commiſſam fidei: quam tamen fœda tempeſtas, violentuſque illic æſtus, mox intempeſtivus hoſtilis claſſis occurſus, qua cum ſtrenuè, at improſperè à noſtris numero inferioribus pugnatum, inutilem perficiendo facinori reddidere. Tertius ſupra trigeſimum jam annus abierat, ex quo Hollandi Pernambuco dominabantur. Illuxit tandem, & Luſitanis, & Hollandis fatalis annus 1653; nobis ex incomparabili Principis Theodoſii jactura menſe Majo; illis ex lacrymabili Pernambuci ad finem inſequentis Decembris amiſſione. Prætervecta illac eo temporis noſtra Braſilicæ Societatis, ſeu veriùs Theodoſii, ab eo inſtituta claſſis maximum memorabilis victoriæ momentum extitit: habito nanque militari colloquio à Petro Jaques Magallanio claſſis Architalaſſo, & Franciſco Britto Freyre ipſius Trierarcho cum Franciſco Barreto Caſtrorum Præfecto, ſimulque cum Tribunis militum Andrea Vitale Negreyros, Franciſco Vieyra, & Franciſco Figueyroa, utendum oblata cœlitus opportunitate, ac terra, marique obſidendam munitiſſimam arcem, vulgò *Recife*, ex qua cæterarum facilis penderet deditio, aut expugnatio, demum deliberatum. Prudenti conſilio auſpicatiùs reſpondit exitus; ac intra decimum quintum diem, ex quo Luſitanæ copiæ hoſtilibus munimentis admoveri cæptæ, proximioribus amiſſis, deſperato à ſuis maritimo auxilio, impares noſtrorum Martiæ virtuti, licèt ſub ſtrenuiſſimo Imperatore Segiſmundo Schop, coacti ſunt reliquarum omnium arcium facta deditione univerſa excedere Braſilia; at non penitus inglorii, cùm ingenuè fateamur non, niſi Divina ope à Theodoſio ſuis clientibus impetrata, poſſe adeo brevi exinde propulſari; eo maximè anno, qui ut ſuis Braſilienſibus ex obitu ſui Principis fuerat luctuoſiſſimus, foret iiſdem ex abſoluta Principatus ampliſſimi reſtauratione Theodoſii cœleſti beneficio jucundiſſimus.

 450 Fidem

450 Fidem huic omnium animis conceptæ opinioni fecit, poſt plurimas, & maximas evictas difficultates à Legato Regio Henrico Soſia Tavares Comite Mirandenſi, Theodoſii olim Cubiculario, & Hipparcho maximo inter Hollandos, & Luſitanos ſub juſtis conditionibus ſtabilita pax, utriſque utilis, & jucunda; eadem & Braſilienſi ſaccharo, & Cetobricenſi ſale condita; ſaccharo nempè à Luſitanis omnimodè ſibi liberato; ſale aliquandiu à tributis Regiis libero Hollandis conceſſo. Prodigioſæ quidem victoriæ ſuſpiciendam ſeriem à nobis tantùm perſtrictam exactè proſequitur ſuo de rebus Braſilicis libro jam in lucem edito Franciſcus Britto Freyre; dè quo verè dubites, aureone præcellentis calami, an ferreo fulminantis gladii ſtylo ſit habendus commendabilior?

451 Extremum, omniumque maximum faventis è cœlo ſuis Luſitanis Theodoſii argumentum, cùm in ſummo diſcrimine ad Triarios ventum eſt, triplex fuit portentoſa planè victoria de triplici potentiſſimo Caſtellano exercitu ſub inclytis Imperatoribus; primùm ſub D. Ludovico Mendeſio Haro Comite Duce Olivarii, Marchione Carpiano, Præfecto Regii ſtabuli, ſupremo Indiæ Occidentalis Cancellario, ſuique Regis unicè intimo: mox ſub Principe D. D. Joanne Auſtriaco; tandem ſub D. Ludovico Benabides Carrilho, & Toledo Marchione Caracenæ; reportata per duos ſtrenuiſſimos Imperatores Luſitanos D. Antonium Ludovicum Meneſium Comitem Cantanedenſem, poſtea ob egregia merita Marchionem Marialvæ; qui primum, ac tertium Caſtellanum fudit exercitum; & per D. Sancium Emmanuelem, qui ter cum Auſtriacis victor ſemper conflixit copiis. Hujuſmodi autem celeberrimæ victoriæ, præter plurimas alias minoris momenti partas in aliis Luſitaniæ Provinciis, Tranſtaganam ſimilium triumphorum feraciſſimam univerſæ illuſtrarunt: & quidem æquum erat, ut in ejuſdem Provinciæ Orichienſi agro Luſitanum olim natum Regnum ſub Rege Alphonſo primo memorabili de quinque Regibus victoria, triplici adeo memoranda de potentiſſimo Monarcha Caſtellano adepta, in eadem ſub Alphonſo Rege ſexto confirmaretur.

452 In hiſce omnibus auxiliatricem Theodoſii opem, ac cœleſte patrocinium expertos Luſitanos multis moveor; memor in primis Illius ante obitum promiſſi facti Sereniſſimis Parentibus, & Tribuno plebis Ulyſſiponenſis, quo ſuam obſtrinxit ſatis liberatam fidem, è cœlo, quò properabat, Luſitaniæ rebus afflictis nunquam ſe defuturum; immò eidem ſe fore mortuum, quàm vivens fuerat, longè utiliorem. Deinde ſi unquam aliàs Luſitaniæ præſenti auxilio eſſet affuturus, cur non Elviæ ſub arctiſſima obſidione ſupremùm laboranti, ubi ſupremus fuerat armorum Arbiter? Cur non Eboræ ſibi multis nominibus dilectiſſimæ, cujus munimentorum prima jecerat fundamenta à Caſtellanis cæptæ? Cur non Villaviſſoſæ hoſtili exercitu propè interceptæ, cujus natali ſolo etiam cœleſtes tangente gloriatur? Tandem quia planè conſtat ex veridico Eborenſis Monialis teſtimonio, cujus ob ſingularem ſpectatæ virtutis celebritatem alibi fecimus mentionem, à ſe non ſemel viſum Theodoſium Superis jam additum inter Luſitanas turmas, & cohortes noſtris ducibus, & militibus Martiales ad ſtrenuè præliandum animos ſufficientem. Eas ego victrices palmas, utpote Theodoſio adeò juſtis de cauſis adſcribendas, lentiùs hìc ſcribere decreveram; ſed quia probè ſcio eaſdem propediem in lucem prodituras elegantiori jam ſtylo conditas ab

Hoc lib. §. 409. & 410.

Hoc lib. 1. §. 444.

illuſtriſſimo D. D. Ludovico Meneſio Comite Ericeriæ, qui omnibus interfuit, maximamque ad illas aſſequendas ubique præſentem operam collocavit; ideo illis pro dignitate recenſendis conſultò ſuperſedeo, ſatisque habeo illis delibatis fontem ſitibundæ curioſitati pleniùs explendæ indigitare. Ab eo ſimiliter oblatæ nobis pacis è tot victoriis ortæ initia, progreſſus, ac ſuprema incrementa ſunt petenda, & ad Theodoſium illam unicè amantem, ac à Deo ſuis precibus impetrantem referenda: cujus jam virtutes tum Politicæ, tum Chriſtianæ coactum aliorſum neceſſariò deviare calamum ad ſe jam diu invitant: in quibus commemorandis Religioſo Scriptori quò libentiùs, eò curioſiùs inſiſtendum.

LIBER SECUNDUS
DE PRINCIPIS
THEODOSII
EXIMIIS DOTIBUS, ET VIRTUTIBUS Politicis.

ANTILOQUIUM.

POST quotidianum occaſum indefeſſa, ut ſolet, revolutione alteri hemiſphario redditus Sol ſuæ lucis quaſi vicarias mortalibus poſt ſe rêlinquit ſtellas, tum errantes, tum fixas, caliginoſæ noctis opportunum ſatis ſubſidium. Sic Solis inſtar occidens Theodoſius ſuas nobis tam Politicas, quàm Chriſtianas pro ſe reliquit virtutes, humanæ pariter, ac cæleſtis, quam inſtitit, viæ, ac vitæ indices. Politicas, velut errantes ſtellas, quæ intuentium oculis primæ, proximioresque occurrunt, in hoc libro Principibus obſervandas proponimus; in ſequenti Chriſtianas, veluti cælo fixas, & ad cælum, quò praivit, expeditum iter præmonſtrantes, omnibus ex æquo ſuſpiciendas, & æmulandas indigitabimus.

CAPUT I.

Theodoſii Principis indoles, genium, ingenium, cæteraque animi, & corporis dotes univerſim delibantur.

1 QUI Theodoſium ſibi ex facie ignotum, qualis, quantusque fuerit, unico velut intuitu apprime noſſe cupit, hanc Ipſius veram effigiem hiſtorico delineatam penicillo intueatur: in qua, ut ſolent, qui univerſum, quàm magnus eſt, orbem brevi unius tabulæ ambitu circunſcribunt, præcipuas ejus virtutes, præcellentesque dotes ſummatim delibatas, anguſto veluti circulo comprehendimus. Indole fuit planè aurea, Regia quidem, ſed humaniſſima; cui apud

omnes

omnes venerationem ſtudioſa majeſtas, amorem conciliabat inſita humanitas. In vitium flecti adamantinus; cereus alioqui ad omnem virtutum impreſſionem. Vitiane plus oderit, an virtutes amarit? Incertum: certè ita integer vitæ, ſceleriſque purus perpetuò extitit, ut pauci plus ultra; plura tamen poſteris reliquit amoris erga virtutes documenta, quàm odii adverſus vitia; enim verò cum vitiis ejus aſpectum ſemper devitantibus nihil unquam Illi fuit commune; cum virtutibus Ipſius innata benevolentia invitatis frequens, & familiariſſima communicatio. In quam illarum ſtudioſiùs propenderit? Dubia pendet ſententia; cui ferendæ imparem ſe prorſus vel ipſe Paris judicaret. Siquis tamen, me conſulto, de primatu apud Principem certantibus auſit earum nonnulli dubiam litem adjudicare, illam pronuntiet feliciorem, Theodoſioque familiariorem; cujus exercendæ ſæpius nactus eſt occaſionem, quam ſibi è manibus elabi nunquam paſſus eſt. Chriſtianarum utile ita miſcuit dulci Politicarum, ut in utriſque omne tulerit punctum, ne in puncto quidem reflexionis quietem ullam admittens; utpote cui perpetuò inquietum cor erat, donec in Deo requieſceret, ad quem in ſuas omnes actiones aſſiduè reflectens univerſas referebat.

2 Theodoſii genius ad omnigenas ſcientias capeſſendas intentus, ad militares præſertim, & ad gubernandi omnium longè difficillimam artem genuina propenſione ferebatur; præcipitis more fluminis nullibi conſiſtentis, ſed ad Oceanum rapidiſſimè prolabentis. In his omnibus quantùm brevi profecerit, incredibile dictu eſt. Siquis undevigeſimum, quo è vivis abiit, ætatis annum cum abſoluta ſcientiarum omnium notitia conferat, ultra ætatem, fidemque putet: cui tamen indubiam facit fidem communis Sapientiſſimorum omnium admiratio, quibus cum propè quotidiana, & familiaris erat Principi conſuetudo. In ſua quiſque ſcientia Illum tam excellere obſervabat, quàm univerſos dignitate præcelleret. Ad id verò plurimùm contulit ingenii humano majoris, planèque Angelici acumen ſubtiliſſimum, quo abſtruſa quæque, penitiſſima, & difficillima ſcientiarum facillimè penetrabat. Non parum ad hoc ipſum juvit eximia ſenilis judicii maturitas in viridi pueritia, & adoleſcentia multò æſtimabilior; cujus ſemper fuit ſecernere pretioſum à vili, & inter legendum eligere bonum, & reprobare malum, terrenaque cœleſtibus poſthabere. Accedebat pluſquàm innatus omnia ſciendi appetitus ab omni alio quolibet omnino alienus. Moderatiſſimum alioqui Principem, ſcientiarum tamen ſtudio unicè inhiantem, librorum helluonem, ac devoratorem appoſitè dixeris, ſeu potiùs Evangeliſtæ Joannis ſibi chariſſimi æmulatorem; qui Angelo imperanti: *Accipe librum, & devora illum*, obſequutus proſequitur: *Et accepi librum de manu Angeli, & devoravi illum, & erat in ore meo tanquam mel dulce.* Apoc. 10. n. 9. & 10. Tandem memoria fuit præditus expeditiſſima pariter, & tenaciſſima, ſolius oblivionis neſcia; in cujus theſaurum non vilium rerum, & inanium verborum leviter impreſſas ſpecies, ſed utilium publico, privatoque bono aliquando profuturas congerebat. Et tamen tam inſolens fuit, ac ſupra humanum captum Theodoſii ſapientia, ut partim exquiſitam, partim divinitus acceptam plurimi autument; quibus libenter aſſentior conſcius Illius eximiæ virtutis, quæ id ſuo quaſi jure à Deo meritorum æquiſſimo remuneratore vendicarit.

3. Judicii optimè conſtituti, & ad ſalutaria invitantis ductum plerunque ſequitur obſequioſa voluntas; niſi fortè vehementi aliqua paſſione aliò abri-

ripiente, à recto virtutis tramite nonnunquam deflectat. Theodoſii certè voluntas ab omni voluptatis contagio,& paſſionum labe immunis,nunquam (ut nonnulli nimis politici aſſolent) rationem ſtatus, ſemper ſtatum, & ſtatuta rationis admiſit. Fuerit aliis pro ratione voluntas; Theodoſio ſemper fuit ratio pro voluntate; ſeu: mavis dicere; pro ratione tuenda perpetuò fuit Theodoſii prompta voluntas. Uni quidem Theodoſio licuit in omnibus ſuam implere voluntatem, Divinæ penitus addictam: dum vulgò trahit ſua quemque voluntas, Theodoſium Divina, quam pro ſua reputabat,ſemper attraxit. Si multus fuit in illuſtrando ſcientiis intellectu, plurimus extitit in adornanda virtutibus voluntate. Corporis cultus prorſus negligens, animi culturæ diligentiſſimus; quo maximè ornatu ſpecioſum ſe, ac ſpectabilem orbi exhibuit, Divinoque ſimillimum Sponſo, qui etiam ea propter *Specioſus forma præ filiis hominum* à Regio Vate prædicitur. Voluntatis libertatem ideo maximi faciebat, ut eam Divinarum legum obſequio emanciparet; quibus adeo ſtudioſè obtemperabat, ut vellet, ſi per naturæ leges liceret, ne ſibi foret liberum earum minimam vel leviſſimè violare. Idem in libera republica nihil exitialius conſervandæ libertati exiſtimabat publicis inſolentium hominum libertatibus; eas verò coërceri, ac præcidi oportere, quà legum vinculis, quà juſtitiæ gladio; ne vitiorum tyrannidi qualibet alia turpiori liberi cives inhoneſtè ſubjacerent. Contra Philoſophorum placitum cæcam mortalium voluntatem paſſim incuſantium,oculatiſſimam eam in Theodoſio fuiſſe auſim pronuntiare; utpote quæ nullis unquam indignis affectibus obcæcata, puræ intentionis oculo Deum indeſinenter ſuſpiciens, Divinis pariter, & humanis oculis digniſſima nunquam non edidit. Affectus ſuos omnes ita moderatus eſt,ut ſupra modum humanæ fragilitatis terminos exceſſiſſe videretur. Sic demum propriæ voluntatis Dominus alienarum dominium facilè obtinuit, univerſaſque pro libito,at non niſi ad honeſtum exemplo efficaciùs, quàm adhortatione traduxit.

Pſ 44.3.

4 Animo fuit præditus excelſo, ad ſumma quæque adſpirante, maximèque ad cœleſtia, ubi ſolùm vera, & ſumma felicitas; ad quam maximarum virtutum commendatione omni ope adniti nuſquam deſtitit. Majorem Dei gloriam, ejuſque Fidem per Univerſi ambitum promovere præcipuo ſtudio ſatagebat, huc egregios generoſi animi conatus, huc univerſa ſtudia præſertim Mathematica referens; in quibus tam excelluit, ut ſummos in ea ſcientia viros æquarit, cæteros facilè ſuperarit. Sphæram tum cœleſtem,tum terreſtrem nocturna, diurnaque manu circumagens, totius orbis converſionem mente agitabat. Ad hunc maximè finem Geometriæ, Coſmographiæ, Aſtrologiæ, Nauticæ, Geographiæque ſingularem dirigebat peritiam; imperii Chriſtiani ultra anni, ſoliſque vias protendendi unicè ſolicitus. Hinc divitiarum, honorum, omniumque humanarum rerum, quas plerique mortalium immodicè appetunt, ingens contemptus magnanimis viris familiaris. Ad hæc,omni quantumlibet impari fortunæ par, ac ſemper idem; nec proſpera tumidus, nec adverſa fractus; in ejus inæqualitate ſummam præferens æquanimitatem, ſive afflaret placida, ſive reflaret turbulenta. Sereniſſimum verè dixeris Theodoſii animum, Olympo nubes, & ventorum flatus excedenti ſimillimum: quem ſi diffractus illaberetur orbis, impavidum, & conſtantem decidentis ruina feriret quidem, at nec leviter concuteret.

5 Hujuſmodi animum cœlo ſupparem, terris ſuperiorem, humanis affectibus, ne dum vitiis inſuperabilem, maximis ornatum virtutibus Chriſtiano Principe dignis, majorem adhuc, & auguſtiorem reddidit. In quarum exercitio illud mirabilius, quod rarius, & difficilius: virtutes nempe ipſas pro tempore, ac rerum, perſonarumque varietate ſic attemperare, ut ſummas infimis, privatis publicas, Politicis Chriſtianas, pacificis militares amicè confœderatas exhiberet. Et quidem nunc juſtitiæ, nunc clementiæ; modò majeſtatis, modò urbanitatis; jam liberalitatis, jam frugalitatis ſpecimen præbere; rebus ipſis, & opportunitatibus ita exigentibus. Idem (quod inſolentius) in immodica potentia moderatus; in ſummo gloriæ, divitiarum, ac deliciarum apice modeſtus, frugi, continens. Deinde inter peſſimos bonus; inter bonos optimus; erga miſeros miſericors; erga patientes adverſa compatiens; in Superos plus; in Deum religioſiſſimus. Præterea morum integerrimus cenſor; vitiorum inſectator acerrimus; virtutis veræ cuſtos, & remunerator eximius. Tandem majorum ſuorum æmulator; coævorum regula; poſterorum exemplar; externorum admiratio; Luſitanorum, dum vixit, unicum delicium; poſt obitum æternum deſiderium; & (ut verbo dicam) in omnibus Theodoſius; cujus animi hæc ſunt rudia, ſed veriſſima lineamenta; corporis, quæ ſequuntur.

6 Procerum Illi corpus, ingentis, & excelſæ animæ capax; apta membrorum omnium proportione commendabile. Caput ad humeros demiſſa cæſarie auguſtum, ſcientiarum omnium, & bonarum artium domicilium; eòque Regia corona digniſſimum. Elegans, & liberalis facies, caſti amoris, & venerationis conciliatrix: oculi glauci, modeſtiam, & pudicitiam ſpirantes: color ſubalbus, & ſuavis, virgineum ruborem præ ſe ferens. In ejus ore planè mellifluo Platonicas, vel Ambroſianas conſediſſe apes crederes; ita dulci eloquio audientium aures demulcebat; omni procul aculeo, quem ſolis expungendis vitiis exerebat. Loquendi parciſſimus; paucis plurima complecti, & explicare ſolitus; niſi fortè de ſcientiis, aut virtutibus ſermo incideret; tunc enim multus, & propè infinitus in dicendo erat; Laconico tamen, & conciſo ſermone. Honeſta commemorantibus, aut ſalutaria ſuadentibus faciles præbebat aures; difficillimas garrientibus, obtrectantibus, aut adulantibus; minùs honeſta (quod raró contigit) è longinquo inſinuare audentibus omnino ſurdas. Cæteris corporeis ſenſibus natura rudioribus ita moderatè utebatur, ut niſi naturæ legibus faciendum ſatis foret, alioqui corporis expers, & inſenſibilis haberetur.

7 Manus, in quibus nihil ſiniſtrum, ad largiendum, quàm ad accipiendum, aut retinendum promptiores; non minùs tractandis armis, quàm evolvendis libris expeditiſſimas habuit. Pedum inceſſus plerunque gravis, ut Principem decet; niſi cùm citiſſimò gradu laboranti patriæ ſuccurrendum fuit, aut ſubditis exemplo præcurrendum ad aſſequendas virtutes; quarum non leviter nobis impreſſa reliquit veſtigia ſubſequenda. Corporis viribus prævalidis multùm certè valuit; quas tamen varia oſtentatione jactare, niſi res poſceret, nunquam voluit: eas verò indies obfirmare, pro ſuſtinendo Monarchiæ in ſe maximè incumbentis pondere, ac pro tolerandis belli atrociſſimi laboribus ſtudioſè contendebat; idque tam pedeſtri, quàm equeſtri exercitio; mox certatim magni alicujus ferrei diſci projectu; militarium item concertationum ſimulachris; maximèque in fulmineo rotando acinace, jux-

ta gladiatoriæ artis normas, quas ſibi ab inſigni Magiſtro præſcriptas apprimè calluit. Valetudine ut plurimùm proſpera uſus eſt, quam nec turpe otium, nec deliciarum illecebræ, à quibus maximè abhorruit, aliqua ex parte corrumperent. Cibi moderatiſſimus; nullum niſi omnigenos piſces, ſtomacho penitus nauſeante; à quibus propterea ex Medicorum conſilio jugiter abſtinuit: à vino ſimiliter; niſi raro iiſdem ſuadentibus. Semel tantùm in confinio florentis adoleſcentiæ gravi ægritudine tentatus; qua effectum eſt, ut humanæ fragilitatis, & mortalitatis admonitus multò ſe deinde ſtudioſiùs ad ſupremum agonem compararet; cujus expreſſiori à me nuper factæ mentio-
Lib.4.c.32 ni conſultò hìc ſuperſedeo, ne pulcherrimam hanc Theodoſii effigiem Luſitaniæ adhuc in ejus obitu ingemiſcentis lacrymis indecorè maculatam omnium oculis ſpectandam objiciam.

8 Sic demum præſtrictis animi, corporiſque dotibus, nequid Theodoſii abſolutæ imagini à me initio promiſſæ deſit, de Ipſius veſtitu tam brevi, modicèque non nihil addendum, quàm Ille hac de re nihil ſolicitus, ornandi corporis parciſſimus quidem extitit. Vulgari plerunque habitu ab omni luxu, mollitieque alieno uſus eſt; qui tamen Principis dignitatem non dedeceret: paludamento, quàm togæ propenſior; quò ducibus, ac militibus in ſpem bellicoſi Principis erectis addictiorem ſe inſinuaret. Quòd ſi occaſione aliqua neceſſariò invitante, veſtibus ſolito pretioſioribus, auro, gemmiſque ornatis indui oporteret, induebat illas quidem invitus, at multò libentiùs exuebat; cùm peracta veluti ſcena ſibi redditus ad conſuetas rediret. En quàm potui verè ſummatim delineatam Theodoſii Principis exactam effigiem, quæ quàm ſit ſuo per omnia prototypo reſpondens, peculiaria, & exploratiſſima uſque ad finem ſequentis libri exempla indubiam fidem facient.

CAPUT II.

Mirabilis Principis Theodoſii ſapientia.

9 VErè, ac ſapienter dixere nonnulli: *Quantùm cæteris animantibus rationis homo, tantùm ſapientia reliquis hominibus, maximè ſibi ſubditis, præſtare Principem oportere.* Id, vel quid affine ſatis eleganter expreſſit ipſemet Princeps Theodoſius in ſuo de Mathematicis diſciplinis tractatu; cu-
Theod.l.1, c.1. jus hæc ſunt concepta verba: *Ariſtippus Socraticus cum civibus ſuis navigans, naufragio ejectus in littus maris, vidit figuras Mathematicas in arena depictas; ſalva* (inquit) *res eſt; hominum veſtigia conſpicio. Voluit oſtendere vir ſapientiſſimus, eos demum eſſe homines, qui ſcientiis, præſertim Mathematicis, ab irrationabilibus differunt, &c.* Equidem univerſis tam domeſticis, quàm exteris Principibus ita præſtitit Theodoſius, ut pauci admodum Illi fuerint meritò conferendi. Eorum quidam una, vel altera ſcientia inſignes olim extitere; omnigenis Theodoſius. Alii poſt longam annorum ſeriem ſapientes demum evaſere; Theodoſius nondum inita juventute, undevigeſimo ætatis anno, vigeſimo vix adito. Eorum plerique ſeceſſus, & ſolitudinis amantes, omni procul ſtrepitu, ac tumultu, ſapientiam pacis tranquillitate gaudentem aſſequuti ſunt; dum Theodoſius in ſumma Regiæ aulæ frequentia, inter bellicos tumultus ſcien-

tiarum

clarum ſtudio aſſiduè obſtrepentes ſingularem, quam nullus alius Princeps talibus ornatam appendicibus, ſapientiæ lauream ipſorum Sapientûm ſuffragio eſt adeptus. Eam verò fuiſſe prodigioſam, planèque mirabilem nemo inficiabitur, qui prætereа obſervet plurimas earum, quas mox commemorabimus, ſcientias, easque difficillimas à Theodoſio comparatas, nullo propè Magiſtro, ſed ſola incomparabilis ingenii perſpicacia ſibi ad quæque difficiliora inveſtiganda facem præferente.

10 Adde, præter Salomonem, Davidem, ac ſimiles Principes, quibus ſapientia divinitus indita, eòque incomparabilis contigit, fuiſſe nonnullos alienæ, quàm propriæ ſapientiæ monumentis clariores; qui pro ſuis ſuorum labores, vel ſibi oblatos, vel pecunia coëmptos, quaſi adoptivos filios in lucem edidere. Sic Ptolomeus ex ſeptuaginta Interpretum ſibi unanimiter deſudantium concordi traductione ſapientiæ famam collegit. Sic Imperator Juſtinianus ex legibus per Gratianum ſuo juſſu compilatis Juris prudentiæ legitimam gloriam ſuo veluti jure promeruit. Sic plures alii, ſub quorum propriis nominibus minùs propriè aliena evulgantur minimè vulgaria opera; quorum ope in ſapientûm laudes, & familias irrepſere: laudandi quidem omnes, vel eo ſolo nomine, quòd ingenti ſapientiæ amore illecti ad publicam utilitatem plurimùm utcunque contulere: at iidem noſtro Principi nullatenus æquiparandi; qui ſapientiam non ab aliis emendicatam, neque alieno ſudore, ſed propria induſtria comparatam perpetuò coluit, eandemque ſuis, non ſuorum ſibi ſtudentium lucubrationibus illuſtravit. Fuere tandem Principes alii laudabili certè ſedulitate ab amore ſapientiæ orta commendabiles; quam intra regalium ædium auguſta penetralia hoſpitaturi, magnificas eidem bibliothecas magnis ſumptibus extruxere; innumeriſque undique quæſitis voluminibus refertas locupletantes, ea ratione tum ſibi, tum celeberrimis ſcriptoribus nominis celebritatem ad poſteros transmittendam aucuparunt. In his Ptolomeus idem, Piſiſtratus, Octavianus Cæſar, Conſtantinus Imperator, Theodoſius junior Arcadii filius, aliique maximi propterea faciendi, à R. P. Doctore Benedicto Pereyra noſtræ Societatis in ſua doctiſſima Academia recenſentur. At longè commendabilior noſter Theodoſius, qui excisis columnis ſeptem artium liberalium Sapientiæ domum ædificavit, non in aulæ Regiæ, ſed in capitis ſui arce, quam ſcientiarum omnium domicilium verè dixeris Theodoſii Bibliothecam, ob multiplicem, quæ in eo eminebat, ſapientiam. At ea non contentus auguſtiorem ſecum aliam ſe cogitare noſtrorum nonnullis haud ſemel revelavit: nimirum; *Vbi bonis omnibus optabilis pax Hiſpanum bellum brevi exciperet, inſtruendam ſibi unam ex optimis, ampliſſimisque totius Europæ Bibliothecam; in quam, præter omnigenos alios, ex una parte noſtræ Societatis univerſos Scriptores inferret, ex alia cæterorum omnium ordinum libros ſeponeret*; tum pro laudabili magnificentia; tum quò certus ſibi eſſet locus, ubi pleniùs deliciari poſſet Ipſius inſatiabile adipiſcendæ ſapientiæ ſtudium; tum ad extremum, ut exploratum orbi foret, quantùm extremæ Societatis inclyta monumenta cæteris collata, & numero, & ſcientiarum omnium profeſſione, niſi eminerent, multùm ſaltem veræ laudis, & apud eruditos æſtimationis jure ſuo promererentur; cùm ab anno 1540, quo condita eſt Societas ad annum 1640 jam ultra quatuor mille volumina, eaque vulgò maxima, maximique facienda cenſerentur compoſita à ſexcentis ſupra mille Scriptoribus; eorum numero indies hactenus propè in immenſum excreſcen-

Lib. 4. §. 680.

P. Sebaſtianus Novaes in ſuo Lilio Virgineo citans P. Alagambe pagin. 326.

creſcente. Hujuſmodi tamen, ut plures alios Regios planè conatus, feſtina mors difflavit.

Lib.1.c.3. 11 Ab ipſa, ut diximus, infantia evolvendis libris, quoniam legendis per ætatem non liceret, ſedulam, ſibique voluptuoſiſſimam impendere operam exorſus eſt. Ad quadriennium acceleratus rationis uſus ætatis immaturæ moras exoſus, naturæque præfixis legibus, ac impedimentis evictis ſolito, & expectatione celeriùs Principi affulſit; exindeque futuræ olim ſapientiæ non obſcura præſagia præ ſe tulit. Sub initium quinquennii jam apprime tenebat, memoriterque ſingulari dexteritate recitabat, non modò univerſam doctrinam Chriſtianam, Fideique myſteria, materna lingua Luſitana, verùm etiam Latina, Deiparæ, ac Sanctorum Litanias, Apoſtolicum Symbolum, Miſſæ præfationem, Evangelium Sancti Joannis, aliaſque piiſſimas preces: id verò totum (quod magis mirere) nemine docente, ſed quia vel Sacerdotem Sacris operantem, vel alios hæc proferentes attentè audierat. Per idem ferè tempus, haud multò poſt legendi pariter, & ſcribendi peritiam inſolita diſcendi ratione hauſit; ſolius minoris Nutricis obſequioſa uſus induſtria; quæ flagitanti Sereniſſimo Puero exaratum à ſe rude alphabetum in exigua charta exhibuit, addita vocali uniuſcujuſque characteris explicatione. Nec mora, paucos intra dies ſingula quæque legendo, & ſcribendo expeditiſſimè maximam de ſe ad majora fecit ſpem: cunctis meritò admirantibus præcocis, ac prævolantis ingenii eximiam pernicitatem, tantuloque impendio ita brevi rem tantam pro imbecillæ adeò ætatis captu ſtetiſſe: maximè cùm viderent à ſe, vel à quovis alio ſcripta, non dextrorſum modò, ſolito de more, ſed nonnunquam etiam ſiniſtrorſum inverſis characteribus facillimè lectitantem. Quod licet re ipſa maximi faciendum non ſit, maximi certè ingenii eſt minimè contemnendum argumentum. Eo jam temporis ingens Puero inceſſerat cupido tum ſciendi omnia, maximè recondita quælibet, aliiſque ignota, tum de aliena ſcientia periculum faciendi. Cujus rei unicum in ſua relatione producit exemplum Doctor Franciſcus Morato inſignis Medicæ artis profeſſor. Ab eo quæſivit Princeps, *Quid in humano eſſet corpore mucronata cartilago? Qua ratione illa nobis excidere, ac erigi vulgò diceretur?* Ubi à ſapiente viro de hiſce omnibus fuit ex votis inſtructus, ab aliis Medicis id ipſum inquirebat; ſi fortè illorum aliquis minùs appoſitè reſponderet exploraturus: tunc enim illum ingenioſè, & modeſtè ſemper arguere, hujuſmodique quæſtionibus à ſe primùm probè perſpectis, mox cum eorum profeſſoribus, diſcuſſis, non vulgaris ingenii ſpecimen præbere; iiſque, niſi plenè ſatisfacerent, haud mediocrem injicere ruborem.

12 Hiſce animadverſis, Sereniſſimi Parentes, deprehenſaque ab indiciis paſſim emicantibus ſui Primogeniti ad ſcientias inſita propenſione, Magiſtrum (de quo alibi diximus) illi præficiunt; ſub cujus diſciplina neque minus, (Lib.1.§.66) neque plus ſaperet, quàm oporteat ingenuum Principem ſapere ad ſobrietatem. Nullus fortè ab orbe condito Principis alicujus Magiſter extitit fortunatior, qui collocatæ à ſe induſtriæ in perficiendo Diſcipulo breviùs, aut faciliùs uberiorem fructum perciperet: unicè illi fuit adlaborandum, non in acuendo, ut vulgò accidit, ſed potiùs in continendo Principis genio, & ingenio; quod more æſtuantis ignis obvia quæque corripientis, ac momento abſumentis, ſibi objecta ſcientiarum nutrimenta incredibili celeritate comprehendebat. Sub illo eos brevi fecit in addiſcenda Grammatica progreſſus,

ſus, ut univerſam intra biennium, non dum expleto ætatis ſeptennio, abſolverit. Tunc Ulyſſiponem traductus è Villaviſſoſa, ea qua diximus alibi cauſa, cœlum, ac ſolum, non animum ſcientiis jam addictum mutavit: utrunque licèt nativo, etſi optimo nactus clementius, uberiores indies delibatas ſemel ſapientiæ fructus cœpit polliceri: novellæ, ac generoſæ arbuſculæ inſtar, quæ aliò translata, indulgentiorisque culturæ beneficio invitata, jactis altiùs radicibus, in ſpecioſiores ſolito flores, & ſapidiores fructus erumpit. Lib. 1. §. 69

13 Hactenus ſtudioſo Principi unum, idque præcipuum deerat ſtudioſum ex æmulatione incitamentum, ſine qua vel ipſe friget ſciendi, ac proficiendi ardor, neminè ſopitos ignes ſuſcitante: torpent alioqui vivida ingenia, dum ex adverſo non eſt, qui arguendo, urgendo, ac ſtimulando excitet: è contra vel ipſi lapides natura frigidi mutuo attritu ignem concipiunt; deterſaque per colliſionem rubigine ferrum acuitur, ac niteſcit. Et quidem in Villaviſſoſæ palatio nullum præter ſe habuit ſui æmulatorem; in Ulyſſiponenſi plurimos ingenuos pueros ex Primaria nobilitate, quos Sereniſſimus Rex Joannes unà cum Principe Theodoſio educandos, iiſdemque cum Illo diſciplinis imbuendos, ſub eodemmet Magiſtro conſultiſſimè deſignavit. At quanvis eorum neminem æmularetur Theodoſius, inter omnes dignitate, ingenio, cæteriſque ad capeſſendas ſcientias inſtrumentis longè ſuperior; univerſos nihilominus iiſdem, quibus eminebat, dotibus ad ſui æmulationem mirificè provocabat: non quòd Principem æquare, ne dum ſuperare præſumerent, ſed quia unuſquiſque in ſcientiis Illi proximus eſſe cuperet, longo licèt proximus intervallo: haud vulgari tamen ex aliena æmulatione Theodoſio ad comparandas celeriùs ſcientias ſubſequuto emolumento; cùm enim cæteros facilè ſuperaret, à ſe ipſo vinci, quoniam ab aliis minimè poterat, unicum Illi ſecum, & glorioſum erat certamen. Suſpiciebant Illum omnes, non ut ſtudiorum ſocium, ſed Magiſtrum; cujus dum apud omnes frequenter partes obiret, plus docendo commilitones, quàm à Præceptore addiſcendo proficiebat. Effuſa in plures doctrina, quam ab uno hauſta diſciplina evadimus plerunque ſapientiores; altiùs, firmiùſque docentis animo adhærentibus documentis, quæ diſcipulorum arrectis auribus crebrò inculcat, quorumque debeat, vel ab illis exigere, vel illis iteratò exigentibus reddere rationem. Fidem faciat, etſi ſupra omnem fidem, Theodoſii ediſcentis, unàque ſuos coætaneos edocentis mirabilis planè ſapientia. Lib 1, §. 85

14 Grammaticæ univerſæ primis, iiſque ſolidiſſimis jactis prædicto biennio fundamentis, mirum dictu, quàm brevi ad ſummam excreverit altitudinem ſcientiarum omnium domicilium, quod in Theodoſio ad æternæ gloriæ monumentum ſibi erexit Sapientia. Latinæ linguæ limatioris perfectionem aſſequuturus, diurna ſimul, nocturnaque verſare manu celeberrimos quoſque primæ claſſis Authores caſtæ Latinitatis vindices; mox elegantiores ſententias, optimoſque dicendi modos calamo, & memoriæ committere; tandem ad eorum imitationem eniti, vel extemporanea dictione, vel frequenti, meditataque compoſitione: ſic paucos intra menſes eò facilitatis devenit, ut promptè, omni procul hæſitatione, Latina ſibi ſponte flueret oratio, quacunque de re propoſita, non modò conſtans, Grammaticæque legibus penitus adſtricta, ſed nitida, elegans, & numeris omnibus abſoluta. Diceres Theodoſium, non tam Luſitanum, quàm Latinum, in antiquo Latio, non Vil-

lavisſoſæ natum. Puer adhuc ſelectis ſententiis ex probatiſſimo quolibet Authore mutuatis amplificandis; mox curioſis, ſed utilibus quæſtionibus in utranque partem problematicè diſcutiendis; ſimulque familiaribus nonnullis epiſtolis ſcribendis operam dedit: adoleſcens, creſcente indies cum annis
Hoc lib. c.3. eruditione, variis (de quibus mox) tractatibus, ac libris multiplici argumento condendis incubuit, Latino quidem idiomate, cui libentiùs, quàm Luſitano vernaculo aſſueverat. Illi ut pueri à triennio non dum elapſo Indulgere occipiant, monet ipſemet Princeps in ſua Macariopoli hiſce verbis:
In Macariop. *Triennio labente linguam* (Latinam nempe) *addiſcant; & ſiquid in lingua impedimenti, arte, ac induſtria curetur. Item alphabetum diſcant partim ludis (etenim ipſiſmet jocandi globulis, lignunculis, &c. nomina, & figura literarum indi poſſunt) partim deambulando per ambulacra, quæ alphabetis inſcribi oportet, &c.*

15 E Latinæ linguæ abſoluta cognitione ad Græcam, & Hebraicam gradum fecit; nimirum ut ex hoc triplici quaſi theſauro ſcientiarum omnium divitias continente ſapientiam erueret, argento, auro, gemmiſque pretioſiorem. Haſce tres linguas præ cæteris pluris faciendas, omninoque addiſcendas vel eo ſolo nomine aſſerebat, quòd illis potiſſimùm Spiritus Sanctus uſus fuerit in cœleſti Veteris, ac Novi teſtamenti doctrina mortalibus propalanda. Eaſdem memoriæ præterea in capite reſidenti commendandas, quas venerabilis Crucis titulo inſcriptas, & Sanctiſſimum Jeſu nomen exprimentes Chriſtus moriens ſuprema dignatus eſt inclinati capitis reverentia. Græcis literis non tam excelluit, quàm Latinis; ſatis habens Græcos Scriptores poſſe commodè interpretari. Extant in Ipſius manuſcriptis Græci paſſim characteres ab eo eleganter exarati, luculenti hujus Græcæ peritiæ teſtes. Gloriatur, & quidem meritò, Pater Emmanuel Monteyro noſtræ Societatis, Ulyſſiponenſiſque Profeſſæ Domus in præſentiarum Præpoſitus, fuiſſe à ſe literis Græcis optimum Principem inſtitutum. Hebraicam, ſive Sanctam linguam non ſatis habuit ſanctè colere, utpote Chriſto Domino, Sanctiſſimæ Deiparæ, ac Sacris Apoſtolis familiarem, & vernaculam: ſic illius prima didicit rudimenta, ut quoties in ea rude vellet donari, & ad profundiores ejus radices penetrare, nullo negotio poſſet. Jam verò ex vulgaribus haud vulgari fructu Italam, Gallicam, & Britannicam aſſequutus eſt; præter Caſtellanam, Luſitanicæ ita affinem, ut vix ullus reperiatur Ingenuus Luſitanus illius planè rudis, & vel ex infima plebe rariſſimi. Aliis fortaſſe (quod me latet) linguis fuerit Princeps eruditus: illud certum habeo Ipſius ingenii probè conſcius; ſi aliquanto longævior deceſſiſſet, fore, ut Mithridatis Ponti Regis gloriam non æquaret modò, ſed ſuperaret; de quo memoriæ proditum eſt tenuiſſe
Lipſ. mon. & exp. pol. lib. c.7. n. 18. viginti duas linguas, ſic ut omnes ſubditos, quemque ſua dialecto promptè, ſcienterque alloqueretur. Plures quidem numerantur ſub Luſitana ditione Nationes; tam variæ linguis, habitu quàm veſtis, & oris.

16 Jam Latinæ linguæ, cæterarumque præſidio ſatis inſtructum Theodoſium, ſuo jure ad ſe Rhetorica, & Poëtica evocabant. Et quidem Poëticam, utpote maximorum Heroum commendatricem, eòque ab illis in ſummo pretio habitam, & vel ipſius Davidis ſacris vaticiniis metricè conſecratam, licèt maximi ſemper fecerit, in ejus tamen exercenda praxi alioqui laudabili nec multus, nec diuturnus profectò fuit; utilioribus ſtudiis Ipſius animum aliò abripientibus; contentus optimos quoſque, ſed præſertim Heroicos Poëtas perlegiſſe, illorumque obſervanda maximè documenta, & ſelectiores

ſenten-

ſententias adnotaſſe: edendis facinoribus carmine dignis, quàm condendis carminibus proclivior; quorum tamen pedes vel æquis paſſibus currentes, vel aliquando invenuſtè claudicantes apprime tenebat, legum, ac menſuræ peritiſſimus. Ad Rhetoricam addiſcendam civilis æquè, ac militaris vitæ optimam moderatricem, ideoque Principibus domi, ac militiæ valdè neceſſariam, ſive ad ſuadenda reipublicæ utilia, ſive ad noxia diſſuadenda, ſeriò, ac pro virili nervos omnes intendit. Univerſa ejus præcepta, Figuras, Tropos, argumentorum ſedes in promptu habere ſolicitus, &, cùm res poſceret, expromere. Licèt oratorum facilè Principem Tullium, ejusque veſtigiis inſiſtentem Quintilianum meritò ſuſpiceret, eloquentiæque candidatis æmulandos proponeret; proprio tamen genio indulgens adſtrictum, collectumque dicendi genus abſque longis, & lacinioſis verborum ambagibus argumenta concludens ſequutus eſt. Ut pomis potiùs gravem, quàm foliis ſpecioſam arborem, ſic rationum pondere, quàm verborum luxurie commendabiliorem orationem prædicabat. Ad hæc, eximii muſici eſſe ſuaviſſimo concentu aures demulcere, oratoris eloquentis ſententiarum gravitate animos commovere, ac quò vellet impellere. Quo in genere quàm excelluerit Theodoſius, nonnullæ, quarum jam memini, fidem faciunt breves quidem, at ponderoſæ, ad perſuadendum efficaces conciones; alias in progreſſu dabimus: plures hodie haberemus, niſi noſtro ingenti malo, invida mors breviori abuſa ſtylo, vitæque anguſtioribus terminis circunſcriptis, Illi ſilentium nobis ingratiſſimum indixiſſet.

17 Rhetoricam excepit Hiſtoria; quæ ſimul, & rerum geſtarum narratione ad prudentiam inſtituit, & lectores ſuos vates reddit, eventum olim ex iis, quæ præteriere, conjicientes. Hanc vitæ, morumque magiſtram, temporum, & antiquitatis teſtem, vetuſtatisque nuntiam adeo ſtudioſè coluit Theodoſius, ut illi ſolidos dies, & continentes noctes impendere non dubitarit; ſic jucundiſſima ejus lectione afficiebatur; ut præ hac una reliquas oblectationes prorſus inanes duceret, ſibique nihili faciendas. Primùm omnium Luſitanam, mox Latinam, deinde Græcam, tandem generalem univerſarum Gentium hiſtoriam, haud plurimis evolutis menſibus inceſſanter evolvit; non quidem, ut nonnulli ſolent, curenti, aut prætervolanti ſimilis, ſed paſſim ſubſiſtentis, ſingulaque notatu digna curioſè obſervantis more. Neque verò contentus memoriæ, ſcripto etiam memoriali notabilia quæque in tempore profutura committere: ſpecioſiora in primis maximarum virtutum exempla; tum deinde naturæ, artisque admiranda opera; Regnorum præterea initia, progreſſus, & ſumma incrementa; mox quibus potiſſimùm artibus, & virtutibus unumquodque cæperit, adoleverit, & ad quandam veluti juvenilis, & virilis roboris firmitatem pervenerit; demumque turpi otio, & vitiis prævalentibus elangueſcens miserè conſenuerit: ad extremum optimam adminiſtrandæ reipublicæ rationem tum pace, tum bello vigentibus; maximèque, ut à prudenti, ſtrenuoque Imperatore difficillimis nutantis imperii temporibus providè, fortiterque conſultum fuerit privatis, publicisque rebus, ne penitus interirent.

18 Eodem temporis politicæ diſciplinæ prorſus hauriendæ cupidus legendis libris politica præcepta profitentibus diligenter inſtitit. Sed quia duplex eſt eorum genus; quorum primi rationi, & Catholicæ religioni omninò conſentanea perſuadent; ſecundi ſolius commodi ratione habita, multùm à

lavilloſæ natum. Puer adhuc ſelectis ſententiis ex probatiſſimo quolibet Authore mutuatis amplificandis; mox curioſis, ſed utilibus quæſtionibus in utranque partem problematicè diſcutiendis; ſimulque familiaribus nonnullis epiſtolis ſcribendis operam dedit: adoleſcens, creſcente indies cum annis eruditione, variis (de quibus mox) tractatibus, ac libris multiplici argumento condendis incubuit, Latino quidem idiomate, cui libentiùs, quàm Luſitano vernaculo, aſſueverat. Illi ut pueri à triennio non dum elapſo indulgere occipiant, monet ipſemet Princeps in ſua Macariopoli hiſce verbis: *Triennio labente linguam* (Latinam nempe) *addiſcant; & ſiquid in lingua impedimenti, arte, ac induſtria curetur. Item alphabetum diſcant partim ludis (etenim ipſiſmet jocandi globulis, lignunculis, &c. nomina, & figura literarum indi poſſunt) partim deambulando per ambulacra, quæ alphabetis inſcribi oportet, &c.*

Hoc lib. c.3.

In Macariop.

15 E Latinæ linguæ abſoluta cognitione ad Græcam, & Hebraicam gradum fecit; nimirum ut ex hoc triplici quaſi theſauro ſcientiarum omnium divitiàs continente ſapientiam erueret, argento, auro, gemmiſque pretioſiorem. Haſce tres linguas præ cæteris pluris faciendas, omninoque addiſcendas vel eo ſolo nomine aſſerebat, quòd illis potiſſimùm Spiritus Sanctus uſus fuerit in cœleſti Veteris, ac Novi teſtamenti doctrina mortalibus propalanda. Eaſdem memoriæ præterea in capite reſidenti commendandas, quas venerabilis Crucis titulo inſcriptas, & Sanctiſſimum Jeſu nomen exprimentes Chriſtus moriens ſuprema dignatus eſt inclinati capitis reverentia. Græcis literis non tam excelluit, quàm Latinis; ſatis habens Græcos Scriptores poſſe commodè interpretari. Extant in Ipſius manuſcriptis Græci paſſim characteres ab eo eleganter exarati, luculenti hujus Græcæ peritiæ teſtes. Gloriatur, & quidem meritò, Pater Emmanuel Monteyro noſtræ Societatis, Ulyſſiponenſiſque Profeſſæ Domus in præſentiarum Præpoſitus, fuiſſe à ſe literis Græcis optimum Principem inſtitutum. Hebraicam, ſive Sanctam linguam non ſatis habuit ſanctè colere, utpote Chriſto Domino, Sanctiſſimæ Deiparæ, ac Sacris Apoſtolis familiarem, & vernaculam: ſic illius prima didicit rudimenta, ut quoties in ea rude vellet donari, & ad profundiores ejus radices penetrare, nullo negotio poſſet. Jam verò ex vulgaribus haud vulgari fructu Italam, Gallicam, & Britannicam aſſequutus eſt; præter Caſtellanam, Luſitanicæ ita affinem, ut vix ullus reperiatur Ingenuus Luſitanus illius planè rudis, & vel ex infima plebe rariſſimi. Aliis fortaſſe (quod me latet) linguis fuerit Princeps eruditus: illud certum habeo Ipſius ingenii probè conſcius; ſi aliquanto longævior deceſſiſſet, fore, ut Mithridatis Ponti Regis gloriam non æquaret modò, ſed ſuperaret; de quo memoriæ proditum eſt tenuiſſe viginti duas linguas, ſic ut omnes ſubditos, quemque ſua dialecto promptè, ſcienterque alloqueretur. Plures quidem numerantur ſub Luſitana ditione Nationes; tam variæ linguis, habitu quàm veſtis, & oris.

Lipſ. mon. & exp. pol. lib. c.7. n. 18.

16 Jam Latinæ linguæ, cæterarumque præſidio ſatis inſtructum Theodoſium, ſuo jure ad ſe Rhetorica, & Poëtica evocabant. Et quidem Poëticam, utpote maximorum Heroum commendatricem, eòque ab illis in ſummo pretio habitam, & vel ipſius Davidis ſacris vaticiniis metricè conſecratam, licèt maximi ſemper fecerit, in ejus tamen exercenda praxi alioqui laudabili nec multus, nec diuturnus profectò fuit; utilioribus ſtudiis Ipſius animum aliò abripientibus; contentus optimos quoſque, ſed præſertim Heroicos Poëtas perlegiſſe, illorumque obſervanda maximè documenta, & ſelectiores

ſententias adnotaſſe: edendis facinoribus carmine dignis, quàm condendis carminibus proclivior; quorum tamen pedes vel æquis paſſibus currentes, vel aliquando invenuſtè claudicantes apprime tenebat, legum, ac menſuræ peritiſſimus. Ad Rhetoricam addiſcendam civilis æquè, ac militaris vitæ optimam moderatricem, ideoque Principibus domi, ac militiæ valdè neceſſariam, ſive ad ſuadenda reipublicæ utilia, ſive ad noxia diſſuadenda, ſeriò, ac pro virili nervos omnes intendit. Univerſa ejus præcepta, Figuras, Tropos, argumentorum ſedes in promptu habere ſolicitus, &, cùm res poſceret, exprimere. Licèt oratorum facilè Principem Tullium, ejusque veſtigiis inſiſtentem Quintilianum meritò ſuſpiceret, eloquentiæque candidatis æmulandos proponeret; proprio tamen genio indulgens adſtrictum, collectumque dicendi genus abſque longis, & lacioniosis verborum ambagibus argumenta concludens ſequutus eſt. Ut pomis potiùs gravem, quàm foliis ſpeciosam arborem, ſic rationum pondere, quàm verborum luxurie commendabiliorem orationem prædicabat. Ad hæc, eximii muſici eſſe ſuaviſſimo concentu aures demulcere, oratoris eloquentis ſententiarum gravitate animos commovere, ac quò vellet impellere. Quo in genere quàm excelluerit Theodoſius, nonnullæ, quarum jam memini, fidem faciunt breves quidem, at ponderoſæ, ad perſuadendum efficaces conciones; alias in progreſſu dabimus: plures hodie haberemus, niſi noſtro ingenti malo, invida mors brevioři abuſa ſtylo, vitæque anguſtioribus terminis circunſcriptis, illi ſilentium nobis ingratiſſimum indixiſſet.

17 Rhetoricam excepit Hiſtoria; quæ ſimul, & rerum geſtarum narratione ad prudentiam inſtituit, & lectores ſuos vates reddit, eventum olim ex iis, quæ præteriere, conjicientes. Hanc vitæ, morumque magiſtram, temporum, & antiquitatis teſtem, vetuſtatisque nuntiam adeo ſtudiosè coluit Theodoſius, ut illi ſolidos dies, & continentes noctes impendere non dubitarit; ſic jucundiſſima ejus lectione afficiebatur, ut præ hac una reliquas oblectationes prorſus inanes duceret, ſibique nihili faciendas. Primùm omnium Luſitanam, mox Latinam, deinde Græcam, tandem generalem univerſarum Gentium hiſtoriam, haud plurimis evolutis menſibus inceſſanter evolvit; non quidem, ut nonnulli ſolent, currenti, aut prætervolanti ſimilis, ſed paſſim ſubſiſtentis, ſingulaque notatu digna curioſè obſervantis more. Neque verò contentus memoriæ, ſcripto etiam memoriali notabilia quæque in tempore profutura committere: ſpecioſiora in primis maximarum virtutum exempla; tum deinde naturæ, artisque admiranda opera; Regnorum præterea initia, progreſſus, & ſumma incrementa; mox quibus potiſſimùm artibus, & virtutibus unumquodque cœperit, adoleverit, & ad quandam veluti juvenilis, & virilis roboris firmitatem pervenerit; demumque turpi otio, & vitiis prævalentibus elangueſcens miſerè conſenuerit: ad extremum optimam adminiſtrandæ reipublicæ rationem tum pace, tum bello vigentibus; maximèque, ut à prudenti, ſtrenuoque Imperatore difficillimis nutantis imperii temporibus providè, fortiterque conſultum fuerit privatis, publicisque rebus, ne penitus interirent.

18 Eodem temporis politicæ diſciplinæ prorſus hauriendæ cupidus legendis libris politica præcepta profitentibus diligenter inſtitit. Sed quia duplex eſt eorum genus; quorum primi rationi, & Catholicæ religioni omninò conſentanea perſuadent; ſecundi ſolius commodi ratione habita, multùm à

vero utili aberrantes, cætera etiam conſcientiam flocci faciunt; primos unicè legendos, ſecundos prorſus ablegandos exiſtimabat. Expertus tamen eſt quotidiano propè uſu, ad veræ Politices aſſecutionem contendentibus longum iter protendi per nuda præcepta, breve, ac expeditum per hiſtorica exempla; cùm pro cujuſque præcepti confirmatione hiſtoriam legentibus plurima frequenter occurrant. Adde, quòd eadem repetitò legentis animum fortiùs pulſant, ac tenaciùs illius memoriæ adhærent. Quo nomine vel ipſi experientiæ prudentûm judicio ad erudiendum validiſſimæ præferendam hiſtoriæ lectionem meritò cenſebat Theodoſius; cùm vel unius tantùm horæ brevis lectio faciliùs, ac utiliùs nos inſtruat, quàm per longiſſimam plurium annorum ſeriem laborioſè comparata experientia; rarò nimirum, & fortaſſe vix unquam noſtro ævo iis recurrentibus, quæ tot anteactis ſeculis toties eveniſſe, vel unica eruditæ hiſtoriæ pagina ſæpe commemorat.

19 Ipſa præterea (ut reor) Hiſtoria Theodoſium ad Mathematices auguſta limina veluti manu duxit; immò ad ſecretiora ipſius penetralia curioſè ſingula perluſtrantem introduxit. Legerat nonnullos fuiſſe olim in Mathematicis diſciplinis eximios Imperatores, Reges, ac Principes, ex quorum nominibus æternitati commendandis longum ſatis, & luculentum Ipſe in ſuò Mathematico tractatu exponit catalogum ex Rantzovio, & aliis (ut ibidem fatetur) mutuatum; in quo ſeptem ſupra triginta Pontifices maximi, Principes, Reges, ac Imperatores numerantur; ex quibus probare contendit, talium potiſſimùm eam eſſe ſcientiam: Illos verò in eam, cui præfuere, Monarchiam, aut rempublicam non parum utilitatis, gloriæ certè plurimum ex eadem ſcientia contuliſſe. In his omni laude majorem, Luſitaniſque annalibus celeberrimum deprehenderat Infantem Henricum Sereniſſimi Regis Joannis primi Filium; cujus Mathematicis lucubrationibus prima navigationis Indicæ tentamenta debet Luſitania; multis, Illo Authore, navibus exploratoriis ſubinde in annos dimiſſis ad Orientem aperiendum, poſtea ſub Sereniſſimo Emmanuele Rege feliciſſimo Henrici præeuntis veſtigiis inſiſtente patefactum. Horum æmulatione, ſimulque ardenti ſuis Luſitanis omnimodè proficiendi accenſus Theodoſius, intentiori, quàm ullus hactenus, ſtudio Mathematicas diſciplinas aggreſſus eſt. Univerſas illarum ſpecies; Arithmeticam, Geometriam, Geographiam, Coſmographiam, Aſtrologiam, Aſtronomiam, Nauticam, Opticam, Perſpectivam, Architectonicem, &c. adeo exactè calluit, ut nihil in eis tam reconditum, & implicitum, quin illuc ingenii præcellentis acumine penetrarit, ac difficultatum Gordianos nodos

Lib. 1. §. 165. & 166. diſſolverit, quàm facilè, ac feliciter præter alia, de quibus alibi, argumento ſit duplex utrunque luculentiſſimum teſtimonium.

Ibidem §. 161. 162. 20 Primum ſit eximii cujuſdam Flandrobelgici Mathematici tunc fortè Ulyſſipone agentis; cùm Princeps paucis ante menſibus, nullo Præceptore, Mathematicas diſciplinas ſibi addiſcendas propoſuerit. Illi Sereniſſimus Rex injunxit, ut Principem Mathematicæ penitus addictum ad penitiora hujuſce ſcientiæ ſecreta edocendo deduceret. Tunc explorata in primo congreſſu Principis eximia rerum Mathematicarum peritia, renuntiat præcipienti Regi ſuis præceptis nullatenus indigere Principem, quem priùs Magiſtrum, quàm Diſcipulum inveniſſet. Idem aliquando cùm Theodoſio difficillimam Euclidis propoſitionem ſcitu dignam explicare aggrederetur, accepto graphiolo implicitos valde numeros cæpit in ſubjecta charta deſignare. Dum

Lib. 1. c. 1. [margin note beside "Mathematico tractatu"]

tamen ſemel, atque iterum prioribus à ſe deſcriptis numeris extremos minimè cohærere, univerſis abolitis, terque, quaterque, at irrito ſemper conatu, in idem inſtitit: rupta denique, non ſine indignatione, infelici (ut ajebat) charta, numerorum ſibi non obtemperantium protervi am cauſabatur. Tunc Princeps attentè ſingula intuitus, apprime gnarus ex certis præmiſſis reconditam inferre concluſionem: *Permitte* (inquit) *experiri, en mihi, quàm tibi tui ſint numeri obſequentiores.* Nec mora, primis numeris graphicè deſignatis, conſcius ubi poſteriores fallerent, & magiſtra manus laberetur, eoſdem numeris omnibus abſolutos, ſibique invicem cohærentes ſcitè; ac citiſſimè reddidit: admirabundo interim Magiſtro, & cum ſtomacho in hæc verba prorumpente: *Cur, quæſo, V. Celſitudo addiſcendo fruſtra tempus terit, ſi docentem Magiſtrum tam facilè novit corrigere, aberrantemque docere?* Secundum accepi ab Indico Prorege (de quo in Prologo) mihi de Mathematica Principis ſcientia ſciſcitanti præter alia hæc referente: *Euclidem nonnulli unà cum Principe ſcrutabamur; verùm (ut ſæpè magnis accidit ingeniis) dum in aliqua ejus difficili propoſitione percipienda impliciti diu hæremus, Ille decem, aut pluribus eodem temporis, incredibili præcipitis ingenii dexteritate, non ſemel enucleatis, nobis interim cæcutientibus, ad difficillima quæque prælucebat.* Hæc acerrimi alioqui Vir ingenii de ſe, ac ſui ſimilibus ingenuè fateri non dubitavit. Prol. §. 18.

21 Satis, ſuperque iis jam ſcientiis Theodoſius eminebat, ex quibus pauci admodum Principes ſuperiori Patrum memoria illuſtre ſapientis encomium ad poſteros tranſmiſere. Verùm non ſatiatur oculus viſu, nec auris auditu, neque immenſa propè ſcientiarum ſitis, quæ inexplebili aviditate Theodoſii animum ſtimulabat, ullo unquam incremento expleri potuit: irrequieti ad inſtar Oceani, in quem omnia intrant flumina, & tamen neque redundat; neque novos ſubinde aquarum cumulos abſorbendo unquam ſitire ceſſat. Et quidem Theodoſius non hauriendæ tantùm ſapientiæ, ſed exhauriendæ, ſi fieri poſſet, inſatiabili prorſus appetitu exagitabatur. Hinc quaſi pro nihilo reputans adeo brevi, exactèque Latinam Grammaticam, Linguarum peritiam, Rhetoricam, Poëticam, Hiſtoriam, Politicam, ac demum Mathematicam comparaſſe; ad Philoſophiam primùm; deinde ad Theologiam; mox ad Juriſprudentiam, & Medicinam; tandemque ad Myſtologiam omnium ſupremam, & utiliſſimam convolavit; *Philoſophiam* (inquit Author Theodoſii Tumuli) *ſemeſtri ferè ſpatio apprime tenuit; & Philoſophiam tenuit admiratia, cùm ingenio humano aſſecutum vidit, quod vix homo quiſquam comparaſſet; &c.* Eam adeo perfectè didicit, ut docere poſſet, ac inter eximios quoſque Philoſophos recenſeri; ipſa, ut puto, Philoſophia obſtupeſcente, ad eas temporis anguſtias ſe redactam, ut quam non niſi plurium annorum decurſu vel ingenioſiſſimus quivis aſſequi potuit; intra ſex menſes Theodoſius conſequeretur. Theologiam non è primo tantùm limine ſalutavit, ſed Philoſophia monſtrante viam, præviaque Fide licèt obſcura incertitudinis tenebras diſſipante, vel in abditiſſima inacceſſæ Trinitatis arcana penetravit. De utraque ſcientia ſic Author ejus Tumuli; & in primis de Philoſophia, ſive Dialectica. Tom. Theod pag. 5. Ibid. pag. 67. & 68.

22 *Rectè (inquit) dividere, propriè definire, acutè excogitare, argutè opponere, appoſitè ratiocinari, validè argumentari, ſolidè reſpondere, fortiter impugnare, vehementer urgere, aptè refellere, Illius propria, & genuina virtutes fuerunt. Inerat menti ſumma vis, quæ acuta hæc, & ſubtilia amabat; nec opus erat alio, qui incitaret; ſponte currebat; & ſtimulos indignabatur. Neſcires ars illa, an natura eſſet; nam cùm viderès*

deres peritiam, artem crederes; cùm celeritatem volantis, naturam exiſtimares. Ingenii præſtantia obtinuit; ut quæ artis ſunt, natura anteverteret, & occuparet. Mirabile id inicio videri; ſed cùm omnes alias ſcientias, quæ libero homine, ac Principe ſunt dignæ; uti ad quamcunque accedebat, citra Magiſtri opem cœpiſſet acquirere, ac eas omnino mente complecti, nova ratione admirandi priorem oppreſſit. Itaque admiratio in ſtuporem tranſiit, &c. De Theologia verò, veriùsne; an eloquentiùs? Ita:
Ib.pag.70. *Ecquis verò Illius acumen, & judicium, & felicitatem in rerum Divinarum ſcientia, quam Theologiam vulgò dicimus, comparanda, oratione conſequi poſſit? Ad cujus ſtudia, quòd altiora cæteris ſint, ingenii viribus rapiebatur; ac ut pulli aquilarum adhuc teneri ad ſolem intuendum natura ſe comparant; ita Ille in acerba; & immatura ætate lumen Theologiæ ipſo innato animi impetu anhelabat. Itaque mirum eſt, quàm brevi illam ſcientiam tam altam, tam abſtruſam, tam remotam à ſenſibus, & à communi intelligendi ratione comprehenderit. Tam facilè in ſacrarum literarum adyta penetrabat, ut invitatus putaretur. Familiarem ſe ei, & intimam Theologia præbebat; omnia arcana aperiebat; nihil ſubtrahebat; ducebat manu, facemque præferebat. Stupere indocti, docti mirari; Magiſtri ejus facultatis primùm dubitare; deinde experiri, tandem periculo facto acquieſcere; & cum Illo quaſi cum pari diſputare, &c.*

23 Juriſprudentiam regendis populis, & Juſtitiæ adminiſtrandæ omnino neceſſariam, non privatis tantùm Judicibus, ſed maximè ſupremo Principi judicabat; eundem verò maximis erroribus obnoxium, eòque Principis nomine indignum, qui vel penitus neſciret, vel per ſe inconſultis juriſperitis, ſcire non poſſet, quid Jus Commune, quid Patrium in qualibet quæſtione civili, aut criminali decerneret. Ideo Luſitanas in primis Ordinationes Jus Patrium continentes; mox totius Juris Civilis, itemque Canonici percurrit libros; adepta exinde non vulgari cognitione quæſtionum omnium, quæ in utriſque deciduntur: ut, ſi aliquando res ipſa poſtularet, nullo negotio poſſet certam reſolutionem invenire. Medicinæ quoque ſalutaribus documentis ex Hippocratis, & Galeni fontibus derivatis ità fuit inſtitutus, ut ſibi à Principis præſentia paſſim caverent Medici ſcientiſſimi, cautèque apud Illum de morborum cauſis, effectibus, & remediis diſputarent; Ipſo non ſemel eos validiſſimis argumentis urgente; nonnunquam admiſſi erroris in tempore admonente, ac ad ſaniorem ſententiam prolatis, quos inficiari non auderent, teſtibus reducente. Præter has præcipuas Artes, aliis etiam, vel militaribus Principe dignis, vel mechanicis nonnullis à Principe haud alienis, excelluiſſe Theodoſium jam à nobis alibi commemoratum. De omnibus luculentam paſſim variis in locis facit mentionem Author Tumuli Theodoſii, ſæpius ab omnibus legendus, ac à nobis ſæpiſſime recitandus.
Lib.1.c.12

24 Quàm verò in prædictis omnibus ſcientiis præſtiterit Theodoſius, præter ea, quæ hic, alibique jam diximus, unum mihi eſt evidens, minimèque contemnendum argumentum ex Ipſius manuſcriptis deſumendum. Et quidem non aliunde ſyncerior, aptiorve in Theodoſium, quàm ex ipſo Theodoſio ſatis digna commendatio potuit derivari. Omnibus in confeſſo erit, cui tantus Princeps irrefragabile perhibeat teſtimonium veritati. In eo nempe tractatu (de quo infra) quem de Mathematicis diſciplinis ſcriptum reliquit, cujuſque apud me habeo plurimos codices ultima jam manu donatos, poſtquam tribus primis libri primi capitibus brevi expoſuit: *Quid ſit Matheſis? Quodnam ejus objectum? Quænam ipſius dignitas, & præſtantia?* Mox capite quarto enucleatè diſſerit: *Quantùm rebus politicis conducat Matheſis*: deinde ca-
Hic §.27.

pite

pite quinto latè confirmat: *Quantùm rei militari lucis, & utilitatis conferant ſcientiæ Mathematicæ:* ſexto tandem; *Quantùm rei literariæ incrementi afferat eadem Matheſis.* In eo verò triplici argumento exequendo, non ſolùm probat evidenter, Mathematicam valde utilem, immò neceſſariam ad meliùs eſſe ad civiles, & militares artes, ad reliquaſque ſcientias tum comparandas, tum faciliùs exercendas; ſed præcipuè, planèque convincit, omnium illarum, de quibus meminit, artium, & ſcientiarum ſe Ipſum eſſe peritiſſimum. Exorſus enim à Grammatica, indeque gradatim aſcendens ad Poëſim, Eloquentiam, Hiſtoriam, Logicam, Phyſicam, Metaphyſicam, Ethicam, Jus, Medicinam: ac tandem perniciſſimo volatu ad Sacram Theologiam, Divinique Inſtrumenti penitiora penetralia tranſcendens; multùm ad univerſas eas ſcientias conferre aliquot Mathematicæ ſpecies; nimirum Arithmeticam, Geometriam, Opticam, Staticam, Muſicam, & Coſmographiam tandem evincit; id verò adeo luculenter, ſcientificèque, propoſitis efficacibus argumentis, adhibitis manifeſtis exemplis, propriiſque in qualibet ſcientia terminis, & locutionibus etiam reconditioribus obſervatis; ut in earum qualibet eximium eum eſſe planè fateri debeat, quiſquis in ea erit vel maximè, vel ſaltem mediocriter exercitatus. Utinam id opus prælo digniſſimum publicam hauriret lucem, meis dictis plenam, indubiamque fidem certè facturum!

25 Unica ſupereſt ſcientia, cui unicè indulſit Theodoſius; de qua licèt ultimo dicam loco, primum ſemper apud Illum obtinuit. Myſtologiam appellant ejus profeſſores; cujus eſt extirpandis vitiis, virtutibuſque animo inſerendis providere; viamque mortalibus expeditiſſimam, qua poſſint ad Deum proximè accedere, omni ratione munire. Hanc antonomaſticè quidem ſcientiam, reliquarum omnium veluti animam, & condimentum appellabat Theodoſius; ſine qua cæteræ vitalitatis expertes, prorſuſque inutiles ſibi deſiperent: neque verò ſapientes appellandos, qui per ſummam inſipientiam æternæ ſalutis viam, aut ignorarent, aut ſatis cognitæ inſiſtere non curarent. Illius præcepta vel ab ipſa infantia unà cum nutricis lacte ſuxit: mox à Confeſſario, & Magiſtro ab ineunte pueritia multò hauſit avidiùs; tandem per totius vitæ decurſum à frequenti librorum ſpiritualium lectione ſtudioſiùs comparata executus eſt. Certè in iis per otium evolvendis tam multus fuit, ut cæteros tantùm fallendi temporis gratia, iſtos ejuſdem utiliter, & voluptuosè collocandi cauſa lectitaſſe videretur. Præ univerſis tamen Sacris Bibliis ſcrutandis longè ſeduliori cura incubuit; non interdiu modò, ſed noctu etiam placidam ſibi quietem hujuſmodi lectione conciliante: neque jucundior Illi unquam ſomnus obrepſit, quàm cùm, aut cadentem faciem pagina ſancta ſuſciperet; aut cùm eadem è languida legentis manu ſupra ſoporati pectus decideret. Hîc civili pariter, & ſpirituali vitæ inſtituendæ plura, & commodiora, quàm alibi documenta ſe paſſim inveniſſe gloriabundus jactare; quanto proficientis indies animi proventu, tam politico, quàm ſpirituali facilè agnoſcet, qui hunc univerſum, & ſequentem deinde librum Illius eximiis, & Politicis, & Chriſtianis virtutibus conſecratos attentè recognoverit.

CAPUT III.

Monumenta, & obſervationes Principis Theodoſii ſapientiæ, Illiusque erga ſapientes amoris intimi documenta.

26 EXtarent perpetuò duratura Theodoſii ſapientiæ plurima, & eximia monumenta, niſi obſtaret intempeſtivum ejus in Bethlemico prope Ulyſſiponem templo, ubi hactenus conditur, monumentum. Nonnulla quidem aggreſſus eſt, quæ quominus ad abſolutam venirent maturitatem, immatura mors prohibuit. Nullam verò ex commemoratis artibus, ac ſcientiis addiſcendo abſolvit, quin eruditis ſcholiis, & lucubrationibus illuſtrarit, quæ vel propria manu ſcriberet, vel amanuenſibus ſcribenda dictaret.
Lib. 1. §. 160. Novam in primis Grammaticæ faciliùs addiſcendæ Artem condidit, cujus alibi fecimus mentionem: Rhetorices item compendiolum, ex quo Rhetoricas Figuras, ac Tropos omnes in promptu habere poſſet. Mox Dialogum non minùs utilem, quàm elegantem compoſuit, in quo Sapientiam, Poteſtatem, & Amorem interlocutores inducit; ubi præter alia, expeditiſſimam rationem ſcientias faciliùs, & compendioſiùs aſſequendi ſapientiæ candidatis demonſtrat: cujus exordium ultima jam manu donatum ad manum habeo, maximi quidem habendum. Nec dubito, quin ad omnigenas ſcientias brevi comparandas magno foret emolumento iſte Dialogus omnino abſolutus, iis maximè, qui Principis ingenio prædιti ejus indefeſſum in ſtudendo laborem æmularentur: impigrè laborantes, non deſides, aut turpi otio deditos Theodoſii præcepta multùm juvarent. Ideo (ni fallor) in ſuo Dialogo Amorem, Poteſtatemque ſummæ induſtriæ, ac laboris indices Sapientiæ familiariter colloquentes aptè produxit, ut ſtudioſis planum eſſet, non niſi laborioſo, induſtrioque compendio ſibi ad ſapientiam enitendum.

27 Ut unico Dialogo univerſas ſcientias complexus eſt, præſcripta inſigni methodo, qua facilè, ac brevi omnes acquiri poſſent: ſic univerſas totius Mathematicæ ſpecies unico tractatu comprehendere adnixus eſt: in quo jactis priùs ampliſſimæ ſcientiæ fundamentis, id opus moliri cæpit, cui ſi ultimam imponeret manum, miraretur orbis majus aliquid, longèque utilius, quàm Iliadem Homeri brevi nuce incluſam. Nonnullos etiam hujuſce tractatus codices eleganti calamo, ſed elegantiori ſtylo exaratos apud me habeo: utinam haberet orbis numeris omnibus abſolutum opus, cedro, ac tanto Principe digniſſimum! De aliis Theodoſii Mathematicis monumentis meminit ejus Cubicularius Joannes Nonius à Cunia, cujus Luſitana verba Latinè à me reddita ſunt hujuſmodi: *In omnes* (inquit) *Mathematicæ partes peculiares confecit abbreviationes privati ſtudii cauſa; earum aliquot habeo fragmenta; quibus ſi ultima eſſet manus impoſita, præloque committi poſſent, omnibus forent admirationi. Ad imitationem Culverii univerſam Geographiam quodam brevi volumine collegit. Ad Nauticam deinde gradum fecit, duobus à ſe conditis copioſiſſimis prognoſticis. Ejuſdem*

genethliacum judicium de Sereniſſimis Fratribus habeo maximi faciendum, *&c.* In Laconicum tandem, ſed luculentum Compendium (de quo alibi diximus) univerſam Aſtronomiam, & Aſtrologiam, quibus magnopere delectabatur, Idem redegit. Lib. 1. §. 165.

28 Dum Luſitanos primùm, deinde Romanos, mox Græcos, ac tandem univerſi orbis annales evolveret Theodoſius ea, qua diximus, indefeſſa ſedulitate, vehemens inceſſit animum cupido ſcribendæ Hiſtoriæ, illuſtriaque optimorum Heroum facinora æternitati conſecrandi; at cui ſe potiùs addiceret? dubius aliquandiu hæſit. Enimvero Luſitanum Principem ſuo quaſi jure ad ſe Luſitania in primis evocabat; oblato ad ſcribendum argumento, quo majus, & illuſtrius, maximoque Principe Hiſtorico dignius nulli excogitari, ne dum reperiri poſſet. Si enim antiquitatis indagandæ ſtudio ductus vellet à noſtro ſeculo remotiſſima ſcrutari, poſſet quidem ab ipſis renaſcentis orbis primordiis, poſt Noëmicum diluvium Luſitanæ gentis originem altè deductam à Tubale Japheti filio, Noëmique nepote auſpicari, à quo nobile oppidum Luſitanum Cetobriga, vulgò *Setubal*, in tota Hiſpania primò conditum, nomen accepit: ſin minùs à Luſo, unde Luſitani; vel ab Ulyſſe Ulyſſiponis Conditore; vel ab Annibale Luſitanæ Ulyſſiponenſis fœminæ filio; vel à Viriato Romanæ potentiæ obice, Luſitanæque virtutis indice. Si proximiora nobis, & illuſtriora perſequi vellet, à primo Alphonſo ducendum initium; ſub quo Regnum cœpit Luſitanum, futuræ olim ſub Sereniſſimo Emmanuele Rege illuſtriſſimæ Monarchiæ nobile rudimentum. Apprime noverat eruditus Princeps nulli poſſe Hiſtoriagrapho uberiorem, aut glorioſiorem contingere ſcribendi materiem; modò vellet expendere, jam Luſitanæ Monarchiæ ſummam amplitudinem, ab ultimis Europæ finibus per Africam, & Americam ad extremos Aſiæ tractus longè, latèque patentis; jam ipſas met quadripartiti orbis ſingulas plagas innumeris, & ſtupendis Luſitanorum victoriis terreſtribus, maritimiſque domitas, & illuſtratas: præterea virtutum omnium egregia documenta, quibus Luſitani olim retroactis ſeculis claruere; at in primis Chriſtianæ Fidei zelo, quam ſemel à Sanctiſſimo Apoſtolo Jacobo acceptam domi perpetuò illibatam ſervarunt; foris per univerſos ampliſſimæ Luſitanæ ditionis terminos victricibus ubique armis, & vel pretioſo effuſi ſanguinis diſpendio circumtulere. Tandem præter naturæ, artiſque conſpirationem in conferendo certatim Luſitanis regionibus effuſiſſimè, collectimque, quidquid in alias diviſim contulere, ſive ad neceſſarios vitæ uſus, ſive pro deliciarum irritamento; cætera glorioſiſſimæ Gentis inſignia, decora, & ornamenta, quæ carptim hîc indicare longum eſſet, pulchrum Hiſtorico Principi, omnibuſque voluptuoſum per otium recenſere.

Fr Bern. à Britto Monarch. Luſit. l. 1. c. 3. Ibid. c. 15. c. 22. & l. 2 c. 5. & c. 18. & l. 3 à c. 1. ad 27.

29 Hæc, & plura alia Theodoſium ſcribendi cupidum haud leviter ſtimulabant, ut præclaras Majorum ſuorum res geſtas Luſitano tantùm idiomate, at non ex integro hactenus evulgatas, Latino latiùs patente ab exteris Nationibus jam diu efflictim expetito donaret: præſertim cùm iniquè ferendam judicaret paſſim à ſe incuſatam ſuperiorum Regum incuriam, qui patrandis potiùs egregiis facinoribus, quàm iiſdem à Latinis ſcriptoribus æternitati commendandis intenti, eam provinciam rite obeundam uni è pluribus, quos ingeniorum ferax Luſitania frequenter, & ubique profert ad id temporis non demandarint. Verùm anguſtior erat Theodoſii animus, quàm ut anguſtis Luſitaniæ terminis, etſi rerum geſtarum magnitudine ampliſſimis coarcta-

coarctaretur. Hoc certè argumentum ex ſe maximum maximo totius Europæ Latino Hiſtorico, magnis propoſitis præmiis ſibi devincto, à ſe in tempore committendum ratus, Ipſe ad majora ſemper adſpirans, univerſi orbis illuſtriora facta in juſtum compendium redigenda ſuſcepit. Exploratum quidem erat erudito Principi, id ipſum à clariſſimis noſtræ Societatis viris, P. Horatio Turſelino, & P. Joanne Buſſieres non tentatum modò feliciter, ſed feliciſſimè jam perfectum, ea univerſarum Gentium, quas mirificè ſuis compendiis illuſtrarunt, admiratione, ut poſteris æmulandi, ne dum adæquandi utriuſque aurei verè ſtyli ſpem omnem præciderint. At non idcirco deterritus generoſus Princeps à ſuſcepto ſemel conſilio deſtitit, certus ita illuſtrium Scriptorum veſtigiis reverenter inſiſtere, ut nova, quam agitabat, Luſitanorum facinorum acceſſione ſuum compendium redderet præ cæteris aliqua ex parte commendabilius. Majorum nempe inclyta facta ita decreverat ſuis aptè locis inſerere, ut ſolito majora ex contentione cum factis reliquarum Gentium orbis ipſe Luſitanis valde oppigneratus ſuſpiceret: ſic demum non vulgare operæ pretium facturus tum orbi univerſo, quem adeo illuſtrium rerum geſtarum recenti auctum notitia nobilitaret; tum ſuis in primis Luſitanis, quos ea maximè ratione toto celeberrimos orbe foret indubiè redditurus. Igitur ab orbe condito ad tria propè annorum millia cæptum opus duobus (uti deſtinarat) voluminibus abſolvendum deduxiſſe, Author eſt Joannes Nonius à Cunia Principis Cubicularius; in eoque inter alia eminere memorat luculentam morituri jam Adami ad præcipua ſuæ numeroſæ familiæ capita exhortationem. Quæ aurea verè fragmenta ipſe non ſemel legi, interimque relegenda ad manus habeo.

30 Sed dum properante calamo mundi natalitium, mox ejuſdem infantiam, & pueritiam exequitur, opinione celeriùs ad ſuum Ipſe properat occaſum, ſuiſque præludit exequiis. Incæptum opus aliàs commodiùs perficiendum ad Elvios maturata profectione abrupit: inde brevi rediens vitæ, quàm orbis brevius perfecit compendium: pendent adhuc illius immatura morte opera interrupta, & vel ſic imperfecta perfectiſſimi Artificis manum atteſtantia; orbe interim, & Luſitania mutuò ingemiſcentibus tali ſe luce, ornamento, & commendatione orbatos. Hujus Epitomes mentionem facit ipſe Princeps in variis, quæ Illius characteribus habeo deſcripta, epiſtoliis ad ſuum Confeſſarium; quorum duo hìc ſubjicio. Primum ſic habet: *Remitto codices, hiſtoriam primæ ætatis explicantes, id eſt à primo mundi molimine (tuis ut utar verbis) ad finitum univerſale diluvium. Velim illos Rupi ita obſeratos, ac miſſo, tradas; addeque tanto me velle uti ſecreto, ut propria manu ſigillarem; nec tibi ipſi, qui contenta ſcis, oſtenderim, quò nec ille alicui familiari ſuo mei exemplo audebit manifeſtare; nec etiam te præſente referet, ac legat; quia omnes ferè ſciunt, te aſſiduè ad me venire, & me bene in Rupem affici; ne fortè in ſuſpicionem veniant, quòd mea ſit, quam à me defers, charta. Vale. Modò Hiſtoriographus.* Secundum hujuſmodi eſt. *Paucis de valetudine quid quæram ſcis, quidque optem noſcis; illi bene conſule. De cætero ſchedulam Rupis accepi, aliam remitto, jubens ne deferas, ſed deferri cures ſub nomine, ac ſubſcriptione tua; illeque quas ad me remittet, erunt etiam ſub ſubſcriptione ad te. In præſentia loquemur, & præcipuè de aliquibus Rupis ſolæciſmis; nam Latinis ſcripſit verbis. Vale.* Gothicam prætereà, & Suecicam inſimul Hiſtoriam, cujus alibi meminimus, eleganti ſtylo pene abſolvit. Idem Philoſophiam abſque ullius Magiſtri ope non contentus addiſcere, illam quoque nonnullis illuſtrare

Lib. 1. §. 268. ad 270.

tracta-

tractatibus aggreſſus eſt; de quibus Joannes Nonius à Cunia ejus Cubicula-
rius: *Supra omnia* (inquit) *quoddam Metaphyſicæ fragmentum; & librum quendam*
de Cœlo adverſus Ariſtotelis Metheora, ſingulare quidem opus, &c. In citato à nobis Tract. de
proximè libro plurimas Ariſtotelis de Metheoris, ac rebus aliis propoſitio- Math. lib. 1.
nes ex Mathematica ſcientia manifeſti erroris arguit. c. 6.

31 Aliud præcellentis ingenii monumentum, cui unicè ultimam adhi-
buit manum, ſuperſtitem habemus Macariopolim. Hujuſmodi Græco no-
mine, quod *Civitatem Beatam* ſignificat, inſcribi voluit aureum plane libel-
lum, in quo rectè inſtitutam rempublicam vivis coloribus exprimit. Talem
optabat Luſitanæ Monarchiæ Metropolim Ulyſſiponem; quæ ſi delineatum
ab Illo prototypum aliquando moribus; optimaque adminiſtratione redde-
ret, non dubium, quin reformato capiti cæteris cohærentibus membris Lu-
ſitana reſpublica Xenophonticam, & Tullianam facilè ſuperaret. Qualis, Lib. 1. à §.
quantusque hic liber, qua ætate, occaſioneque fuerit à Theodoſio compoſi- 242, & §.
tus, quia jam alibi diximus, nihil hic dicendum ſupereſt; niſi quòd hujuſce 248.
operis veluti complementum *Aureum ſeculum* addidit. Sub ea inſcriptione
libellum edidit; in quo primùm omnium commemoratis felicitatibus, quas
veteres olim Poëtæ ſuo à ſe confiicto aureo ſeculo adſcripſerant, eas mox Ca-
tholica veritate confirmat; ac tandem expeditam monitis optimis munire
viam ſatagit, qua unuſquiſque per virtutum ſemitas indies progrediendo
poſſit ad aurei verè ſeculi felicia tempora devenire. Alios præterea tracta- Lib. 1. §.
tus, univerſos ad publicum, privatumque bonum ſpectantes, de quibus alibi 242 243.
fuſiùs meminimus, elaboravit: nimirum *Macariotidem*, id eſt, *Beatum Regnum*; 267, & l. 3
Item alium, cui titulus *Emmendatio*, pro communi totius orbis reformatio- à §. 221.
ne. Ad hæc, *Regiam occupationem*, ubi Regibus dignas dotes, & exercitationes
expendit. *Chriſtianam* deinde *Philoſophiam*, in qua meminit alterius à ſe con-
diti operis, quod ſuam appellat *Scepticam*. Nonnullas etiam *Morales, Rationa-*
leſque fabulas Æſopico more utiliſſimis ſalutaris doctrinæ refertas documen-
tis. Aliud tandem cæteris longè majus, & Orthodoxo, ſapientiſſimoque
Principe dignius meditabatur; *Controverſiarum* nempe *librum*, in quo univer-
ſas tum veterum, tum recentiorum Hæreticorum ſectas Orthodoxæ religio-
ni adverſantes confutaret; de quo Illius immaturo etiam obitu intercepto Lib. 3 §.
inferiùs mentio facienda. 79, & 83.

32 Siquis verò ſciendi cupidus à me forte requirat, quibus potiſſimùm
Authoribus Princeps in acquirendis prædictis ſcientiis libentiùs uti ſolitus?
Audiat non me ſimili olim cupidine id ipſum curioſè inquirentem, ſed ip-
ſius Principis Cubicularium Joannem Nonium à Cunia Illius ſtudiorum ap-
prime conſcium, hiſce, conceptis verbis à me Latinè redditis id ipſum mihi
roganti ſatisfacientem. Sic Ille: *Ex Hiſtoricis præferebat cæteris Curtium Livio*
preſſiorem, & Salluſtio uberiorem. Vellejo Paterculo, & L. Floro mirificè afficieba-
tur. Tuani, Baronii, Marianæ, Turſeliniique annalibus; ſimiliter Fratri Bernardo à
Britto, & Emmanueli Fariæ inclytis Luſitanarum rerum Scriptoribus voluptuoſè vaca-
bat. In lectitando Ioanne Barclao erat aſſiduus; non ita in Petronio Arbitro, tam il-
lius nitido ſtylo captus, quam obſcœnis narratiunculis offenſus. Cornelium Tacitum, ob
cauſas à nobis infra explicandas, *averſabatur. Ex Poëtis unum Virgilium unicè* Hoc lib. à
amore, admirationeque dignum cenſuit; cujus propterea triginta, vel quadraginta ver- §. 114. ad
ſus ſingulis propè noctibus ad jucundum ſibi manichordii pulſum ſolitus modulari; fini- 116.
toque demum pöemate à capite illud iterum exordiri. Neque his contentus, dum quoti-
die

die veſtibus indueretur, Virgilium ſibi legi præcipiebat: ſic exacta ſingulis menſibus, denuoque repetita ejuſdem pöematis lectione. Huic proximum, at longo proximum intervallo in amoribus, & deliciis habuit Lucanum, cujus pöema ob argumentum planè Cæſareum à Regibus aſſiduè perlegi, & in publicis Athenæis explicari digniſſimum judicabat. Ovidii Naſonis, quem tamen vellet pudicitiorem, ingenio, & mira facilitate capiebatur, cujus Heroidas, cæteraque ipſius opera, poſthabitis obſcœnis, frequenter volutabat. E contra oderat Horatii, Iuvenaliſque mordaces ſatyras mitiſſimo, innocuoque Ipſius genio valde abſonas. Ex vulgaribus Pöetis, quibus parum indulſit, Camonium, Luſitanum certè Maronem inter Heroicos recentiores facilè Principem, & Gongoram ob ingenii præcellentiam ſuſpiciebat.

33 *Ex Mathematicæ, cui ſe penitus addixit* (proſequitur idem Author) *profeſſoribus in Geometria ſeduliorem operam dedit Clavio Euclidem elucidanti, ſuoque Magiſtro Paſchaſio: in Arithmetica, Trigonometriaque Adriano Metio: in Coſmographia Culverii Abbreviationibus: in Aſtronomia Tico Braha, ac Lansbergio: in Aſtrologia Franciſco Iuntino, cujus indefeſſum laborem admiratus, ipſius tamen confuſione improbata, libri frontem hac nota inſcripſit: Indigeſtaque moles.. In eadem ſcientia præ omnibus Arabes maximi faciebat; ex illis Almanſorem; ex antiquis Firmicum, ex recentioribus Origanum, & Cardanum. De Ptolomæi centiloquio proferre ſolitus, dignum illud eſſe, quod ſolus Ptolomæus commentaretur. In Nautica univerſis præferebat Petrum Nonium Luſitanum, cujus de crepuſculis tractatum, totum eſſe lucem, totius obſcura umbra immunem aſſerebat. Paſchaſii ſui Magiſtri circumvallationem etſi maximi faceret, eam tamen Hollandicis, quàm Luſitanis munitionibus aptiorem exiſtimabat: illic nimirum exterioribus operibus facilem defenſionem multùm juvantibus; apud nos (quod etiam apud Italos) depreſſis munimentis longè utilioribus, pro diverſis regionis cujusque ſitu, & locorum nativa poſitione. In Iudiciaria tandem Chriſtiana, & licita juxta Sanctiſſimi Xiſti quinti, & Vrbani octavi decreta, quibus ſolùm damnantur Aſtrologi liberæ voluntati neceſſitatem ex Aſtrorum influxibus inducentes, perpetuò abſtinuit à libris Romano Catalogo, aut Editali Sanctæ Inquiſitionis prohibitis: immò etiam ab Origani judiciis, Arabum, Romanorumque doctrina, etiamque à Ptolomæi, quam eo in parte defectuoſam habebat, quòd ejus ætate adhuc Regii Montani directiones non extarent; ſolas univerſorum Ephimeridas conſulebat; in omnibus Eccleſiæ Romanæ dogmatum obſervantiſſimus.*

34 *Ex antiquis Philoſophis* (pergit Idem) *Platonem ſemper plurimi habuit; è contra ejus Diſcipulum Ariſtotelem magnopere averſatus eſt; adeo, ut cùm aliquem ſibi minùs gratum vellet exaggerare, hujuſmodi facta comparatione propalaret. Tam ille mihi diſplicet, quàm Ariſtoteles. Hujuſmodi autem averſionis, quam haud temerè uſurpaſſe credo Principem adverſus virum celeberrimum, quem in ſuis Ipſe ſcriptis appellat ſummum Philoſophorum Principem; multiplex cauſa (ſi conjectare licet) ſubeſſe potuit: vel ex nota, meritòque deteſtanda ipſius in Magiſtrum Platonem ingratitudine: vel ex affectata ſæpe ab eodem in ſuis libris obſcuritate; quæ (ut vulgò fertur) inſtar ſepiæ piſcis nigro effuſo humore inſequentem hoſtem decipientis, ſibi, ne deprehendatur, effugium providere creditur: vel tandem (quod potiùs reor) quia plurimos in ejus ſcriptis errores obſervavit, Mathematicis demonſtrationibus palam contrarios; quorum non-*
Illc §. 30. *nullos citato proximè loco ſic perſtringit. Hæc ſcientia* (Mathematica) *etiam ſummi Principis Philoſophorum Ariſtotelis errata corrigit, &c. Vbi aliqua brevi citat, alia in prædictis ſupra metheoris confutat. Neque dubito, quin eò maximè Principem impulerit Philoſophia P. Thomæ Campanellæ Dominicani Viri ſummi, & liberrimi ingenii, nullis præterquam veritatis legibus adſtricti; ubi paſſim in Ariſtotelem à vero, ut*

exiſti-

exiſtimat, abeuntem invebitur: Hujus verò Authoris (quem incomparabilem virum appellat) opera fuiſſe Principi non modò perlecta, ſed valde dilecta, mihi aliunde conſtat. Hoc lib. §. 213. *Ex recentioribus Patris Franciſci Suarii Luſitani Societatis Ieſu Philoſophiam in pretio habuit; quo cum aliquando verba faciens, quanti eum faceret, & cur non pluris, ita explicavit: Niſi adeo eſſes Ariſtotelicus, te in meum Philoſophiæ Præceptorem libenter adoptarem. Ex Theologicis unicè P. Vaſquium obſervabat, idque tanto ardore, ut palam affirmare non dubitaret, inter cæteros noſtri ævi Theologos uni Vaſquio Theologiæ principatum ſuo quaſi jure à ſe deferendum. Tandem in Sybillarum, Aſdraque libris lectitandis multus fuit; delectari ſolitus probabilibus, quæ ſibi occurrerent, obſcurarum prædictionum explicationibus: illo interim familiari ſibi axiomate frequenter uſus; Curioſi, vanique hominis eſſe miraculorum expectatione diſtineri, ac de futuris inutiliter cogitare; prudentis verò viri utraque honeſtis actionibus prævenire.* Hactenus eruditus Vir à me requiſitus de libris, quibus frequentiùs Princeps aſſueverit. De ſpiritualibus alibi à nobis commemorandum; in præſentiarum mentioni ſuperſedeo: cùm tamen ad ſcientias comparandas nullus propè fuerit alicujus nominis, quin eum vel delibarit, vel per otium à carceribus (ut ajunt) ad metam percurrerit. Lib. 3. §. 171.

35 Huic tantæ, adeoque eminenti noſtri Principis ſapientiæ plaudebant vulgò univerſi, non modò Luſitani, ſed exteri, ad quos Illius fama penetrarat. Certè Sereniſſimus Rex Joannes eum frequenter ſuum Salomonem Luſitanum appellare; qui ſi Hebræum ſapientia divinitus infuſa non æquavit, acquiſitis certè virtutibus longè ſuperavit. Alii non Theodoſium, ſed antonomaſticè ſapientem Principem nominare; omnes Ipſum Divinæ, humanæque ſapientiæ Compendium, & Theſaurum venerari. At non deerant, quibus immoderata Theodoſii ſapientia improbaretur: *Non oportere*, dicebant, *Principem adeo ſtudioſum, & ſapientem eſſe; ſatis fore, ſi ſcientias eſſe non ignoret, ſciatque unicè juxta nativæ prudentiæ normas rempublicam rectè adminiſtrare.* Id privatis, publiciſque nonnunquam ſermonibus blaterare; quos non ſemel ad Ipſius Principis aures aulica, ut vulgò ſolet, aura deduxit. Illorum inſipientiam, facilè, graviterque poterat ſapiens Princeps refellere, objecto illis Divini Oraculi teſtimonio per Salomonem ſic ejuſmodi æmulos exagitantis: *Sapientiam, atque doctrinam ſtulti deſpiciunt.* Sive Iſaiæ teſtimonio: *Non vocabitur ultra is, qui inſipiens eſt, Princeps.* Vel adhuc vehementiùs aculeato magni Alphonſi Neapolitani Regis ſcomate, qui cùm aliquando audiret quendam Hiſpaniæ Regem dixiſſe *Non convenire Principibus literas*, ſtomachatus ſubjecit *Bovis, non hominis vocem eam eſſe.* At mitiori, eòque non minùs efficaci convincendis inſipidis obtrectatoribus reſponſo uſus fertur moderatiſſimus Theodoſius: *Audio* (inquit) *mihi vitio verti nimiam ad literarum ſtudium propenſionem. Vtinam me non excipiat, qui hoc meum qualecunque vitium abunde corrigat!* Id quàm verè non dixerit modò, ſed prædixerit, quam altè doluimus haud pridem Luſitani! Aliter idem Princeps eoſdem redarguit in ſua Geometria in hæc verba: *Sed jam deſiſtant ab iſtis contra ſcientias objectionibus, ni volunt, ut in eos dicatur ſcientiam non habere inimicum, niſi ignorantem.* Parab. Salom. c. 1. Iſai. 32. 5. Lipſ. mon. c. 7. n. 15.

36 Alii armatæ, quàm togatæ Palladis obſequiis addictiores ſpecioſiori publicæ ſalutis prætextu, non quidèm ex ſe laudabilem, ſed intempeſtivam, ut credebant, Theodoſii ſapientiam incuſare. Nempe, *non hoc iſta ſibi tempus ſpectacula poſcere, Sereniſſimi potiùs Ioannis tertii pacifici, quàm Sereniſſimi Ioannis quarti bellici temporibus aptiora. Cùm enim verò hoſtium armorum fragore univerſa*

 Luſita-

Luſitaniæ confinia circumſonent, ad arma ceſſantem ad arma Principem excitandum; ſedulò Illi, at non niſi militaribus diſciplinis ſtudendum; ingenii præcipitis aciem acuendam, ſed ad inſtruendas, educendas, aut committendas acies; exercendum bonis avibus ſtylum, ſed ferreum; rem quidem eſſe Luſitanis cum potentiſſimo Adverſario, non literariis, ſed militaribus concertationibus convincendo; eum oportere Principem eſſe, cujus bellicam ſcientiam, & virtutem ſui unicè ſuſpiciant, hoſtes maximè pertimeſcant; id verò Theodoſium, ſi quem alium in primis, decere, ut ſicut antiqui Illius nomen, ſic omen, & militarem gloriam referat, cui olim militavit æther, & conjurati venere ad claſſica venti; ſi tantopere ſcientiarum ſtudio duceretur, duceret priùs armatos exercitus, quorum ope debellatis hoſtibus, & ad pacis conditiones æquiſſimas compulſis, tum demum poſſet liberiùs illis vacare; interim Theodoſium, etſi prætextatum ſic fore inſtituendum, ut à teneris anguſtam amicè pauperiem pati robuſtus acri militia Puer condiſcat, & turmas feroces vexet eques metuendus haſta. Glorioſiùs hæc, & ſimilia, quàm veriùs, à ducibus, & militibus vulgò jactabantur, ignaris planè, quanta ſit Artis, & Martis neceſſitudo; neſciis etiam è magnis Heroibus, paucos admodum (ſi barbaros excipias) fuiſſe olim, quin & rerum geſtarum, & liberalium inſimul artium gloria excellerent: quorum plurimi, vel in ipſiſmet caſtris, & paulò ante conflictum, nec tunc intermiſſa librorum lectione, ſe ad inſtantis jam pugnæ periculoſam aleam compararint. Sed omiſſis veterum exemplis, quorum pleni ſunt univerſarum gentium politicarum annales,
Lib. 1. ac. 24. ad 28, & hoc lib. c. 7, & 8. plena totius retroactæ antiquitatis monumenta, ex iis, quæ de Theodoſii magnanimitate, ac virtute bellica paſſim diximus, & mox dicemus, planiùs innoteſcet, quàm hujuſmodi cenſores à vero aberrarint. Ille quidem & Puer, & Adoleſcens ſic togatam Palladem coluit, ut ab armata excolenda nunquam ceſſarit; quandiu per ætatem arma tractare non licuit, tractatus de re bellica manibus diligenter attrectavit, à quorum lectione arcibus extruendis, hoſtibuſque deſtruendis apprime inſtructus evaſit: Idem legendis libris ad optimorum ducum, & militum delectum præluſit; & literariis cum domeſticis congreſſibus ad militares cum hoſtibus proceſſit; è prælo ad prælium animosè prorupit; ac tandem ex illuſtrium facinorum recognitione eos hauſit bellicos ſpiritus, quos niſi Luſitanæ gloriæ invida Libithina intercludere properaret. Mahometanum certè Imperium, cujus penitus abolendi ardenti ſtudio incendebatur, in uno Theodoſio Alexandri, Scipionis, Cæſaris, Caſtrioti, cæterorumque inſignium Ducum bellicam virtutem, eorum vitiis immunem, ſuo ingenti malo, experiretur.

37 Plurimi, ut plurimùm ſapientes, è contra conſcii aulicæ adulationis vulgò in immenſum laudabiles Principum actiones immodicè attollentis, opinione minorem Theodoſii ſapientiam autumare. Certum illis erat, neminem repente fieri ſummum, plurimiſque intentum infirmiorem eſſe ad ſingula ſenſum. Ad hæc, eorum quilibet experimento didicerat, quantum ſudoris, & laborioſæ induſtriæ, vel in una tantùm ſcientia per longiſſimum pluriium annorum tractum comparanda collocarit; ex quo facile dictu ab imperitis, at creditu difficile à doctis judicabant, tantam, ac tam multiplicem ineſſe adoleſcenti Principi ſcientiam, qualem poſt hominum memoriam nulli unquam, etſi longævo Principi præter Salomonem, & ejuſmodi paucos divinitus edoctos, contigiſſe conſtans fama evulgarit. Prudens hujuſmodi fuiſſe judicium nemo prudens inficiabitur: enim verò ſupra fidem, & commu-
Eccleſiaſt. 19. 4. nem hominum captum inſolita, *Qui credit citò, levis corde eſt, & minorabitur,*

At

At longè profundioris prudentiæ fuit explorandæ veritati initum ab eorum nonnullis conſilium: qui ex Conimbricenſi, ac Eborenſi Academia plerique vacationibus Autumnalibus Ulyſſiponem advecti, frequentes convenire Principem, excipiendis perhumaniter ſapientibus ſemper expoſitum; poſt honorarias ſalutationes datâ operâ miſcere ſermones de univerſa re literaria Principi jucundiſſimos; difficillimas pro uniuſcujusque profeſſione proponere quæſtiones à ſe antea meditatas, Hiſtoricas, Politicas, Philoſophicas, Theologicas, Mathematicas: tum iis attentè auditis, Princeps de qualibet re propoſita; quæ probaret, novis ſubinde rationibus confirmare, citatis nonnunquam in ſuam ſententiam famigeratis Authoribus; è contra, quæ improbaret, efficacibus argumentis evincere; reſponſis ingenioſè obſtare; repugnantes acriter impugnare; ſubterfugiis ſubtiliter occurrere; omni denique ratione tantum ingenii, tantum reconditæ doctrinæ ſpecimen hiſce repetitis congreſſibus exhibere, ut non ſemel, qui aderant Magiſtri, & Doctores eximii mutuâ inter ſe admiratione defixi, non dubitarent Reginæ Sabà recitatum Salomoni encomium Theodoſio adaptare: *Verus eſt ſermo, quem audivi in terra mea ſuper ſermonibus tuis, & ſuper ſapientia tua; & non credebam narrantibus mihi, donec ipſa veni, & vidi oculis meis, & probavi, quòd media pars mihi nuntiata non fuerit: major eſt ſapientia, & opera tua; quàm rumor, quem audivi. Beati viri tui, & beati ſervi tui, qui ſtant coram te ſemper, & audiunt ſapientiam tuam.* 3. Reg. 10. à n. 6. ad 8.

138 At ſiquis adhuc de mirabili Theodoſii ſapientia dubitare pergat, neque luculentis adeo teſtibus plenam omnino fidem habere deliberet; is quæſo per otium perlegat nunquam ſatis laudandum illuſtriſſimi Domini Ludovici à Souſa, de quo in Prologo, à nobis ſæpe citatum librum ſelectiſſimis Latinis elogiis ſuſpiciendum; in quo paſſim reperiet hujuſce admirandæ quidem ſapientiæ indubia teſtimonia, utpote à Viro ſummæ fidei, Principique ipſi in paucis gratioſo, eòque Illius virtutum, & ſcientiarum probè conſcio, prolata. Ex plurimis unicum hîc excribendum ſeligo. Ita Ille non minùs verè, quàm eleganter: *Niſi nos & veritas doceret, & fides erudiret, animos ante corpora non exiſtere, neque niſi cùm generamur, novos à Deo, & creari, & infundi, dubitare poſſemus, An ille Theodoſii animus occupatis antea ſcientiis in corpus veniſſet? Vel aliquis ex iis, qui antea fuerant ſapientiſſimi Viri, ſpiritus palingeneſis virtute in illud immigraſſet? Verùm, quòd neutrum fieri licuit, miraculo potiùs dandum, quòd id ſit ſingulari Dei providentia, quod natura conſequi noſtra non poteſt, omnino aſſequutus. Et verò capaciſſimus ille genii fœcundi ſinus omnium ſcientiarum genera vel excipiebat, vel effundebat. Aliis Rhetorica, aliis Hiſtoria ſatis, aliis Pöeſis, aliis Matheſis, aliis Philoſophia, aliis Sacrarum literarum intelligentia, aliis Theologia; nec enim ad omnes artes, ſcientiasve pares exiſtunt; quòd ſi multas, & diſcunt, & profitentur, cunctas certè complecti non valent. At Theodoſii animus capacitate quadam incredibili à natura data non modò omnem admittebat ſcientiam, ſed etiam appetebat, ne ſiqua deeſſet, vacua in ejus animo pars aliqua remaneret. Hinc illa ad eum ſcientiarum inclinatio, quæ etſi ab aliis acquiruntur, ad eum tamen omnes innato quodam pondere propendebant. Tenuit pudor Artes, ne ſi omnes in eum non confluerent, vacuus locus paucitatem argueret; ac ne minor eſſet encyclopedia, quàm mentis amplitudo, timuerunt. Ita cùm in unum omnes concurriſſent, multitudine ſua locum repleverunt, &c.* Quibus etſi plurima poſſem facilè ſuperaddere, ſatis, ſuperque ſit inſtar omnium ſumma quidem auctoritas Reverendiſſimi Patris Doctoris Fr. Iſidori à Luce Provincialis Sanctiſſimæ Trinitatis, qui unus fuit ex illis, qui Theodoſii ſapien-

In Prolog. 3. 45.

tiam exploraturus, ſæpius Philoſophicis, & Theologicis quæſtionibus Eum aggreſſus eſt; cujus hæc ſunt concepta verba ex illius Luſitano chirographo à me latinè reddita: *De Principis dotibus, & virtutibus ſic exiſtimo. Inditum nempe Illi divinitus intellectum ad omnia ſumma factum, ad ſcientias innata propenſione promptum; Eundemque fuiſſe intra ſex annos in lingua Latina perfectum, in Mathematicis diſciplinis eminentem, profundum in Philoſophia, ſecurum in Theologia, univerſalem in Hiſtoriis, quarum omnium compendium elaboravit, &c.* Ubi licèt à Deo ſcientiarum omnium fonte ſummam Theodoſii ſapientiam emanaſſe haud obſcurè innuat, id quod plures alii non immeritò judicarunt; literariæ tamen Ip-
Lib.1.c.11. 12. 14. & Lib.3.c.14. ſius exercitationes, de quibus ſupra; orandique aſſiduum ſtudium; de quo infra; quibus quàndiu vixit ſedulò, ſolerterque Se totum penitus addixit; digniſſimum Eum fuiſſe probant, Cui cœleſte hoc inſolitæ ſapientiæ donum Deus contulerit, quod non niſi ſtrenuè laborantibus, optimèque de ſe merentibus impertire ſolet.

139 Hæc certè fuit, ac etiamnum eſt ſapientûm omnium de ſapientiſſimo Principe exiſtimatio. Jam verò quanti ſapientes univerſos Ipſe Princeps æſtimarit, paucis dicendum ea in re quàm multus Ille fuerit. Et quidem haud parum ad conſummatæ ſapientiæ laudem facit ſapientes magni facere; non ut inſipientûm plurimi, ad aucupandam ex eorum ſcriptis celebritatem; quod viliſſimi potiùs aucupis eſt, quàm generoſi Principis; ſed quia ipſa, qua præditi ſunt, ſapientia illos omnibus, maximèque Principibus reddit amabiles. Divini conſcius oraculi Theodoſius diligebat ſapientiam, ſimulque ſapientes certiſſima cujuslibet imperii æternandi pignora; Regum ſapientiſſimo ſic atteſtante: *Si ergo delectamini ſedibus, & ſceptris, o Reges, populi diligite ſa-*
Sap.6.22. *pientiam, ut in perpetuum regnetis.* Literæ, literatique Theodoſio erant ex æquo perchari: nullos frequentiùs, aut indulgentiùs ad familiare colloquium adhibere; nullis ad ſe liberaliores patere aditus: cum illis conferre libenter difficiles quaslibet quæſtiones; eoſdem, quoties occaſio ſe daret, impenſe fovere; illorum cauſis, & ſupplicibus apud Sereniſſimum Parentem libellis patrocinari; omnimodèque illis Se benevolum, & beneficum exhibere; ac ſapientiæ amorem in Luſitanorum maximè nobilium animis accendere. Certè quàm ardenter Ipſe viris ſapientibus non modò præſentibus, verùm abſentibus etiam afficeretur, per mutuas literas ſignificata intimi amoris exhibitione, haud poteſt meliùs exprimi, quàm producta una è multis ad ſuum Confeſſarium virum Sapientiſſimum Epiſtola, è Salvaterra miſſa, quò levandi animi ergo pauliſper ſeceſſerat: ſic habet illa, quam Ipſius manu ſcriptam habeo.

140 *Mi Epiſcope Chariſſime, jam reſcriptionem accepi gratiſſimam, & utinam bene ominatos dies habeam, ac de te habuiſſe prædicor hujuſce menſis duodecimum. De Me quid ſcias, nihil novi eſt, nec dicta recitare juvat; verùm hoc accipe, Me adeo delectari venatu, ut nullos feliciores putem dies, quàm quos imbres occupant, domique teneor. Hactenus ſcripſeram hoc mane, veſpere finiturus; cùm paulò ante prandium video Comitem Mirandenſem aliquot chartuceos faſciculos manu gerentem; continuò pullulavit animus, & ſtatim atque poſſum, tuusne ſit aliquis faſciculus? Quæro: cùmque literas agnoviſſem (quod quidem vix licuit præ adſtantium turba) ad triclinium acceſſi flagrans accipiendi cupidine; mox finito prandio in cubiculum reverſus; jamque jam faſciculum cùm prehenderem, ingrediuntur alii Cubicularii, qui rem præpediunt. O quoties furtiva manu tentavi comprehendere chartam! Quæ verba confinxi, eos ut ejicerem! Tandem*

poſt

poſt multa, tres capio faſciculos, uno præ cæteris craſſiores quo viſo ſtatim occurrit; anne aliquod ex illa Rupe deciduum epiſtolium contineretur? Sic duplici affectus lætitia næ marumpo, & pro firmo Rupe, Dei Fortitudinem invenio: levavit tamen animum hujus inſcribendo ſtylus. Sic cætera ſuaviſſima legi, & quæ audire præſtobat, utinam millies, utinam id mihi liceret. Tagum vel natans tranſnarem Leandro robuſtius, quò puriùs amans. In mandatis autem hæc accipe. Conſideres volo, qui libri legendi, quidque ſcribendum poſtquam invicem colloqui poſſimus? Sed quid ego libros poſco? Sat mihi colloquio eſt poſſe frui tuo. Ioannem etiam Alvarem adeas oportebit, quæraſque, qua diligentia tranſcribatur Macariopolis? De Provincia Regem monebo. De cætero nihil hìc, quod voluptati mihi ſit, quàm tibi ſcribere, de te cogitare, tuas perlegere literas, & quod ſupereſt, aut libris, aut ſuaviſſimo Aloyſiii à Souſa colloquio impendere. Epiſtolas flamma conſumpſit, quæ non moderotior una incendit pectus.

Tui Doſithei. Salvaterra Ianuarii 19. 1651.

Quid exaggeratius ad ſapientiæ, ſapientumque intimum amorem dici, aut excogitari poteſt?

41 Diligenter idem Princeps inquirebat, quinam intra, extraque Luſitaniam alicujus ſcientiæ laude inſignes haberentur? Eorum nomina nulla unquam oblivione abolenda memoriæ mandabat, univerſos pro meritis honoribus, & præmiis cumulaturus. At quid mirum adeo ſedulum fuiſſe Theodoſium in cognoſcendis viris maximis ſingulari doctrina præcellentibus, qui tam ſolicitum ſe præbuit in minimis etiam ſapientiæ candidatis dignoſcendis? Noſtris Ille præceptoribus in Ulyſſiponenſis Collegii regali Athenæo Rhetoricam, & humaniores literas profitentibus ſeriò injunxit; ut eorum quilibet ſyllabum ſibi conficeret, in quo eſſent ſeriatim deſcripta illorum nomina, qui præ cæteris ingenii, vel ſcientiæ laude præcellentiori eminerent: factum illico; deſcriptoſque ſyllabos eâ, quam Princeps præſcripſerat ratione Illi tradidere. Ad quos iterum Princeps. Gratum mihi erit, ex facie univerſos agnoſcere, cognitu quidem dignos: illos igitur huc adducite, atque è regione hujuſce feneſtræ collocate ipſomet, quo in ſyllabo ſunt deſcripti ordine, ut ſingulos probè deſpiciam, pro meritis aliquando ab omnibus ſuſpiciendos. Reſpiciebat verò feneſtra eam aream, in qua naves elabotantur, à quibus nomen accepit. Imperanti Principi religioſè obtemperatum; quolibet magiſtro vacationis ſtatis diebus ſuos illuc alumnos viciſſim deducente, maxima cum ipſius Principis voluptate; nec minore illorum tum exultantis animi plauſu, tum ad literarum ſtudium æmulatione; quorum nomina in honeſtioris vitæ libro eſſent inſcripta; & qui ſe jam tunc viderent à tanti Principis beneficis oculis ad magnos olim honores, & maxima præmia deſignari.

42 Deſtinatam demum Sibi à Sereniſſimo Parente regni obeundi provinciam avidiſſimè arripuit, non modò ut univerſam militiam, arces, & munitiones recognoſceret, ſed ut obiter Academiam Conimbricenſem, & Eborenſem inire poſſet, ibique aliquandiu mutuo ſapientiſſimorum hominum aſpectu, & colloquio mentem explere ſcientiarum avidiſſimam; ac illorum publicis, privatiſque literariis functionibus intereſſe. Id Sibi è votis minimè proceſſiſſe, haud multò poſt egregios ſapientiſſimi conatus diſturbante dira fati neceſſitate dolent adhuc, & perpetuò dolebunt inceſſantibus effuſis lacrymis duo hæc Luſitanæ ſapientiæ lumina. Effuſiùs tamen dolendi cauſam habet regale Collegium Eborenſe Virginis à Purificatione, cui utraque fata-

lis extitit, lacrymabiliſque mors, & Sereniſſimi Regis Henrici Fundatoris nimiùm ſenis, & Principis Theodoſii nimis Adoleſcentis: neutri ſimilium votorum ſummam propterea implere licuit. Nempe quòd Henricus olim, id ipſum poſtea vehementer optavit Theodoſius; in prima ſcilicet, quæ ſe daret opportunitate conveniendi Sanctiſſimum, Ipſius bona venia, ex regio patronatu aliquot deſignare pingues Eccleſias, prævia oppoſitione, ut ſolet in Conimbricenſi Academia, hujuſce Collegii dignioribus alumnis committendas; ſic ipſarum bono Eccleſiarum, ſic illuſtriſſimæ Eborenſis Academiæ Regiæ ſimul, & Pontificiæ ſplendore, ſic demum præcellentium Theologorum inde paſſim exeuntium exploratiſſimis meritis exigentibus. Id verò ſi ſecus accidat, ut hactenus, præterquam quòd ipſi Regi ampliſſimæ Academiæ Patrono foret ſatis indecorum, tot eximios Theologos, confectis literariis ſtipendiis, indonatos tandem abire; cæteri certè Academici unicâ præmii propoſita ſpe ſoliti vulgò excitari, hujuſmodi concepta deſperatione, ad ſtudium literarum, quas adeo infœcundas experiuntur, ſegniores indies redditi, viliquè otio dediti elangueſcent; quo quid exitialius literariæ reipublicæ poterit evenire? Sic erga ſapientes bene animatum Principem, licèt jam exanimem, utinam ejus poſteri æmulentur; & ut Ille Henrici, ita ii Theodoſii votis adimplendis pergant inſiſtere! Quàm ſe munificum Elviis erga Mathematicæ profeſſores exhibuerit in ipſo militari fervore, quia jam alibi diximus; unum ſupereſt univerſos monere ſapientes, ut amantiſſimo Principi amorem viciſſim rependant; Illiuſque nuſquam interituram memoriam perpetuis grati animi ſignificationibus proſequantur.

Lib. 1. §. 339.

CAPUT IV.

Principis Theodoſii ſenilis prudentia.

43 SApientiæ proximam eſſe prudentiam, illius individuam comitem aptè monuit ſapiens: *Beatus homo, qui invenit ſapientiam, & affluit prudentia.* Ideo haud abſre duxerim delibatæ à me potiùs, quàm enucleatæ Theodoſii ſapientiæ Ipſius adnectere prudentiam; in qua tam valet judicium, quàm in ſapientia ingenium: in utroque tam excelluit, ut nemo Illum ingenioſa ſapientia, nemo judicioſa præcelleret prudentia. Eam animæ oculum, artem vivendi, lucem veritatis, magiſtram vitæ, ac tandem certum judicium eorum, quæ publicè, privatimque fugienda, vel appetenda ſunt, ſcitè ſapientes viri appellarunt; cujus unius eſt aurum ab auricalco, pretioſum à vili, à deterioribus honeſta, utilia à noxiis diſcernere. Jam verò prudentia vel eſt domeſtica, vel civilis; quarum illa ſibi, hæc aliis prodeſt: *Prudentes enim cenſemus* (ex Ariſtotele) *qui ea, quæ ſibi, quæque hominibus conducunt, poſſunt deſpicere.* Vel breviùs ex Platone, *Prudentem dicimus ſibi, & reipublicæ conſulere potentem, & validum.* Rurſum, prudentia vel eſt à natura inſita, vel arte, induſtriaque acquiſita: utranque, utpote omnium virtutum moralium directricem, ſine qua ipſæ tales eſſe, ac dici nequeunt, omnibus & præſtantiorem, & difficiliorem judicio; tum quia cæteras illius ductum, & inſtructionem ſequi

Prov. 3. 13.

Ariſt. 4. Eth. c. 5.

Plat Alcib. 11.

neceſſe ſit, ne à ſuo quæque ſcopo aberret; tum quia cujuslibet earum infrequens uſus eſt, prudentiæ frequentiſſimus; juſtitia nanque, vel clementia (& ſic de cæteris) tunc ſolùm exercetur, cum rarò exercendæ occaſio ſe offert; at quoties à nobis, ſingulis prope momentis aliquid aut dicendum, aut agendum, prudenter id agi, dici ve oportet; ne imprudentiæ aſſiduam notam ſubeamus. Et quidem Theodoſius, quàm abundarit civili, ac domeſtica, inſitaque planè prudentia, poterit abundè conſtare univerſam ejus vitæ ſeriem inſpicientibus; in qua nihil imprudenter dictum, factumque, nihil niſi rationi, & virtuti conſonum deprehendent; ita ſe perpetuò geſſit, ut prudentiam ipſam univerſas, & ſingulas ejus actiones moderantem in ſinu gerere videretur: Idem ita linguam, cujus ob innatam volubilitatem, frequentiores ſunt imprudentiæ lapſus, faciliores imperitiæ notæ, in poteſtate habuit, ut ex Illius ore non niſi oracula prodirent: Platonem te, aut Catonem, vel unum ex ſeptem ſapientibus ſententias vulgò etiam in familiari ſermone proferentem audire crederes.

44 Id licèt mirum dictu ſit, credituque difficile, in puero quàm difficilius, & mirabilius! Rara eſt adoleſcenti, nedum puero cum prudentia conſenſio: à puero ingenii acumen, ingenuitatem, innocentiam, ſimileſque virtutes; judicium, & prudentiam fruſtra ſperes. Ut tenuis arbuſcula, magna olim arbor futura, ſic tenera pueri quantumvis generoſi ætas maturis ferendis fructibus impar eſt; utrique ab annorum decurſu ſeriùs, citiùsve maturitas accedit. Senectam ut plurimùm canis, & annis venerabilem longo rerum uſu exercitam matura demum conſequitur prudentia puerilis levitatis, & juvenilis fervoris immunis; puer, adoleſcens, aut juvenis omnino prudens rara avis in terris, prodigii loco habendus. Eum tamen fuiſſe Theodoſium inſolita ejus vitæ ratio atteſtatur; in qua cùm multa ſint prodigioſa, nihil Ipſius prudentia, ut exiſtimo, prodigioſius; Cui vel in ipſa pueritia prudentem eſſe, ac videri contigit, & ante annos animum præ ſe ferre, curaſque ſeniles. Propterea Sereniſſimus Rex Joannes Eum adhuc Puerum, non niſi parentem ſuum, vel fratrem natu majorem appellare; ſic licèt per jocum ſeria ejus prudentia vel commendata, vel perſtricta. Eundem ſummis regni de rebus frequenter conſulere; cum Illo maximi momenti negotia conferre; occaſioneſque paſſim captare tenerrimi Principis ingentem captum vel explorandi, vel ex Ipſius conſultiſſimis reſponſis propalandi: tandem explorata quotidianis hiſce velitationibus puerilis judicii ſenili planè maturitate, Illum ſupremo ſtatus concilio Senatorem adhibere, non dum exacto tertio decimo ætatis anno; ubi quantùm non domeſticæ modò, ſed civilis etiam prudentiæ ſpecimen exhibuerit, non eſt, cur alibi jam dicta repetamus. Lib. 1. c. 17 & 16.

45 Supervacaneum quoque videtur commemorare, quibus auxiliis in acquirenda, perficiendaque civili prudentia uſus fuerit, cum jam ſupra ſit à nobis indicatum, quàm ſedulus incubuerit legendis omnigenis libris, tum politicis, tum hiſtoricis, aliiſque hujuſce argumenti componendis, quo nihil efficacius ad comparandam brevi civilem prudentiam, politicæ artis magiſtri ſuis ea de re ſcriptis commentariis tradidere. Sed quia iidem ad hoc ipſum tria multùm juvare potiſſimum docent, Memoriam, Uſum, & Peregrinationem; memoria certè præteritorum eventuum conſtat fuiſſe Theodoſium in paucis commendabili, cui excipiendis rerum imaginibus facillimæ, retinendis firmiſſimæ; cui univerſa quæ legerat, vel audierat, citra oblivio- Hoc lib. 4. 18, & 34.

 nis

ſecura veluti in vado, cum vadari nequeas: quò minus aſſequimur, eò plus veneramur. Perdunt flumina gemmas, ac divitias, quas produnt, haud pretioſa, quæ vadòſa: arcana tandiu tuta, quandiu tecta. Nihil tamen in Te ſecretum, præter ſecretum; optimè ſcis ſolis defectus æquè patere, ac radios. In Te ſimulatio, & diſſimulatio fucatam prorſus ſuam exuère perſonam, ſynceram induère Dominantibus neceſſariam. Eſt Tibi ſimplicitas callida, & ſimplex calliditas. Sine fraude quandoque induis leoninum ſpolium, nunquam vulpinum. Multa diſſimulas; ſed ſimulata odiſti, quaſi ſimulachra. Fidis, ac diffidis: at quia utrunque in periculo eſt, adhibes temperamentum; fidis, quaſi credas; diffidis, quaſi non credas. Principalis illa, qua uteris in loquendo, brevitas grande Dominantibus documentum, ſcire ad uſum, non ad gloriam: Omnia ſcis, pauca loqueris, multa ſiles. Silentium tamen tuum ſupplicantium verba non comprimit: loquendi finis modeſtia noſtra, non tua moleſtia, &c.

147 Alii aliter politicæ prudentiæ celebritatem, prolatis in tempore apophthegmatis ſive ſententiis, vel ad vitia emendanda, vel ad virtutes commendandas, optimo cujuslibet reipublicæ regimini accommodatis, meritò adepti ſunt. In eorum apophthematum ſelectiſſimis adnotandis, tranſcribendiſque, ac memoriæ mandandis multus fuit Theodoſius, dum ſapientûm, & prudentûm penè omnium facta, dictaque lectitando ſectatur; eadem crebrò ſecum recogitare; eadem familiaribus apud domeſticos ſermonibus uſurpare, vel memoriæ refricandæ, vel iiſdem ad politicam prudentiam inſtituendis intentus. Qua frequenti exercitatione tantùm brevi profecit, ut prudentiſſimus quibuslibet ſuperioris ævi ſapientibus inſigni prudentia præcellentibus Theodoſium adnumerare nemo prudens dubitarit: & quidem jure optimo. Cur enim Romano Catoni, Græco Socrati, Hiſpano Senecæ, ac ſimilibus æquiparare, aut ſaltem ſimillimum prædicare Theodoſium vereamur, eorum omnium apophthegmata, & conſultiſſimas ſententias, non modò prompta memoria retinentem, ſed paſſim prout ſe occaſio ferret, commendabili æmulatione exprimentem? Licèt aliena, noſtra certè ſunt, quos noſtri juris laudabiliter æmulando ipſi efficimus. Non aliter Demoſthenem Tullius, Thucydidem Livius, Homerum Virgilius, Pindarum Horatius ſedula æmulatione ſunt aut conſequuti, aut forſitan ſupergreſſi. Unde ſiquis prudentiſſima Theodoſii apophthegmata, vel ſententias Ipſius prudentiæ indices à me requirat, eum ad antiquorum omnium conſultiſſima oracula remittere; quæ Theodoſius ſua imitando effecit, minimè dubitaverim.

48 Inter cætera non vulgari obſervatione dignum cenſeo, quod præcipua æſtimatione, unà cum aliis prudentiſſimi Principis ſcriptis, poſt Illius obitum Ejus Confeſſarius aſſervavit, mihique ipſe decedens conceſſit. Recolendum nempe Cyprii cujuſdam Principis epiraphium, quod Ille ſuo incidi juſſerat Mauſolæo, egregia continens cujuslibet regni, aut principatus optimè gubernandi hujuſmodi documenta: *Quod ſponte potui efficere, coactè nunquam effeci. Quod pace aſſequi valui, armis nunquam extorſi. Quod ſecretò licuit medicari, publicè nunquam animadverti. Quos verbis permiſſum eſt corrigere, verberibus nunquam afflixi. Publicis pœnis privata ſemper monita præmiſi. Nunquam permiſi vel meam linguam mendacio infici, vel meas aures adulationibus deliniri. Compeſcui cor meum, ut propriis, etſi minimis contentum bonis, alienis minimè inhiaret. In conſervandis amicis multus fui, plurimus in evitandis inimicis. Nec prodigus in ſumpti-*

bus immodicis, neque accipiendi cupidus extiti. Nunquam ſimel inflixi pœnam, quam priùs quater non condonarem. Quod punierim, dolore, quod pepercerim, gaudio afficior. Homo inter homines natus ſum; ideo meum corpus vermes arrodunt. Vixi juſtus cum juſtis, ideo requieſcet anima mea cum Deo. Hoc epitaphium Græcè inſcriptum, in monte Archivo Inſulæ Cypri olim repertum, Luſitanicè donatum, & ad Sereniſſimum Regem noſtrum Joannem tertium tranſmiſſum, ab eoque in magno pretio habitum, poſt ejus mortem Sereniſſima Regina Catharina Illius uxor Sereniſſimo Nepoti Sebaſtiano Regnum ineunti commendavit; quò nimirum ita Luſitanam Monarchiam regeret, ut ſimile elogium ſuo ſepulchro incidi poſſet. Id ipſum Theodoſio fortè oblatum adeo placuit, ut dignissimum judicaret, quod à quolibet prudenti Principe, non memoriæ modò, ſed executioni mandaretur: à ſe vero ita omnia, & ſingula obſervanda decreverat, ut ne latum, ut ajunt, unguem à prudentiſſimis hiſce apophthegmatis deviaret.

49 Maximæ quidem ſunt prudentiæ argumentum hujuſmodi axiomata in Principis Cyprii reperta monumento, quæ Theodoſius ipſe tanti fecit; at non ſunt minoris facienda, quæ idem Princeps in ſuis paſſim ſcriptis obſervanda futuris Principibus dereliquit. Cæteris interim omiſſis, unum habetur in ejus Macariopoli, ad prudentem cujusvis reipublicæ adminiſtrationem, immò ad propriam prudentiam ex aliorum judicio ſtabiliendam maximè neceſſarium: *Omnibus* (jubet ibi) *noviluniis eant conſultum cuncti poſt decimum octavum annum; & unuſquiſque liberè dicet, quid ei videatur Regno, aut Urbi vel deeſſe, vel expedire; ſententiiſque collectis, Principes quid agendum ſit decernant; & exponant cauſas, quare id ſumpſerint, vel rejecerint, &c.* Quàm multa, & ſalutaria in eo unico conſilio ad comparandam civilem prudentiam documenta! Curioſè fateor ab ipſius Principis Cubiculario Joanne Nonio à Cunia omnia tanti Principis ſciendi cupidus per epiſtolium quæſivi; Quænam fuerint præcipua Illius ad optimum Regimen uſurpata vulgò axiomata? Breviùs ille, quàm optarem, mihi reſpondit. Pace (inquit) vigente cenſebat Princeps è re publica eſſe, regnum plurimis commerciis opulentum, & paucis tributis prægravatum in officio continere. Item immodicis ſumptibus præſertim in veſtitu, modum aliquem ſtatuere. At belli tempore omnino expedire Principem ipſum in armis eſſe, illaque per ſe, non per legatos tractare. Eodem temporis abſque militaribus allegatis meritis, nullius alterius ſupplicibus libellis, niſi fortè nimiùm urgentibus, à Principe deferendum. Tandem domi, militiæque adminiſtrandam Juſtitiam ad æmulationem Regis Davidis de ſe ita dicentis: *In matutino interficiebam omnes peccatores terræ.* Hactenus intimus Theodoſio Cubicularius. Longè tamen plura fuere Theodoſii prudentiſſima effata, quæ hanc ejus vitam attentè obſervanti paſſim occurrent. De nonnullis jam alibi meminimus. Unicum proximis affine non omittam, quin delibem. Placida nimirum populis in pace regendis nullum eſſe opportunius, & efficacius remedium, quàm quod ab ipſomet bello ſit mutuandum. Bellicæ nimirum oſtentatione potentiæ partam bello pacem fore ſtabiliendam; quam militari ſatellitio ſtipatam nullus externus hoſtis turbare auſit; eandem ſi prorſus inermem videat, qualibet oblata occaſione nemo non audacter adorietur. Quare cuilibet pacifico Regi ab armis quidem, at non penitus ceſſandum; tranquillumque pacis otium, ne torpeſcat, militaribus exercitationibus moderatè adhibitis confirmandum:

Macariop.

Pſ. 100. 8.

Lib. I. Vide in Indice verbo Apophthemata.

exemplo

exemplo Regis Salomonis, qui Rex Pacificus, idemque Sapiens antonomaſticè ideo appellatus, ex prudentûm ſententia, quia nullus ante, vel poſt illum numeroſiorem belli ſub eo ceſſantis apparatum unquam exhibuit; de quo ex pluribus Sacræ paginæ locis indubiè conſtat. Idcirco pacifico Regi bellum nemo auſus inferre, illius bellicam potentiam univerſis ejus hoſtibus exhorreſcentibus. 3. Reg. 4. & 1. Paral. 9. 25.

50 Ex quibus planum eſt non communibus, alienisque tantùm ſententiis mirabilem Theodoſii prudentiam excelluiſſe; propriis etiam, & præmeditatis, immò etiam pro re nata extemporalibus, eadem ſæpe ſe prodidit; quarum in ſequentibus capitulis frequens incidet mentio: unam hîc, vel alteram judicii, acuminisque minimè vulgaris indicem indigitabimus. Inter Principis Æconomum, & Hipparchum maximum nobilis orta eſt aliquando diſceptatio coram ipſo Principe ab iiſdem electo Judice, qui pro ſua ſingulari prudentia dubiam litem dirimeret: uterque ſui muneris præſtantiam extollere adnitebatur, propRereaque inter cæteros aulicos eminere. Æconomus ita pro ſe ratiocinari. Præcipuas ſibi Principis ipſius partes eſſe commiſſas, Aulam regere, aulicis præeſſe, univerſis imperare, ac tandem Regiæ domus auctoritatem tueri, amplitudinemque curare: dum maximus Hipparchus Principis tantùm equis, & curribus dominatur; eos verò quàm dignitate præcellunt homines Æconomo ſubjecti, tam illius munus cæteris dignius, & præcellentius præhabendum. E contra Hipparchus. Non inficior (inquit) magnam quidem eſſe, magnique faciendam maximi Æconomi dignitatem; at longè majorem meam, pluriſque ducendam evincam. Illam certè domeſtici licèt incurati aulæ claudunt parietes, meam foris etiam erumpentem aſpiciunt, ac ſuſpiciunt univerſi; cùm Principem generoſo inſidentem equo, aut triumphali curru invectum, omnium proximior ſubſequor eques, nulli niſi eidem Principi ſecundus. Fateor Principis equis, & curribus me unicè dominari; at exinde mei muneris celſiorem dignitatem quis non videat? Nonne ipſius Principis major, & auguſtior eſt celſitudo, dum extra domeſticæ aulæ alioqui ampliſſimæ anguſtias in publicum procedit eques, omnium oculis, & venerationi exhibitus, quàm cùm domi pedes incedit paucorum obſequiis, & adorationibus expoſitus? Dum ſellæ curuli triumphantis more inſidens per medias populi ad ſpectaculum confluentis turmas invehitur, quàm cùm domi ſedet, quantumvis auguſto quovis ſolio, ſolis domeſticis circunſtantibus? Si ergo mei muneris eſt, vel ipſum Principem majorem, æſtimabilioremque reddere, cur illud cæteris majus, & æſtimabilius non cenſebitur? Hiſce potiſſimùm, & id genus aliis argumentis, quibus conſultò ſuperſedeo, pro aſſerenda ſui muneris ampliori dignitate certabat uterque apud prudentiſſimum Principem; qui attentè auditis principatus æmulis, extemporanea ſatisfecit ſententia illi non abſimili, qua Divinus olim Princeps Diſcipulorum apud ſe contentionem: *Quis eorum videretur eſſe major?* intempeſtivum ambitum compeſcuit: *Veſtro* (inquit Princeps) *utriuſque munere dignius judico Cubicularii cujuſlibet miniſterium; cujus eſt non ſervorum, aut equorum, ſed perſonæ ipſiuſmet Principis curam gerere; niſi fortè (quod abſit) ob depravatos mores talis ſit Princeps, ut ſuis famulis, & equis ſit meritò poſthabendus; tunc enim veſtrum illorum miniſterio erit jure optimo præhabendum.* Quàm ſapienter, & judicioſè amplioris dignitatis majoratum non quidem contentioſè ambientibus, ſed de illo penitus incurioſis Cubiculariis adjudicavit, Luc. 22. 24.

non

non aliunde, ſed ex optimi, aut iniqui Principis meritis, aut demeritis pluris, vel minoris æſtimandum!

51 Aliud alibi præbuit memorabili quidem reſponſo eximiæ prudentiæ argumentum. In quodam ſupremo Status concilio, à Principe jam inita Senatoria dignitate, ventilata eſt coram Sereniſſimo Rege maximi momenti quæſtio. Poſtremus, ut moris eſt, ſuum tulit ſuffragium Princeps, pleriſque annuentibus, univerſiſque demirantibus, tum acris ingenii difficillimos implicitæ quæſtionis nodos explicantis maximum acumen, tum judicii longè immaturum captum ſuperantis longævam maturitatem: ex iis unus, qui Principem præceſſerat, Senator non modò illius ſententiæ, propria retractata penitus adhæſit, verùm Principis plantis ſuam ſe ſubmittere palam profeſſus eſt; vel quià optimam eam judicarit, vel quia optimus ab eo judicari hac ratione ſperaret. E contra Comes Odemirenſis D. Franciſcus à Faro vir ob egregias dotes, ſummamque apud univerſos ordines auctoritatem notiſſimus, non dubitavit Principis ſententiam, validiſſimè oppugnatam antea, denuo impugnare; quo eventu, non attinet hìc referre. Soluto demum concilio Comes, cui hactenus humaniſſimi æquè, ac prudentiſſimi Principis genius haud erat ſatis exploratus, veritus, ne, ut vulgò fit, ipſius in ferendo ſuffragio libertate Princeps fortè offenderetur, illum ſuo jam redditum palatio confeſtim adit, ne brevi mora interpoſita peſtilens ſibi, ut credebat, alienationis virus latiùs ſerperet, ſolitiſque aulicorum adulationibus in ſui perniciem exitialiùs indies aleretur. Mox oſculata reverenter Principis manu, luculenta, & efficaci, qua in primis valebat, ad ſuadendum oratione uti, ſuffragii nuper à ſe lati libertatem ſuppliciter deprecarì; recti animi ſynceritatem, nullo infectam præpoſtero affectu, veritatis, & publici boni ſcopum unicè collimantem cauſari; nullis denique parcere verborum, aut rationum impendiis ad Principis gratiam ſibi aut confirmandam, aut denuo colligendam. Tunc Princeps placido, ut plerunque ſolebat, vultu, ſed ad inſolitam benevolentiam tum temporis compoſito: *Abſit* (inquit) *ut Conſiliarii ullius in proferenda ſua ſententia vel leviter unquam commovear libertate, qua nihil optabilius in libera qualibet republica, ſed maximè in Luſitana divinitus haud pridem liberata: qui mihi rationi, & veritati penitus addicto animosè aliquando contradicit, oppoſitis rationibus ab ipſa veritate mutuatis, eum Ego verum Luſitanum, genuinumque patriæ amatorem perpetuò habebo. Quæ meis plantis officiosè offeruntur ſuffragia, ea meis ſupponenda pedibus judico; quæ verò è contra liberè, rationabiliterque proferuntur, ea meo imponenda capiti pro aurea corona exiſtimo. Perge, Comes, ut cæpiſti, quoties occaſio tulerit, & Regem, & me officii, ac dignitatis publicè, privatimque liberrimè admonere; nihil mihi gratius, nihil reipublicæ ſalutarius præſtiturus.* Non reſpiravit modò conſultiſſimi reſponſi afflatus aura Comes, ſed novos hauſit ſpiritus inflammatumque deſiderium prudentis adeo, & generoſi Principis obſequiis ſe, ſuaque penitus devovendi. Tum ipſe, tum qui aderant, univerſi ad Principis pedes demiſſi eidem gratulati ſunt, & Comiti ſingularem exhibitum favorem, & cæteris præſtitum recolendæ prudentiæ venerabile documentum.

52 Ulteriùs proceſſit nullis circunſcripta terminis Theodoſii prudentia, non ſeriis modò ſententiis celebris, ſed feſtivis quoque ſubitis argutiis urbaniſſima, & quandoque aculeata: ejus etiam generis triplex ſuperioribus exemplum attexam. Eundem, de quo proximè diximus, Odemirenſem Comitem jam abeuntem Principis æquè, ac ſui valde ſecurum, ut omni prorſus

ſolici-

ſolicitudine, alienatique animi ſuſpicione liberum dimitteret, hiſce demum ſupremæ benevolentiæ ſignis proſequutus eſt: *Certò velim ſcias me tibi hactenus nullo defuiſſe officiorum genere, neque unquam defuturum, quia tibi nunquam deeris.* Ad hæc gratulabundus Comes Luſitana uſus paræmia: *A Celſitudinis Veſtræ* (inquit) *manu mihi ſemper contingat lapidari. At non à tua mihi* (è veſtigio reſpondit Princeps): qua ſubita reſponſione perculſus, & veluti ſyderatus Comes, ut erat acuti, & prævolantis ingenii, facilè ſibi perſuaſit hocce breviloquio alluſiſſe Principem ad priſtinum ejus morbum, quo aliquandiu laboravit, certis delirlis obnoxius, Davidicis utique ſimillimis (ut prudentes plurimi exiſtimarunt) confictis utriſque ad declinandam aulicorum invidiam, ideoque fortaſſe nolle Principem lapidari à delirantis olim manu, cujus ſolent eſſe jactus lapidum longè pertimeſcendi. Igitur, ut certus fieret eò ne, an aliò verba Principis reſpicerent? *Cur quæſo* (inquit) *nollet Veſtra Celſitudo mea manu lapidari? Quia* (reddit Princeps cognita Comitis turbatione, illiuſque proſpecta cauſa) *manus limpidiſſimæ, minimèque tenaces, & glutinoſæ, quales tuas eſſe omnibus compertum eſt, vehementiùs, expeditiùsque lapides projiciunt, majori ejus, in quem jaciuntur, periculo.* Sic mira ingenii, & judicii dexteritate in maximam Comitis laudem verba deflexit, quæ aliqualis maculæ speciem præ ſe ferre videbantur: ſic ad extremum in commendanda Comitis notiſſima iotegritate totius capacitatis, & tenacitatis immuni, Principis ſingularis prudentia, & ingenii acumen illuxere; repetita Comitis gratulatione, omniumque admiratione, ac plauſibus celebrata,

53 Non parum aculeati, licèt obvelati acuminis Principis verba in præſentem Comitem jactata exeruiſſe palam eſt; pluris tamen, & apertioris, quæ in abſentem alium, ſeu potiùs in illius publicum vitium aliquando evibravit, telum quidem non imbelle, at citra ſanguinis effuſionem. Juſſerat Sereniſſimus Rex ad ſe acciri hominem, cujus optimum alioqui ad expedienda negotia genium notiſſimæ bibacitatis pervulgata nota corruperat. Nemo ſine crimine vivit; & quidem, ſi Reges non niſi abſolutis undequaque miniſtris uterentur, vacua frequenter in aula dominari cogerentur; cùm rari admodum ſint numeris omnibus abſoluti. Illum igitur jam diu morantem unà cum Principe anxius Rex opperiebatur: interim ingens editus in area Regio palatio ſubjecta rotarum fragor Principem ad feneſtram excivit; proſpiciensque hinc honorarium currum, illinc plauſtrum vini dolio prægravatum: *En* (inquit ad Parentem Sereniſſimum converſus) *illic, quem expectabamus, accelerat. Vbinam?* (inquirit Rex ex eadem feneſtra deſpiciens longè, latèque patentem aream.) *Aut fortè in hoc, aut certè in illo* (reſpondit Princeps, curru vacuo, ac dolio vini pleno ſubinde indigitatis). Ad inſperatum feſtivi reſponſi acumen unà cum Rege adſtantes aulici plauſere ſerii Principis jocoſæ alluſioni, & publico vitio ingenioſè præſtringendo, & privato Sereniſſimi Parentis tædio levando prudenter in tempore factæ. Nec multò poſt superveniens expectatus diu hoſpes ſerpentem latiùs lætitiam, cui abſens cauſam dederat, præſens ipſe aſcetitii ruboris oſtentatione cumulavit. Haud minori quidem affecit rubore quendam è Magnatibus de ſuo ſibi judicio, & ingenio mirificè perplacentem. Theodoſium Braſiliæ Principem renuntiatum eadem die non contentus urbaniſſimè ſalutare, lepido inſuper dicterio voluit eundem aſpergere, ſibique aulicum plauſum conciliare: *Veſtra* (inquit ille) *Celſitudo alterius mundi Princeps fuit hodie proclamatus*: ad Braſiliam reſpexit Lib.1.§. 150.

novi, ſeu alterius orbis partem non exiguam. Cui è veſtigio Princeps: *Ecquis poſſet mihi lepidum adeo nuntium ex tam diſſita regione afferre, niſi homo balſamo conditus, alterius jam orbis incola?* Facta nimirum brevi alluſione, tum ad veterum morem cadavera adverſus putrefactionem balſamo, cujus eſt Braſilia feraciſſima, condientium, tum ad Viri decolorem, & cadaveroſam faciem, extrema confectam macie, qua defuncto non abſimilis videbatur. Plauſum ille voti compos ſibi maximum adſtantium Aulicorum concivit, non tam ex ſuo inſulſo, meditatoque ſcommate, quàm ex ingenioſa, extemporaneaque Principis redargutione. Cui affinia exempla paſſim curioſo lectori ſe dabunt obvia: hæc interim ſatis ſint pro noſtri Principis ſummo judicio, & ingenio aſſerendo.

CAPUT V.

Principis Theodoſii ad virtutem Juſtitiæ propenſio.

54 SApientem juxta, & prudentem Principem nihil tam decet, quàm Juſtitia, cujus eſt jus ſuum unicuique tribuere; per quam *Reges regnant, & legum conditores juſta decernunt*: ea vigente, tranquillus, & feliciſſimus erit reipublicæ ſtatus: *Remota juſtitia, quid ſunt Regna, niſi magna latrocinia?* Inquit S. Auguſtinus. Oportet verò, ut juriſprudentiam vel apprime, vel ſaltem aliqualiter caleat Princeps, ſubditis jus dicturus; aliter quî poterit per ſe jus ipſum tueri, juſtumque ab injuſto diſcernere? In ea comparanda ſcientia quantùm invigilàrit Theodoſius, à nobis ſupra indicatum: quàm ſit ea Principi, ejuſque Miniſtris neceſſaria, tempeſtiva objurgatione Ipſe palam fecit. Poſt maturam, ut in rebus magni momenti, cum viris doctis deliberationem, legem cogitabat Sereniſſimus Rex bono publico, ut plures tunc exiſtimarunt, ſalutarem, privatis paucorum commodis non nihil incommodam. Ex iis unus ſummæ vir auctoritatis Principem adit, quem præcipuum ferendæ legis Authorem præcrebuerat; Illum ſi rationibus expugnaret, facilè poſſe Regem à promulganda lege abduci perſuaſus. Igitur eloquentiæ nervos omnes intendit, quò intentum ſuadeat; nullis parcit rationum momentis, ſuæ confirmandæ ſententiæ compoſitis; quas cùm aliis longè validioribus facilè Princeps refelleret, ad validiſſimam omnium apud Principem juſtitiæ mentionem provocavit, auſus ad extremum proteſtari, legem illam juſtitiæ legibus planè adverſari, eòque Rege, ac Principe juſto haud dubiè indignam. Tunc Princeps, cui juſtitia nihil unquam fuit antiquius: *Dicito mihi, quæſo* (inquit) *quid ſit juſtitia?* Tergiverſanti verò, & diutiùs, quàm par eſſet, juſtitiæ definitionem proferre cunctanti, ſubjicit Princeps: *Si neſcis, quid ſit juſtitia, cur juſtam legem injuſtitiæ nota inuris?* Eam mox ubi talem eſſe demonſtravit, hominem pudoris confuſione, germanaque juſtitiæ interpretatione convictum à ſe demiſit; non interim prætermiſſis benevolentiæ ſignificationibus, quibus injecti ruboris notas abſtergeret, ac juſtæ objurgationis aſperitatem emolliret: quod præſtare nullatenus poſſet, niſi juſtitiæ legum foret apprime conſcius, & obſervator eximius.

Prov. 8. 15

S. Aug. 4. de Civ. Dei

Li. 1. §. 23.

55 Exleges penitus eſſe Principes legum conditores, & juſtitiæ vinculis omnino liberos fuere, qui perperam pronuntiarunt; & quidem juxta Theodoſii Principis placitum, injuſtè, improbèque: hinc frequens Illius non ſine ſtomacho improbatio ſententiarum, quæ ſub libertatis prætextu Principum voluptati plus nimio indulgent, nulla æqui, honeſtique habita ratione; cujuſmodi ſunt iſta: *Principi nemo eas* (leges ſcilicet) *ſcripſit. Licet, ſi libet. Sceptrorum vis tota perit, ſi pendere juſta incipit. In ſumma fortuna id æquius, quod validius. Viro, aut Urbi Principi nihil injuſtum, quod fructuoſum.* His, & hujuſmodi aliis certum, ac peſtilens Principum innocentiæ, per ſummam iniquitatem, propinari venenum iniquè ferebat Theodoſius: & verò ea toxica ne poſſent ſæva nocere ſibi, præſentiſſimum amuletum ex ſalubrioribus aliis confecerat, quæ uſurpare frequenter, cordique inſcripta paſſim eructare: *Minimum decet libère, cui nimium licet. Cùm omnia poſſimus, ſolà credimus licere nobis laudanda. Non fas potentes poſſe, fieri quod nefas. Ego verò nullas opes viro, ac præſertim Principi pulchriores, honeſtioresque cenſeo, quàm virtutem, & juſtitiam. Fundamentum perpetuæ commendationis, & famæ juſtitia eſt: ſine qua nihil poteſt eſſe laudabile. Pietate, & Iuſtitia Principes Dii fiunt.* His certè affinia ſunt, quæ à Theodoſio de juſtitia luculenter diſputante apud ſuos non ſemel Ipſius Aulici, & Cubicularii excepère: *Oportere*, nimirum, *Principem animatam eſſe ſubditorum legem, ac regulam; quæ niſi recta omnino ſit, cætera dirigere haud poterit. Iuſto clavo gubernanda reipublicæ navis, ne ad eminentes injuſtitiæ ſcopulos, latentesve Syrtes eliſa impingat, aut tortuoſis fluctibus abſorbeatur. Qui magno imperio præſunt, in excelſo ætatem agunt; eorum facta cuncti mortales obſervant: ita in maxima fortuna minima licentia eſſe debet. Ut herbæ quædam ad ſolis motum, ſic populares in Principum mores verti. Sicut in corporibus graviſſimus eſt morbus, qui à capite diffunditur, ſic qui à Principe. Abeant, qui aberrando, omnia ſibi, & in omnes licere putant, vel qui parum ſanæ mentis compotes ſibi perſuadent, impunè quidlibet facere, id eſſe Regem eſſe. Verius, & ſanius illud; Qui juſtitiæ præeſt, ad illam præeat, eamque ſuo exemplo commendet. Siquis mihi, quod olim Antigono Macedonum Regi, blandiens aliquis ineptè ſuggerat, Omnia Regibus honeſta, juſtaque eſſe; illius reſponſo improbi adulatoris inconſultum conſilium refellam: Sunt herculè, ſed barbarorum dumtaxat Regibus; at nobis ea honeſta, quæ honeſta ſunt, & juſta, quæ juſta. Utinam mihi juſtitiam excolenti jure aptari poſſet elogium, quod veteri Theodoſio ſuus olim recitavit Panegyriſtes. Idem es, qui fuiſti, & tantum tibi per te licet, quantum per leges antea licebat. Ius ſummum facultate, & copia commodandi, non ſecuritate peccandi experiris.* Ex hujuſmodi ad exercendam juſtitiam quaſi velitationibus pronum erit conſcire, quàm erga cæteros juſtus foret, qui juſtitiam in ſe ipſo, quod eſt longè difficilius, adeo ſanctè coleret.

Plin. in paneg.
Spar. in Ant. Carac.
Luc. lib. 8.
Tac. 15. annal.
Xenoph. de Cyri exped. l. 7.
Sen. rec. in Troadem.
Theod. apud Caſſ. ad Var. l. 10.
Cic. 3. de offic.
Aug. apud Senec. in lud.

56. Duas eſſe præcipuas integræ Juſtitiæ partes Principibus ex æquo venerandas apprime noverat Theodoſius; diſtributivam alteram, beneficia pro meritis æquali trutina ponderantem; alteram punitivam, ancipitem gladium legum tranſgreſſoribus intentantem: utriuſque amorem ut præ ſe tulerit quinquennis adhuc Puer, ſupra diximus, plurima hîc dicturi, niſi ab æquiſſimi Principis manibus exercendæ juſtitiæ inſtrumenta, occaſionesque adeo cita, & iniqua mors abripuiſſet: hinc eſt, quòd Ipſius potiùs ad juſtitiam affectus laudare, quàm laudabiles effectus poſſumus commemorare. A Deo ſæpe cum Regio Vate appoſitè precabatur: *Deus judicium tuum Regi da, & juſtitiam tuam Filio Regis.* Ubi obſervabat, non judicium abſolutè, aut qua-

Lib. iii. 37.
Pſ. 71. a. 1.

lemcunque juſtitiam exorandam, ſed judicium, & juſtitiam ipſius Dei, qui nulla perſonarum ratione, pro meritis, aut demeritis unumquenque diſtributivæ, aut punitivæ juſtitiæ legibus æquiſſimis ſubjicit. Et quidem à diſtributivæ Juſtitiæ legibus nec leviter deflectendum; ſanctè univerſas ſervandas Sereniſſimum Parentem crebrò admonere: *In eo maximè ineuntis Regni felicitatem conſtare; inde florentiſſima indies Luſitana Monarchia incrementum æquè, ac perpetuum ſtabilimentum comparandum: provocandos quidem ad glorioſa quæque Luſitanorum animos, gloriæ in paucis cupidos, propoſitis præmiis, & in ſingulos benemeritos, at ſingulari æquitate diſtribuendos; ſi eam, ut cœperas, ab omni præpoſteræ affectionis contagio penitus liberam obſervare pergeret, proceſſura Illi ex votis univerſa; ſecus, ſi amorem, aut odium peſſimos conſultores in partiendis Regiis muneribus adhiberet.* Controverti noverat inter Doctores Scholaſticos, liceatne aliquando in officiorum, aut beneficiorum proviſione dignum præferri digniori? Qua in quæſtione ſententiam affirmativam, quæ nonnullis probabilis habetur, non improbabat modò, ſed indignam prorſus judicabat, cujus fieret mentio in bene conſtituta republica, cui certè multùm eſt exitialis: *Si enim poſthabitis dignioribus, mediocriter digni liberè præferri poſſunt, quis ad optimi laudem adſpirabit, cùm ad prævalendum ſatis, ſuperque ſit eſſe bonum? Vnde per ſummam indignitatem ablata dignioribus certa præmiorum ſpe, qua eniti ad ſumma quæque ſolent, generoſis in poſterum exemplis, quibus unicè glorioſa qualibet reſpub. inclareſcit, via omnino præcluditur, manifeſto maximarum virtutum, & illuſtrium facinorum præjudicio.* Hæc fuit de Juſtitia diſtributiva Theodoſii recolenda certè ſententia univerſis Regibus, & Principibus obſervanda, quam expreſſis Ille verbis in ſua exprimit Macariop. Macariopoli: *Tres verò* (inquit) *Principes alios particulares magiſtratus eligant, digniorem præponentes.*

57 Idem, licèt alioqui regnandi penitus incurioſus, auditus eſt ſemel apud Sereniſſimum Parentem capeſſendi ſceptri deſiderium ingenuè profiteri; cujus optandi unica ratione duceretur: rogatus verò ab eodem, quænam ea foret tam unica, quàm intempeſtiva, ſuperſtite adhuc Parente, affectati ſceptri ratio? Appoſitè ad Juſtitiæ diſtributivæ commendationem reſpondit: *Vt nimirum optimè de republica Luſitana meritos poſſem univerſim remunerare, at præſertim, & præ cæteris illos, qui Regiæ acclamationis Majeſtatis Veſtræ Authores indonati hactenus extitere.* Sic prudenter monito Sereniſſimo Parente, ut excellentium meritorum præcipua ratione habita, cæteros ſimilium præmiorum expectatione ad maxima quæque perpetranda ſolicitatos ſtimularet. Ex iis verò ſatis liquet, quàm ſæpe coram Sereniſſimo Parente juſtitiæ mentionem, & commendationem Theodoſius ingeſſerit; id verò non tam adhortandi ad inſolita ſtudio, quàm frequentium ejus virtutis exemplorum æmulatione. Nullus certè à condita Luſitania Rex fuit Sereniſſimo Joanne quarto Juſtitiæ addictior, ejusque legum obſervantior: nemo æquales juſtitiæ bilances pluribus in benemeritos largiter exhibitis beneficiis æquiùs oneravit; nemo illius verſatilem gladium in ſceleratos quoslibet animoſiùs evibravit. Cùm plurimæ in eo, eximiæque virtutes excellerent, una præ omnibus juſtitia eminebat; cui tantùm ab illo deferri apud univerſos percrebuerat, ut quicunque ab eo, vel beneficium extorquere, vel ſupplicium deprecari optaret, unius juſtitiæ probabili allegatione rem certè conficeret. Reliquorum nempe affectuum

domino unicus juſtitiæ affectus dominabatur. Id Theodoſio paternarum virtutum maximo æmulatori cùm foret exploratum, eam ſibi præ cæteris chariorem frequentiori ſermone oſtendere ſatagebat, quam probè ſciret æquiſſimo Parenti eſſe omnium acceptiſſimam. Idem feliciſſimos eventus domi, militiæque per id tempus Luſitaniam paſſim afflantes, Deo in primis, mox paternæ juſtitiæ acceptos referebat; quaſi placeret æquiſſimo Numini ea maximè ratione, vel certum Sereniſſimi Regis ad Luſitanam Monarchiam jus propalare, vel ſolitam ab eo exerceri juſtitiam inſolitis beneficiis compenſare. Id ipſum multò expreſſit luculentiùs, dum adhuc Puer vivis coloribus animatam juſtitiæ imaginem, quam alibi dedimus, Apellæo penicillo delinearet, in eaque paternæ juſtitiæ adumbratum emblema contineri explicaret. Lib. 1 § 14

58 At bona Theodoſii pace, feliciſſimos eos Luſitani Regni progreſſus Ipſius potiùs eximiis virtutibus duxerim tribuendos; ſed præſertim Ejus ardentiſſimo erga diſtributivam juſtitiam amori, quo mirificè capitur Deus bonorum omnium juſtiſſimus diſpenſator: *Qui ſolem ſuum oriri facit ſuper bonos, & malos, & pluit ſuper juſtos, & injuſtos*; non injuſtitiæ remunerator, ſed ſingularis communium beneficiorum, etiam in ſuos adverſarios, ultra vulgares juſtitiæ leges, elargitor. Sic Theodoſius etiam ſibi detrahentes, alioqui benemeritos præmiis exigenti juſtitiæ adæquatis afficiendos, Sereniſſimo licèt Parente improbante, prædicabat. Mathematicæ dum ſtrenuam navaret operam; maxima exinde apud univerſos adepta ingenii longè præcellentis celebritate, auſus neſcio quis nomine prorſus indignus temerè Principem præpoſteræ curioſitatis inſimulare non Mathematicæ, verùm Magicæ ſtudioſum. Nec mora, Regi ſimul, ac Principi renuntiatur temerarium imprudentis obtrectatoris opprobrium: cujus mentione Princeps nihilo commotus, *Abſit (inquit) ab ingenuo, & Chriſtiano Principe ars Diabolica, in qua ingenii nihil, utilitatis minus, perverſæ curioſitatis parum; periculoſæ aleæ, pernicioſiſſimæque fatuitatis plurimum.* E contra Rex pro rei indignitate ſtomachari, dignaſque inconſulto planè impoſtori pœnas minitari: nec deerant interim, conſueto aulicorum more, qui acerbiore fortè, quàm par erat, exaggeratione delicti, utrique plus æquo placere ſtuderent, hinc Regis exſufflata iracundia, illinc Principis provocata; quibus tamen Ille ſilentium, & admirationem hiſce verbis impoſuit: *Licet aliquis* (quod vix credo) *immeritò mihi inconſultè detrahat, mihi certè deero, ſi detrectatoris mei, alioqui benemeriti juri non nihil detraham: illum de me vera dixiſſe confirmabo, niſi verus vel erga ipſum juſtitiæ ſim obſervator.* Utinam longiore vita ſuperſtite obſervare poſſemus, an tanti Principis facta, & effectus affectui erga juſtitiam diſtributivam reſponderent! Suſpiceret certè attonitus ob diſſuetudinem talium exemplorum orbis, Principem in præmiorum diſtributione non injurias proprias, ſed alieni juris promerita reſpicientem. Mat. 5. n. 45.

59 Exercendæ tamen juſtitiæ punitivæ, quæ ad Reges, vel Provinciarum Præſides unicè ſpectat, oblata ſibi Elviis occaſione, dum ibi rerum potitur, ita uſus eſt, ut memorabili, de quo alibi diximus, exemplo teſtatum poſteris reliquerit, fore, ſi unquam Regium thronum inſideret, lapſæ juſtitiæ Aſſertorem integerrimum, & Luſitanum planè Areopagitam. Licèt univerſim vitia omnia averſaretur, at furtum, & homicidium maximè, tum ob alias cauſas, tum quia juſtitiæ opponuntur. Cujus etiam generis eſt duellum, quod Lib. 1. §. 325 ad 329.

manifeſtam juris alieni, Regiæ nimirum auctoritatis, uſurpationem involvit, dum privati proprium ſibi jus exequi, propriaſque vindicandas injurias arrogant; quare gravibus ea, & irrevocabilibus coërcere pœnis deliberaverat: quas ut remitteret, quoties opportunam habuit occaſionem, nullis precibus, aut rationibus adduci potuit. Divina hæc Ejus vox Regum omnium attentis auribus excipienda frequenter audita eſt: *Non licere Regi, niſi juxta leges punire; dolendum illi ſemper, ac lacrymandum, quòd ſint in republica plectendi crimìnoſi,*

Tranq. apud Lipſ. in monit. c.12.n.10. *at nunquam præfixam iiſdem à legibus pœnam remittendam. Æmulandum Principibus juſtum, & clemens æquè Imperatoris Veſpaſiani genium, qui neque cæde cujuſquam unquam lætatus eſt; juſtis ſuppliciis illacrymavit etiam, & ingemuit. Eoſdem ſimiles fore nubibus, quæ non niſi horrendos inter tonitrus, effuſaſque largè pluvias ignita fulmina terris nocitura ejaculantur; hiſce quaſi magni doloris ſignificationibus juſto mortalium damno ingemiſcentes illacrymant.* Vulgarem ſententiam minimè vulgari plauſu iterare ſolitus: *Tam eſſe in patibulo, quàm in altari Sacerdotem conſpiciendum.* Celebrabat item ſcitum illud B. Franciſci Borgiæ olim Gandiæ Ducis, cujus ob eximiam Sanctimoniam conſanguinitate mirificè gloriabatur, ac celeberrimum apophthegma: Is Prorex quondam Catalauniæ maximis per id temporis ſceleratorum hominum inſultibus, & publicis latrociniis infeſtæ, collecta opportuna coërcendis, & vindicandis ſceleribus militum manu Dux ipſe ſtipatus, *Procedere ſe in campum jactabat ſimul cum Divina juſtitia comite, ad exercendam omnium ſibi voluptuoſiſſimam venationem.* Haud minori quidem voluptate legendis Indicis annalibus incumbebat aliquando Theodoſius, cùm fortè in Luſitanum incidit privatum unius Urbis gubernatorem, ex omnium ſcelerum colluvie conflatum, Divini, humanique juris violatorem, publicis rapinis, privatis odiis, miſerandis pauperum æquè, ac divitum oppreſſionibus famoſum, omni denique flagitioſum genere in univerſos lacrymabilis reipublicæ ordines paſſim, & ubique graſſantem; cujus immania ſcelera poſterorum potiùs execrationi, quàm lectioni deſcribebantur. Altè, ut par erat, indoluit juſtus Princeps, ac legendi aviditatem pauliſper cohibuit, quam mox accendit vehemens ardor ſciendi, an memorabili ſupplicio tunc factum fuerit ſatis juſtitiæ pœnas acerbiſſimas à ſceleratiſſimo expoſcenti? Cujus dum nullam reperit mentionem, ſive Hiſtorici perperam id prætermittentis incuria, ſive temporis illius iniquitate, impunita tot, ac tanta flagitia permittentis, juſtitiæ zelo vehementiùs ſolito inflammatus, rupto folio tot ſcelerum contagione, commemorationeque coinquinato, librum à ſe non ſine juſta indignatione projecit. Auſus tunc ex iis, qui aderant, Cubiculariis unus Principem in hæc verba interpellare: *Contra folium, quod vento rapitur, oſtendit Veſtra Celſitudo potentiam ſuam! Cur humaniſſime Princeps innocenti libro lethale vulnus infligis, nocentiſſimo capiti potiùs infligendum? Parce pias ſcelerare manus.* Cui Princeps. *Vtinam ad manus haberem univerſa hujus Authoris exemplaria, ſimili profectò cenſura, & correctione hoc loci digniſſima! Indignum quidem eſt impunè patrari, at indigniſſimum impunita ſcribi atrocia delicta, quæ perpetrata paucis tunc videntibus, ſcripta verò abſque merita pœnæ mentione innumeris poſtea legentibus majori futura ſunt ſcandalo; eadem ne inulta penitus remaneant, quoniam improbi capitis abſciſione mihi haud licuit vindicare, defectuoſi, quo recenſentur, capituli diſſectione à me damnari oportebat.*

Lib. 2. § 128. 60 Cum illuſtriſſimos quoſque (de quibus infra) maximi faceret, & præcipua benevolentia proſequeretur; at in adminiſtranda juſtitia nullam nobi-

lis

lis, vel ignobilis, maximi, vel minimi à ſe habendam rationem, ſed univerſos ex æquo judicandos, ſi unquam rerum potiretur, pronuntiabat: *Enim verò Iuſtitia* (dicebat) *iiſdem prorſus ponderibus aurum, argentum, æs, plumbum, ac ferrum librat; eodem ancipiti gladio ex utraque parte acuto perſonas, utpote cæca, minimè reſpiciens, obvium quemque pro meritis, aut demeritis vel ſevera, vel benigna excipit.* In eandem ſententiam rogavit ſemel Ferdinandum Tellium Meneſium Prætorii tunc Præfectum, *Cur cæteris Iuſtitiæ Miniſtris tenuiſſimas virgas præferentibus, ipſe prægrandem, & ſolito longè craſſiorem geſtaret?* Eo verò reſpondente, *id ſupremæ Dignitatis eſſe inſigne. Minimè quidem* (reddit Princeps) *grandior hac, & craſſior virga juſtitiam à te in primis exigit adverſus grandiores, & Magnates inflexibilem.* De aliquorum peculiaribus criminibus majoris momenti graviùs puniendis peculiarem habuit Princeps minimè ſilendam opinionem. Eam hiſce conceptis verbis à me latinè donatis exprimit in quadam mihi tradita relatione Joannes Nonius à Cunia: *Dicebat Princeps* (inquit ille) *ad manum futurum Regi libellum, ſummo tamen aſſervatum ſecreto, in quo eorum deſcriberentur nomina, qui vel certæ infidelitatis, vel incertæ fidei rei haberentur; & quidem infideles, ut convicti de crimine, flammis traderentur; in fide ſuſpecti, at alioqui benemeriti, ut eas ibi Rex impenderet, ubi abſque reipublicæ damno eorum meritis ſatisfieret. Enim verò ex cujusvis vel arcis, vel ſecreti proditione pendere publicam regni cujusvis incolumitatem; quæ pro privata utilitate adduci in diſcrimen minimè deberet.* Addit idem Author ibidem. *Quendam circuitorem furti compertum abſque ſcrupulo ſuſpendi juſſit, aſſerens publicæ pecuniæ furtum, quæ reipublicæ ſanguis eſſet, capitali pœna plectendum; atque ut à Rege omnes, qui ferro, ita univerſi, qui calamo ad rapinam abuterentur, à ſe in malam crucem agendos.*

61 Hæc certè fuit erga juſtitiam diſtributivam, & punitivam Theodoſii propenſio; at non minor erga commutativam, ultimam integræ juſtitiæ partem, quæ in contractuum æquitate ſervanda verſatur; eſtque civilis politicæ uſui maximè neceſſaria. Huic ſimiliter, etſi non multùm indulſerit, occaſionibus abſoluto imperio, ac vita deficientibus, non parum quidem indulgendum illi ab univerſis Juſtitiæ Miniſtris exoptabat; ſed in primis à Prætoribus Indiæ, Braſiliæ, Maranonii, Angolæ, S. Thomæ, Capitis Viridis, Inſularumque, ubi uberiorem hac in re frequentiùs peccandi materiem eſſe deprehenderat. In his, aliisque Luſitanæ ditionis regionibus acciderat, contra jus Gentium, iniquis nonnunquam emptionibus, ac venditionibus Æthiopum, graviter lædi ſubditarum Nationum libertatem, miſeræ addictam ſervituti, violatis Civilibus, Canonicis, & Patriis legibus: cui malo indies invaleſcenti, ne latiùs ſerperet, maximo cum Luſitanæ juſtitiæ dedecore, occurrendum opportunis, iiſque efficacibus remediis à ſe aliquando deſtinarat; interim dum præſentiſſima cum regionum illarum peritis confert, ac Sereniſſimo Parenti ſuggerit, iniqua mors æquiſſimarum cogitationum filum abrupit; non præciſa tamen penitus ſpe inveterati adeo morbi perſanandi. Enim verò poſt obitum Theodoſii, Sereniſſimus Rex leges aliquot antiquis veterum Regum ſuperadditas ſancivit, admodum ſalutares, pro coërcenda Prætorum in primis, mox eos æmulantium inſatiabili cupiditate: quæ ſi exactè obſerventur, haud exiguus inde fructus Theodoſii bene collocatam induſtriam, poſthuma liberatorum Æthiopum gratulatione cumulatam, conſequetur.

62 Ipſius ad extremum pro adminiſtranda rectè juſtitia documenta, ſive axiomata, è multis pauca ſuperaddere, nec ingrati laboris, nec inutilis ope-

Lipſ l. 2. Mon. pol. cap. 19. mon. 3. ræduxi: *Exemplo maximorum Regum, Principem decere,* aſſerebat, *non per Aſſeſſores tantùm, ſed per ſe ipſum aliquando jus dicere; maximè in potentiorum cauſis, aut atrocibus delictis; nempe ut illius æmulatione confirmati cæteri Iudices audeant plus deferre juſtitiæ, quàm potentiæ. Cæcam vulgò juſtitiam, at in Rege oculatam, eſſe oportere, id eſt à reliquis Iudicibus nullius, etiam Regis perſonam reſpiciendam; à Rege verò ſupra omnes eminente univerſos deſpiciendos.* Eccl. 24. 31. Malach. 4. 2. *Ideo Iudices aptè Beatos appellari, qui elucidant juſtitiam, quia Beatorum inſtar corporis, & ſanguinis expertium, Deum unicè ſuſpicere debeant. Solem, non Lunam Iuſtitiæ appellatione dignari, propter Solis invariabilem erga omnes aſpectum, conſtanti juſtitiæ familiarem, Lunæque quotidianam varietatem eidem contrariam. Ad hæc à Iuſtitiæ Miniſtris ſingularem in primis ſcientiam, & conſcientiam totius amoris, odii, & timoris expertem, nulli obnoxiam cupiditati, conſtantem, impigram, expeditam, incorruptamque prorſus requirebat. An ita ſe gerant, publicis, ſecretiſque paſſim indagationibus Regi ſedulò invigilandum: hinc optimos præmiis, iniquos pœnis in officio continendos. Legum præterea in immenſum exc*reſcentium multitudini, ac litium diuturnitati opportunum remedium cogitabat: Vt Suet. in ejus vita à cap 10. ad 16, & à 40 ad 44. olim C. Iulius Cæſar Ius Romanum Civile, ſic Luſitanum Theodoſius deſtinarat ad certum modum redigere, atque ex immenſa, diffuſaque legum copia, optima quæque, & neceſſaria in pauciſſimos conferre libros: utrique fata invidere. Æternarum verò litium prurigini ſiſtendæ occurri poſſe, tum litigantibus, tum eorum cauſidicis indicta pecuniaria, vel perſonali pœna; ſi nimirum litigantibus, & injuſta cauſa cadentibus juſta multa imponatur, cujus terrore à litibus ceſſent: ſi deinde cauſidicis lites ſerentibus, ſataſque producentibus exilii aut capitis pœna ſtatuatur; exemplo Iacobi Aragonum Regis, Lipſ. ibid. c. 10. §. 5, & 6. & Galeacii Mediolanenſium Ducis: quorum primus Semenum Radam inſignem ea ætate Iuriſconſultum, cujus tamen argutia, vel malitia multi ſe afflictos quererentur, Prævaricatoris lege poſtulatum regni finibus ejecit: ſecundus cauſidicum à ſe oblatæ injuſtæ cauſæ patrocinium facilè ſuſcipientem, verbis priùs increpitum, laqueo publicè necari juſſit. Ad extremum pro juſtitia ſanctè, ſyncerèque miniſtranda Divinam, quæ ſtrictiſſimi juris eſt, ante oculos Iudicibus ſemper habendam: quod memorabili facto iiſdem olim commendarat Sereniſſimus Rex Ioannes tertius, qui, uno ex Vlyſſiponenſibus Regiis palatiis ad Luſitani Areopagi uſus traducto, in aula omnium ampliſſima, ubi quotidie convenire ſolent judiciarii Senatores, ſpectandas juſſit ſuſpendi prægrandes effigies, certiſſima Divinæ juſtitiæ, nimirum Finalis judicii, Purgatorii, & Inferni exemplaria exprimentes; ut coram aſſiduo aſpectu diſcant Divinæ juſtitiæ prototypum in omnibus æmulari, ejuſdemque diſtrictionem formidabilem revereri.*

CAPUT VI.

Principis Theodoſii Clementia, & Manſuetudo.

63 JUſti Principis nulla certè major eſt laus, quàm eſſe, haberique Clementem: Juſtitia ſubditos in officio continebit, clementia eoſdem ſibi reddet officioſos, & ad obſequium promptos: hiſce duabus quaſi libratus alis ad veræ felicitatis culmen brevi, facilèque advolaturus: utranvis ſuo, & ſuorum indubio præcipitio remiſſurus. Divini Principis inſtar, ad juſtitiæ Divinam planè hypoſtaſim clementiæ aſſumpta huma-

nita-

nitate, Juſtitiæ gladio accingatur, ſed aurea clementiæ vagina recondito, unde illum invitus, & non niſi publicis vitiis vindicandis invitatus educat. Goniæ rupis ignem ſimul, & aquam evomentis æmulatione, improbos Juſtitiæ flammis exercitos, & Clementiæ aquis aſperſos, emundet pariter, & emendet. Talem fore Theodoſium, ſiquando regnum capeſſeret, certam omnibus ſpem fecerat Ipſius ex auro, æreque veluti conflata indoles: cujus auream mollitiem ad indulgendum flecti facilem reſipiſcentes, æream duritiem cedere neſciam in ſua malitia obdurati experirentur. Legerat in mirabilibus artis, & naturæ certa herbarum, reptiliumque commixtione poſſe gladium confici, quòlibet flexibilem acie adeo acuta, ut ferrum, aut æs facillimè diſſecaret. Igitur hujuſmodi cudendo enſi, ſeu potiùs inſigni Clementis Juſtitiæ hieroglyphico exprimendo, dum magiſtras artificum manus urget Theodoſius; licèt ex votis haud proceſſerit omnino artefactum; id quidem opinione omnium aſſequutus eſt, ut in ipſa ſuadendæ Juſtitiæ majori contentione Clementiſſimus dignoſceretur. Solitus vulgò dicere exercendam ſolito ſeveriùs Juſtitiam, non ſolius juſtitiæ, ſed clementiæ quoque intuitu; ut nimirum metu acerbioris pœnæ deterritis criminoſis indulgentioris clementiæ uberior ſe campus aperiret: genus pietatis eſſe aliquandò videri crudelem; ſic ſub ſpecie ſimulatæ crudelitatis ſpecioſiorem amabilis humanitatis faciem exhibendam; placido ſemper vultui ſuperinduendam nonnunquam affectatæ ſeveritatis larvam, qua brevi detracta, quaſi poſt nubila clarior, chariorque affulgeat univerſis clementiæ vera effigies. Principes nubibus fore ſimillimos, quæ fœcundantes paſſim pluvias effundunt, raò formidabiles edunt tonitrus, rariùs, at in ſummos plerunque montes, aut ſuperbas turres, metuenda fulmina jaculantur. Ariſt. de mir. audit.

64 Hic certè fuit de Principum Clementia Juſtitiæ legibus attemperata Theodoſii conſtans ſenſus, Clementiæ ipſe longè proclivior, inſtar illius Cipriì Principis, de quo ſupra, mitiſſimo ejus ingenio ad eam maximè propendente. Lib. 1. §. 48. Apud Palatium circum exorta eſt aliquando rixa, non quidem incruenta, ut ferè inter Luſitanos præcipitis iræ, vindictæque ex inſito gentis ardore impotentes. Illac tunc fortè declinarat. D. Laurentius à Lima Vicecomes Villæ Novæ à Cerveyra, ac tunc Palatini Senatus Præſes; is Regem Sereniſſimum fortuitæ rixæ, at eo loci capitalis, ex officio admoniturus, in Principem incidit, tumultus rumore ad Palatii feneſtram excitum. Ad quem Præſes: *Auſpicatò reperi tumultuarii flagitii ſpectatorem pariter, & Iudicem: Veſtra Celſitudinis erit mihi juſſa capeſſenti præſcribere, quid in præſentiarum optimum factu ſit.* Cui Princeps, *Perge, ut capiſti, Regique renuntia: Ego quidem, ſi per leges liceat, vellem, ut univerſis impune foret.* Abiit Vicecomes veneratus Clementiſſimi Principis innocuum genium, ab omni ſuppliciorum genere, niſi exigente juſtitia, prorſus abhorrens. Eòdem ſpectat memorabile Theodoſii cum Sereniſſimo Parente in torquendis ſontibus diſſidium. Contendebat Hic in ſemiplena probatione tormentis exprimendam veritatem, quoties id leges, aut jubent, aut permittunt: alioqui plurima ſæpe futura impunita delicta, fruſtrandas ſæpius leges, criminoſiſque ad audendum ſternendam frequenter viam; ingenti juſtitiæ, ac reipublicæ præjudicio. E contra Theodoſius, non niſi admodum raò in cauſis Divinæ, vel humanæ læſæ Majeſtatis adhibendam torturam, hiſce potiſſimùm rationibus acerrimè propugnabat.

65 *Non inficior, legibus ita ſuadentibus, torquendos aliquando criminoſos ad extorquen-*

torquendam admiſſi criminis veritatem; ut quàm vereor, ne à vero penitùs aberret, quiſquis in ea ſtatuenda pœna facilis erit Iudex! Difficilis ſit oportet in cauſis difficilis probationis, præmiſſa diligenti perſcrutatione, cujus potiùs fidei, quàm infido equuleo credendum eſt: quàm ſæpe illi ſuperpoſitus reus, acerbiſſimo impar dolori, propria, alienaque innocentiæ impoſuit! Quoties in Scyllam vitiorum incidit, cupiens vitare pœnarum Carybdim? nauſragante ſæpe multorum innocentia ex unius iniqua confeſſione. Præſtaret certè in dubio criminis plurimos abſolvi criminoſos, quàm unicum innocentem vel ſemel damnari. In illis vulgò ad ſcelera & ſupplicia relapſuris reparabilis eſt dilata aliquandiu pœna remiſſio; innocenti, ejuſque fortunis, famæ, ac vitæ inflictum ſemel lethale vulnus erit omnino immedicabile. At demus manifeſtis indiciis deprehenſos æquiſſimæ torturæ ſubjici nonnullos: ut plurimùm ii ſunt perfrictæ frontis, & adunci naſi homines, induſtrii, verſipelles, ingenioque licèt malis artibus depravato præpollentes: qui ſuorum probè conſcii ſcelerum, indubiis tormentorum quæſtionibus ſe propterea excutiendos prævidentes nihil non tentant, quò intentata ſibi tormenta vel evadant, vel eludant; immò flectere cùm nequeant Superos, Acheronta movere haudunquam ceſſant; jam pecuniâ corrupto carnifice, ut molliùs ſibi funiculos ſtringat, ſumma cute leviter præſtrictâ; jam prœhauſtis in tempore medicatis poculis, vel potentibus herbis adhibitis; conſopito ad tempus omni doloris ſenſu impaſſibiles propè redditi; clamoribus incondiüs interim editis ficti doloris veris teſtibus. Quid, ſi aliquando incauti, & imparati ad Tribunal, exindeque ad equuleum repente rapiantur? Tunc quidem certi de incertis contra ſe argumentis plenam fidem nullatenus facientibus, in eoque demum conflictu ſtrenuè obito verti propriæ ſalutis certam ſpem, tormenta obſtinatè perferunt, quò vitam longè, latèque proferant; ſic deluſis juſtitiæ Miniſtris, & fruſtratis ipſius ad eruendam veritatem inſtrumentis. Quid è contra, cùm falſis criminationibus innocentes circumventi ad judicium, aut carcerem nihil tale cogitantes, indeque ad equulei horridam faciem pertrahuntur? Sì certè inſita innocentiæ incuria, illique plus, nimioque fidentes, utpote nullis conſcientiæ ſtimulis admoniti, nullis idcirco adverſus dolorum acerbitatem auxiliis præmuniti; primò ad inſperatum horribilis machinæ aſpectum turbari, expallere, contremiſcere; mox aut per ſummam ignaviam, ſuperante dolore, iniqua falſi criminis confeſſione innocentiam, vitamque ſimul perdere; aut præpotente animoſitate per tormenta fortiter exantlata vitam redimere: utcunque res tulerit, miſerandi profectò, quibus tormentorum laniena non, niſi morte immerita, mortis violentia non, niſi tormentis, neceſſariò eſt evitanda. Pejor eſt morte timor ipſe mortis; at utroque pejus non poſſe inſontem, vel mortem injuſtam, vel juſtam ipſius timorem abſque infamiæ labe penitus innocenter evadere. Ad extremum, nemo neſcit à Tyrannis inventa olim, orbique invecta tormenta, crudelitati fovendæ aptiſſima certè nutrimenta; vel eo ſolo nomine Principibus deteſtanda; quorum prima, propèque Divina laus eſt Clementes eſſe, ac ab omni tyrannicæ crudelitatis ſpecie quàm longiſſimè abeſſe. Quis igitur æquo animo ferendum diutiùs ducat indomitum equuleum inſtar Trojani Equi effrenatè ferocientem; juſtitiæ nonnunquam, ſæpe innocentiæ, frequentiùs clementiæ mitiſſima jura proculcantem? Hujuſmodi adeo validis rationibus non obſtantibus, adhuc Rex in propria ſententia firmus, vel perſiſtens, vel perſiſtere ſe ſimulans ne, cauſa cecidiſſe videretur, ſic ad Principem: *Igitur cùm Rex eris, nemini torturam, aut capitale ſupplicium decreveris; habendus certè carnei fruſti oculati ad inſtar.* Cui Princeps: *Plures clementia, quàm ſævitia vidimus reſipiſcentes, & correctos. Quod vulnus blandientis medici, aut chirurgi manus non reſtituit, id flagellum minimè perſanavit. Nero quidem, dum clementia, & benevolentia uſus eſt, ab Scriptoribus perfectus fuit Princeps proclamatus; idem ubi educta machæra ad crudelitatem deſcivit, ab omnibus Tyrannus habitus.*

66 Eadem clementia non leviter ſtimulatus Theodoſius impensè oderat diuturnas carcerum moras, quibus miſerandum in modum plurimi multùm, diuque afflicti longè acerbiores dant pœnas ex diuturnitate carceris, quàm à Judicis ſententia timere poſſent. Aliis è contra longiùs protractu carceris tempora graviſſimorum ſcelerum damnabilem impunitatem peperere. Non ſolùm Juſtitiam, etiam Clementiam gladio accinctam procedere oportet: ſuum animosè ſtringat Juſtitia inferendis ſuppliciis, ſuum educat tempeſtivè Clementia Gordianis ſuppliciorum nodis, & dilationum ambagibus præcidendis. Satis clementer cum illis agitur, quibus pro expiandis ſceleribus neceſſariò infligenda pœna citiùs acceleratur. Si præmii ſpes, quæ differtur, affligit animum, quid ſupplicii longiùs dilati expectatio? Quàm multis nocuit certum differre ſupplicium, quibus toties mori neceſſe fuit, quoties de imminente ſibi quotidie morte cogitarunt? Quid, ſi aliquando innocentes (quod non raró accidit) in ergaſtula compellantur? Quàm turpe, ac iniquum eſt nullo diſcrimine innoxios noxiis diutiùs adnumerari? Quid, ſi eo loci ſceleratis hominibus immixti diu innocentes, eorum peſtilenti aura frequenter afflati, corruptis ex familiari conſortio moribus, ſceleratiores ipſis illinc tandem evadant, ebibitum ex longo iniquitatis virus in reipublicæ ſanos mores evomituri? At ſive ſcelesti, ſive ſceleris immunes ſint in vinculis plus nimio detenti, nón parum detrimenti exinde capiet reſpublica: inſtar navis iniquo ſceleratorum pondere diu prægravatæ, ac bonorum ope, operaque diutiùs deſtitutæ; quæ illis citò depreſſis libera, iſtis citiùs liberis abire juſſis, veluti exonerata placidiſſimum expetitæ felicitatis portum brevi tenebit. Certè, niſi Theodoſius è carceribus ad metam in hujuſce mortalis vitæ ſtadio tam citò præcipitem curſum conſummaſſet, promptior miſeris pateret è carceribus Regiis exitus, quàm olim patuit aditus; juſtitiæque ſimul, & clementiæ fieret abunde ſatis, expeditis quàm citiſſimè reorum cauſis, privato, publicoque bono æquè noxiis dilationibus procul eliminatis: eas verò in ſolis Divinæ, vel humanæ fidei cauſis aliqualiter tolerandas aſſerebat, ad explorandam penitus interjecti mora temporis in rebus ſummi quidem momenti dubiam aliquando veritatem: at in iis etiam feſtinandum lentè, ne nimia nonnunquam mora plus privatis miſerorum commodis officiat, quàm publicæ utilitati proficiat. Hujuſmodi clementiam cauſarum compendiariam, & ſuppliciorum moderatricem ſatis exprimit aurea Ipſius in ſua Macariopoli ſic ſtatuentis ſententia: *Poſtea* (nempe rei) *in aliam civitatem relegentur, ubi ſententia exequutioni mandetur: quæ omnia quinque, vel ſex dierum ſpatio finientur: raró tamen ad mortem damnentur.* Quanta in extremis hiſce verbis clementia! Similis profectò Imperatoris Theodoſii ſecundi ſummæ humanitati, cui cùm vitio aliquando daretur nimia ejus erga reos indulgentia, quorum plurimis vitam ſæpe annueret; *Vtinam* (inquit) *poſſem mortuos ad vitam revocare!* Macariopol. Mexia in ipſius vita fol. 158.

67 Sic in publicis offenſis inoffenſa juſtitia clementiæ ſibi tempeſtivè indulgendum apud ſe ſtatuerat Theodoſius: quid in privatis, ac propriis, in quibus præcipuum, multòque commendabiliorem locum habet clementia? Præcipui hujus obſervatores tradidere. Nemini quidem mirum ſit etiam ſummos Principes vilium nonnunquam clientum injuriis eſſe obnoxios, cùm viliſſimorum hominum offenſis ipſemet paſſim pateat ſummus Deus Rex Regum, Dominus dominantium, Princepſque futuri ſeculi mirum in modum colen-

colendus. Verùm ſicut Dei non modò Clementia, ſed vel ipſius in primis Omnipotentia parcendo maximè, ac miſerando elucet; ſic non meliùs, quàm remittendis facilè propriis offenſis Principes ſuadere poſſunt ſuprema ſe dignitate, potentiaque ad Deum proximè accedere: optima certè Divinitatis probatio eſt ſingularis exhibitio humanitatis: Divinus planè habendus Princeps, quiſquis erit inter cæteros humaniſſimus. Eum perpetuò extitiſſe Theodoſium non obſcura extant argumenta. Nemo unquam fuit, quem Theodoſius verbo, aut facto leviter læſerit, quique propterea de illo jure conqueri poſſet; nullis, niſi Deum, aut rempublicam graviter offendentibus, infenſus, ſolis atrocibus delictis mitiſſimum ejus animum convellentibus, & ad juſtam iracundiam provocantibus. Fuere tamen (incredibile dictu) nonnulli, qui nullo Theodoſii merito, eum falſis obtrectationibus vellicare, Ipſius laudabilem certè vitæ rationem irrationabiliter carpere, eidemque nimium virtutum omnium, & ſcientiarum ſtudium, quoniam vitiorum non po-

Hoc 2. lib. §. 58. terant, per ſummam licentiam exprobrare auſi ſunt. Quàm clementer erga eorum unum ſe geſſerit, ſupra meminimus, commemorato Ejus memorabili reſponſo non minùs Ipſius juſtitiæ, quàm clementiæ afferendæ maximè opportuno: ex quo quàm ſe facilem exhibuerit in cæterorum injuriis condonandis haud erit difficile conjectari.

68 Altiùs alii, ſolitòque inſolentiùs ſyncerum Theodoſii animum paternæ obſervantiæ addictiſſimum non ſemel pupugere; at ea maximè occaſione, qua ex inglorio Ulyſſiponenſium deliciarum otio ad Martialem Elvenſis theatri gloriam improviſus proſiliit, urbana toga cum militari ſago commutata. Hîc aliqui privatis, quas alibi fuſiùs adduximus, inducti rationibus,

Lib. 1. c. 24 Theodoſium plus nimio gloriæ cupidum, populari auræ, militarique benevolentiæ præter modum inhiantem; ad hæc præoccupati regiminis, affectatique intempeſtivè dominii ſuſpectum, apud Sereniſſimum Parentem inſimulare. Non latebat Theodoſium, quinam eſſent, qui hujuſmodi calumnias Sereniſſimi Regis auribus crebrò inſuſurrarent, Illius animum, ſi poſſent privatis ducti cauſis, adverſus obſequentiſſimum Filium irritaturi, irrito tamen conatu: & licèt priores nihili prorſus faciendi duceret; utpote ad veræ gloriæ, honeſtæque laudis ſtudium facientes, facilèque poſſe à prudentibus virtuti potiùs, quàm vitio ſibi verti, ab extrema quidem affectati præpoſterè imperii turpem ſibi notam inurente non mediocrem doloris ſenſum concipiebat; cui affricando, ſtimulandoque potiùs (ut plerunque Aulici) quàm levando, & conſopiendo cùm plures imminerent, nunc exaggerata obtrectatorum ſubdolè Regi blandientium impudentia; nunc indicata promptæ ipſis authoribus vindictæ multiplici opportunitate; illorum præfervidos animos, iracundiæque tumentes ſpiritus hiſce mellitis dulcium verborum, & prudentium ſententiarum floſculis mirificè delenitos demulcebat: *Nemo læditur, niſi à ſe ipſo: neminem ſe prodit, ſiquis ab alio ſe læſum probet. Abſit à generoſo Principe de ſua exiſtimatione unicè ſolicito, hanc ſuis æmulis gloriam dare, ut poſſe illum à ſe unquam lædi exiſtiment. Qui alienis injuriis movetur, injurius ſibi eſt, ex concepta, ne dum capta vindicta; prolatis nimiùm emotæ mentis, parumque conſtantis animi manifeſtis indiciis. Qui poſſum optimus eſſe Imperator, ſi meæ non poſſim iræ imperare? Impotentem ſui, rerum potentem ineptè dixeris. Si maledicis, aut aliter me lædere conantibus par pari referam, ſupparem me illis, non ſuperiorem profitebor. Supra obſcuras nubes, & ventorum turbines ſit oportet, quiſquis ſuprema fulgens dignitate*

ſupra

ſupra cæteros eminet; ad inſtar Olympi mentis fulminari, ac fulminare neſcii. Univerſos quidem Reges, aut Principes, ſed inprimis illos, quibus contigit Sereniſſimos appellari, ſereno præditos animo, implente nominis menſuram eſſe decet: alioqui adumbrati, & titulares tantùm, non veri Principes, aut reges ſunt appellandi. A turbido, non à ſereno cælo tonitrus, fulgura, & fulmina in ſubjectas decidunt regiones. Promptum eſt Principi, fateor, at degeneri, prorſusque inclementi (quo nomine apud poſteros malè audire nollem) ſuas perſequi injurias: proprium, etſi difficilius optimo cuilibet, eaſdem vel facilè remittere, quod valde generoſum; vel beneficiis, quod prope divinum eſt, compenſare. Non niſi omnino memorem obſequiorum, injuriarum penitus immemorem Principem idcirco memorandum poſteritas recolet memoria hominum ſempiterna.

69 Prudenter, cuidam olim memoriæ artem ſibi pollicenti reſpondiſſe fertur è ſeptem Sapientibus unus: *Libentiùs à te longe utiliorem oblivionis artem audirem, cùm plura ſint in hac mortali vita, quæ homines oporteat oblivisci potiùs, quàm meminiſſe.* At quantò ſapientiùs Theodoſius, non abſolutè, ſed cum addito, artem oblivionis injuriarum univerſis mortalibus ſtudiosè addiſcendam judicabat; cùm nulla ſit alterius cujusvis rei adeo inutilis, aut noxia recordatio, ex qua prudens vir fructum aliquem rectè cogitando percipere nequeat; ex ſola injuriarum ſibi ſemel inflictarum peſtilenti quidem mentione, non niſi mentis perturbationem, doloris refricationem, odii, vindictæ, ac ſimilium affectuum tranquilli animi ſtatum miſerè prævertentium, peſſimos effectus poterit quis concipere. Memoria certè in paucis tam excelluit Theodoſius, quàm excelluiſſe olim Julium Cæſarem memoriæ proditur: *Qui nihil unquam, præter injurias oblitus dicitur*; quarum ſi unquam Theodoſius memoriam fortè retinuit, ad uberioris clementiæ commendabiliorem exhibitionem certè retinuit. Siquis enim Theodoſium offenſionis conſcium, inſcius ipſe aliquando adiit, non modò in ejus vultu nullas deprehendit exulcerati animi notas, verùm exquiſitioris benevolentiæ ampliorem ſignificationem expertus eſt. Et tamen (quod eſt maximè obſervandum) qui ad illatas ſibi offenſas adeo totius doloris immunem ſe præſtitit, is maximum præ ſe ferre ſolitus, ſiquem à ſe læſum vel leviter ſuſpicaretur. Inter ludendum aliquando cum ingenuis pueris coætaneis, puer adhuc Theodoſius malum medicum incerto ictu longè projecit, quod eorum uni fortè impactum pueriliis amaritudinis ſigna expreſſit, tanto interim Theodoſii dolore, ut non contentus fortuiti planè ictus veniam ab eodem exorare, à ludo ea die penitus abſtinuerit; provocatis nihilominus commilitonibus ad mutuæ oblectationis proſequutionem, à ſe, ſi libuerit, malis medicis impetito læſi ſocii pœnis repetitis. Sic ſæpe aliàs modò ſui, licèt innocentis accuſator, modò aliorum, etſi nocentium, excuſator clementiſſimæ humanitatis ſpecimen exhibere. Strad. in proluſ. pagin. 10.

70 At quid mirum tam ſe hominibus ratione præditis humanum præbuiſſe Theodoſium, qui vel brutis omnigenis animantibus humaniſſimus perpetuò extitit? Nullis unquam, aut ſupplicibus commilitonum precibus, aut importunis aliorum adhortationibus induci potuit, ut adverſus eorum aliquem æneo diſploſo tubo detonaret. Urgentibus verò ad aucupium, vel ad venationem crebrò inſtigantibus reſpondere ſolitus: *Quid juvat innocentes aviculas, aut innoxias ferire feras, immeritisque vitam eripere, quam non dederis? Per me vivant, queis vitam Deus, & ſua fata dedere.* Sereniſſimum tamen Paren-

 tem

tem venationi addictiſſimum vulgò comitabatur, quoties vel Alcantaram ſingulis hebdomadis ſemel, vel Sintram, aut Salvaterram ſtatis anni temporibus ruſticaturus adibat: hìc verò, neque agitandis, aut exterrendis feris tempus terere; neque iiſdem vulnerandis, aut occidendis intereſſe, ab omni prorſus efferati animi ſpecie omnino abhorrens. Igitur aliò cum aliis è comitatu regio ſecedere, cum iiſdem familiares miſcere ſermones, equeſtribus ludis indulgere, ſalutaribusque hujuſmodi exercitiis Principe dignis innocenter collocatum tempus fallere. Ibidem mirantibus miram ipſius â venandi ſtudio alienationem, maximamque venationis voluptatem magnificè prædicantibus occurrebat: *Nonne major, longèque ſyncerior percipitur voluptas in virtutibus, quam avibus aucupandis; in vitiorum, aut errorum monſtris, quàm feris perſequendis? Magna ſit, bonis avibus, à venatione percepta voluptas, at belluis ex æquo hominibusque communis, utrisque ad infirmiorum ferarum perniciem mutuò conſpirantibus, & earum vel captura, vel effuſo ſanguine certatim exultantibus: at illa, quæ à ſectandis virtutibus, vel vitiis inſectandis provenit, tam eſt homini propria, quàm totius expers inhumanitatis, Divinæque humanitatis id maximè ſuadentis æmulatrix.*

71 Juvat hìc haud injucundum adnectere Theodoſianæ humanitatis argumentum proximis non abſimile; cæteris, propeque quotidianis omiſſis. Pendebat è pariete regiæ Xiſti, quà fortè Theodoſius perambulabat, ſatis ampla, nec minùs elegans cavea plurimis, iiſque vocaliſſimis plena aviculis, Canarios vocant, ſive à canendi ſumma præ cæteris avibus dexteritate, ſive à Canariis inſulis, ubi abundè ſatis proveniunt, indeque nautarum induſtria per univerſam Europam circumlatæ magno ubique ſunt pretio, & voluptate. Inſolitum hìc quaſi tumultuantium avicularum motum fortè animadvertit, univerſasque in earum unam, velut agmine facto, acriter irrumpentes, eidem aculeati roſtrì ſpicula non incruentis ſæpe vulneribus ingeminare. Miratus primò, tantam tantulis corpuſculis ineſſe rabiem, terribilemque adeo in tantillo uniuſcujuſque jecore turgere bilem. Cauſam inteſtini diſſidii ſecum ipſe ſcrutatus, reputare cœpit, an etiam innocentes, mitiſſimasque alióqui aviculas immitis invidia divexaret, cujus proinde acribus ſtimulis agitatæ patritiam muſicen dulcioris, flexibiliorisque vocis laude longè præcellentem obſtinatis idcirco ad vindictam animis adorirentur? Sic nimirum ſublata de medio gloriæ vocalis æmula, poſſe illarum exiliores voculas ſolitò attentiùs exaudiri? Mox iniquam immeritò afflictæ aviculæ ſortem miſeratus, immiſſa in caveam manu, cæteris ex recenti jam ira collectis, & in ſuas ſtationes recedentibus, eam apprehendit, eductamque foras blandiſſimè demulcens adhibitis ad cicatrices opportunis amuletis alteri addicit caveæ, quàm è regione aliarum conſultò ſuſpendit, ut ex æmulatione vocaliores certatim univerſæ redderentur. Non modò convaluit brevi Theodoſii beneficentia felix avicula, ſed longiori ſolitò producta vita, æmularumque fato diu ſuperſtes, quandiu vixit contentiori ſuaviſſimæ vocis melodia liberatori ſuo quaſi gratulabunda frequenter plauſit; luculenta interim teſtis Theodoſii vel in ipſas aves clementiſſimæ humanitatis, apud aulicos memorandì eventus conſcios, & admiratores: qui præterea in eodem ſcitè obſervarunt in primis, qualis, quantaque olim foret eximii Principis in protegendis innocentibus adverſus potentiorum injurias, ac benemeritis fovendis ſollicitudo; qui liberandæ innoxiæ aviculæ, iidemque argutæ vocis prærogativa

eminen-

eminenti, præ cæteris indulgentiùs habendæ tam ſedulus incubuerit? Mox quàm ſit vitalis uni præhabito, proptereaque vitam longiùs proroganti, quàm è contra exitialis cæteris poſthabitis, eòque citius extinctis, Principum favor! Tandem, quàm ſit aulicæ invidiæ peſtilens aura, ut ſi quos ſe viter afflarit, eos diu vivere non patiatur?

CAPUT VII.

Principis Theodoſii virilis Fortitudo, ac Virtus militaris.

72 QUi Theodoſium (ut proximè vidimus) clementiſſimum ab omni vindictæ, iræque ſpecie prorſus alienum, mitiſſima præditum indole, ac demum ad omnigenam inſitæ humanitatis laudem natum, factumque animadverterit, Ipſius fortè bellicam virtutem, frangendis rebellibus, domandis, & debellandis hoſtibus maximè neceſſariam vocabit in dubium; neque verò facilè adduci poterit, ut credat cum tali, tantaque ſuaviſſimi genii manſuetudine conſtare poſſe militarem ſtrenuiſſimi Ducis fortitudinem Martialibus muniis rite obeundis omnino requiſitam. Verùm quàm ea ſit fallax, & præpoſtera (ſi cui forte inſit) cogitatio, priuſquam Theodoſii efficacibus in eam rem exemplis fiat indubium, oportet à me aliunde, brevique penitus evinci. Et primùm omnium, etſi virtutes oppoſitis ſibi vitiis ſemper obſtrepant, nulla unquam fuit, quæ virtuti alicui virtus adverſaretur; immò ſiquis ad univerſas ſtudioſè adniti velit, pro adhibito conatu, intentiores, vel remiſſiores, ſed amico ſibi fœdere copulatas univerſas haud dubiè conſequetur. Hine eſt quòd in veterum annalibus ſacris, & profanis paſſim occurrunt juſtitiæ, clementiæque, liberalitatis, & frugalitatis, manſuetudinis, ac virtutis bellicæ, aliarumque virtutum, quæ in ſpeciem oppoſitæ ſibi videntur, at non ſunt, præcipua laude præcellentes. Et quidem, ut de cæteris taceam, erat Moyſes (ſacro Hiſtoriographo conceptis verbis atteſtante) *Vir mitiſſimus ſuper omnes homines, qui morabantur in terra.* Num.12.3
Eum tamen militaris gloriæ apicem, prodigioſis à ſe patratis portentis illuſtriſſimum, Ægypti vaſtatorem inclytum, potentiſſimorum hoſtium, quòcunque moveret caſtra, debellatorem invictum, immenſo, qui præ infinita multitudine numerari non poterat, Hebræorum exercitui, Ducem ſtrenuiſſimum præfecit Deus cujuſque genii, & virtutis optimus æſtimator. Cujus Viri Divinæ planè manſuetudinis, ac bellicæ virtutis præditi veſtigiis inſiſtens æmulator David facillimum perpetuò ſe præbuit in condonandis propriis, iiſque graviſſimis injuriis, promptiſſimum in ducendis copiis, hoſtibuſque profligandis. Nihil mirum igitur, ſi eximiæ Theodoſii manſuetudini æqualem, cognatamque bellicæ virtutis laudem tribuamus: de quo is tantùm dubitare poterit, quem lateat, in molliſſimo gravidæ nubis ſinu progigni, exindeque proſilire metuendum fulmen ſummas exciſurum arces, turritas urbes, orbemque horrendis fragoribus terrificaturum.

73 Theodoſium certè blandiſſimæ ceræ non abſimilem meritò quis appellarit, quæ quò blandior, eò faciliùs ignem concipit, obvia quælibet In-

flammaturum. Nec inepte,ſiquis eum exprimat ſolis ad inſtar placida innatæ benignitatis luce univerſos illuſtrantem; aliquando in aliquos ſibi ex oppoſito adverſos, quaſi radiorum inflammata ſpicula evibrantem. Aptiùs tamen, ut exiſtimo, Eundem Divino Principi aſſimilarim, quem modò Agnum manſuetiſſimum, placabilem ſe hoſtiam morti pro univerſis mortalibus devoventem; modò terrificum Judæ Leonem hoſtibus extrema quæque horribiliter minitantem, ſacra paſſim eloquia proteſtantur. A primis (ut ajunt) unguiculis cæpit noſter Leunculus futuræ olim generoſitatis indicia proferre haud obſcura. Quadriennio non dum expleto proceſſuram juxta Regium Villaviſſoſæ palatium ſolemnem Euchariſticam pompam puerili aviditate viſendam ſibi opperiebatur. Fortè per latè patentem circumquaque aream militares manipuli explicatis vexillis protendebantur, plauſum, & venerationem cœleſti Regi exploſis fiſtulis æneis cumulaturi:& verò probabilis erat timor, ne inopinato fragore conſternatus Puer ignavi timoris Principem etiam minimum maximè dedecentes notas averſanti vultu proderet: cujus ut periculum faceret Sereniſſimus Parens, jubet coram eo ingentem tubum æneum intra Regiæ aulæ penetralia exonerari; ad inſolitum ſibi hactenùs ſonitum imperterrito, immò generoſè geſtiente Puerulo; neque minus cùm poſt ſacram pompam penitus peractam, ſimultanea ſclopetorum exploſione repercuſſis montibus, & redditum fragorem ingeminantibus, horrendo prorſus tonitru cœlum omne cieri videretur: tunc enim verò, quærentibus quid in ea ſibi pompa, in qua multa fuerant viſu, audituque digniſſima, voluptuoſius accidiſſet? Reſpondiſſe fertur: *Tonitrus illos ſibi jucundiſſimos extitiſſe.* At multò jucundiores, è parvulis aliquot bombardis frequenter editos, quas inſequenti anno è Germania quinquenni Theodoſio miſerat Sereniſſimus Infans Eduardus, probè conſcius hiſce quaſi puerilibus crepundiis generoſum Puerum impenſiùs delectari, ex ipſiſque maximè oportere bellicæ virtuti eundem à teneris aſſueſcere. Voluptuoſiùs, natu jam major, delectari cæpit non quotidiano tantùm, ſed planè horario adumbrati quidem, ſed ad vivum expreſſi certaminis ſimulacro, in artificioſo exhibiti horologio, quod apud cubile proprii palatii habebat frequenter præ oculis. In eo quoties perſonabat hora, bellicum in morem armatæ procedebant cohortes, militareſque turmæ ſtrictis gladiis mutua vulnera ingeminantes, belliceſum Adoleſcentem ad arma capeſſenda mutis vòcibus provocantes.

Cujus horologii deſcriptionem nobili explicatam Epigrammate, in gratiam Principis, illud non minoris, quàm ipſum horologium facientis, hîc dare liceat: ſic habet inſcriptio, & mox ipſum Epigramma.

Ad in-

Ad ingenioſam horologii machinam in Sereniſſimi Portugalliæ Principis tecto, & horas, & ſimul prælientes cohortes indicantem.

EPIGRAMMA.

Ferrato ad tempus reſpondent Cymbala pulſu;
Imperiis ferrum diſcit adeſſe tuis.
Oppoſita jurant violenta in vulnera turmæ,
Exanimata cadunt undique membra ſolo.
Hora ſonat, circumque enſes volvuntur in orbem,
Vt meliùs currant, palmaque, & hora pares.
Quàm bene conveniunt horaque, & vulnera; namque
Vt perimant hoſtes, ſi venit hora, ſatis.
Occurrunt omnes pugnacibus ictibus horæ;
Nulla hora Hiſpanos hac ſine cæde videt.
Arce velut, vult æde tua ſignum edere belli,
Ad pugnas omnis Te vocat hora, veni.
Ergo cùm properes jam victos victor in hoſtes,
In palma palmas qualibet hora gerit.

Plurima præterea, quorum alibi paſſim meminimus, tum Puer, tum Adoleſcens exhibuit Martiæ propenſionis documenta, quibus iterum commemorandis non eſt cur lectoris patientia diutius abutamur.

74 Familiaris, ac frequens Theodoſio jam grandævior i ſermo is erat; *Palmariam fœminarum laudem à caſtitate, virorum à fortitudine celebrandam; è contra non minùs ignominioſam habendam virilis ignaviæ, quàm fœmineæ impudicitiæ æquè turpem labem.* At ubinam emineret major virilis animi vis, ac fortitudo, in metusne, an iræ affectibus ſuperandis? Differebat olim coram Principe, aliiſque Curialibus excellentiſſimus D. Joannes Rodericus Vaſconcellos & Souſa, Comes à Caſtelmelhor vir in paucis Martiali gloria præcellens, ſolius in hoſtes laudabilis iræ, nullius unquam degeneris timoris nota illuſtris. Politicæ verò ipſius quæſtioni excutiendæ dum ingenii vires universi exerunt, ac pro ſe quiſque rationum momenta expendit: *Ego verò* (inquit Princeps, eorum auditis pariter, & collaudatis ſententiis) *longè difficilius, eoque glorioſius eſſe duxerim timorem, quàm iram expugnare, fortique animo penitus expungere. Et primùm omnium ducendum initium à facilioribus, ab ipſo nempe utriuſque nomine. Quis neſcit iram fœminei eſſe generis nomen, fœminis iram facilè concipientibus, faciliùs abortantibus cognatum vitium? è contra timorem maſculini, quibus irrepſerit diutius hærentem; nec niſi maſcula virtute, Herculeiſque viribus ſuperandum? Quem deinde latet metu plerumque debilitari, frangique infractum alioqui animum, ne reliquos infirmiores, ne dum omnium validiſſimum affectum valeat ſuperare? Dum è converſo ira depreſſos erigit animos, eoſque non modò reliquis domandis affectibus, ſed vel ipſimet dominandæ iræ inflammat? Vniverſos præterea, quorum animos pervaſerit, pavidus timor occupat artus; omninoque torpentes reddit, ac inutiles non modò ad vincen-*

 dum,

dum, ſed etiam ad vincendum: at ira uni tantùm inſidet jecori, atræ bilis inibi dominantis ſolo ſatellitio ſtipata; unde multò erit expeditius ob una tantùm, quàm è tam multis quaſi arcibus hoſtem propellere; iram certè Philoſophico idiomate meritò dixeris facillimæ, timorem verò difficillimæ quidem expulſionis. In idem recidit ab ipſis Philoſophis obſervata iræ, timoriſque longè diſſita natura; illius eſt propoſitum ſibi bonum aliquod utile omni ratione, vel ultricibus armis vindicare; iſtius omnia imminentia undequaque timenda mala præcavere: cùm ergo bonorum iram provocantium exiguus, malorum timorem ſuadentium infinitus propè ſit numerus, inde fit, ut longè ſit pronius iratum ab unius boni utilis proſecutione, quàm timidum à tot malorum incurſione revocare. Adde, quòd iræ furor brevis eſt, ideoque brevi admodum à prudente quolibet viro deformes exulcerati animi motus ſecum reputante compeſcendus: timor verò eſt longus alienatæ mentis ſtupor, ſolius longiſſimæ diuturnitatis auxilio paulatim perſanandus. Tandem cujus infirmum animum ſemel obtinuerit, illius ad fugiendum pedibus celeres timor addidit alas; quem proinde perniciſſimè prætervolantem nullatenus aſſequeris: iram verò quantumvis effrænatam adhibito rationis fræno facilè compreſſeris. Quàm id verò ſit verum, quotidiana propè documenta fidem facient. Quoties juſta in hoſtes ira milites accenſos, eorumque raptim fugientium tergo ſtrictis gladiis obſtinatè flagellantes, una tantùm inclamantis Ducis audita vox, vel primus tubæ receptui canentis ſonitus, in ipſo intentioris pugnæ fervore pacatos omnino reddidit, depoſita repente unà cum armis impotentioris iræ feritate? Ex adverſa, quis fuit adeo ſtrenuus Ductor, qui ſuos turpis metus ſtimulis agitatos, indecoramque fugam effusè capeſſentes, aut omnino ſiſtere, aut aliqualiter retardare valuerit? Raram quidem, & paucorum admodum, unius Julii Cæſaris ſummam eam fuiſſe militarem gloriam inſtar prodigii comperimus; cùm apud ſuos metu perculſos, palamque fugientes, in primam aciem proſiliens, ſtrictum mucronem fugacioribus intentans, certioris à ſe, quàm ab hoſtibus periculi timore deterritas, ad redintegrandum ſtrenuè prælium compulit; glorioſiore de ſuo metu interim, quàm de hoſtium ira idcirco parta victoria. Igitur, ſi ex delibatis rationibus, & exemplis tam eſt irâ fortior metus; ſi tam victu difficilis timor eſt, tam facilis ira; quis auſit poſtmodum inficiari longè manifeſtius intrepidi, ac invicti animi ſignum eſſe timorem, quàm iram ſuperare?

75 Audito arrectis auribus, animiſque faventibus Principe, victos ſe ingenuè profeſſi ſunt, qui contrariam ſententiam pro virili hactenus propugnabant; aliis interim ex oppoſito exultantibus, ſibique de victoria, ſed ſuo in primis Principi, congratulantibus. Ad quos Ille converſus, mutatis veluti prioris ſcenæ aulæis, ex ipſiſmet à ſe nuper adductis rationibus, at aliter expenſis, & à timore ad iram ingenioſè traductis, evincere adnixus eſt, longè difficiliorem, ideoque commendabiliorem iræ, quàm timoris eſſe victoriam: *Fateor* (inquit) *fœmineum eſſe nomen, iram cognatumque fœminis vitium,*
Eccleſ. 25. 22. *ut eò potentius, quò illæ ſunt vulgò ſunt impotentiores, ac timidiores. Non eſt ira ſuper*
Virg. 4. Æneid. *iram mulieris: Notumque, furens irâ quid fœmina poſſit. Imbellium vitium ira eſt, imbelles, & effœminatos reddens quoſcunque corripuerit: verùm, ut ex imbelli, tenuiſſimaque nube, ruptis ipſius mollibus viſceribus, erumpit ſæpe fulmen telorum omnium validiſſimum, uni tantùm victrici lauro evitabile; ſic quicunque non metum, puerile, ac ſenile vitium, ſed iram fulmineam devitat, Apollinea lauro eſt, laureaque donandus immortali. Non inficior metu frangi animum infractum alioqui, eundemque iracundia inflammari: at quis neſcit multò eſſe facilius fractum, quàm inflammatum animum priſtino ſtatui reſtituere? Confracta molli glutino facillimè conſolidentur; inflammata quî poſſunt, niſi ſolutos in cineres, ut plurimùm reduci? Demus deinde gratis, univerſos*

artus, quaſi humani principatus arces à metu præoccupari, cùm vulgò timidi totis artubus contremiſcant, ab ira unum tantùm jecur, aut cor; at quis militaris diſciplinæ inſtitutis mediocriter imbutus ignorat, longè utilius, & operoſius eſſe ab una, vel duplici tantùm arce munitiſſima, omnigeniſque armis, quibus abundat ira, inſtructiſſima, ſtrenuum, quàm à plurimis ruinoſis, & collapſis ignavum, & inermem hoſtem deturbare? Omnia præterea (quod neminem latet) etiam tuta timet, ac præcavet immodicus metus; unam tantùm perſequitur vindictam in ſe collecta, & indiviſa iracundia; ſed ſicut in plures quoties rivos deducitur amnis, fit minor, atque ipſa mobilitate perit; ſic pluribus attentus minor, & infirmior eſt ad ſingula timor: unita è contra iræ virtus uni tantùm intenta fortiùs agit, ac difficiliùs frangitur. Ira quidem (non eo inficias) furor brevis eſt; ſed brevi temporis intervallo innumeris, & irreparabilibus editis ſtragibus victrix exultat; dum ignavus timor nulli unquam, niſi uni ſibi noxius, ſuo ipſe ſtupore, ac torpore marcidus perſæpe à ſe ipſo nullius impulſu deficit, ac penitus evaneſcit. Alatum denique timorem, ſed ad fugiendum; ignitam, eòque perniciorem, & pernicioſiorem, ſed ad fuganda, perdendaque obvia quæque, iram novimus; licèt prætervolantes timidas columbas, ſuoque jam timore conſternatas facilè conſequitur, eviſceratasque depaſcitur in eaſdem involans, ignita incitatus ira velocior accipiter. Ex quo ad extremum facilis patet eluſio ultimi argumenti ab invadentibus hoſtes, præcipitique fuga evadentibus victis perperam huc adducti. Ab armis quidem ceſſant victores, non modò ad levem Imperatoris vocem, aut tubæ ſonitum, ſed hinc exſaturata hoſtium cædibus ira, illinc ſatianda raptis ſpoliis cupiditate, aliunde nimia fractarum virium laſſitudine armorum ceſſationem inſimul imperantibus. E contra Cæſaris, & ſimilium Ducum gloria non tam extitit commendabilis in ſiſtenda ſuorum turpi fuga, quàm in profligandis hoſtibus nuper victoribus, extorquendaque ab eorum manibus recenti victoria; quam niſi redintegrato prælio ſibi vendicarent, fallax nimiùm, fugaxque ſuos fugientes ſiſtendi à poſteris ea gloria duceretur. Quod supereſt, ad pleniorem indubiæ veritatis fidem, expendite, quæſo, iram eſſe, affectum planè generoſum, qui leonem animalium fortiſſimum, milites, ac duces ſtrenuiſſimos, Reges, & Heroas ſummos, immò vel ipſum Deum totius timoris expertem frequenter afficit; timorem è contra omnium animi motuum ignaviſſimum, ſolis fœminis, pueris, ſenibus, ac timidis leporibus, & ſimilibus familiarem. Quis neget igitur multò eſſe glorioſius, generoſum, armatumque hoſtem, quàm ignavum, penitusque inermem profligare? Timorem certè vel tyrones, & gregarii milites vincunt, confirmato adverſus omnem dubii belli, & reſtantis fortunæ aleam ante initum prælium animo. Verùm (ut Tullii verbis, & judicio rem conficiam) animum vincere, iracundiam cohibere, victoriam temperare, adverſarium nobilitate, ingenio, virtute præſtantem, non modò extollere jacentem; ſed etiam amplificare ejus priſtinam dignitatem, hæc qui faciat, non ego eum cum ſummis viris comparo, ſed ſimillimum Deo judico. Tull. prõ M. Marcel.

76 Sic de majori fortitudine differentem olim Theodoſium auſcultabant admirabundi aulici, in dubium meritò exinde vocantes, majoremne Ille intrepidi animi, an prævalentis ingenii vim agendo, vel differendo adverſus iram, & timorem præ ſe ferret? Illud omnibus tunc erat exploratum, non modò iræ, timoriſque fuiſſe Illum perpetuò Dominum, ſed reliquos omnes pravos affectus ita in poteſtate habuiſſe, ut eorum nulli unquam indecorè ſerviret, univerſis generoſè imperaret. In eo verò potiùs, quàm in illuſtrium rerum geſtarum numero, aut amplitudine ſitam eſſe inclytam virilis animi fortitudinem verè, ſapienterque familiaribus ad ſuos ſermonibus frequenter Ipſe prædicabat, ex prudentiſſimo Seneca: *Quid* (inquit) *præcipuum in rebus huma-* Senec. l. 7. nat. quæſt. in præfat.

humanis? Non claſſibus maria compleſſe, nec in rubri maris littore ſigna poſuiſſe; nec deficiente terrà ad injurias aliorum erraſſe in oceano ignota quærentem; ſed animo omne vidiſſe, & quia nulla major eſt victoria, vitia demuiſſe; innumerabiles ſunt, qui Vrbes, qui populos habuere in poteſtate, pauciſſimi qui ſe. Enim verò illuſtres ab externis hoſtibus victorias innumeri olim patrum memoria, & noſtra etiam reportarunt; à ſe ipſis verò, ſuiſque internis affectibus admodum pauci, quos æquus amavit æquitatis, veræque virtutis amator Deus. Ad hæc integræ, penituſque aliis illibatæ de hoſtibus victoriæ gloria nulli unquam, etſi omnium ſtrenuiſſimo Duci contigit; maximam in ea partem, quaſi ſuo jure (juxta veterum placitum) Fortuna ſibi vendicat; & quidquid eſt proſperè geſtum, id omne ducit ſuum; non parum militum virtus, locorum, ubi committitur, opportunitas, auxilia ſociorum, claſſes, & commeatus: at verò illius, qui ſe ipſum, ſuoſque novit affectus vincere, ſingularis, & abſoluta eſt gloria; neque verò ex ea laude aliquid Centurio, nihil præfectus, nihil cohors, turma, vel fortuna decerpit. Quàm multis olim ignavis ducibus adulatrix antiquitas decrevit, peregitque triumphos, eorum potiùs ſtrenuiſſimis militibus decernendos! Quoties per ſummam indignitatem, lauro, auroque aut legimus, aut vidimus coronatam inertis ducis ignaviam, ſtrenuiſſimorum interim militum vera fortitudine indonata! Id licèt indignum exiſtimarit Theodoſius, longè ducebat indignius inter fortiſſimos Heroas recenſeri nonnullos pudendis vitiis, quàm glorioſis victoriis notiores: *Cur* (quærebat Ille) *iniquè fama celebret quos turpia infamant ſcelera? Quis viliſſima enormium criminum mancipia bellicæ virtutis laurea, & inſignibus efferri æquanimiter ferat? At domuerunt gentes immanitate barbaras, multitudine infinitas, victriciaque per univerſum orbem arma circuntulere. Quid mirum, ſi domitarum gentium vitiis interea irretiti, victores victis ſuccubuere, partaſque in bellis ſtrenuè obitis victorias, luxu, ac libidine imbelles corrupere? Dolendum certè, ac pudendum maximè tam ſuperiori, quàm noſtro avo extitiſſe tot egregios alioqui duces, qui ſuperandis hoſtibus majorem, quàm virorum animum, in propriis affectibus ſubigendis minorem, quàm fœminarum animam exhibuerint.*

77 Cùm veræ fortitudinis non minus proprium ſit dura & ardua quæque animosè aggredi, quàm eadem æquanimiter pati, quærebat à ſuis aulicis Theodoſius, Ubinam majorem exhibuerit fortitudinem ejus Patruus, Sereniſſimi Parentis germanus Frater Princeps Eduardus, in aggrediendis, ac debellandis hoſtibus Imperii, cui plurimis annis militaverat, an in perferendis conſtanti animo indigniſſimis, quibus habitus eſt, modis poſt propugnatam Germaniam, partoſque glorioſos triumphos? Pro hiſce, dum eorum nonnulli ferunt ſuffragium, militari tanti viri gloria, & illuſtrium tot victoriarum ſpecioſo ſplendore illecti, ſuum Theodoſius longè potiori jure pro ſpartana, Chriſtianaque tulit inclyti Herois tolerantia, quam cuilibet bellicæ gloriæ meritò præhabendam judicavit: *Enim verò* (dicebat ille) *bellicoſus Eduardus mortales, ab aliis ſæpe victos, ſuperavit hoſtes; Idem verò poſt hominum memoriam iniquiſſima æquo animo patiens ſuum immortalem, invictumque animum ipſorum hoſtium victorem evicit glorioſiùs, quò eſt difficilius de ſe, quàm de aliis triumphare. Bellica quidem virtute plurimorum ducum, ac militum auxiliaribus fultus copiis Imperii hoſtes profligavit; at Chriſtiana patientia inexpiabile odium, ſummam ſævitiem, ac turpiſſimam ingratitudinem, quibus ejus adverſarii ſuccubuere, divino tantùm præmunitus auxilio ſolus peſſundedit.* Plura in eandem ſententiam memoratu quidem digniſſi-

digniſſima judicioſus Princeps ſuperaddidit, quæ tamen quia plurimorum indelebilem æquè infamiam tota Europa jam pervulgatam, ac Infantis Eduardi nunquam interituram famam attingunt, à religioſo, neminique noxio calamo juſtis de cauſis duxi ſupprimenda. Utrunque jam Scriptores alii ſuis in lucem editis monumentis æternitati commendarunt, plures commendaturi, omniumque (ut puto) luculentiùs, illuſtriſſimus (de quo in Prologo) Meneſius omnino videndus, ſyncero, ut par eſt credere, omnes ducti zelo, ut dignis, indignisque factis juſta, perpetuòque duratura apud memores poſteros conſtet retributio. Utriusque ſimul meminit Princeps Theodoſius in quadam ad ſuum Confeſſarium Latina Epiſtola, in qua de juſtis Infanti Eduardo perſolvendis ſolicitus, pro meritis laudandum illum, pro demeritis illius adverſarios vituperandos monet. Eam ipſius manu ſcriptam minimè hîc ſupprimendam exiſtimo. Hujuſmodi ſe habet: *Agnoſco equidem, ſimulque patior geminatum tuum dolorem; & ſi vera fateri oportet, ſecundus acriùs pungit, ita ut ſingula litera millena vocabula adnotarent, queis deſideria tui, tibique dicenda indicarem. Rem ut à primordiis capias, Antonio Cavidio commiſit Rex, Dominusque Parens meus adornandi tumuli negotium; qui me obſecravit, pariterque incitavit ad hieroglyficandum; cùmque ego quinque conderem (quæ nunc brevitatis ergo omitto) oſtendi Regi, atque inter confabulandum dixi, quàm neceſſaria eſſent hæc in occaſione funebria carmina; addidi præterea, in hiſce, ac in cæteris omnibus rebus, te præ aliis excellere; reſpondit ille. Tu igitur Andreæ Ferdinando hoc admodum committe; ideo feci. Quod quæris de genere operis, meo videre, præcipuum erit aliquorum diſthicorum contra hoſtes; eò quòd vulgò dicitur veneno ſublatus; & in laudem vitæ functi. De Epitaphiis, quod lubet fac: diſthica papyro ſunt apponenda, emblemata pauciora ſufficiunt, quæ Cenotaphio affigentur; tempus deſignatum eſt abhinc ad quindecim, vigintive dies. Interim vale, ac opto: cumque mihi ſcripſeris, Latine ſcribe idiomate.* In Prolog. §. 19.

78 Ita de aliena, eaque ſolida fortitudine verè, ac prudenter Theodoſius exiſtimabat: quàm verò de illius bellica virtute univerſim alii opinionem conceperint, non poteſt certiùs quidem, quàm duplici ab hoſtibus prolato, ideoque irrefragabili teſtimonio confirmari. Agebat eo temporis Ulyſſipone ſub ſpecioſo maximi cujuſdam negotii conficiendi prætextu, cœnobita quidam Caſtellanus ob egregias, quibus eminebat, dotes Luſitanis Magnatibus, Regi, Principique percharus; eorum prudentioribus æquè ſuſpectus, maximèque ſuſpicioſæ plebi omnia ex ſe intuta vulgò ſubodoranti, cautèque pertimeſcenti. Ille interim ſingula notatu digna ſedulò, & curioſè obſervare; uniuſcujusque genium, vitæque rationem introſpicere; ad hæc noſtrorum militum virtutem, Ducum peritiam, aulicorum ſedulitatem, omnium fidem, rectèque procedentem publici regiminis formam magnificè, prout ſe dabat occaſio, commendare; nihil denique prætermittere quominus hiſce, ac hujuſmodi artibus omnium ſe animis, & benevolentiæ inſinuaret; at Principis in primis, quem omni ratione demereri, ſibique conciliare unicè ſatagebat. Et verò non fuit difficile facilem ſui conatus exitum reperire apud Principem faciliimos ad ſe aditus univerſis religioſis, doctisque viris ſuppeditantem. Igitur poſtquam ex frequentibus cum Theodoſio colloquiis, quantus ille jam tunc foret, quantus olim imperio admotus futurus eſſet, perſpicax homo deprehendit; mirari primò, tot naturæ, artisque dotes eximias, tam multas, & præcellentes virtutes collectim eminere in uno Principe primam adoleſcentiam vix attingente, quales in plurimis diviſim vix unquam

quam extitiſſe certò ſciret : mox generoſos martialis verè Principis ſpiritus haud levibus indiciis paſſim erumpentes ; ejuſdem animum aulicas delicias averſantem, bellicæ gloriæ cupidum, militaribus diſciplinis non addiſcendis modò, ſed jam edocendis apprimè intentum , ſecum reputare : tandem ex hiſce adeo certis præmiſſis certiſſimam inferre concluſionem ; in ea tot ſolidarum virtutum officina conflari certè Caſtellæ fatalem enſem , ſi ex Ulyſſiponenſis aulæ quaſi vagina, ubi hactenus reconditus educabatur , aliquando educeretur : Quod ut ſalutari conſilio præcaveret, conſtat eum ad Catholicum Regem, ejusque miniſtros hortatrices dediſſe literas, præter alia non levis momenti, hujuſmodi monita continentes : *Si de ſubigenda Luſitania ſeriò Madritti agitur, non quidem feſtinandum lentè , ut hactenus, ſed moras omnes paratis unicè noxias celerrimè præcidendas: E re Hiſpana in primis eſſe terra , marique ſimul oppugnari Luſitaniam , quandiu Theodoſii auſpiciis inexpugnabilis ea non eſſet : qui ſi Luſitanis armis aliquando præſit, aut illius ductu bellum geratur, poſſe, immò debere Hiſpanos de Luſitania expugnanda prorſus deſperare: experto ſibi crederent; omnia in Theodoſio, præter ætatem tractandis armis adhuc immaturam, ſumma eſſe ; at ſupra omnia eminentem militaris diſciplinæ peritiam, bellicæque gloriæ immenſam prope aviditatem; quibus ſi opportuni adminiſtrandis armis anni brevi accedant , irritos fore qualeſcunque irridendæ tunc Hiſpaniæ ſerò nimis ſuſcipiendos fruſtra conatus, eandemque procraſtinando ſpes omnino paſcere inanes: quare, ſi ſaperent, præcipitandas moras, in aciemque quantocius deducendum inſtructiſſimum exercitum , dum illi per invalidam hactenus ætatem nequeat opponi Theodoſii planè inſuperabilis , virtutum omnium, maximè bellicarum moles, indies ad cælum uſque aſſurgens , maximo Luſitaniæ ſe plus nimiò ea unica ſpe attollentis incremento, nec minori adeo imminuta Hiſpaniæ decremento.*

79 Hujuſmodi prudentis certè viri conſultiſſimæ opinioni haud multò poſt certiorem fidem fecit, non quidem per literas , ſed luculenta efficaciusque habita Madritti oratione in ſupremo Concilio Flandobelgicus quidam Colonelus Luſitanis, & Caſtellanis æquè notus , poſitis à me tantùm manifeſtis protacendo nomine ſignis. Hic per plures annos Luſitanæ militiæ ſtrenuiorem, quàm deceret cœleſti cohorti addictum virum , navarat operam; ideo Sereniſſimo Regi, ac Principi acceptiſſimus; egregius planè vir, & in celeberrimis noſtri ſeculi recenſendus, ſi quam intrepidi animi , & ſingularis ſcientiæ militari gloriæ tandiu impendit, eam ad cœleſtem aſſequendam , & animarum ſalutem proſequendam in ſe reverſus tandem aliquando laudabiliùs contuliſſet. Idem ab Hiſpana turma (caſu, an conſilio ad hoc ipſum inſidiis excubante, incertum) captus, deindeque Madrittum deductus poſt varios caſus, quos perſequi non eſt otium, à Catholici tandem Regis magnificis promiſſis , & ſingularis benevolentiæ ſignificationibus ægrotanti exhibitis expugnatus, totum ſe illius obſequiis, & imperio libenter addixit. Tunc verò frequentibus belli conciliis admiſſus, & in eorum uno rogatus, quidnam ſibi de ratione Luſitani belli proſequendi optimum videretur ? Poſtquam ſatis multa eam in rem diſertè, appoſitèque dixit, quorum meminiſſe mei non eſt inſtituti, ad extremum Theodoſii honorifica injecta mentione, omnium animos ad maturandum citius bellum inſolito ardore inflammavit.

80 *Iam diu eſt* (inquit) *ex quo Luſitaniæ vires univerſas minimè contemnendas, viroſque alicujus nominis apprimè novi; apud illos maximi fiunt hoc maximè tempore bellica virtute præſtantes; ad quam nulli eorum non adſpirant adeo ardenter , ut in ea*

qui

qui alii velit cedere, rarus admodum reperiatur: uni tamen Theodoſio inter omnes facile Principi primatum univerſi haud gravatè concedunt: Eum ſummi, infimique meritò ſuſpiciunt; eundem Duces, ac milites ad unum publicis votis, animiſque ad omne obſequium promptiſſimis jam pridem ambiunt, orbis imperium, ne dum totius Hiſpaniæ principatum, ſub tali, tantoque Imperatore ſibi haud dubiè pollicentes. Et verò non vana eos deludi ſpe planè agnoſcet quiſquis exploratas habeat hujuſce incomparabilis Adoleſcentis inclytas, & opinione majores dotes; quarum omnium, ſed militarium in primis (ut paucis abſolvam) eſt abſolutiſſimum compendium, naturæ, artiſque mira indulgentia, & induſtria certatim elaboratum. Ille quidem in ipſo jam Adoleſcentiæ flore, militaris ævi prope maturus, certuſque omnium in ſe unum intentos animos, ſe ducum, ac militum jam diu deſignari oculis, ultro implacabilis ardet, ſibique communibus ſuffragiis deſtinatum Imperatoris munus unicè, avidiſſimèque opperitur: cui ſi (ut par eſt credere) brevi præficiatur, nulla profectò Hiſpanis recuperandæ inpoſterum Luſitaniæ reliqua ſpes eſſe poteſt; quin immò nobis meritò verendum eſt, ne tanti ductoris fiducia ſolitò animoſiores redditi Luſitani, fœderatis Gallis, & Britannis libenter auxiliantibus, in apertam undique Hiſpaniam ſua mole, incuriaque laborantem irrumpentes, Madritto ipſo totius munitionis experte, quod non ſemel jam cogitarunt, impunè potiantur. Ne id tentarent, fortèque perficerent, prohibuit hactenus conſiliariorum privato armorum Gubernatori tantam gloriam invidentium præverſa quidem, & à Luſitano utili averſa planè mens: Theodoſio è contra ſupra univerſos eminenti, cui omnes multùm deferunt, nemo eſt qui præpoſterè invideat, cunctis ad ejus militarem gloriam promovendam certatim, amicèque conſpirantibus. Indubio igitur, jamque imminenti avertendo periculo, quod præſaga mali mens augurat, unum ſupereſt meo, ac prudentum omnium judicio, præſentiſſimum certè remedium, in præſentiarum adhibendum; nequis falsò exiſtimet voluiſſe me præteritorum commemoratione ſtrenuiſſimis Hiſpanorum animis ignavum potiùs timorem incutere, quàm ab iis penitus excutere. Feſtinatò (mihi credite) opus eſt, omnique abrupta cunctatione, ſalutari celeritate præoccupandi hoſtium conatus, & conſilia prævertenda: quandiu ab armis ceſſat invitus, & ut reor, invictus Theodoſius, non ceſſandum, aut immorandum nobis eſt: ſubita irruptione (quod expeditius, eòque utilius duco) munitiſſimum aliquod è Luſitanis præſidiis invadendum, nec difficilè, me duce, vel comite, quidquid ubique infirmum eſt probè conſcio (ni fallor) occupandum; proſpera deinde, vel improſpera, ut ſe dabit fortuna, in tempore, ſed quàm celerrimè utendum: fata facilem viam invenient, opportunumque audientibus conſilium tempus ipſum, cujus eſt vel minima jactura irreparabilis, ſuppeditabit.

81 Hoc fuit de Theodoſii ſibi penitiſſimè cogniti militari ſcientia bellicaque virtute, hujus viri prudens ſanè judicium. Ubi obiter obſervandum, meritò prudentes viros plus Caſtellanis pertimeſcendam cenſuiſſe Theodoſii militarem peritiam, & prudentiam, quàm Luſitanorum ſub eo militantium fortitudinem. Sciebant nempe nihil à prudentiſſimo Adoleſcente bellicæ diſciplinæ alioqui ſcientiſſimo temerè aggrediendum: norant iidem vim conſilii expertem mole ſua ruere, & in bello maximè conſilio non impetu opus eſſe; parvi, ac nullius momenti eſſe arma foris, niſi ſit conſilium domi; ac tandem ex Euripide unum conſilium rectum magnam militum manum vincere ſolitum; neque perinde referre, quàm numeroſum educas exercitum; ſed quantum belli rectores polleant conſilio. Unde à regio Adoleſcente veræ gloriæ cupidiſſimo, prudentia, conſiliis, peritia, bellica virtute, in paucis commendabili, ac tandem militum animis acceptiſſimo, erat maxi-

mè

mè cur ſibi timerent Caſtellani. Longè diverſa, ſed neque ideo minus honorifica, vel minoris facienda fuit Romæ, ſub idem ferè tempus, ab eminentiſſimo Cardinali de la Cueva in familiari quodam ſermone de Theodoſio, coram Luſitano hoſpite judicioſè propalata exiſtimatio. Eum Romæ tunc agens publici negotii cauſa convenerat aliquando. R. P. D. Fr. Iſidorus à Luce Provincialis poſtea Sanctiſſimæ Trinitatis in Luſitania; qui eminentiſſimo Cardinali de Luſitanis rebus, maximèque de Principis Theodoſii virtutibus ſciſcitanti facturus ſatis, poſtquam de ſecundis Luſitaniæ progreſſibus ſub Sereniſſimo Rege Joanne quarto paucis abſolvit, in commemorandis præcellentibus Theodoſii dotibus, eximiiſque virtutibus diuturnus extitit, eminentiſſimo interim ad ſingula propè annuente, ſingulareſque voluptatis notas præ ſe ferente. Tam inſolens certè benevolentia non vulgarem movit religioſo panegyriſtæ admirationem, vehemenſque deſiderium inſperatæ à ſe lætitiæ cauſam explorandi. Igitur expetita reverenter, facilèque impetrata interrogandi venia: *Quid eſt* (inquit) *eminentiſſime Domine, quòd Luſitani Principis heroicas planè dotes Hiſpaniæ aliquando nocituras ab Hiſpano Heroe adeo inſolita lætitia video celebrari? Si de Hiſpaniarum Principe, quæ de Theodoſio, commemorarem, non effuſiùs Eminentia Veſtra exultaret; id quia non poſſum non mirari, nemo cauſam ſcitu dignam exquirenti jure poterit ſuccenſere.* Ad hæc perhumaniter ſubridens vir prudentiſſimus: *Ne tantos* (inquit) *tibi finge metus; nihil illi à Theodoſio quantumvis intrepido, ne dum Hiſpaniæ timendum duco; innocens planè Adoleſcens nemini nocere debet; Non Luſitaniæ diu perfruendum, ſed cælo brevi transferendum Theodoſium adeo perfectum Deus effecit: terris immerentibus illum tantùm oſtendit; omnibus oſtentui habendum; qui tam citò matureſcunt fructus, diuturni eſſe non poſſunt; nec Theodoſius numeris jam omnibus abſolutus, cæloque maturus diutiùs immorari, quin cælitum numero inſeratur. Id quidem eſt, cur adeo ingenti afficior gaudio, non ex veſtra (quod abſit) infelicitate, ſed ex illius ſumma felicitate conceptо.* Utinam urbanior, quàm verior eſſet, omninoque falſus Aruſpex eminentiſſimus de la Cueva, neque tàm certus ridendo dicere, ac prædicere verum properaret: ſed quid à viro, cui titulus de la Cueva, quod ſpeluncam ſonat, niſi funereum ſepulchrale, inauſpicatumque ominandum!

82 Illud certum habeo bellico ardore vehementius ſolito inflammatum Theodoſium, exindeque ardenti contracta febri expectatione celeriùs deceſſiſſe, intra Ulyſſiponenſis palatii clauſtra concupitam ſibi bellandi opportunitatem prohibentis generoſo intercluſo ſpiritu, qui nuper liberius ſuis adimplendis votis Elvenſe nactus cœlum, ſolumque victricium palmarum feraciſſimum longioris, utpote ſibi voluptuoſioris vitæ ſpatia nobis pollicebatur: verùm fatali Sereniſſimo Parenti obtemperandi neceſſitate illinc abſtractus, ad Bethlémicum ſepulchrum trahitur Ulyſſiponenſibus deliciis, à quibus ſemper abhorruit, conficiendus, militaribus apud Elvios exercitiis, victorem ducendo exercitum, ut certá ſibi ſpes erat, Neſtoream ætatem erat fortè, ſuperis annuentibus, prorogaturus: in eo quidem ſimillimus ſtrenuiſſimo Vincentio Martyri, qui cum atrociſſimis tormentis, animoſè, diuque colluctatus tandiu ſupervixit, quandiu dura pati licuit; idem mox lecto molliſſimo impoſitus victricem tormentorum, at deliciorum contemptricem efflavit animam. Ejuſdem, & ſimilium in contemnenda, immò provocanda, expetendaque anxiè morte fuiſſe Principem ſtrenuiſſimum æmulatorem planè

Lib.1.c.32 intelliget quiſquis libri primi caput trigeſimum ſecundum releget, ubi ſumma

ma ejus, & immortalis fortitudo in morte obeunda elucet; Nabarſane Darii duce in hæc verba ſtipulante: *Fortium virorum eſt magis mortem contemnere, quàm odiſſe vitam.* Addiderim, Fortiſſimi Theodoſii fuiſſe mortem contemnere, mortalemque præ immortali vitam odiſſe. Quanti verò idem fecerit bellica fortitudine præditos Duces, ac milites, quia jam alibi diximus, hîc addidiſſe ſat erit, quid Princeps de præmiis, & honoribus in eoſdem conferendis in ſua Macariopoli judicarit; cùm ſit fortitudinis genus fortes, ac ſtrenuos magni facere, ac pro meritis condecorare. Sic Ille: *Qui fortiter ſe geſſerint, ſociumve liberaverint, honorentur poſtea ſtatuis, coronis, carminibus, elogiis, & promotione ad majora.* Et paulò poſt ita: *Finito bello in aula publica Poëta, Rhetor, & Hiſtoricus geſta celebrabunt nil veritati detrahentes.*

Apud Curt. de reb. Alex.

Lib. 1. 4. 310. ad 313.

Macariop.

CAPUT VIII.

Principis Theodoſii generoſa magnanimitas.

83 COgnata virili fortitudini magnanimitas, illiusque inſeparabilis comes honorificam à me jure ſuo exigit hoc loci mentionem: cùm nemo unquam fortis verè fuerit, niſi magnanimitatis laude commendabilis. Neque Principem ad ſumma quæque natum ulla tam decet, illuſtratque virtus, quàm quæ illum maxima inter cæteros eminentem dignitate ſpiritu principali à Rege Davide unicè expetito confirmat, omninoque magnum efficit. Hujuſce magnæ quidem virtutis eſt ita magnanimum Principem inſtituere, ut neſciat: *Quidquam abjectum, & humile cogitare, qui ſcit de ſe ſemper loquendum*; eidem alta, & honeſta proponere, famam, & immortalitatem præ omnibus expetenda ſuadere; ſic Magni appellationem, quæ paucis admodum contigit, meritò adeptus eſt magnus Pompejus: *Quo viro nemo alia omnia minùs, aut gloriam magis concupivit.* Id ipſum de Theodoſio veriùs auſim profiteri; nec ullus credo erit, qui diffiteri audeat, modò Illius animum oblata, vel quæſita occaſione penitus aliquando introſpexerit; in eo videre quidem erat in primis omnium humanarum rerum, quas plerique mortalium maximi faciunt, contemptum maximum; mox totius, quantus eſt orbis, non ſibi, ſed Deo ſubigendi ardens deſiderium; tandem, non humanæ laudis, nec lubricæ, inaniſque famæ; ſed gloriæ Divinæ ubique amplificandæ inſatiabilem appetitum: cui collata eorum, qui vulgò Magni appellantur, fama, vel gloria, fluxam, & evanidam eam fuiſſe præ ſolida, & immortali Theodoſii à prudentibus rerum æſtimatoribus exiſtimandum. Enim verò Alexander Magnus (ut de cæteris taceam) cujus animi amplitudini anguſtus fuit orbis, differente olim apud eum Anaxarcho plures eſſe mundos, *Me miſerum* (ſuſpirans exclamat) *qui nec unum ſubjeci*: quanti æſtimabilior Theodoſii magnanimitas, cui ſi plures eſſent mundi, non minùs forent contemptibiles, quàm Alexandro fuere optabiles? Magnus hic verè appellandus, ſi ut magnum, ſic parvum orbem; nempe ſe ipſum æquali impendio in poteſtate habere inſudaret, neque glorioſas adeo victorias tam pudendis vitiis obſcuraret: *Siluit terra in conſpectu ejus*; at non omnino ſiluit in evulgan-

Mamert. in paneg. ad Julian.

Vellejus de Pomp. magn.

Lipſ. mõnit. c. 11. §. 5.

Machab. 1. n. 3.

dis probroſis aliquot ipſius factis. Major certè illo Theodoſius, minùs quidem dominandi cupidus, at illuſtrioribus internorum affectuum, quàm externorum ille hoſtium victoriis clarior, ſapientiæ, virtutumque omnium laureis longè præſtantior; de cujus propterea præcellentibus meritis, neque orbis ipſe ab eo divinis obſequiis deſignatus, neque ulla unquam immemor poſteritas conticeſcet.

84 Qualis, quantaque fuerit Theodoſii magnanimitas, haud poterit manifeſtiùs innoteſcere, quàm ex ipſius Sereniſſimi Parentis frequenter de illo querimonia. Tum apud domeſticos, tum coram Regiis Miniſtris non ſemel conqueri auditus eſt Rex Sereniſſimus: *Non niſi rebus in magnis, negotiisque maximi momenti juvari ſe à Principe, cæterorum vulgarium incurioſo, & à minimis prorſus alieno.* Maximum certè præconium magnanimi Theodoſii minora dedignantis, & ad ſumma ſolummodo anhelantis, in quo id tantùm paterna reprehenſione dignum extitit, quod magnis Heroibus foret meritò invidendum, & maximè eorundem commendatione digniſſimum. Quàm id fuerit verum, argumento ſint pueriles ipſius adhuc prætextati voces, virilem generoſitatem ſpirantes, quarum ſuis locis mentio à nobis luculenta paſſim facta eſt. Idem natu jam grandior, animi magnitudine corporis, ætatiſque anguſtias ſuperante, cùm præclaras res geſtas Sereniſſimi Principis Caroli nunc digniſſimi Britanniæ magnæ Regis aliquando audiret, eundemque in ipſo immaturæ adoleſcentiæ flore maturos victricium palmarum fructus jam decerpentem, acieque inſtructa ſemel, atque iterum cum Parlamentariis ſtrenuiùs, quàm feliciùs congreſſum, generoſa ſtimulatus æmulatione in ſimilem vocem, ac gemitum inclyti Cæſaris, viſo Gadibus laureato magni Alexandri ſimulachro erupit: *Heu nihil etiam memorabile à me geſtum in ætate, qua Princeps Carolus adeo præclara geſſit!* Gerenda forent procul dubio à Theodoſio præclariſſima, niſi generoſis ejus conatibus temeraria mors intempeſtivè interceſſiſſet, auſa in ſegetem alienam, utpote non dum penitus maturi ævi, adeo alieno Luſitanæ reipublicæ tempore immitem falcem immittere, unicoque ictu immenſas de illo, & in illius animo conceptas ſpes reſecare; verita (ſi fas eſt credere) ne ſi Theodoſio virilem ætatem explendi, orbemque inauditis hactenus facinoribus implendi copiam faceret, immortalem tunc illum, ſuiſque impervium telis deprehenderet.

Lib 1. §. 23.25.26, 37.41.50. 79.84.

Lipſ ibid. §.6.

85 Sub idem ferè tempus Coſmographiæ, Nauticæque præceptis apprime inſtructus univerſum, quàm magnus eſt, orbem longè capaciori animo complexus cæpit eundem perſpicaci cogitatione, quandiu victricibus armis haud poterat, peragrare; omnes mox vel diſſitarum longè regionum ſitus, limites, ambitus, florenteſque olim in eis monarchias, imperia, & principatus, quaſi omnibus unus adeſſet, præ oculis, in promptuque habere: tum deinde diverſarum gentium mores, genium, inſtituta præſertim ſalutaria, optimamque adminiſtrandæ reipublicæ rationem accuratè obſervare. Præterea quidquid ubique terrarum, aut à natura perfectum, aut exquiſitiori arte, induſtriaque elaboratum eminet, memori mente aſſervare: tandem univerſalis hiſtoriæ à ſe jam diu enucleatæ magiſterio clariora quæque illuſtrium Heroum ab orbe condito facta, dictáve tum belli, tum domi edita ſibi æmulanda, vel ingentibus auſis favente Deo, ſuperanda proponere. Nec minori rerũ maritimarum rerum peritia per viciniorem nobis Oceanum, mox Athlanticum, Adriaticum, Erithræum, Indicum, Carpium, Aſiaticum, dum claſſi-

bus

bus non liceret, diſcurſu velificare; ſparſas ibidem inſulas, portus, ſinus, promontoria circumire; ad fluminum denique ſe in mare exonerantium oſtia, eorum ad uſque ortus penetrare. Ex his omnibus incredibile dictu eſt, quibus aucta ſit incrementis Theodoſii magnanimitas, quæ ab orbis, rerumque in eo geſtarum magnitudine ad Authorem omnium Deum ter maximum prætervecta, eundem ſibi, cæteriſque unicè colendum indigitaret, eumque jam diu currentem impelleret, ut cæteris minoris quidem momenti ſepoſitis curis, id unicè procuraret.

86 Sed quia hiſce adeo magnificis, immò divinis certè adimplendis votis obluctari maximè videbatur finitum cum Hiſpanis bellum, acerbioribus indies armorum utrinque impulſionibus recrudeſcens, ne latiùs ſerperet in utriuſque Monarchiæ certam perniciem militare incendium, illud objectis ex oppoſito, ut ſolet, Martiis flammis extinguere deliberavit. Igitur Elvios, ubi atrocius ſæviebat bellum, improviſus advolat iis, quarum ſupra meminimus, Lib. 1. §. 312. impulſus cauſis, maximèque, ut inſtructiori, quàm antea belli apparatu perculſos hoſtes, faciliùs, honeſtiùſque cum Luſitano Principe, quàm cum aliquo è privatis ejus ducibus conventuros, ad optatæ univerſis ex æquo pacis conditiones compelleret; inter quas præcipuam eam Theodoſius optabat fore, quæ Illius animum magnanimæ generoſitatis verum domicilium haud levibus ſtimulis jam diu agitatum ad majora vehementiùs provocabat; ut nimirum collectis parumper ex bellica jactatione animis amicè jam cohærentibus, totam anteacti belli molem ab Europa in Africam, Aſiamque unanimiter impellentes, ſacro ſuſcepto bello, fœderatis armis facilè, Deo Duce, auſpiceque, conficiendo; Mahometano vel penitus deleto, vel ex magna parte depreſſo imperio, immortalem ſibi, ſuiſque poſteris gloriam, nulla unquam invidioſi ævi oblivione delendam, compararent. Hæc olim fuere Theodoſii vota, licèt fruſtra ſuſcepta, & aliquorum ſuaſionibus diſturbata; quia tamen ex ſe magna, maximi quidem ab omnibus facienda: nec dubito, quin Deo ſimilium conſiliorum Authori fuerint accepti ſſima; cui ſæpe in magnis tentaſſe ſat eſt, magnique ad inſtar facti habetur; nec ſemel mortalium animis immortalitate dignas injicit cogitationes, licèt effectum non habituras, at quaſi habuerint, magnificè remunerandas.

87 Idem cùm nullius unquam peſtiferæ invidiæ contagio inficeretur, quam ſemper honeſtis viris, ne dum Principibus indignam meritò cenſuit; illis tantùm ingenuè fatebatur ſe invidere, qui olim, vel etiam nunc illuſtribus patratis facinoribus nomen ſuum memori æternitati commendarunt; in quo tamen non tam nominis celebritatem, quàm celebratu digna gerendi occaſiones præoptabat, laudabili æmulationi, quàm vituperandæ invidiæ proclivior. Habebat Camerarius major Joannes Rodericus de Sà aliquando præ manibus, in oculis certè habendum Quintum Curtium, tum ob elegantiam Latini ſermonis, tum ob præclaras res geſtas magni Alexandri ab illo dignè commemoratas: librum Princeps expoſcit, facturuſque periculum quanti ab eo fieret, poſtquam inibi pauca legit, multum ex ea brevi lectione faſtidii profeſſus, à ſe longè projecit: *Itane cum Egregio Hiſtorico, & mea quidem opinione omnium longè optimo à V. Celſitudine agitur? (admirabundus quærit Camerarius) ſoli Veſtræ Celſitudini diſplicere poterit, quem video mirificè meritò univerſis placere? Cur indecorè humi jaceat Curtius ſummis ad cœlum præconiis efferendus?* Cui Princeps elevato comiter libro, *Ut Curtii proferendis laudibus tibi viam ſterne-*

ſternerem, illum conſultò proſtravi, tuis utique veri doloris indiciis altiùs erigendum, quàm meo ſimulato contemptu deprimendum. Hac maximè ratione mihi certa mens fuit, tuum explorare judicium non de Curtio tantùm, cui unicè indoluiſti, ſed de magno potiſſimum Alexandro, cujus inclytis referendis exemplis inclytum Curtii deſudat ingenium; in iis aſſiduè perlegendis, licèt incredibili afficior voluptate, haud minore conficior dolore, quòd tantus vir de humanâ gloriâ, cui ſemper inhiavit adeo benemeritus; à cœleſti, quæ ſola eſt vera gloria, ejus ita poſcentibus demeritis, perpetuò exulabit. Sic Alexandri, & ſimilium æmulandam ſibi ducebat Theodoſius magnanimitatem, & ſynceram, & ab omni præpoſteri affectûs labe penitus intaminatam, ab eorum longè diſcedens generoſis alioqui ingeniis, quæ tanquam generoſa vina, vel immodico æſtu, vel vetuſtate coaceſcere nonnunquam ſolent. Hinc eſt; quòd puerilem illam ipſius prætextati adhuc Alexandri vocem licèt generoſi, at invidioſi ſtomachi plenam, cui Scriptores plurimi plus nimiò plaudunt, explodendam omnino judicaret, utpote ferula, quàm
Lipſ. ſupr. §. 4. ſceptro digniorem. *Hem!* (exclamabat ille Parentis Philippi glorioſis auditis victoriis) *quid tandem Pater nobis vincendum relicturus eſt?* E contra Theodoſius ex fauſtis propeque quotidianis nuntiis rerum præclare, ac ubique geſtarum ſub auſpiciis Sereniſſimi Parentis, ex gratulatoriis exultantis ſub eo populi vocibus, ſummam eidem felicitatem, & longævitatem aſſiduè adprecantibus, non geſtiebat modò intimis gaudiis delibutus, ſed æqualium, Deo ſibi, Patriſque annuente fortuna, vel longè majorum facinorum, & eventuum concepta ſpe, generoſum animum recreabat. Immò tam longè aberat ab alienæ cujuſquam gloriæ, ac generoſitatis invidia, ut generoſos, magnanimoſque ſuos univerſim vellet Luſitanos. Quare in ſua Macariopoli Pædagogos inſtituens, quomodò in puerorum, vel etiam infantum educatione
Macariop. ſe habere deberent, ita eos inſtruit: *Qui præterea infantiles animos claris ſermonibus, fabulisque jucundis, attamen magnanimitatem, & ſpirituum celſitudinem ſemper redolentibus imbuent; nec unquam terreant eos minis, aut contriſtari admodum faciant, ſed admonitiunculis, & æmulatione potiùs, quàm verberibus eos moderabuntur.*

588 Interim in magnis ad majora præludebat Theodoſius. Poſt initum regnum præcipua Sereniſſimo Joanni Regi ſolicitudo inſedit totius regni confinia Caſtellanorum incurſionibus undequaque obnoxia circummunire, alibi amplioribus, contractioribus alibi extructis denuo munitionibus; pro civitatum oppidorumve, ubi extruebantur, opportunitate. Ex innumeris prope, quatuor longè operoſiores majoriſque momenti ſuſcepit Theodoſius, partim propria induſtria, partim ſua præſentia promovendas; Elvenſem operum molitione, artiſque præſtantia nulli totius Europæ ſecundam, Eborenſem, & Cetobricenſem maximis æquandas, Ulyſſiponenſem denique, ſi unquam ad optatum exitum perducatur, dignam certè coronam Urbis orbis imperium promerentis. Eandem cum celeberrimis de principatu jam diu certantem, ut præ reliquis omnibus auguſtiorem, locupletiorem, facilèque Principem citra æmulationem redderet; poſt exactum cæptarum jam ſubſtructionum longè, latèque ultra novem milliaria patentem ambitum, hoſtilem omnem timorem procul arcentium, quadruplici adhuc, ſi per tempus, & vitam ſuperſtitem ſibi liceret, amplificare opere deſtinarat, eorum quolibet ita magnifico, ut ſi vel unum tantùm Luſitanus aliquis Rex perficeret, inter maximos meritò haberetur.

89 Primum omnium in Ulyſſiponenſi portu ultra viginti mille magnarum navium capaci, juſtam in anchoris claſſem perpetuò habere, quæ præter hiemale tempus per Luſitania maria, littoraque velificans, hoſtibus terrori, noſtris, & fœderatarum nationum navigiis in Luſitaniæ portus, vel ex iiſdem aliorsùm merces aſportantibus, præſidio foret; plurimis exinde, quas referre hic ſupervacaneum duco, ipſius in primis claſſis ſumptibus abundè compenſandis, ſtabiliendo, locupletandoque maritimo Regno, utilitatibus proventuris. Mox Ulyſſiponem ipſam inſulam efficere ducta in orbem præalta foſſa myoparonum, & cimbarum patiente, ab oppido Loures, quod marinus æſtus proximè alluit, Alcantaram uſque ab eò, novem tantùm milliaribus disjunctam: ex quo præter alia minimè contemnenda commoda duplici tum marino, tum lapideo murorum ambitu circumvallata Urbs terrarum, marisque domina ea ratione inexpugnabilis reddita, difficiliùs externorum hoſtium è longinquo impreſſionem, faciliùs è proximo indigenarum ſibi advectos undequaque commeatus exciperet. Eodem ſpectat conſilium à Sebaſtiano Rege olim ſuſceptum, à Theodoſio poſtea receptum producendi à Portu regio non longè à Salacia quondam imperatoria Civitate Eboram uſque Luſitani regni alteram ab Ulyſſipone Urbem per milliaria 27. maritimum æſtum; quo ex ea metropoli Provinciæ Tranſtaganæ Luſitanarum omnium longè ampliſſimæ, ac locupletiſſimæ, per capacem alveum ad Salaciam, indeque Cetobrigam, ac Ulyſſiponem demùm pretioſa quæque Tranſtagana, quæ nunc magnis per terram impendiis, per mare faciliimè deferrentur. Tandem præ infinita prope innumerabilis populi multitudine, locorumque nimia intercapedine laborantem aquarum penuria Ulyſſiponem profluentibus paſſim fontibus irrigare, admiſſo intra urbem partim per ſubterraneos cuniculos in obviis montibus, partim per editos aquæ-ductus in depreſſis vallibus haud modico fluviolo collecto è plurimis, & ſaluberrimis fontibus ubertim ebullientibus prope Bellas oppidum ſex tantùm milliaribus ab Ulyſſipone diſſitum. Illum non ſine magnis ſumptibus, at privata Theodoſii magnanimitate, publicâque utilitate multò minoribus poſſe in unum ex altioribus verè ſepticollis Urbis montem adduci, ubi D. Rochi magnificum templum, ac noſtræ Societatis Domus profeſſa eminet, indeque ad reliquas ipſius depreſſiores regiones facilè, ac veluti manu deduci, periti hydraulicæ artis indubiè aſſeverant. Tam magnificis operibus maximèque optatis fontibus adeo generoſi Principis mente conceptis, illius immatura morte fraudata Ulyſſipo lacrimarum fontes, & profluvia effundere haud unquam ceſſabit, pro bonorum omnium perenni fonte ad fortunatiores cœleſtium Elyſiorum campos à ſe præcipiti adeo decurſu derivato.

90 At major quidem erat Theodoſii animus, quàm ut anguſtis, licèt alioqui ampliſſimis Ulyſſiponenſis tractus terminis coarctaretur, totius Luſitanæ Monarchiæ longè, latèque patentis, immò univerſi orbis ambitum, fineſque attenta mentis acie veluti ex alta ſpecula circumſpiciens, aſſidua librorum volutatione, terreſtriſque ſphæræ revolutione ejuſdem magnanimitatem ad maxima excitantibus. Hinc in Braſiliam maximi capacem Imperii multiplices deducere colonias ad Luſitaniæ Monarchiæ amplitudinem multum brevì profuturas opportuna data occaſione deliberaverat. Hinc quia legerat in noſtris Indicis annalibus poſt debellatum prodigioſis victoriis orientem, magnum illum bellicæ Luſitanæque virtutis portentum Alphonſum

 Albu-

Albuquercium Indiæ Proregem, duo adhuc à ſe perpetranda facinora ge- [Mafens l.5 Rerum Ind.] neroſo dudum animo evolviſſe: quorum primùm foret Nilum fæcundiſſimo alveo fertilitatem omnem toti Ægypto inferentem ex Abiſſinorum, quas præterfluit, terris Æthiopico Imperatore annuente, ſimul & auxiliante aliorſum in ſinum Arabicum deflectere; ingenti Turcarum Imperatoris Mahometi ſervientis, Ægyptoque dominantis damnò, nec vulgari fœderatarum gentium, & noſtræ navigationis emolumento. Alterum longè majus, totiusque Chriſtiani orbis æterna gratulatione celebrandum; antiquum nempe illud Mahometicæ ſuperſtitionis effugium, Chriſtianæ religionis pudendum opprobrium, exitialis veneni magnam orbis partem inficientis peſtiferum fontem, nefarii tandem, viliſſimique Veteratoris magneticum, ut vulgò perhibent, tumulum tunc Mecæ, poſtea Medinathanalbi urbem ſeptem leucis à Meca diſtantem, Luſitanorum metu translatum, Luſitano ferrò excindere, ultricibusque flammis expiare. [Fr. Jayme Bleda in Cron. Mauror. Hiſp. L.1.c.23.] Id verò (quò magis mirere tanti Herois incredibilem animoſitatem) tercentis tantùm, at ſelectiſſimis Luſitanis equitibus aggredi, & conficere, Deo auſpice deliberarat; Illos ex Armuſio cymbis, & mioparonibus in proximius Mecæ littus expoſitis præcipere decreverat imperterritus Imperator, ut per unicam diem, continentemque noctem ſeptemdecim leucarum inde ad uſque Mecam brevi emenſo ſpatio improviſi, antelucanique urbem ſolius hactenus vanæ ſuperſtitionis præſidio munitam, erecto victrici ſalutaris crucis vexillo, impigrè irrumperent, obviis quibuſque trucidatis, cæteris in turpem fugam ſubito timore compulſis, interim eorum quidam inſano diruendo templo, alii ſpargendis circumquaque vindicibus flammis, feralique feretro in cineres redigendo; extractis inde priùs, ſecumque aſportatis execrandis oſſibus falſi, & fallacis Prophetæ Goæ publicè cremandis, animosè inſtarent, memorabilique demum paucas intra horas perfuncti facinore, ad opperientes ipſos in Erithræo littore ſocios, feſtinatò reciperent ſe, longè glorioſiores, quàm trecenti olim Abrahami [Gen.14.n. 14. Jud.7.à n. 6.ad 22. Hor.l.1. c.12.] vernaculi, totidemque Gedeonis milites, trecentis Græcis Lacedemoniis, totidemve Romanis Fabiis celebriores. Hiſce à Theodoſio perlectis, ſecumque per otium reputatis, admirandi certè Herois generoſos adeo conatus reveritus, & in eorum, vel ſimilium facinorum magnam ſpem erectus, Deum optimum, & maximum talium conſiliorum Authorem enixè rogabat, ut ſimiles magno Albuquercio Proreges Indiæ annueret, glorioſèque ab illo cæpta perficiendi opportunitatem ſibi, vel ſuis poſteris impertire dignaretur.

91 Verùm dum legendis aſſiduè libris, & ſcientiis addiſcendis ſedulò dat operam Theodoſius, ejus magnanimitas non ſoli Luſitanæ gloriæ ſtudebat, publicis quoque totius orbis utilitatibus pariter intenta. Philoſophicis diſciplinis impensè deditus in ſatis difficiles de motu quæſtiones incidit, quibus brevi comprehenſis facilè deprehendit oleum, & operam hactenus Philoſophos univerſos perdidiſſe in excogitanda utiliſſima quidem perpetui motus artificialis certa, & ſtabili ratione; quam ſi fortè reperirent non dubium, quin plurimis maximisque perceptis exinde commodis humanum genus frueretur. Mirum videbatur Theodoſio naturæ perpetuò mutabilis æmulatricem artem tot vigiliis, & laborioſis lucubrationibus quæſitum hactenus perpetui motus artificium non valuiſſe invenire. Irrequieto motu cieri cœlum, planetas, ſydera, ſimiliter ignem, aërem, maria, & flumina obſervabat; immò fuiſſe nonnullos qui terram ipſam non modò frequentibus terræ motibus obno-

obnoxiam, ſed univerſam eam (licèt falsò juxta ſaniorem , fideique conformiorem doctrinam) aſſiduè in orbem circumagi exiſtimarent ; & tamen artis induſtriam in perpetuo inveſtigando motu delaſſatam deſperata demum inventione difficultati ſuccubuiſſe. At non deſperandum omnino putavit Theodoſius, etſi tot veterum fruſtra collocatis in eam rem perſcrutationibus admonitus; quin immò poſt ſedulam difficillimæ quæſtionis ventilationem multiplici tentato experimento artis, ingeniique vires omnes intendit ; & quanvis intentum interea minimè aſſequutus ad futurum olim tempus optimum difficultatum interpretem, adepta indies uberiori rerum , ac ſcientiarum notitia provocavit. Eodem planè ſucceſſu Mathematicis addictus diſciplinis implicitam, inexplicabilemque hactenus animadvertit celeberrimam illam de Acu fixa quæſtionem, conſciis tantùm velificantibus naucleris, quot gradibus diſtent ab æquinoctiali linea versùs Aquilonem, vel Auſtrum , non ita Orientem, vel Occidentem versùs; orta potiſſimum ea incertitudine ex ipſius nauticæ Acus inconſtantia pro regionum varietate hàc illàc declinantis, neque ſemper, & ubique fixo intuitu Aquilonem ſuſpicientis. Ex quo cùm plurima paſſim haud parvi momenti navigantibus incommoda oboriantur, quibus avertendis incaſſum deſudarunt hactenus ævi ſuperioris illuſtriora ingenia: ſuum quoque Theodoſius, cui nihil unquam ex ſe magnum, publicæque utilitati maximè congruum fuit intentatum, eam in rem præcipuo adhibito ſtudio diligenter impendit, nullum, ut puto, facturus finem inquirendæ utiliſſimæ veritatis, etſi Neſtoreum illi ævum contingeret.

92 In ea verò excutienda, elucidandaque quæſtione plurimum ſtudioſæ induſtriæ Theodoſium collocaſſe plenam fecit fidem quædam ipſius ad ſuum Confeſſarium data epiſtola, in qua hujuſce meminit celeberrimæ quæſtionis, impenſæque à ſe in illa explicanda operæ. Sub cujus finem conditam à ſe aſſerit eam epiſtolam, & quæſtionis explicationem, quo tempore condendæ univerſali Hiſtoriæ incumbebat. In ea (quod uberioris intelligentiæ cauſa monendum judico) cujuſdam meminit viri, quem Rupem appellat (quisnam aut cujas ſit ? me latet) virum fuiſſe ſapientem, & in Mathematicis diſciplinis peritum verba Principis cum illo familiariſſimam conſuetudinem datis mutuis frequenter litteris exercentis, ſatis indicant. Epiſtola ejus hujuſmodi eſt: *Gemino excitatus ſcribo ſtimulo, primo ſatisfaciendi deſiderio ingenti meo , quo impulſus bona valetudinis tuæ deprecor nuntia , ſperoque breviſſimo poſt tempore ſanitatis ex integro reſtitutæ mihi tecum gratulari: ſecundò, remittendi tibi incluſam chartam , de qua hæc habe. Aperta heri mole codicum à Rupe reductorum ſeſe mihi obtulit chartula latinis verbis manu Rupis ſcripta petentis longiorem explicationem cujuſdam quæſtionis Mathematicæ inter nos habitæ nuper de navigatione ab ortu in occaſum, vel è contra. Ego igitur volens mihi , Rupique gratum quid facere eammet hac incluſa papyro expendi quæſtionem ; & quia claſſis Regis abſoluto, & irrevocabili (ut ipſe ait) juſſu Mercurii die, vela ventis committet, celeritatem occaſionis conſiderans , opportunum judico (te judice tamen) incluſam chartam ita ſigillatam ad Rupem , ſi fieri potuerit , remittere: bina media ſe mihi offerunt: primum, vel ipſam ad Henricum Tiſan mittere; vel accerſiri ad te ipſum Tiſan, cui tradas ; ſecundum, tradere vel Vitto , vel alii Hibernico Patri, qui tuo deferat nomine; ſi placet, intra epiſtolam tuam, quæ non integræ ſanitatis excuſationem ſignificare poteris; tuæ omnia relinquo prudentiæ. Quò valeam, valeas.*

Modo Hiſtoriographus.

HActenus epiſtola Principis; utinam haberem aliam ad Rupem datam, & quæſtionis difficillimæ explicationem hîc vel alibi commodiùs inſerendam, pleniori fidei apud eruditos faciendæ, ut planè intelligerent, quàm eruditiſſimum Principem ad maxima quæque, ac difficillima eniti ſua illum magnanimitas ſtimularet.

93 Eam tamen in ſcientiis, virtutibusque adquirendis in primis excelluiſſe, non immeritò quis judicabit; Argumentum quidem longè præcellentis ingenii fuit, at ſummæ pariter magnanimitatis ſcientias præceptorum numero, difficultatum magnitudine pene inacceſſibiles, & ſuſcipere addiſcendas, & perfectè aſſequi docendas; idque totum intra delicatæ pueritiæ, Adoleſcentiæque vigeſimum vix attingentis annum breviſſimam intercapedinem; nec minoris generoſitatis indicium in earum qualibet difficillima quæque Gordianis nodis implicita animoſiùs aggredi, & faciliùs enodare. Ad extremum, operum quibus ſtrenuam navavit operam, argumenta ſummam ſapiunt magnanimitatem; nempe Macariopolis, Seculum aureum, Univerſalis Hiſtoria, totius Mathematicæ compendium, Gothica, & Suecica Hiſtoria, Emendatio, & alia, de quibus alibi, magni certè ingenii, excelſæ magnanimitatis maxima documenta. Jam verò inaſſequendis virtutibus, quàm magnus Theodoſius! Non contentus unam, vel alteram ſtudioſè colere, ſic omnigenas proſequutus eſt, quaſi unicam unicè ſectaretur: dubium admirantibus reliquerit in utra magis excelleret! Nec ſatis habens per infimos, & vulgares uniuscujuſque gradus lentè incedere, ad ſublimiores non modò giganteis decurrit paſſibus, ſed perniciſſimis certè alis advolavit: ſiqui dubitant attentè relegant à nobis hactenus recitata, obſerventque diligenter ad finem uſque ſequentis libri proſequenda; nec dubito, quin fateantur ingenuè, in Theodoſio ſumma fuiſſe omnia, ſed præ omnibus ſummam generoſi ſpiritus magnanimitatem.

Hoc lib. c. 3.

CAPUT IX.

Principis Theodoſii Liberalitas.

94 NUlla tam alteri virtuti ſimilis virtus eſt, quàm magnanimitati liberalitas; iiſdem utraque indiſcretis natalibus, & parentibus in lucem ſimul edita, quorum ſemel animos occuparit, eos magnifica, publicaque luce digna edere, ac elargiri perpetuò excitat; ſi quem magnanimum verè dixeris, eum liberalem quoque fateare neceſſum eſt: magna enim non niſi magnis expenſis tentari, perficivè poſſunt; quibus qui minimè parcendum ex magnanimitatis intuitu judicarit, is minimè parcus, maximèque liberalis meritò judicandus eſt. Unde cum adeo magnanimum Theodoſium proximè viderimus, de ipſius liberalitate nonnulla hîc, connexarum virtutum ſerie

ſerie ſic exigente, appoſitè, ut reor inſerenda.

95 Liberaliter admodum, ut talem, ac tantum decebat Principem, educatus Villaviſſoſæ Theodoſius à prima ſtatim pueritia non exigua exhibuit inſitæ liberalitatis documenta, largè diſtributis inter aulicos pueros ſub menſam, ut alibi obſervavimus, quæ ſupereſſe abundè ſolerent munuſculis dulciariis. Haud multò poſt Ulyſſipone primis regni ſibi redditi comitiis Princeps inauguratus, auctis cum ætate uberioris largitatis incentivis, & occaſionibus, cæpit indies ejus liberalitas liberiùs ſe prodendi nacta ſpatium, innoteſcere. Incredibilis per eos dies, quæ per aliquos deinceps continentes annos tenuit, omnium erat ordinum exultatio; at populi maximè ad regium palatium effusè confluentium, cauſa explendi animos novi Regis, ac Principis videndi avidiſſimos, ſimulque proteſtandæ iiſdem paratæ ad omnigenum tum domi, tum belli obſequium promptitudinis: vix vel ſuiſmet oculis integram fidem habentibus univerſis tantam, tandiuque ſibi expetitam reſtituti naturalis Domini felicitatem tandem aliquando affulſiſſe. Adeo quæ maximè cupimus mortales vel voti compotes, difficilè credimus. Ad remunerandum, fovendumque hoc tam ardens geſtientis nobilitatis, & populi tripudiantis commune ſtudium, maximi quidem momenti ad ſtabilienda prima denuò renaſcentis Monarchiæ jacta feliciter fundamenta, procedebat interdum Sereniſſimus Rex, vel eo publicis negotiis impedito, Princeps Theodoſius, ad aliquam ex palatinis januis longè, latèque patentem aream frequenti confertam populo deſpicientibus à quo feſtivis ſemper vocibus, & adprecationibus excipiebantur. Lib.1.§.12

96 Accidit aliquando, ut poſt hujuſmodi conſuetas ſingulis propè diebus ſalutationes, nonnulli ex infima plebecula vel propria ſtimulante inopia, vel exploraturi an omnibus naturæ dotibus prædives Princeps, tam eſſet munifica manu, quàm facie liberali? Ipſum cæpere inconditis vocibus, ſed ad miſerationem compoſitis, interpellare, ut ſibi ad comparanda vitæ neceſſaria numorum difficultate laborantibus præſenti aliquo auxilio præſtò eſſe dignaretur. Tunc hujuſmodi clamoribus perculſus, urgentibuſque ſupplicationibus impar, utpote omnino imparatus Theodoſius ad Nutricem maximam feſtinus accurrit liberaliſſimi genii Heroinam, ab eaque facilè impetratis plurimis aureis numis ſublevandæ alienæ ſupplicantium paupertati propriæque famæ ab illiberalitatis infamia vendicandæ maximè opportunis; illos tenera, ſed larga jam tum dextra effudit, in ſupplices egenos recenti largitione ſibi arctiùs obæratos, ſolitoque intentiùs lætioribus acroamatum plauſibus munificum adeo Principem proſequentes: majori quidem ipſius congiarium aureum ſpargentis, quàm illud excipientium voluptate. Qualem, quantamque ab hujuſmodi ſæpius à ſe jucundiſſimè repetito munere conciperet Theodoſius, pronum erit conjicere ex ipſius ad Sereniſſimos Parentes, ac Nutricem maximam iteratis precibus, quos frequenter magnum aliquid rogare ſolitus, quod in ſupplicantes paſſim mendicos erogaret.

97 Interim Sereniſſimus Parens habita dignitatis, & præſentis rerum ſtatus ratione, licet collecta iſtiuſmodi largitionibus Ulyſſiponenſis populi erga dilectum ſibi filium benevolentia non mediocriter afficeretur; tamen veritus, ne plus æquo populari aura, immodicoque nimiæ liberalitatis ſtudio indulgens Theodoſius in pernicioſæ prodigalitatis ſcopulos ſenſim indies abriperetur, Nutricem maximam illius fovendæ inſitæ munificentiæ aurea

nutri-

nutrimenta ſubminiſtrantem prudenter admonuit, ſivæ ut generoſitati aliquali moderatione adhibita, liberali Principis educationi minùs,quàm hactenus ea in parte indulgenter proſpiceret: quem maximè liberalem, at minimè prodigum exoptaret. Ipſius deinde Magiſtrum ſpectatæ prudentiæ virum ſimili commendatione impulit; ita Principem ſuæ fidei commiſſum inſtituendum à ſe curaret, ut à prudentia præfixos generoſæ liberalitati terminos haud prætergreſſus ab omni tum ſordidæ avaritiæ, tum publicis commodis valdè noxiæ prodigalitatis ſpecie penitus abhorreret. Hiſce adeo conſultis monitis, & ſuo in primis muneri facturus ſatis Magiſter optimus hujuſmodi conſiliis Principem ad omnigenam ſanioris conſilii inſtitutionem flecti facilem tunc, & ſæpe aliàs informabat.

Cicer. 1 offic. 98. *Liberalitate* (mi Princeps) *nihil eſt naturæ hominis accommodatius, nihil Principe dignius; nihil quo ad ipſum Deum bonorum omnium largitorem propiùs accedat.* Beatius eſt (ut vulgò dicitur) immò divinius dare, quàm accipere: divinæ liberalitatis æmulatorem Romanum Principem non dubitavit, vel ruſticus ille Virgilianus (ut probè noſti) ſuum appellare Deum, mactatis ſibi à ſe

Virgil. Eclog. 1. hoſtiis venerandum: *Nanque erit ille mihi ſemper Deus, illius aram Sæpe tener noſtris ab ovilibus imbuet agnus.* E contra nullam ingenuo cuilibet, ne dum Principi turpiorem, quàm illiberalitatis notam judico inurendam; turpe quidem eſt auri ſacra fame, vel argenti inexplebili ſiti coacervandis opibus Principem inhiare; verùm eaſdem nec proprio, nec alieno uſui profuturas inexorabilibus obſerare vectibus turpiſſimum, & vel viliſſimo quoque indignum. Non cadit in generoſum Principem degener adeo vitium: verendum potiùs ne in prodigalitatem incidat eò perniciofiorem, quò liberalitati

Strad. l. 1. prolog. 2. ſimiliorem; etenim *Sicut in floribus & oleribus interdum animalcula innaſcuntur, quæ incantos colore promiſcuo, atque indiſcreto decipiunt; ita cum virtutibus ſua plerumque vitia ſubereſcunt, quæ perſimili, affinique virtutibus ſpecie venenum occultant.* Nonnullis prodigalitas ſub liberalitatis ſpecie ſæpe impoſuit: perdere multi ſciunt, donare neſciunt, Alius liberalitate liberaliter periit, exhauſto non-

Tacit. 1. Annal. nunquam nimiis largitionibus ærario, quod urgente poſtea publica neceſſitate iniquis tributis neceſſariò ſupplendum fuit. Hoſce ut cautè devites imminentes veræ liberalitati ſcopulos, ea qua ſoles docilitate, Sereniſſime Princeps, hæc præcepta excipe, non magiſtri tantùm, ſed communi ſapientûm omnium conſenſu approbata; cætera tibi paſſim exercenda ſuggeret longè optimus Pœdagogus rerum uſus.

Valer. l. 4. c. 8. 99 Liberalitatis duo ſunt maximè probabiles fontes, verum judicium, & honeſta benevolentia; nam cùm ex his oritur, tum demum ei ratio conſtat: dono autem ipſi gratiam magnitudo quidem ſua, ſed efficaciorem aliquando

Plin lib. 7 epiſt. opportunitas conciliat. Largiendum in primis liberali Principi cum judicio: enim verò incogitatæ, ac ſubitæ largitionis comes pœnitentia. Mox in tempore: ut enim tempeſtivæ pluviæ fœcundant agros; intempeſtivæ reddunt infœcundos, ſic data tempore proſunt, & data non apto tempore dona nocent. Item cum delectu; ſicut enim non omnis fert omnia tellus, ſed quædam hîc, alibi alia feliciùs proveniunt ſemina; ita ſunt quibus aurum, ſunt quibus argentum, aut æs largiùs, aut parciùs elargiri oporteat, pro cujuſque meritis, captu, & indigentia. Deinde haud immodicè fluat perennis munificentiæ fluvius, at intra rationis margines ſemper coercitus; quos ſi aliquando nimis exundans ſupereffluit, aquarum mole aut obruit, aut ſternit agros,

ſter-

ſternit fata læta, boumque labores; ſic etiam recto naturæ ipſius ordine obſervato, quæ ſi unquam plus nimio indulgentior ſolito, aut juſto plura nonnulli duplicavit membra, non hominem, ſed monſtrum genuiſſe accuſatur. Denique, ne immodica præceptorum multitudine mihi meum Principem maximè moderatum optanti obſtare videar, unica tantùm, eaque laconica ſententia cæteris æquipollenti comprehendo. Nihil unquam inconſulta prudentia Princeps elargiatur: habita nimirum perſonarum, meritorum, temporis, loci, rerum, opportunitatis, reliquorumque prudenti ratione: ſic verè, generoſèque liberalibus; aliter aut avaris, aut prodigis indecorè adnumerandus.

100 Hiſce adeo prudentibus inſtructus præceptis, & obſecundans deinceps Theodoſius largam manum non nihil cohibuit, at non animum largiendi cupidiſſimum, à quo vehementer incitatus nullam omittebat egenis largè ſuccurrendi occaſionem. Occurrit Illi ſemel Sereniſſimum Parentem Alcantaram proſequenti gregarius miles attritis veſtibus, & macilenti oris habitu militarem pauperiem rite profeſſus; is rei nactus opportunitatem bene gerendæ, Principiſque à comitatu regio diſſociati liberalitatis ſtrenuè infimis precibus expugnandæ, non dubitavit ab eo ſuæ ſublevandæ inopiæ præſentem opem ſuppliciter implorare. Hìc Princeps, qui liberaliſſimi Titi ad inſtar neminem unquam è conſpectu ſuo triſtem, & indonatum abire paſſus eſt, vellet quidem feſtinatò beneficii prompta exhibitione ſupplicantem militem prævenire, certus vel minima dilatione minui maximum quodvis munus; at veritus perpetuò, & tunc maximè intentos in ſe aulicorum oculos Ipſius actiones curioſè obſervantium, ſubſtitit parumper familiaribus de militia ſermonibus militem interpellans, dum regius comitatus longiùs progrediens liberiorem ſibi occultæ faciendæ eleemoſynæ copiam faceret. Tunc extractam aureis numis ſatis gravem crumenam militi ex integro donat, imperato inſuper ſilentio, adjectaque virtutis tum chriſtianæ, tum bellicæ, ut Luſitanum deceret militem, commendatione. Mox incitato ad curſum equo regiam turmam facilè conſequitur; cunctis eximii equitis dexteritatem, & generoſi equi pernicitatem collaudantibus: ex iis quidam id, quod erat, ſuſpicati cæpere nemini non exploratam Principis liberalitatem ludricis encomiis vellicare. Eutropi l. 7.

101 Quàm timeo (ludebat unus) ne noſtrum Principem in proximo duello pedes equitem expugnaret ſtrenuus ille miles Illius marſupio expilato! Ubi celeri adeo procurſu ad nos pene volantem Principem noſtrum animadverti, in ejus crumenam aduncis manibus involaſſe militem ex Harpiarum turma unum cogitavi; à quo exoneratus currendo expeditior factus eſt. E contra ego (excipit alius) congreſſum cum audaci milite Principem, argenteiſque dexterrimè pugnantem telis invictum, immò facilè victorem exceſſiſſe credidi; neque verò in gloriam ei ceſſiſſe victoriam putandum: quæcunque ſolo auro conſtitit, utpote omninò incruenta triumphalis gloria lauri digna eſt. Similibus alii viciſſim urbanitatibus aſpergere Principem ingenuo pudore ſuffuſum, qui ſe videret deprehenſum, eòque cæptum de ſe plauſibilem ſermonem aliò avertere niteretur. At prohibuit Sereniſſimus Rex feſtivis hujuſmodi jocis acerbas vulgò cogitationes demulcentibus mirificè delectari ſolitus. Ab eo ſtudioſè inquirit; quidnam illud ſibi ſecreti cum obvio milite colloquii? Quo ve demum pretio ſe ab illius importunitate vindicaret?

dicaret? *Parvo quidem* (reddit Princeps) *pro meis*, *illiusque maximis utriſque votis*. Urgenti verò acriùs, ut explorata denuo crumena, & numeratis, qui ſibi fortè ſupereſſent, numis, quàm multis eum donarit, certò ediceret, obtemperans ita reſpondiſſe fertur: *Pudet certè de minimis, quæ nec Prætor, nec Princeps curare debeat, meminiſſe, ne dum coram adeo generoſis viris pudendam facere mentionem; at parendum mihi eſt Veſtræ Majeſtatis imperio. Solos quadraginta (ni fallor) aureos continentem crumenam roganti militi omnino erogavi; ab ipſaque jam dudum admonitus natura quodlibet vacuum maximè abhorrente, infra dignitatem Principis duxi vacuos loculos, ideoque benefaciendo inutiles aſſervare.* Tunc Rex: *Si pergat ſic elargiri Princeps, largioris imperii fines, paresque hujuſmodi largitionibus redditus ſunt à nobis providendi.* Ad quæ tandem reverenter Princeps: *Cùm me quis in tempore quidquam rogabit, vel nihil omninò, quod valde indecorum erit, vel ut decet Veſtræ Majeſtatis Filium tot regnorum, ac divitiarum heredem, à me largiendum exiſtimabam.*

102 Et quidem licèt hujuſmodi exprobrationibus effuſæ Principis munificentiæ coërcendæ Sereniſſimus Rex frequenter inſtaret, ipſius tamen intra prudentiæ limites exercendæ opportuna eidem ſubſidia libenter ſuppeditabat. Prætextato adhuc Theodoſio, certam auri ſummam juſſerat quotannis impendi tum coëmendis libris, & mathematicis inſtrumentis, tum moderatis eleemoſynis faciendis; ne Princeps, cui univerſi debeant eſſe obærati, ipſe nemini, ad haſce neceſſarias expenſas alterius fortè ope indigeret, cogereturque à nonnullis modica, & licita petere, quibus aliquando immodica, & illicita negare oporteret. Eam verò totam, quandiu in gynæceo egit, ſuæ minori nutrici, quaſi quotidianis ſibi uſibus aſſervandam committi præcipiebat Princeps, ſecreta eidem impoſita ſolicitudine univerſæ in pauperiores, honeſtioresque regii palatii fœminas, pro cujuſque inopia diſtribuendæ; ſepoſita tantùm ad emendos libros, & conficienda Mathematica inſtrumenta, quæ omnino ſibi videretur neceſſaria: quod illa munus obibat egregiè, non mediocri Principis ipſius inſolitò exultantis voluptate, cùm illa ſibi ſublevatam alicujus maximam indigentiam ex prompta pecunia commemoraret: nec minori Sereniſſimorum Parentum gaudio, cùm ab eadem, inſcio Principe, inviolabile illi ſecretum indicente, conceſſam Illi pecuniam adeo laudabiliter collocari, cœleſtique pauperum dari fœnori quæſtuoſiſſimo acciperent. Jam adultiori, & ſui juris Principi Sereniſſimus Rex ampliores deſignavit annuos redditus extraordinariis Ipſius ſumptibus inſumendos; quos Ille ſolito de more utriusque ſexus honeſtis, occultisque pauperibus impendi jubebat, uſus ad hoc ſui Confeſſarii, & P. Joannis Piſſarro Regii Capellani opera, quorum exploratæ à ſe fidei, perſpectæque univerſis charitati multùm tribuebat: ſic deſtinatæ ſibi ampliſſimæ pecuniæ non tam verus Dominus, quàm fideliſſimus Promicondus. Neque cum Tito conqueri unquam potuit, ullam Se diem à beneficiis immunem perdidiſſe; cùm quotidianis eleemoſynis largiùs indies duplici producta dextra in pauperes diſpertitis, duo maximè utrique commendaret; primum, ut nulla dies abiret ſine benefica linea, quæ magiſtra manu ſæpius ducta liberalitatis Deo gratiſſimæ abſolutam imaginem brevi proficeret; ſecundum, ut ſuo id ſe ipſi juſſu facere nemini dicerent, involventes nocturni ſilentii tenebris, quæ in ſuprema judicii die eleemoſynas tunc unicè commendante Chriſto Domino evulgarentur; memores Divini præcepti, & promiſſi: *Te autem faciente eleemoſynam, neſciat ſiniſtra tua*

Eutrop. l. 7.

Mat. 6. n. 3, & 4.

tua quid faciat dextera tua, ut ſit eleemoſyna in abſcondito; & Pater tuus qui videt, in abſcondito, reddet tibi.

103 Quæ tamen Theodoſii commendatio ſecreti adeo ſtudioſa minus eum aliquandiu reddidit commendabilem apud vulgus, eorum, quæ ſecretò gerebantur, ignarum, ipſiusque liberali exiſtimationi non nihil offecit. Cùm enim pene omnes laterent Principis latentes largitiones, à publicisque abſtinentem animadverterent, prona univerſarum prope gentium, at Luſitanæ in primis nationis indole, dubia facta Principum in deterius vulgò interpretantium, cæperunt illiberalem habere Principem inter liberaliſſimos haud dubiè habendum: inſcii præterea non poſſe liberalibus omnigenis diſciplinis adeò excultum Principem à colenda liberalitate unquam ceſſare. Cùm præſertim nemo neſciret, quàm ille ab omni divitiarum cupiditate foret alienus, eòque illis avidè, avarèque coacervandis minimè indulſerit; ſapientiæ, virtutique unicè addictus, divitias nihil eſſe ducebat in utriuſque comparatione. Avidè concupita, ubi demum poſſideas, difficilè à te alienabis; neglecta, incurioſèque cuſtodita facillimè, libenterque aliis ſuppeditabis. Illud mirum, & præcipua obſervatione dignum prudenti cuilibet ejus actionum obſervatori jure videbitur; Sapientiſſimum alioqui & curioſiſſimum Principem, unius rei numariæ fuiſſe diu pene ignarum, omninoque incurioſum: ſæpe in ipſa non modò pueritia, ſed primæva adoleſcentia opportunitate aliqua exigente auditus eſt ab aulicis diligenter inquirere de ignoto ſibi hactenus iſtius, vel illius Luſitani numiſmatis aurei, argenteive valore, quod apud ſe in nullo eſſet pretio, ad nihilumque valeret ultra niſi ut mitteretur foras, & conculcaretur ab hominibus utique liberalibus: in ea tamen numaria quoque ſcientia, qui in aliis erat ſummus, mediocriter poſtea, doctus quotidiano donandi uſu evaſit.

104 Conſtat certè inter omnes Theodoſii munificentiæ conſcios nihil unquam ab eo petitum, quin illico fuerit impetratum; nec ſummis opus erat precibus apud eum, qui vel infimis ad maxima quæque largiendum movebatur; leviſſima ſæpe alienæ ſupplicationis ſuſpicio illi vehemens erat propriæ largitatis incitamentum; promptus elargiri, ac propere appetentes preces oblatis ultro muneribus prævenire, non minus ſui genii, quàm Auſonii moniti memor: *Gratia, quæ tarda eſt ingrata eſt gratia; namque Cùm fieri properat gratia, grata magis.* Item aurea Senecæ verba operibus implere ſolicitus: *Gratiſſima* (inquit ille) *ſunt beneficia parata, facilèque occurrentia, ubi nulla mora fuit, niſi in accipientis verecundia. Optimum eſt antecedere deſiderium cujusque; proximum ſequi; illud meliùs occupare antequam rogemur; quia cùm homini probo ad rogandum os corruat, & ſuffundatur rubore; qui hoc tormentum remittit, multiplicat munus ſuum. Non tulit gratis, qui cum rogaſſet, accepit; quandoquidem ut majoribus noſtris graviſſimis viſum eſt. Nulla res cariùs conſtat, quàm quæ precibus empta eſt.* Senec. l. 2. de benef. cap. 1. Et paulò inferiùs, at veræ liberalitatis conditione altiùs elevata: *Ideo* (proſequitur) *divinanda cujuſque voluntas, & cùm intellecta eſt, neceſſitate graviſſima liberanda eſt. Illud beneficium jucundum, victurumque in animo ſcias, quod obviam venit. Si non contingat prævenire, plura rogantis verba intercidemus, ne rogari videamur; ſed certiores facti ſtatim promittamus, facturosque nos etiam antequam interpellaremur ipſa feſtinatione approbemus.* Si quis de pretioſa Theodoſii ſupellectili non nihil vel arte peregrinum, vel materia excellens, magnique faciendum coram eo prædicaret, ſtatim, ut id ipſum ſibi vellet aſſumere non invitabat modò, ſed

 com-

compellebat, ſeriò affirmans ex omnibus, quæ poſſideret id tantùm ſibi eſſe acceptum quod à ſuis tam libenter acceptaretur, quàm ab illo foret impertitum: cætera quæ nullus habenda ſibi optaret, licèt pretioſa, ſibi prorſus diſplicere. Unde Principis liberali genio explorato; jam demceps univerſi à commendandis domeſticis ejus ornamentis conſultò abſtinebant, ut modum ille aliquem in immodicis largitionibus obtineret.

105 Sic ſub patria poteſtate liberalis extitit Theodoſius; quid ſi Sereniſſimo Parenti ſuperſtes, regni, rerumque potiri ſibi fortè liceret? Dicant qui à me hîc & paſſim alibi delibata ſedulò perlegentes, probè norint ex primitivis, certiſque indiciis magni alicujus agri maximam prædicere ubertatem: vel id melius diſcant ex ſimili Theodóſii adhuc pueri interrogatione, qua olim ſuos ephebos in certam ſpem maxima, & inſolita obtinendi à ſe beneficia erexit. Fortè in eadem aula cum ipſis colludens audivit Sereniſſimas Sorores natu minores ſuis parvulis virginibus Attalicas opes, & montes aureos pollicentes, ſi unquam ſibi contingeret ſui eſſe juris, regiamque hæreditatem adire: hîc ad ſuos converſus ephebos Princeps; *Si tam multa meæ ſorores ſuis promittunt puellulis, reputate, quæſo, quanto à me Regè olim inaugurato ampliora ſperare debeatis?* Pueriliter hæc jactata fateor; at nemo diffitebitur ex primis magnificè jactis fundamentis facilè à prudentibus rerum conjici, qualis, quantaque illis incumbens erigenda brevî ſit moles; & inſpecta magni alicujus fontis origine, jam in primo ſui ortu ſtagnantis certò deprehendi, quántus exinde fluvius exundanti latè aquarum mole finitimos ſit agros fœcundaturus. Certè magna, quæ magnis impendiis perficienda ſuſcepit Theodóſius, majora, quibus amplificandam Luſitanam Monarchiam cogitabat; maxima, quæ ad univerſi orbis ſummam utilitatem magnifico æquè, ac munifico volvebat

Supra c.8. animo, de quibus proximè dictum, indubiam fidem faciunt non irrita futura ipſius puerilia promiſſa virili majorem jam tum liberalitatem augurantia. Ubi obiter obſervandum, nunquam cogitaſſe Principem de privatis, publicis ve, quas inſanas meritò apellabat, ſubſtructionibus, in quibus ſanæ liberalitatis nihil, effuſæ prodigalitatis plurimum emineret. Hinc Ægyptias pyramides, Babylonicos muros, penſiles hortos, aëreos colloſſos, ac obeliſcos, cæteraque hujuſmodi evanidæ magnificentiæ portenta potiùs, quàm induſtriæ artis miracula, mirabatur quidem prudentibus viris fuiſſe olim admirationi. Quin etiam hiſce longè inferiora ædificia publicæ utilitati, vel leviter officientia dedignabatur. Alcantarenſis Regiæ villæ palatium nova recentium operum ſubſtructione regalius, & ſpecioſius reddere Sereniſſimus ejus Parens deſtinarat; jamque auſpicandis operibus dicta dies erat; cujus certior factus Theodoſius per miniſtrum Regi acceptiſſimum, maximæque apud ipſum auctoritatis illi author fuit; ut à concepto, propèque incepto ædificio penitus abſiſteret, pecuniamque inibi abſumendam non ſine rationabili frementis populi murmure, in extruendis arcibus, & propugnaculis pro publica defenſione utiliùs, ac laudabiliùs collocaret.

CAPUT

CAPUT X.

Principis Theodoſii Veritas.

106 QUanti ſit ab humanis Principibus facienda veritas, rectè docuit Alphonſus Aragoniæ Rex. Qui ſemper in ore hoc habuiſſe dicitur, *Tantùm valere ad fidem debere unicum Principis viri verbum, quantùm privatorum jusjurandum.* Veritas enim licèt omnibus conveniat, Principum tamen præcipuum debet eſſe ornamentum. At quantò id ipſum luculentiùs palam fecit divinus Princeps! Qui ſe non verum modò, ſed veritatem ipſam dignatus eſt appellare: *Ego ſum via, veritas, & vita*: Is cùm abſolutum virtutum omnium eſſet exemplar, nullius in abſtracto virtutis (ut cum Philoſophis loquar de Philoſopho Principe verba faciens) niſi veritatis, cæteris utique præponendæ longè glorioſius ſibi nomen impoſuit. Quam præterea, viam, & vitam inter cœleſtem utranque in medio collocata, eam certè antonomaſticè virtutem, quæ in medio conſiſtit, haud dubiè prædicavit. Immò ejuſdem collocationis habita ratione, veritatem veram eſſe viam ad æternam vitam prædixit. Ac tandem, dum prius veritatis, quàm vitæ honorificam fecit mentionem; veris Principibus veritatem vita ipſa debere multò priorem, & chariorem eſſe apertè ſignificavit. Non verum modò, veritatiſque amantiſſimum Theodoſium, ſed veritatem propè ipſam liceat nominare; cujus ductu ad beatam vitam ſibi expeditam viam munivit, cujusque vel innoxiam jacturam vita ipſa longè duxit deteriorem: quæ jam illius dictis, factiſque ſunt à nobis ſigillatim confirmanda.

Panerm. l. de reb. geſt. Alph.

Joan. 14. 6

107 Poſt Deum veritatem colendam, quæ ſola homines Deo proximos faciat, monebat olim ſuos diſcipulos Pythagoras: immò recolendam cum Deo ſimul, qui eſt ipſamet veritas, ſuos aulicos Theodoſius admonebat; quam quidem virtutem cæterarum omnium virtutum, & vel ipſius divinitatis ſingulare decus, & ornamentum prædicabat; enim verò, quæcunque virtus quantumvis natura ſuâ excellens, niſi veritatis commendatione vera ſit virtus, in vitium, & hypocriſin degenerabit: ſimiliter Deus ipſe, niſi verus eſſet Deus, eòque veritatis appellatione commendabilis, certè non Deus ſed idolum foret appellandus. Reliquas virtutes pretioſis ornatas veſtibus, unam veritatem utpote cunctis ſpecioſiorem, nulliusque peregrini cultus aliunde mendicato lenocinio indigentem, in templis publicè adorandam virtutum candidatis veteres olim exhibebant; vel, ut magnus credit Baſilius, quia nuda eſt veritas abſque patrocinio ipſa ſe ipſam declarans. Quæ nempe aliis patrocinatur virtutibus veritas, ut veras eas eſſe virtutes planè conſtet, ipſa nullius alterius eget patrocinio, ſatis ſuperque nativa elegantiſſimi ſui oris pulchritudine maximi cujusque amoris conciliatrix, Auguſtino fidem indubiam chriſtianæ veritati adſtruente: *Incomparabiliter* (ait) *pulchrior eſt veritas chriſtianorum, quàm Helena Græcorum. Pro iſta enim fortiùs Martyres noſtri adverſus hanc Sodomam, quàm pro illa mille Heroes adverſus Trojam dimicaverunt.*

Apud D. Hieron. Apol. 3. adv. Ruſin.

S. Baſil. hom. de Mart. Mamante.

S. Aug. ep. 9.

 108 Cùm

108 Cùm tam ſit pulchra, & amabilis veritas, dictu fœdum reputabat Theodoſius etiam ſapientibus viris probari, ab univerſiſque tanquam veram ingenti plauſu excipi Plautinam illam ſententiam, *Veritas odium parit.* Quis (dicebat Theodoſius) æquo animo ferat odium monſtrum horrendum, informe, ac truculentum pulcherrimæ veritatis filium appellari? Non veritatis quidem partus eſt odium; ſed cordis improbi, cui veritas amara eſt: ex ea non per ſe, ſed per accidens, ut Philoſophi loquuntur, odium oritur, abortum faciente malè conſtituta natura, quæ fætum ſibi ſimilem paritura nonnunquam, noxiis prævalentibus qualitatibus, odii turpe monſtrum progignit. E contra optimo cuique veritas eſt in amoribus, ac deliciis: *Omnis homo* (inquit D. Thomas) *à natura non degenerans veritatem amat, & eam ſcire ſuper omnia deſiderat.* Unde veriùs mihi ſentire videntur, qui honeſtum Amorem honeſtioris veritatis genuinam prolem aſſeverant, illi per omnia ſimillimum, & à natura debitum. Ejuſdem ego veritatis primogenitam fidem credo, pulchræ quidem matris filiam pulchriorem. Nam hominum fidem (ut quidam ait) veritas parit, honor ſuſtinet, amor nutrit. Quò reſpexiſſe antiquos ſapientes autumo, dum Filium honoris, & fidei Deum veritati manum porrigentem intermedio Amore depingerent; ut nimirum innuerent veritati fidei, amoriſque parenti, ſummum honorem, integram fidem, eximiumque deberi amorem. Eandem denique veritatem temporis filiam à nonnullis rectè nuncupari probandum maximè duco; vel quia cæcis errorum, & mendaciorum tenebris involutam aliquandiu veritatem, deterſa demum, qua premebatur caligine, tempus tandem ipſum in lucem edit, quaſi ſolem poſt nubila clariorem; vel quia veritati nemo præſcribere poteſt, non ſpatium temporum, non patrocinia perſonarum, non privilegium regionum. Cætera nompe quæ non ſunt æterna tempus edax rerum, tuque invidioſa vetuſtas abſumitis; ſolam veritatem veſtræ inviolabilem tyrannidi veſtris fovendam ſumptibus, propalandamque aſſumitis: omnia ex ſe caduca præter veritatem omnibus excellentiorem veſtræ ſubjacent legitimæ præſcriptioni.

Plaut. in Aud.

D. Thom. opuſc. 73.

Gell. l. 12. c. 11.

Tertul. l. de Veland. Virg.

109 Sic de veritatis vera genealogia diſſerebat olim apud ſuos aulicos Theodoſius, quam de nobiliſſima virtute conceperat opinionem, & amorem, omnium, ſed illuſtrium maximè animis inſtillare conatus: ideo primævam ejus originem è cœlo altè deductam, ubi natalitia ipſius incunabula repeteret; mox illius in terras peregrinationem innumeris obnoxiam periculis, & iniquorum perſecutionibus commemorando proſequi; tandem cœleſtem peregrinam peregrinis adeo dotibus illuſtrem, non ruſticis tantùm mapalibus, aut vilibus ignobilium urbanorum domibus, ſed regiis, illuſtribuſque palatiis multò indulgentiùs excipiendam admonere: *Scit veritas ſe peregrinam in terris agere, inter extraneos facilè inimicos invenire: cæterum genus, ſedem, ſpem, gratiam, dignitatem in cœlis habere; unum geſtit interdum, ne ignorata damnetur.* Veritatem regiam eſſe virtutem noverat, idcirco Regibus, & Principibus, eorumque aulicis præcipuo amore, ac honore proſequendam; propterea à ſapientibus dici oleo ſimilem, quo ſoli Prophetæ olim, Sacerdotes, & Reges inungi ſoliti, omnes nobilitatis inſignibus ſuprema eminentes dignitate, veritatique vel prædicandæ, vel exercendæ, vel tuendæ Divinitùs deſtinati: *Oleum aquæ & cæteris humoribus, atque liquentibus rebus non poteſt copulari; ſemper veritas ſurſum eſt, deorſumque mendacium;* Verba ſunt Doctoris maximi. Quare

Idem in Apolog. c. 1. de verit. Evang.

S. Hieron. in Oſeam c. 12. init.

inſtar

inſtar olei reliquis liquoribus ſupernatantis, verè illuſtres viri, Principes, ac
reges ſupra cæteros extent non dignitatis modò, & auctoritatis, ſed ſuper-
eminentis veritatis commendatione.

110 Unde cùm ſemper veritatis oleum alendo igni maximè neceſſarium
extare, ac ſuperinfundi oporteat, ne illo fortè deficienti cuſtos imperii vigi- Flor. lib. 1
lans flamma extinguatur; execrandum ducebat Theodoſius falſum illud im- c. 12.
pii Machavelli conſilium, Reges, ac Principes præpoſterè monentis, Inteme-
ratam ut fidem verbis, factiſque aſſiduè profiteantur, quò nimirum collecta
ſic indubiæ veritatis fama, integra ſibi fides habeatur, ſi aliquando fidem fal-
lere, vel domeſticis, aut exteris unquam imponere ſua maximè interſit. Hu-
juſmodi peſtilens quidem dogma ex ipſo mendacii Parente, ac Magiſtro Ca-
codæmone Sycophantam eximium didiciſſe, illiusque inſtinctu docuiſſe per-
hibebat: ſolet nanque inſignis præſtigiator decipiendis mortalibus unicè in-
tentus, obſcuris vera involuere, falſamque demum concluſionem ex veris
præmiſſis ſæpe inferre: *Diabolus nihil ſibi fidens* (inquit Athanaſius) *utpote qui* Athan. o-
ſciat humani generis ad veritatem amores, veritatis vultum prætendit. Inde verò in- rat. 1. con-
ferebat Theodoſius quàm nobilis eſſet veritas, quæ Deum Patrem, quàm ig- tr. Arcan.
nobile mendacium, quod progenitorem haberet Diabolum, Auguſtino at- init.
teſtante: *Quomodo Pater genuit Filium veritatem, ſic Diabolus lapſus genuit quaſi* S. Auguſt.
filium mendacium. Quare Diabolicum hoc, & ſervile vitium omnibus, at no- tract. 42.
bilibus maximè abominandum, ſic monente Plutarcho: *Mentiri ſervile eſt vi-*
tium, & à cunctis mortalibus odio inſectandum, quod nec apud mediocres ſervos veniam Plutarch. de educ.
promereatur. Haud convenit cum nobilitate mendacium: nobilem ſe diffite- liber.
retur, qui mendaciis genus polluit, & bene nata dedecorat; certè jus omne
veræ nobilitatis amittit, quiſquis contraria veritati admittit: *Non decet Prin-* Prov. 17. 7.
cipem labium mentiens: monet ſapiens.

111 Vulgaris fuit in Theodoſio laus, quæ de Epaminonda Thebano pro Alex. ab
maxima prædicatur. Qui tam ſeverus veritatis cultor fuit, ut ne joco qui- Alex. l. 4.
dem mentitus ſit. In eo ſimilior T. Pomponio equiti Romano, qui nec men- c. 10.
dacium unquam dixit, nec pati poterat. Unde cum ſit mendacii genus mul-
tum dedecens promiſſis non ſtare, quæ veritas omnino præſtare jubet, nihil
unquam tanto impendio ſuſcepit, quam ſuadere Sereniſſimo Parenti, ut da-
tam à ſe Principibus Palatinis fidem, ex integro ſolveret, licèt propterea
ſummum Parlamentarii belli periculum ſubire cogeretur. Qui attentè leget Lib. 1. c. 24.
quæ ſupra ea de re longè, latèque proſequuti ſummus, & Principis ſuffragi- & 23.
um, citataſque ibi geminas ipſius allegationes expendet, planè intelliget ni-
hil veritate antiquius illi fuiſſe: pro qua tuenda, refellendiſque contrariis ſen-
tentiis, tam multus fuit, tot excogitatis, productiſque validiſſimis quidem
rationum momentis, quibus tandem rem confecit, regiæque veritatis ſtabi-
limentum confirmavit. Si pro regia longè potiori jure pro Divina, Catholi-
caque veritate aſſerenda illum adlaboraſſe, planiùs innoteſcet aureum Ma-
cariopolis libellum lectitanti; ſub cujus finem totus eſt Sapientiſſimus Prin-
ceps, primùm in probanda noſtræ Orthodoxæ fidei veritate; mox in confu-
tandis hujuſmodi veritati oppoſitis tum Judæorum anilibus fabulis in eorum
Talmudico libro contentis, tum in Mahometicis deliramentis. Neque hiſce
contentus, omnium maximo controverſiarum operi (de quo ſequenti libro Lib. 3. §.
dicendum) jam imminebat, in quo univerſos Hæreticorum errores catholi- 79. & 83.
cam veritatem oppugnantes expugnare, profligareque decreverat. Ex qui-

bus liquidò conſtat, quantopere ad veritatem afficeretur, cujus cauſam, non ſine indefeſſo tot ſcriptorum labore, tuendam ſuſceperat. Certè quàm eſſet Princeps veri amans. ita omnibus erat exploratum, ut quidquid ille affirmarit, vel promiſerit adeo firmum, ratumque haberetur, ut immobilis naturæ prius conſtans mutari ordo, quàm Theodoſius poſſe promiſſis deficere crederetur. Fidem faciat, præter alia quam plurima, exemplum Andreæ Albuquercii (de quo infra mentio à nobis ingerenda, qui deſerendæ militiæ certus unico Principis propriam operam pollicentis verbo, ad arma denuo capeſſenda, maximo cum rei Luſitanæ proventu, reſilivit.

Lib. 2. §. 130. & 131.

112 Dum vitam egit Theodoſius nihil tam ſedulò egit, quàm in ſcrutanda ubique veritate omnes ſtudioſi animi curas, & ſolicitudines impendere, mox in diſcernendo pretioſum veritatis à vili mendacii non mediocri à ſe induſtria collocata; quod quidem munus quò difficilius, & glorioſius, eò peregit libentiùs, & laborioſiùs, magni Baſilii ſententiæ memor: *Quoniam difficilis eſt inventu veritas, undique nobis eſt inveſtiganda.* Jam verò quia difficultatem inveniendæ veritatis in eo ſitam eſſe apprimè norat, quòd vel maxima quælibet conſiſtat in minimo indiviſibili, intentam oculorum aciem, ne dum remiſſam fugienti; ad hæc innumeris errorum, & opinionum involucris eam vel obruere, vel occultare adnitentibus, eò ingenii perſpicaciſſimi vires, induſtriæque nervos omnes intendit, per occultas omnigenæ ſapientiæ ſemitas indefeſſo gradiens diſcurſu, ibi tantùm placidè immorandi, voluptuosèque conquieſcendi nactus opportunitatem, ubi certam veritatis alicujus cognitionem aſſequeretur. Præ cæteris, quas ſtudiosè coluit, ſcientias duas ſibi longè amabiliores dicebat, indulgentiùsque toto vitæ decurſu proſequendas deliberarat; Divinam alteram, & ſupernaturalem, alteram humanam, & naturalem; utranque ſibi ex verioris certitudinis commendatione acceptiſſimam. Theologia in primis ſcientiarum omnium facilè Princeps, quid mirum ſi veritatis æſtimatori Principi tam arrideret! Quæ indubiæ, utpote Divinæ fidei, & Sacræ Paginæ irrefragabili ſubnixa teſtimonio ex certis adeo præmiſſis veras paſſim eliciat concluſiones. Poſt Theologiam primum apud eum locum, & præcipuam habuit æſtimationem Mathematica, cui uni ſeduliorem navavit operam, in eaque tam excelluit, ut in ea excellentiores viros æquarit, eoſdem ſi diutiùs ſupereſſet, haud dubiè ſuperaturus. Hanc naturalium omnium longè certiſſimam ſcientiam ideo amavit impenſiùs, quia primis, veriſque omnino innixa principiis, ex iis evidentes induceret concluſiones, eòque longiùs quam cæteræ naturales ſcientiæ ab erroneis, falſiſque opinionibus abeſſet.

S. Baſil. l. de ſp. ſ. c. 1

113 Ex omnigenis libris, in quibus evolvendis erat aſſiduus, Sacra in primis Biblia, tam vetus, quàm novum Teſtamentum continentia crebriùs, & jucundiùs lectitabat; in eorum frequenti lectione non delectari modò ſolitus, ſed planè deliciari; in eo nempe viventium aquarum fonte puriſſimo totius veritatis plenitudinem hauriebat, omnique procul falſæ, aut fallacis doctrinæ ſuſpicione, veri ſitibundum animum recreabat. Interim Hæreticis, ac ſimilibus haud leviter infenſus, qui per ſummam impudentiam pariter, & inſipientiam auſi ſunt ſacrum hunc fontem polluere, venenoque inficere, falſis interpretationibus ſalutares aquas ad turbidum, lutulentumque ſuæ iniquitatis torrentem derivantes; quos prurientes auribus, à veritate auditum avertentes, nubes ſine aqua, arbores autumnales, infructuoſas, bis mor-

mortuas, eradicatas, fluctus feri maris, deſpumantes ſuas confuſiones, ſydera errantia, quibus procella tenebrarum ſervata eſt in æternum ex D. Paulo, & Juda Thadæo omnium propterea execratione dignos appellabat. Ad pleniorem verò Sacræ Paginæ intelligentiam iis libentiùs utebatur Authoribus, qui ejus enucleando literali ſenſui ſtudioſiùs, ac ſolidiùs inhærerent. Similiter in ſacra ediſcenda Theologia poſtquam ſibi viſus eſt, prævia Magiſtri ſui explicatione minimè indigere, eos ſibi adſcivit Magiſtros, quos veritati luculentiùs explicandæ reperit addictiores; at primum omnium S. Thomam, cujus aureo præterea ſolido ſtylo, multa paucis, eaque veritati maximè conſona complectenti mirificè capiebatur. Poſt Angelicum verò Doctorem tum ad Theologiam, tum ad cæteras ſcientias aſſequendas in frequentiori uſu habebat ſocietatis noſtræ Authores ſive peculiari erga Sanctiſſimum Parentem Ignatium, ejusque filios impulſus propenſione, ſive quia univerſim deprehenderat in nullius eos verba Magiſtri jurare, ſed unius veritatis habita ratione, in ea tantùm diligenter ubique perſcrutanda, elucidandaque in paucis excelluiſſe. Idcirco regio Bibliothecario P. Joanni Alverez Frovo in mandatis dederat, ut quicunque Societatis Author cujuslibet argumenti ubicunque terrarum denuo in lucem prodiret, eum ſibi legendum omnino emere ſedulò ſatageret, addito maximè à nobis faciendo elogio: *Societatis nempe Authores, ut plurimùm viros eſſe in ea, quàm profiterentur ſcientia, inſignes patria, vel Latina lingua nitidè diſtinctè, eruditè, dilucidèque notas jam vel incognitas hactenus veritates, quod caput eſt, non modò emedullantes, ſed penitus eviſcerantes.* Hæc autem ab ipſo accepi Bibliothecario adhuc ſuperſtite rerum, & dictorum Theodoſii apprimè conſcio, ſpectatæ fidei viro; qui præterea in eandem rem nonnulla ſuperaddidit, quæ modeſtiæ cauſa hîc à me premenda potiùs, quàm exprimenda ſatius duco.

Ad Timoth. 1. n. 3. Jud. 12, & 13.

114 Jam verò ex Hiſtoricis, quorum prima, & præcipua laus eſt, nudam veritatem ab omni amoris, odii, adulationis fæce, fucoque alienam exhibere, illos avidius lectitare ſolitus, quos hac in parte vel communi omnium opinione, vel ſua ipſe experientia celebriores eſſe compererat. Si quos à recta veritatis ſemita ſolitos deviare animadverteret, eos nec à limine ſalutandos, vel tranſcurſim delibandos exiſtimabat. Hinc eſt quod à legendis libris vulgaribus, comœdias, fabulas, aut ſimile confictum argumentum, quantumvis plauſibile, profitentibus penitus abſtineret. Siquis verò hujuſmodi aliquem vel ipſi offerret legendum, vel à ſententiarum acumine, aut præcellentis ſtyli nitore commendaret, eum ſic refutabat, prudenterque inſtituebat Theodoſius: *Præſtat ſtylo ferreo characteres vera exprimentes, quàm aureo conficta effutientes inſpicere. Nonne puerilis erit imperitiæ pellucidas, at falſas gemmas, cùm poſſis veras, licèt impolitas, memoriæ Theſauro inferre? Non eſt ſani capitis, eùm fame tabeſcis depictis potiùs eleganter epulis delectari, quàm veris, etſi perperam conditis famelicum ventrem explere.* Legenti naturalem hiſtoriam, vel eam quæ de naturæ, Artisque mirabilibus tractat, nonnulla ſupra fidem occurrebant; quæ an eſſent vera frequentibus exprimentis excutere ſolitus, ne falſa ſibi alicubi pro veris obreperent.

115 Dum Juſti Lypſii Politicorum librum Principibus politicæ ſtudioſis maximi faciendum evolveret Theodoſius, fortè incidit in ipſius notas, ſive additamenta, ubi Cornelius Tacitus à viro erudito, illique nimis addicto ſummis ad cœlum encomiis effertur, politicæque prudentiæ quaſi Coriphæus,

Lypſ. not. ad lib. polit. in c. 9. & oraculum proponitur hiſce conceptis verbis: *Quis illo veriùs narrat, aut breviùs? Quis narrando magis docet? In moribus quid eſt, quod non tangat? In affectibus, quod non revelet? Mirabilis omnino ſcriptor, & qui ſeriò hoc ipſum agit, quod non agit.* Et paulò poſt: *Nam acutè, argutèque ſcripſiſſe fateor, & tales eſſe debere, qui eum legent: Ideo conſiliariis magis Principum, quam ipſis commendo; qui habeant hunc ſapientiæ ſimul, & prudentiæ verum ducem.* Hiſce tot excellentium virtutum, maximèque hiſtoricæ veritatis adeo magnifica commendatione incitatus Theodoſius legendo per otium Tacito totus incubuit. Quo demum per lecto, & ad judicii trutinam expenſo, quid de illo, ac de ipſius commendatore Lypſio judicarit, verèque protulerit, proferre hic dubitarem, niſi me tanti Principis tegeret auctoritas, munitumque redderet adverſus aliquos Taciti plus juſto amatores, ægriùs ſui Magiſtri, quàm læſæ veritatis, aut virtutis offenſam fortè laturos: non quidem, ſi verè prudentes erunt, ut vulgò eos eſſe pár eſt credere, quibus veritate, aut virtute nihil debeat eſſe jucundius. Sic igitur ſuum, ut puto, verum judicium de Tacito Princeps propalavit: *Lapſus eſt (me judice) Lypſius, dum ſuo in Tacitum ſtudio plus nimiò indulgens, illum immodicis laudibus eò extulit, unde mea, & veritatis unicè amantium opinione, lapſu graviore ruet. Non inficior (quod quidem omnibus inconfeſſo eſt) eminere in Tacito præcellentis ingenii acumen, optimas item nonnullas, aptiſſimasque inſtituendis Principibus, eorum conſiliariis, adminiſtriſque ſententias; eas tamen crebriores quàm jure ſuo exigat Hiſtoria, politici potiùs Pædagogi, quàm Hiſtorici habita ratione. De cætero in plurimis Tacitum reprehendendum potiùs duco ab univerſis, quàm ab uno Lyp-*
Tacit. l. 6. Annal. *ſio immeritò laudandum; enim verò irreligioſum ſe in primis, & Epicureum, Atheum planè prodit, dum in dubium vocat, Fatone res mortalium, & neceſſitate immutabili, an forte volvantur? Item dum alibi. Non initia noſtri, non finem, non denique homines*
Idem lib. 3. Annal. *Diis curæ eſſe, &c. Similiter dum ſub Neronis exceſſum maximis Italiam calamitatibus afflictam commemorans certò ſic ſtatuit. Nunquam atrocioribus Populi Romani cladi-*
Idem lib. 1 Hiſt. *bus, magisve juſtis judiciis approbatum eſt, non eſſe curæ Diis ſecuritatem noſtram, eſſe ultionem, &c. quibus quid ſceleſtins, aut ſtultius dici potuit? Idem quaſi religionem præ omnibus maximi quidem habendam, ſoli haberet obtentui, eandem privatæ utilitati concurrentem, cæteraque omnia iſti poſthabenda non obſcurè inſinuat, quoties ita ſe gerentes, Principes deſcribit indemnata prorſus adeo damnabili, præpoſteraque opinione. Ipſemet non modò multus, ſed aſſiduus, propèque infinitus eſt præter Hiſtoricas leges in Principum dubiis factis, & conſiliis explorandis, ſuſpicioſèque in deterius perpetuò interpretandis; multiplici ea ratione, aut detecto, aut excogitato, certè prodito calliditatis, verſutiæ, fallaciæ, perfidiæque, ac hujuſmodi vitiorum genere ad certam legentium perniciem, morumque corruptelam incautos indubiè ducenti. Tandem (quod quilibet Hiſtoricus debet maximè abhorrere) ab evidenti ſæpe veritate abit; vel falſis ut plurimùm conjecturis, & ſuſpicionibus abuſus; vel ſibi aliquando contrarius immemor eorum, quæ alibi enarrarat; vel denique probatiſſimis Authoribus ſe longè fidelioribus*
Idem lib. ult. Hiſt. *pugnantia referens; immò ipſimet Sacræ Paginæ, dum Hebrææ gentis originem mille nugis, ineptiis, figmentis, & anilibus planè deliriis involutam falsò, fabuloſè, impièque nonnunquam comminiſcitur. Quare tacitis aliis, de quibus Tacitus meritò arguitur, & apud ſapientes viros ſynceræ veritatis amantes malè audit, ſuæ politicæ potiùs inculcandæ, quàm veræ Hiſtoriæ ſcribendæ intentus; judico illum cautè admodum legendum, at non niſi à doctis, & prudentibus, qui probè norint, quid ſit probum, & approbandum, quid improbum, & Chriſtiano politico penitus improbandum. Lypſio interim oculatiſſimo alioqui, at in Taciti veritate adeo dubia tantopere commendanda palam cæcutienti;*

condo-

condonandum exiſtimo nimium affectum erga virum acuminis, & ſtyli ſuo ſimillimi, eòque ſibi acceptiſſimum, amore cæco, ut aſſolet, falſa pro veris interpretante, verosque illius, quem efflictim, verèque amaverìs defectus, data opera occultante.

116 Quàm verè Theodoſius de Tacito ſenſerit, ſi quis in eo modicè verſatus fortè ambigit; per otium legat P. Famiani Stradæ Academicas proluſiones lectu quidem, obſervatuque; ac publicis Atheneis utiliter explicatu digniſſimas; at eas maximè, in quibus poſt veteres, eosque celeberrimos Hiſtoricos ad juſtam recti judicii libram expenſos, expoſitis cujuſque tam virtutibus æmulandis, quàm vitiis devitandis, in uno lentiùs librando hæret Tacito, & quid in eo ſuſpiciendum, quid omninò deſpiciendum copiosè, verèque pronuntiat; ubi facilè deprehendet jure illum à Theodoſio reprehendi, læſæque non ſemel veritatis reum plurimis in locis inibi ſumma fide citatis poſtulari. Quare Chriſtianæ, ſolidæ, prudentiſque politicæ candidatos univerſos obiter monitos velim, ut priuſquam illius comparandæ ſtudio aliquem exprobatiſſimis veterum hiſtoricorum, præcipuèque ipſum Tacitum ſibi legendum ſuſcipiant, P. Famiani ad veræ politicæ aſſequutionem munitiſſimam viam facilè ſternentes Academicas univerſas proluſiones accuratè prælegant: à quibus tutò, brevique diſcent, quid ab uno quoque fructuosè ſibi addiſcendum, quid potiſſimum dediſcendum; ab eòque uno, & eximio Authore prævio plura fortaſſis, utiliora certè haurient documenta, quibus abſoluti politici evadant, quàm à cujusvis alterius lectione. Quod ſi ad ipſius deinceps è Bello Belgico non aureas modo, ſed gemmeas Decadas, omni æſtimatione majores, in quibus ille à ſe tradita in ſuis proluſionibus rectè conficiendæ Hiſtoriæ præcepta planè implevit, ſedulò per legendas animum adjiciat, fruſtra (mea quidem ſententia) in volutandis aliis, niſi plenioris eruditionis gratia, delaſſabitur: cum in hoc uno politioris eruditionis fonte, ac Magiſtro Romano nitidiſſimi ſtyli antiquis celebrioribus nihilo diſparis elegantiam, ingenii, judiciique ſingulare acumen, ſententiarum, ubi res exigit, appoſitam inſertionem, rerum maximarum fidelem (quod caput eſt) ſynceramque, omni procul præpoſtero affectu narrationem, omnigenarum virtutum, & illuſtrium exemplorum ſeriem rectè ordinatam, univerſa denique decora; & ornamenta, quibus abſoluta numeris omnibus conſtat Hiſtoria, liceat admirari pariter, & æmulari. Nec verò mihi dubium; quin conſulto Stradæ oraculo, probata ipſius de Tacito in ſuis proluſionibus, ſententia; ſuam veritati conformem protulerit Theodoſius: quin & ejuſdem ſtudiosè lectitatis proluſionibus, ac decadibus veram exinde hauſiſſe politicem in ſua poſtea expreſſam Macariopoli, ſuòque verè Aureo ſeculo expromendam veritate, cujus pulcherrima ſpecie unicè capiebatur, ad illuſtria quævis ſeu facta, ſeu dicta ſibi facem præferente.

117 At non Academicam ſolùm veritatem ex libris erui ſolitam adamavit Theodoſius; Aulicam quòque rariorem, pluribusque mendaciorum occaſionibus magis obnoxiam ſanctè admodum coluit, Bellicæque tandem rariſſimæ haud parùm inſtitit. Ab aula quidem jam diu ad caulas relegatam veritatem eidem poſtliminio reſtituere omni ope admitebatur, indignum reputans ſub vero Rege avitis nuper ſceptris reddito, veritatem regiam planè virtutem, aula extorrem in agris, & mapalibus paſtoritiam, in gloriamque vitam agere. Aliquandiu, ex ſe ipſo cæteris æſtimatis, certò exiſtimabat non poſſe uſlibi eſſe, qui tot nominibus debitum illuſtri veritati honorem

vili

P.Strad.l. 1.proluſ.2 & lib.2. prol.3.

vili mendacio haberetiat brevi prope quotidianis didicit experimentis veritatem apud Cives, ut plurimùm nutare, in magnatum domibus fluctuare; in aula, quæ mobilis aura eſt crebris mendaciorum, ſimulationum, & adulationum impulſibus agitatam miſerrimè naufragari: Regibus item in ſummo felicitatis cumulo cùm ſuperſint omnia, id unum omnino deeſſe, veridicos nimirum aulicos, ac miniſtros, qui eiſdem liberè vera ſuggerant; eoſdem in maxima divitiarum copia extrema veritatis inopia laborare: ſive hoc vitium temporum in deteriora indies prolabentium tulerit iniquitas; ſive illud protulerit (quod potiùs reor) aulicorum inexplebilis aviditas, venaticam in aula perpetuò agentium, quibus plures pinguioresque prædæ cadunt mollibus per inſidias blanditiarum explicatis retibus, aut laqueis; quàm emiſſis veritatis indiviſibilem ſcopum collimantis ſagittis; ſive, quod vero eſt ſimilius, regum, ac Principum Mithridaticus planè genius, dulce aſſentationum venenum, cui à teneris aſſuevere ſolido, at mordaci amaræ veritatis edulio præhabentium. Ea peſte in Principum aulis, ad eorum, & reipublicæ perniciem latiùs ſerpente, ut penitus Luſitaniam purgaret, aut invaleſcens ibi contagium ſiſteret, præcipuo reducendæ, veritatis, ipſiusque priſtinæ gloriæ ſtabiliendæ ſtudio omnimodè aulicorum animos ſolicitabat.

118 In familiaribus cum eiſdem ſermonibus nullam prætermittere occaſionem vel commendandæ veritatis, vel adulationis improbandæ; Divinam planè virtutem eſſe Deo in primis, ſibique in paucis acceptiſſimam veritatem; Ex D. Baſil l.de Sp. S.c 1. mendacium è contra Diabolicum, & ſervile certè vitium, utrique prorſus deteſtabile: rerum omnium potentiſſimam eſſe veritatem, & extremam malitiæ lineam mendacium: eam nimirum eſſe veritatis potentiam, quam Amori, & Fortunæ omnium potentiſſimis prævaluiſſe prudenti ſapientûm judicio fuerit olim approbatum: è, converſo ut linea æquinoctialis longiùs ab utroque polo Arctico, & Antarctico diſtat, ita mendacium extremam malitiæ lineam à cœleſti puncto longiſſimè abeſſe; ſimiliter ſicut quò quis ab æquinoctiali linea magis recedit, utrique polo propiùs accedit, ſic eum, qui ab implicitis mendaciorum lineis eſt remotior, & expeditior, cœlo eſſe proximiorem: ad ſe quidem mendacii, adulationis, & ſimilium artificibus penitus inacceſſum, fore ut per veritatis regiam viam gradienti cuilibet, vel ex infima plebe, faciles ubique, ac ſemper paterent aditus. Mox eoſdem adductis in utranque partem Sacræ Paginæ, Sanctorum Patrum; & illuſtrium exemplorum confirmationibus, ad veritatis amorem; & mendacii execrationem inflammabat; uſus frequentiùs, ſolitòque jucundiùs celebri D. Auguſtini teſtimonio Dominicæ Reſurrectionis fidem evincentis, improbique mendacii reos perfidos Judæos, militesque ſepulchri cuſtodes convincentis: S. Aug. in Pſ.63. ad verſ.7. *Quid eſt quod dixiſti ò infelix aſtutia? Tantùm ne deſeris lucem conſilii, pietatis, & in profunda verſutiâ demergeris, ut hoc dicas? Dicite, quia vobis dormientibus venerunt diſcipuli ejus, & abſtulerunt eum? Dormientes teſtes adhibes; verè tu ipſe obdormiſti, qui ſcrutando talia defeciſti.* Idem Germanorum fortunatam nationem, dignamque vel eo ſolo nomine Chriſtiani orbis Imperio prædicare; cui contigit adeo veracem eſſe, univerſamque haberi, ut idem ſit apud Latinos Germanum, atque verum.

119 De veritate nullo unquam facto loquendi fine, ſuos ſæpe aulicos curioſis diſtinebat quæſtionibus tum eorum acuendis, vel explorandis Ingeniis, tum maximè, inſinuandæ veritatis æſtimationi à ſe conſultò excogitatis

Mo-

Modò ab illis inquirebat, è pomis quæ in Luſitania proveniunt exquiſiti quidem ſaporis, quodnam ducerent omnium ſapidiſſimum? Diverſis diverſa proferentibus: *Mihi verò* (dicebat, pariterque docebat Theodoſius) *nullum ſapidius pomo Perſica, cui folium adhæreat, non tam peregrini ſaporis laude, quàm quòd eo quaſi ſymbolo commendandæ veritatis veteres olim ſapientes haud inſipidè uterentur: Pomum enim Perſicum ſimile cordi eſt, ejus folium linguæ. Quemadmodum ergo pomo folium adhæret, ita cordi lingua cohæreat; idque tantùm ſermone proferat, quod continetur corde, non aliud quidpiam effictum aut falſum. Mea quidem ſententia fidei juſſarem do Lactantium. Nullus* (inquit) *cibus ſuavior eſt, quàm cognitio veritatis. Id certè fuit quòd provida natura geminas homini manus, & duos dividens pedes; ſimiliter cuilibet ipſius corporeo ſenſui multiplex organum, eidem tamen ad ſermocinandum unam tantum linguam attribuit cordi unico reſpondentem; ſic & loquendi parcimonia, & linguæ, cordiſque mutua concordia unicè commendata.* Aliàs ab eiſdem quærebat, Quinam præ cæteris elegantior aulicos deceret corporis ornatus, quo regi, reliquiſque viderentur ſpecioſiores? Tunc alios aliter reſpondentes excipit Theodoſius: *Mihi certè in meis aulicis non tam arrident bombicinæ veſtes auro gemmiſque illuſæ, quàm ex uniuſcujuſque collo ad cor uſque demiſſa pendens aurea catena; qua priſci docebant ſic ori connectendum cor, ut nemo voce propalaret, niſi quæ intimo corde occultaret; ſi univerſas hujuſmodi ornatu videam conſpicuas, mihi certè cordi eritis; Deo non minus, ſimilem olim ſummo Sacerdoti maximè commendanti; quem ſacris operantem auream laminam Rationale gemmis illuſtre, in eiſque doctrinam, & veritatem expreſſam ſuprapectus geſtari juſſerat.* His & ſimilibus paſſim ſuos aulicos rogando ad veritatis ſtudium inſtituebat: à quibus viciſſim non abſimili ratione provocatus, non vera modò reſponſa, ſed ad veritatis commendationem, ut plurimùm proferebat.

Pier. l. 54. — Lact. l. 1. de falſ. relig. c. 1. — Pier. — Exod. 28.

120 Ab eorum uno coram Sereniſſimo Parente muſices in paucis ſtudioſiſſimo, & peritiſſimo aliquando interrogatus, Quisnam ſibi è Luſitanis muſicis omnium optimis, longè optimus probaretur? *Is nempe* (reddit Princeps) *qui canendo falſis nunquam utitur flexionibus, ſemper veridicus.* Alteri requirenti è contra, Quæ vox illi accideret injucundior? *Pſitaci* (reſpondit) *humana verba mentientis*; vel hirundinis, garrulitatem, & aſſentationem referentis, monente Pythagora: *Hirundinem in Domum non ſuſcipiendam, ideſt garrulas, & aſſentatores ſub eodem tecto non habendos:* Muſicis quidem concentibus mirificè delectabatur, at non niſi Eccleſiaſticis, Dei, ac cœlitum veras laudes exprimentibus; in eo Sereniſſimo Parenti compar, qui, mirum dictu, non Villaviſſoſæ modò, ſed etiam Ulyſſipone tot, tantiſque domeſticis, & bellicis curis animum in diverſa trahentibus, ſingulis quoad vixit diebus, geminas antelucanas horas muſicis compoſitionibus, & pomeridianam tertiam iiſdem unà cum regiis cantoribus approbandis impendit; immò (quod fortaſſe mirabilius nonnulli videbitur) nunquam niſi de rebus ſacris, ac divinis muſicos aliquando concentus elaboravit; verus Regis Davidis æmulator, qui quotidianis olim condendis, & canendis Pſalmis divino invocato auxilio, ad provocandos deinde, ac debellandos finitimos hoſtes ſe, ſuoſque animoſiùs comparabat. At non ea tantùm occaſione ſæpe: aliàs ſimiles incidère coram Sereniſſimo Rege quæſtiones, victrici ſemper ſub Theodoſii patrocinio, veritate.

Apud D. Hieron. Apol. 2. in Ruf.

121 Inter prandendum, qui ſemper aderat Protomedicus diſſuadendis Sereniſſimo Regi cibis auſterioribus, quibus libentiùs, quàm delicatis utebatur,

batur,

batur, tempeſtivam movit quæſtionem: Quinam cibi ex omnibus forent ſalubriores? *Simplices* (inquit Princeps) *nulliſque adulterati, aut coquinariis pigmentis, aut mixtionibus irritandæ gulæ confictis.* Protomedico interim confirmando prudenti Principis reſponſo varios Galeni textus in medium proferenti objicit Rex medicis vellicandis, eorumque improbandis probationibus lepidè ſemper intentus: *Apage cum tuo Galeno temporariæ noſtræ ſalutis curandæ tam ſolicito, ſuæ æternæ procurandæ adeo incurioſo. Quid ab Ethnico viro ſub ſanando potiùs quàm perſanandis ægris adhibendo ſalubris conſilii ſperandum?* Tunc Princeps, *Si Galeni doctrina vera eſt, qualem eam eſſe vulgò experimur, longè ſalutariùs erit veram ab Ethnico viro, quàm falſam à Chriſtiano haurire: parvi refert à quibus ſana conſilia didiceris, modò vera ſint, optima erunt optimo cuique in pretio habenda. Nonne à Sybillis etiam Ethnicis certa Catholicæ fidei ſtabiliendæ veritati Chriſtiani Doctores argumenta paſſim mutuantur? Quod ſupereſt* (ad Protomedicum converſus) *perge, ſiquid improſperæ valetudinis à nobis erit contractum veræ Galeni doctrinæ, ut hactenus, inſiſtere, quam pro meritis nemo ſatis unquam laudaverit, nemo ex animo, ne dum ipſe Rex illius amantiſſimus vituperarit. Utinam* reddit gratulabundus Protomedicus *Majeſtati, ac Celſitudini veſtræ adeo firma conſtet perpetuò valetudo, ut Galenus nec fictis ex probationibus offenſus, nec veris tanti Protectoris laudibus unquam ingratus, ſit à me neceſſariò conſulendus.*

Lib.2.S. 64. & 65. 122 Jam alibi vidimus quàm acriter Sereniſſimi Parentis de tortura opinionem Princeps impugnarit ob id maximè, quia inibi ab his qui torquentur mendacium ſæpiùs, quàm veritas extorquetur. Ea propter licèt in bello nihil ultra eſſet incommodi, vel eo ſolo nomine deteſtandum dicere ſolitus, quòd ibidem mendaciis, fraudibus, fictionibus, & omnigenis ſimulationibus vulgò prævalentibus fortiùs veritas, quàm hoſtes profligarentur; adeo, ut in parœmiam abierit: *Tempore belli mari, terraque creberima mendacia.* Quid enim militaris diſciplina niſi excubare inſidiis; ſubterraneis, ideſt, doloſis cuniculis in urbem irrumpere; ſimulare fugam, cum vulpe vulpinare, hoſtes circumvenire, infraudem inducere, illis quà poſſis imponere; in extrema rerum, & militum inopia ſummam utriuſque copiam ementiri; alienam perfidiam magnificis promiſſis, ac donis quandoque ſolicitare; ambiguas in vulgum voces ſpargere ſuorum animis erigendis, hoſtium deprimendis, ſociorum in obſequio continendis; nullis parcere fraudibus ſpecioſo ſtratagematum nomine donatis; ſic demum agere, ut is longè optimus dux habeatur à ſuis, quem hoſtes omnigenis decipiendi artificiis inſtructiorem ſuo malo experiantur? Tolerabilius certè id malum ex tot malis conflatum foret, niſi duces, ac milites, quas in bello fallendi artes in hoſtes didicerint; eaſdem domi quoque difficillimè dediſcendas adverſus amicos longè pernicioſiùs, depoſitis jam armis, profiterentur. A militibus quoque optabat Theodoſius ſanctè coli veritatem, quæ bellicæ fortitudinis parens eſt, & mendacium infirmitatis: *Ve-*

S.Chryſ. hom.in id Joan.9. n.28. *ritas enim* (ut ſcitè dixit Chryſoſtomus) *etiam imbecilles corroborat, mendacium etiam fortes debilitat.* Illud nemini dubium, inſidiarum, & ſtratagematum uſum à timore infirmitateque in exercitus invectum: quiſquis enim ſuis, & ſuorum viribus ſatis fidit, is aperto marte decernit; qui è contra diffidit, imparemque ſe ad congrediendum cum hoſte animadvertit, ab auxiliaribus dolis, & fallacis militaris virtutis ſolicitat ſupplementum. Igitur ſuis ducibus, & militibus permiſſis irreprehenſibili militarium ſtratagematum uſu, qui promiſſæ alicui fidei minimè adverſaretur, eam vel ſuis, vel fœderatis ſociis, vel

Val.l.6. c.6.

hoſti-

hoſtibus etiam ſemel datam, religioſè colere, intemeratamque ſervare Romanorum æmulando exemplo ſedulus admonebat.

123 Promiſſis indubiè ſtare, vel ab inſtabili tenerrimaque pueritia non didicit modò, ſed docuit. Cuidam ex pueris ingenuis ſibi acceptiſſimo promiſit olim apud Villamviſſoſam puer Theodoſius juſtam obſequiorum, quæ ab illo acceperat, compenſationem, eam verò cùm ejus Magiſter indubium vocaret Principum taxans ſolitam oblivionem, cum ſtomacho addidit Theodoſius vix quinquennio major: *Si velis ſcripto erunt à me mea promiſſa confirmanda.* Abſit (ingenuus reſpondit puer) Principum nanque privata promiſſa publico cuilibet inſtrumento ſunt præhabenda: *Rectè dicis mi Petre Soſia* (id illuſtri puero erat nomen) inquit denuo Theodoſius, *Principibus mihi ſimilibus ſatis datam à ſe fidem cordis tabulis inſcribere.* Quàm conſtanter deinceps eam ſibi obſervandam decreverit etiam in ſuprema rerum omnium jactura, vitæque ipſius diſcrimine teſtatum poſteris memorabili ſententia, factoque reliquit. Dum aliquando ea de re cum Sereniſſimo Parente verba faceret, poſt longam inviolatæ præſtandæ fidei commendationem, ſic demum definiſſe fertur: *Ego nunquam Rex ero; atſi eſſe fortè contingeret, priùs me vita deficeret, quàm data à me fidei ulla ratione deeſſe.* Id verò quàm ejus animo fixum, immotumque ſederet, planè oſtendit cum in quodam concilio, de quo alibi univerſis Author fuit, è re Luſitana eſſe promiſſam Palatinis Principibus fidem liberare, illoſque adverſus ſummam Parlamenti Anglici potentiam tueri, non ſine maximo rerum noſtrarum periculo: quo tamen feliciter defuncti ſumus ipſius fidei ſervatæ patrocinio, vel apud hoſtes venerabilis. Id ipſum multò adhuc manifeſtiùs propalavit inſigni quidem, at luctuoſo Luſitaniæ documento æterni doloris exhibitione à nobis perpetuò celebrando, cujus alibi à nobis ea mentio facta eſt, qua nullum excogitari poterit efficacius argumentum Theodoſii erga veritatem propria ſibi vita chariorem ſummo ſupremoque amori confirmando. Cujus tamen juvat ſuperaddere non levis quidem momenti maximum teſtimonium, utpote viri ſummæ fidei, cui Theodoſii animus erat exploratiſſimus.

Lib. 1. § 22. & 23.

Lib. 1. § 370.

124 Pater is fuit Andreas Ferdinandus, noſtræ Societatis, deſignatus Epiſcopus Japonenſis, Principis Confeſſarius, quem ille non ſummo ſolùm honore, ſed amore quoque, ut non ſemel diximus, proſequebatur. Hujuſce amoris adeo intimi; omnibuſque noti cauſam ab eo familiaris ejus quidam è noſtris aliquando requiſivit; Qua nempe ratione, quibuſque potiſſimùm artibus ad conciliandum, ſibi tantum tanti Principis amorem uſus fuerit? *Nullius* (reſpondit optimus vir) *niſi ſolius ſyncera veritatis Principi unicè acceptæ patrocinio. Quidquid placui; id totum liberæ, incorruptæque veritatis profeſſioni debeo; neque ad aucupandam, aut tuendam veri Principis gratiam expeditior alia via eſſe poteſt.* Ad hæc ſuperaddit idem Author haud omittendam à me clauſulam. Non minus placere Principi veridicos viros, qui ſibi minùs fortè placita proferrent, modò vera eſſent, quàm eos, qui ſuo genio, & judicio affinia pronuntiarent; immò illos ab eo pluris fieri, probè conſcio aulicæ adulationis, cujus qui nulla ratione habita, verum animoſè profiteretur eum in paucis, ſibique familiariſſimis à ſe habendum meritò exiſtimaret. Sed quid opus tali, etſi tanti viri teſtimonio, cùm ſimile aliud ipſius Principis verbis prolatum, eòque luculentiùs jam ſupra retulerimus? Cæteris in hanc rem omiſſis, non omittenda, quæ de noſtri Principis erga veritatem ſummo affectu commendat ejus

Hoc lib. § 11.

ejus egregius Panegyriſtes hiſce judicioſis verbis: *Audis* (inquit) *loquentes tecum, non cum tua fortuna. Sola libertas noſcit molles aditus, & tempora; ſola veritas palpat, & aucupatur gratiam; veremur, ne virtus flectatur in vitium præ magna Principis æſtimatione. Novum in aula ambitionis genus, vera dicere. Duplex hominum genus dictitas tibi inviſum, mendaces, & ſecretorum prodigos; quorum primi fidem propriam, ſecundi produnt alienam: tuta reſpublica, à qua tales exulant proditores. In familiaribus colloquiis abſtines ſuperlativis vocibus, gnarus ſcilicet individuam veritatem nullam pati additionem, ademptionemve. Omnis ampliſſima verborum pompa brevis eſt illius Principis laudibus literati adeo, ut ne literam quidem unam addat, vel adimat veritati.*

CAPUT XI.

Mutuus inter Principem Theodoſium, ac ſuos Luſitanos Amor.

125 PRæclarum mutui amoris hieroglyphicum in cryſtallino adumbrari ſpeculo antiqui ſapientes appoſitè voluere; id enim indiſcreta redditæ imaginis ſimilitudine placida, vel torva, hilari, vel triſti aſpicientem ſe reſpicit. Principis ſpeculum eſt populus, populique viciſſim Princeps, ſimili ſe invicem vultu, & affectu amoris, vel alienationis indice intuentium. Si à ſuis impensè velit amari Princeps ſuos impensè amet; ſic eoſdem in omni fortuna promptos ad obſequium habiturus. In eo ſummam cujuſque regni potentiam, & felicitatem conſtare Theodoſius judicabat Micipſæ Numidarum Regis prudenti edoctus conſilio: *Non exercitus, neque theſauri præſidia Regni ſunt, verum amici, quos neque armis cogere, neque auro parare queas: officio, & fide pariuntur.* Ideo eos minimè audiendos exiſtimabat, qui à regia dignitate alienam amicitiam opinentur, quòd ea virtus non niſi æquales inter reperiatur, nulla verò ſit inter ſubditos, ac reges dignitate, potentia, opibusque æqualitas: eorum quidem abſurdam planè opinionem facilè refellens, ducto concludenti ab ipſo Deo argumento, qui homines infinito ſuperans exceſſu, eoſdem tamen, & intimè amat, & quaſi ab intimis, ac familiaribus mutuò amari ſe ardenter exoptat. Immò nullos magis inæqualium ſubditorum indigere amicitia, quàm Reges, & Principes differebat; hi nanque in ſublimi, & ſummo humanæ gloriæ poſiti plurimorum odiis, inſidiis, invidiæ, adulationique ſunt expoſiti, à quibus niſi fidelium amicorum ope, auxilio, & conſiliis opportunè ſubducantur, qui poterunt eorum capitibus, & fortunis imminentia undique pericula declinare? Igitur honeſti, utilisque habita ſimul ratione ſe ſuorum amantem, ipſisque amabilem exhibere in primis ſtuduit, D. Ambroſio ſic Principes inſtituente: *At primùm noverimus nihil tam utile, quàm diligi, nihil, tam inutile, quàm non amari.*

Saluſt. de Bell. Jugurth.

D. Amb. 2 de offic. 7.

126 Hinc totum ſe omni ratione colligendæ nobilium æquè, ac popularium benevolentiæ comparare; illos honoribus, hos promiſſis, ac donis; univerſos opportunis ſibi beneficiis demereri. Nemo unquam illius imploravit opem, quin præſentem experiretur; nemo ipſius ſe gratiæ inſinuavit, quin patentes ad eam aditus, apertosque intimi pectoris ſinus reperiret. Solis inſtar,

tar, ita univerſos placidis amabilis benevolentiæ radiis illuminabat, ut illi verè aptaveris, quod Principi divino in ſole tabernaculum ſuum collocanti regius vates veriſſimè tribuit: *Nec eſt, qui ſe abſcondat à calore ejus.* Solitudinis Pſ.18.n.7. alioqui amantiſſimus, qua ſcientiæ addiſcendæ ſeceſſum exigentes maximè delectantur; ſolem tamen omnibus patentem ſolicitè referebat. Hinc omnibus ad ſe facillimos præbere aditus, nullique benevolentiæ radios ſubtrahere. De quo appoſitè meminit ejus Panegyriſtes: *Languidam* (inquit) *exoſus famulantium clientelam, qui in audiendo cubiculariorum prævenit officium, fortè cubile ſuum collocavit ad januam: ac ſi iniquam putaret audiri ſupplicantium voces priùs à ſervo, quàm à Domino. In foro videris habere ſolium, non in domo, ne impediatur ingreſſus. Illud auguſtius, quòd ſæpe non ingredimur, nec loquimur niſi ad gratias, quia celeriùs eſt tibi præſtare, quàm nobis poſtulare, immò optare: prævenit quandoque vota beneficium. Quaſi pudeat velociora eſſe merita, quàm præmia. Das unicuique ſuum peculiare reſponſum, conſcius nulli dari commune. Hinc mirus erga te omnium amor: intravit per oculos, & aures, januas ſuas. Non diligimus, niſi quæ vidimus, vel audivimus. Fruſtra amari contendit, qui audire neſcit; nec imperare vult, qui nec auſcultare, &c.* Verùm, ut ſol, etſi omnibus idem, univerſos æquali radiorum projectu è ſublimi foveat, & illuſtret, tamen pro diverſa regionum qualitate, vicinaque, vel remotiori longinquitate, attemperato nativi ſui ardoris influxu, diverſos ubique producit effectus; ſic Theodoſius pro cujusque meritis amoris ſui radios, modò intentiores, modò remiſſiores ex prudentia, & juſtitia diverſimodè diſpenſabat. Qua id ratione perficeret, non poteſt veriùs, neque elegantiùs explicari, quàm verbis illuſtriſſimi Domini Ludovici à Souſa in ſuo Theodoſii Tumulo ſic noſtri Principis amorem erga univerſos Tumul. exprimentis: *Servabat* (inquit) *ille in amando æquitatem, non eundem erga om-* Theod. in *nes amorem profeſſus, ſed ſecundùm dotes, & obſequia ſe colentium, & augens, & mi-* Laudat. *nuens. Verùm ita affectus temperabat ſuos, ut diſparis amoris paria ſigna eſſent: nec præmia, aut munera pro affectu, ſed pro cujusque facultate diſtributa. Nemo alis amoris ad culmen ibat; per juſtitiæ gradus aſcendebat. Erat aliquis charior; non ille tamen ornatior. Minùs interdum indulgebat ei, quem impenſiùs diligebat. Atque hoc ipſum amantis erat, removere ab invidia, & odio cæterorum. Communicabat cum amiciore ſecreta, cum alieniore conſilia. Inter Theodoſium, & Principem diſtinguebat: & cum unus eſſet, duplicem amando perſonam agebat. Intimos Theodoſio ſæpe à loco Principis arcebat, aſſiduos Principi à latere Theodoſii ſejungebat, &c.*

127 Idem paulò inferiùs non minùs eleganter, Theodoſii erga omnes benevolentiæ probè conſcius, eam ſic deſcribit: *Gratiam enim ſuam libenter omnibus impendebat; quâ certè nihil in Principibus pretioſius, cùm ad eam plerique obtinendam patrimonia ſua profundant: quidam vel auram gratiæ magno mercentur: nonnulli leves illius fumulos ingenti pretio vendant. Rem igitur tam excellentem, tamque pretioſam Theodoſius omnium oculis, manibusque exponebat. At erant qui illam Craſſi, Craſſique divitiis, & theſauris Arabum anteponerent; & ſummo quidem jure; nam non erat fortuita Theodoſio gratia, ſed nixa meritis, & præſtanti commendata judicio. Solet plerunque gratia regum Fortunam imitari, & caſu quenque, & fortuito impetu ſequi, atque adeo in immerentes collocari: at Theodoſii gratiæ nulla cum Fortuna, & caſu ſimilitudo; ſumma cum judicio, conſilioque conſenſio, ut nemo ei gratioſus eſſet, quin omnibus virtutibus abundaret. Itaque eligebantur ad gratiam, non gratiam eligebant, & ſoli obtinebant, qui merebantur. Is ſe demum perfectum agnoſcat, qui ſciat Theodoſio fuiſſe gratioſum, &c.*

128 Oritur vulgò ex morum ſimilitudine amor; alitùrque familiaribus, ut plurimùm ſermonibus familiaritas: unde nihil mirum quòd primariam nobilitatem præcipuo amore ſibi arctiùs devinciret, optimatibusque ſibi aſſiduis, & ſimilioribus optimus Princeps impenſiùs afficeretur. Puer adhuc ingenuos pueros ſibi obſequentes omni benevolentiæ genere proſequebatur, neque modò humaniſſimis vulgò verbis, ſed munuſculis nonnunquam inſitum in eos amorem indicantibus excipiebat. Aliquoties puerilibus ludis feſſos præparato ſibi leucophago in omnes diſpertiri juſſo eos recreabat, & ad repetenda ludrica exercitia promptiores. Unico eo bellariorum genere libentiùs uti ſolitum Principem alibi dicemus. Idem à quodam aulico rogatus, cur id, quod ſibi erat ſepoſitum, omniumque ſuaviſſimum in omnes ita largè dividi juberet? *Idcirco* (inquit) *quod enim mihi eſt acceptiſſimum, ex eo volo, ut omnes accipiant, meique oblectamenti ſint participes.* Jam adoleſcens univerſis Dynaſtis eundem ſe præſtitit: cùm præſertim animadverteret eoſdem optimates, ſi optimi ſint, & ab illuſtrium majorum generoſitate minimè degeneres, eſſe in quovis politico cœlo primæ magnitudinis ſtellas, in civili corpore nervos; eoſdem exercitus robur, pacis decora, nutantis reipublicæ Athlantes, florentis maxima ornamenta; ipſos tandem ad ardua promptos, ad ſumma natos, ad difficilia, & implicita faciles, & expeditos. Quare amantiſſimus reipublicæ Princeps non dubitabat eos indulgentiùs, ac familiariùs habere, quos dotibus, & meritis præſtantiores præ cæteris plura in ipſam rempublicam collaturos commoda judicaret. Siquis eorum è contra ignobili fortè aliquando edito facinore, vel patrato ſcelere bene nata dedecoraret, immodicè angebatur Princeps, tum quia ſuum ille illuſtre genus macularet; tum quia majorum peſſima exempla majori ſunt reipublicæ nocumento; & illuſtrium ſtellarum caſus extremam orbis ruinam, & everſionem certa prædictione minitentur: *Quare* (dicebat idem Princeps) *ideo illuſtrium familiarum genealogiam meritò Arborem nuncupari, quia non à radice, neque à trunco ramis, aut foliis, ſed à fructibus optima, vel peſſima arbores cenſentur. Sic non habendos optimates, qui ab optimis ducunt originem, ſed eos tantùm, qui optima ſuorum illuſtrium majorum facta æmulantur.* Iiſdem ut ſe benevolum, ac propitium Sereniſſimus Parens exhiberet, ſedulò curare; ipſius vel juſtam adverſus eorum nonnullos indignationem emollire, ab eoque alienatos aliquorum animos eidem viciſſim conciliatos reſtituere. Certus nimirum mutuum inter regem magnatesque amorem ſummum eſſe cujusque regni præſidium, illum in eorum animis ſtabilire, lapſumque aliquando redintegrare omni ratione ſatagebat.

Hoc lib. 4. 144.

129 Exulcerati animi haud obſcuras notas aliquando ediderat Sereniſſimus Rex coram aulicis adverſus unum ex primoribus, illiusque opera etſi ſtrenua, non ſe ulteriùs uſurum minabatur. Tunc pro viro alioqui benemerito ſuppliciter interpellanti cuidam ex iis qui aderant, ut audiretur homo regiis querimoniis fortè facturus ſatis; reſpondit Rex; ſupervacaneum duco auſcultare hominem quem extremum obiiſſe diem mecum ipſe deinceps reputabo. *Immò* (in tempore occurrit Princeps) *dignetur quæſo Majeſtas veſtra ſibi perſuadere in vivis adhuc agere hominem, qui pro publica patriæ, privataque veſtræ Majeſtatis incolumitate non ſemel vitam magnis periculis objecit; eòque dignum, quem recenti obſtrictum beneficio ad majora denuò tentanda placida regiæ benevolentiæ auræ impellat.* Annuit prudentis Filii juſtis poſtulatis Sereniſſimus Parens facilis

juſta de cauſa iram concipere, facilior deponere; vitalique redditum gratia ad vitam quodammodo revocavit. Ægrè alias tulit Rex quendam è magnatibus ſibi ad maximum quoddam munus proponi à Conſiliariis ſtatus, palamque negabat ei muneri præficiendum virum, cujus inauſpicatò proceſſerat exitus præfecturæ à ſe haud pridem infeliciter obitæ. Hic Theodoſius objecta in primis probabili ſpe rei meliùs in poſterum gerendæ, commemoratiſque tum ipſius, tum illuſtrium majorum in Luſitanum Imperium egregiis meritis, Sereniſſimo Parenti author fuit revocandæ ſententiæ, cui firmiter hactenus adhæſerat; ex collata ei candidato dignitate, collecto eximio, & ipſius, & conſanguineorum ejuſdem erga Sereniſſimum Regem, ac amantiſſimum Principem amore. Conſtat ex hujuſmodi Theodoſii erga optimates officiis adeo delectari ſolitum Sereniſſimum Regem, ut non ſemel à nonnullis alienationem, adverſus alios offenſionem coram Principe data opera vel ſimularet, vel exaggeraret, quò illum Angeli pacis munia ritè obeuntem, & modò unius commiſſa extenuantem, modò alterius merita extollentem, pro ſingulis demiſsè deprecantem, erga univerſos eximii amoris indicia proferentem jucundiſſimè auſcultaret. Hujuſce generis plurima, proximiſque affinia exempla ſciens omitto; unum eo temporis communi omnium plauſu acceptum, omnique acceptione digniſſimum nequaquam prætermittendum.

130 In maxima tunc erat omnium æſtimatione Andreas Albuquercius Sintræ arcis Præfectus vir claris majoribus, militari virtute, ac peritia in paucis clariſſimus. Is à prima, qua poſt regiam acclamationem die ad arma conclamatum eſt, ex pulvere Ulyſſiponenſi literario ad bellicum raptim proſiliens, ea Elviis jecit glorioſæ militiæ fundamenta, quæ nemo per id tempus, aut pluribus auxit incrementis, aut illuſtrioribus rerum præclarè geſtarum monumentis ad ſummum bellicæ gloriæ apicem altiùs evexit. Idem manu promptus, conſilio validus, animo non minùs tranquillo, quàm audaci, planèque generoſo in oppidorum, & arcium expugnatione, in publicis, ac privatis propeque quotidianis cum hoſte congreſſibus, inter primos nulli ſecundus in aciem procedere, inter extremos è prælio excedere; ita denique in omnibus ſtrenuè ſe gerere, ut frequentibus de illo encomiis Luſitana ſæpe aula (quod aulicis rarum) perſonaret; adeò ut Sereniſſimus Rex non nullis obiter exprobaturus diuturniorem in Ulyſſiponenſi, quàm in Elvenſi curia moram, commendaturuſque Albuquercium armis penitus addictum, curiæ omnino incurioſum, quaſi de ignoto ſibi homine ſic non ſemel apud eoſdem inquireret: *Quis eſt iſte Albuquercius, de quo tam multa, & præclara in aula ſæpe audivimus, ipſum in aula nunquam hactenus vidimus?* In aula tamen aliquando viſus eſt, domeſticis, publiciſque maximi momenti negotiis Ulyſſiponem eum avocantibus, ibique à Sereniſſimo Rege, Theodoſioque ſummis amoris, & honoris ſignificationibus exceptus; quibus ille invitatus, amicorumque ſuaſionibus incitatus è republica, privataque duxit fore, ſi Elvios confeſtim remearet magno aliquo à Rege auctus beneficio, quo & redditus annuos tandiu in Regis ipſius obſequio pene exhauſtos aliqua ex parte reficeret, haberetque unde benemeritis, & egenis militibus ſuccurreret, univerſoſque ſimilis præmii ſpe ad militiam ſtrenuè proſequendam incitaret.

131 Igitur amicis id ſuadentibus, immò invitum impellentibus, rogare cæpit, quæ ut libens acciperet invitandus eſſet; niſi omnium propè gentium

inveteratus jam uſus obtinuiſſet, id à quovis benemerito infimis ſolicitari precibus, quod maxima illius merita unicè jure ſuo meliùs exigere oporteret. Brevi (quod in magno beneficio ponendum) ſed pro maximis eximii viri meritis nimis modicè factum ſatis; ſive id ab ipſo Rege ſit profectum, judicante, palamque aſſerente, dum bellum vigeret præmiis juſto minoribus etiam maxima promerita numeranda, exacto demum bello majoribus compenſanda, tum immenſis belli ſumptibus eam parcimoniam exigentibus, tum ut ulterioris adhuc beneficii ſpes univerſos ad ulteriora facinora ſtimularet: ſive id ipſum (quod liberioris judicii homines potiùs credebant) Miniſtris, & Conſiliariis Regiis tribuendum foret, qui vulgò ſibi, ſuiſque perire judicant quod in militares ſolitò liberalius confertur. Certè Albuquercius etſi ab omni cupiditate præterquam militaris gloriæ, longè alienus adeo acerbè tulit ſua ingentia merita ex minori præmio minoris, quàm par erat, æſtimari, ut curiæ, militaribusque curis nuntium prorſus remittere, aliò ſecedere, aliamque ſecurioris, & utilioris vitæ rationem denuo inſtituere deliberarit; nec ab ea cogitatione, ſuſcepti ſemel propoſiti tenaciſſimus, aut commilitonum precibus, aut amicorum ſuaſionibus abduci unquam potuit. Interim Theodoſius, cui ob eximias dotes percharus erat Albuquercius, illius doloris, juſtæque cauſæ conſcius, illum ad ſe acciri jubet, præſentem humaniſſimè habet, blandis compellat verbis, juſtum ejus dolorem amplificat ſimul, & demulcet, omnique ſingularis amoris, & benevolentiæ genere proſequitur: tandem ſpondet ejus apud Sereniſſimum Parentem privata negotia ſe tam ſedulò, ac ſtrenuè Ulyſſipone promoturum, quàm ille publica Elviis hactenus promoverat, modò ſe illuc denuo repiciat; ſic rem ſuis commodis utilem, Luſitanæ militiæ ſalutarem, bonis omnibus gratam, ſibi hoc recenti obſequio valde obſtricto jucundiſſimam facturus. Nec plura his; tot tantiſque veri amoris indiciis devictus Albuquercius pro illis Principis manu oſculata, manus dedit palam profeſſus ſatis, ſuperque ampliſſimis ſe cumulatum præmiis unicè tanti Principis benevolentia comparata, quam Craſſi theſauris, & regum omnium in ſe conferendis honoribus præhaberet. Sic per Theodoſium Sereniſſimo Regi conciliatus alacer Elvios rediit antiquis illuſtriora facinora, quæ deinceps præſtitit, magnanimo concipiens pectore. Nec multò poſt promiſſorum Principis fructum uberrimum tulit, acceptis à Sereniſſimo Rege, quibus erat digniſſimus, & dignitatibus militaribus, & annuis redditibus amplioribus, Theodoſio pro eo deprecante, illiusque merita Sereniſſimo Parenti, & Conſiliariis in tempore ſuggerente.

132 Ex eodem erga primarios viros amore ortum crediderim laudabile ſtudium, quod Theodoſius collocavit in eorum genealogiis cognoſcendis, à primo cujuſque nobilis familiæ conditore ad extremos uſque ſui temporis ſucceſſores; comparata prætera ex annalibus Luſitanis illuſtrium rerum geſtarum notitia, quibus illuſtriores cujuſque familiæ Heroes claruere. Ex his quidam, à quo id accepi, genethliaca peritia commendabilis cùm ſe primùm Theodoſio ſiſteret, ſuumque illi nomen, ſuorumque parentum aperiret, à Principe interceptus voluptuosè ab illo audiit, à quibus avis, proavis, abavis originem ipſe duceret, adeò certò repetitis omnium nominibus, ut non minus miraretur eruditus ea in arte vir feliciſſimam docti Principis memoriam, quàm eximium erga illuſtres familias affectum, cui tam indulgere dignaretur. Aliis, data occaſione, majorum ſuorum illuſtriora facinora, virtu-

tes, decora, & inſignia iiſdem fortè ignota memorabat, quò illorum æmulatione ad ſimilia excitarentur, neque unquam ab avita gloria degenerarent. Unde facile fuit cuivis conjicere, quàm Theodoſius amaret coævos ſibi optimates, qui ſuperiori ævo, tot retroactis ſeculis præteritos præſenti amore proſequeretur; quantique faceret memoranda eorum facta, qui in vivis agebant, cùm etiam illorum qui tandiu è vivis exceſſerant, certè maximi facienda propriæ, ac poſterorum memoriæ commendaret. Erant eruditiores nonnulli, qui propterea Theodoſium Sereniſſimo Luſitaniæ Regi Joanni ſecundo non conferendum modò, ſed præferendum exiſtimarent: *Qui privatos habebat codices duos, quorum in altero ſua ipſe manu ſubditorum merita, & beneficia, quibus eoſdem remunerare poſſet, exararat; alter optimatum, & equitum nomina, ingenitasque dotes continebat.* At Theodoſius (dicebant illi) non ſuperſtitum modò ſubditorum, ſed à condita Luſitania extinctorum egregia merita, dotes, & facinora, non memoriali codice à ſe deſcripta, ſed firmiori, promptiorique memoria ad vivum expreſſa retinebat. Vaſconc. in ejus vita § 13.

133 Illud in magno Theodoſii erga magnates amore rarum, & maximè obſervandum; erat nempe is adeò in univerſos communis, ut neminem unquam excluderet, adeò in ſingulos ſingularis, ut quilibet eorum, quibus cum ageret, ſe à Principe præ omnibus diligi exiſtimaret: unicè omnes, non unicum tantùm, ut non nulli ſolent Principes, diligebat, qui dum uni omnia deferunt, cæteros omnes à ſe alienant; eidem ſi præter amorem judicium quoque, ac regimen ſubjiciant, ſubditos ſe potiùs, prorſusque ad regendum inhabiles profitentur. Sic dum unum lucrifaciunt, non modò ſe, ac ſua, ſed intimum quoque ſibi perdunt, conflata in illum omnium invidia, cui par eſſe non poterit. A tenera pueritia indignum id habuit, quod Hiſpano maturi jam ævi Regi Alphonſo perabſurdum videbatur, reges ab aliis regi, duces ab aliis duci; quo fit, ut ſæpe numero magno cum reipublicæ incommodo alienis oculis videant, alienis auribus audiant, alienis linguis loquantur. Et ſic nihil minus ſint, quam Reges, aut Imperatores, qui è conſiliariorum nutu ita pendent, ut planè ſint eorum mancipia. Aliter tenerrimus Princeps, qui olim uni è pueris ingenuis ſpecialis amoris ſpecimen præbuerat. Is imperanti aliquando Principi, ut in proprias domos univerſi abirent, adhuc adhærebat, nec de repetenda domo cogitabat: Ad quem Princeps, *Putas ne meus eris gratioſus? Falleris certè, non enim verè Princeps dicendus, qui uni tantùm addictus erit; abi unà cum aliis, cum iiſdem iterum rediturus.* Abiit ille illibenter, at ſimul cum aliis factus certior, ſuum, ac noſtrum Principem Euchariſtico eſſe, perpetuòque fore ſimilem, qui totus in tota, & totus in qualibet ſui politici ſubjecti parte inſit; ſive rationalis animæ ad inſtar, quæ ſic univerſim totum informat corpus, ut quamlibet etiam minimam partem animare non dedignetur. Theodoſius quidem etſi omnibus amorem, nulli judicium niſi rationi, unquam addixit, certus eundem Joannem ſecundum, de quo proximè, imitari, qui *Tolerabiliora eſſe dicebat privata Imperatoris peccata vel graviſſima, quàm ſi alterius arbitrio rempublicam contra popularium commoda, Imperatoriamque majeſtatem gubernaret.* De ipſomet ſic reſpondiſſe fertur Angliæ Reginæ frater, Schalarum Dynaſta ex Hiſpania in patriam reverſus roganti Leviro, quid in ea præſtantiſſimum vidiſſet? *Virum Luſitanum ſibi ante omnia placuiſſe, cui obtemperabant omnes, & nemo imperabat.* Hujus verè, antonomaſticèque viri obſervandis veſtigiis inſiſtere, tam ſibi pulchrum fore ducebat Theodoſius, quàm

Panorm. de reb. Alph. l. 2.

Vaſconc. ſupra.

Ibid.

indecorum nonnullis eximii alioqui regibus adeo immodicè uni tantùm alicui miniſtro indulſiſſe, ut commiſſis illi non intimi tantùm animi, ſed publici totius regiminis habenis, nihil niſi ex ipſius libito, & arbitratu deliberarint.

134 Certè cum alterius Luſitani Regis annales aliquando evolveret Theodoſius, præclaraſque ſub eo Luſitanorum res geſtas inibi legeret, ſimulque nimiam ejuſdem erga privatum quendam Dynaſtam addictionem, cujus ductu omnia moderari dicebatur, ſic & libri titulum, & Regem plus æquo titulari viro tribuentem corrigendum cenſuit: *Immerito* (inquit) *ſub iſtius Regis ſupprimendo nomine inſcribitur liber continens res geſtas adſcribendas potiùs clienti, univerſis, & vel ipſi Regi imperanti: non ei quidem fuit dedicandus liber, qui ſe libertate, regiaque dignitate abdicavit, qua die ſe, ſuaque unius arbitrio penitus ſubjecit.* Ingenioſa ſanè objurgatio; at non minùs prudens ejus commendatio Philippi ſecundi Regis Hiſpaniarum, cujus eximia prudentia maximè in ſeligendis pluribus, optimiſque miniſtris ſalutaria plerunque ſuadentibus eluxit; incertis omnibus, in quem illorum pronior ipſius Regis gratia propenderet, ad eamque præoccupandam certatim intentis; tum demum unius cujusque librata ſententia libero judicio, quod è re communi foret optimum, per ſe ipſe decernebat. Quare illum, ac ſimiles æquabiliter currenti horologio Theodoſius comparabat, in quo ut plurimæ ſunt rotæ, quarum cuilibet ſuum ineſt pondus; unica tantùm manus horarum index, quam univerſi obſervant: ita rectè conſtituta reſpublica unica regitur manu, ideſt Principe æqualia horarum ſpatia demonſtrante, quem omnes ſuſpiciunt, cuique plures conſiliarii rotarum inſtar, ſolo rationis pondere circumacti famulantur.

Saavedra emp polit. 57.

135 Is fuit erga nobiles Theodoſii amor, nec minor erga populares, qui quò ſunt imbecilliores, eò indulgentiori ſui Principis indigent benevolentia, qua potentiorum adverſus injurias muniantur. Iidem cùm nobilibus longè plures ſint, plurimaſque in commune bonum utilitates vulgò conferant, plurimi à Principe faciendi. Cœli ſtellis nobiles, Oceani arenis ignobiles fuiſſe adumbratos in celeberrimo illo Dei ad Abrahamum promiſſo apprime noverat: *Multiplicabo ſemen tuum ſicut ſtellas Cæli, & velut arenam, quæ eſt in littore maris.* Unde inferebat illuſtres viros clariſſima reipublicæ lumina inſtar ſtellarum eam illuſtrantes, & beneficis influxibus fœcundantes obſervandos, meritiſque, laudibus, & honoribus ad cœlum evehendos; ignobiles verò arenarum more irruentis Oceani hoſtilem impetum ſuſtinentes, & ne præſcriptos ſibi tranſiliat fines, quaſi objecto laterum ſuorum vallo prohibentes, placida fautricis benevolentiæ aura recreandos: *Haud abſimili uſus metaphora pro inexpugnabili Regni Luſitani tutela per extremos illius limites circumduci oportere validiſſimum murum admonebat, non ex ſolis, ſolutiſque lapidibus natura nobilioribus, ſed popularis arenæ, calciſque glutino inter ſe connexis; aliter facilè ruituris: cui ſi operi ultimam Rex manum imponat, ſeduluſque invigilet, ne alicubi vitium faciat, quin illico reficiatur, in tuto erit Monarchia, etſi hoſtilibus machinis verberata, nunquam certè labefactanda.*

Gen. 22.17

136 Quàm ſe Luſitanæ plebis peramantem, illiuſque commodis intentum exhibuerit Theodoſius, tum opportunis beneficiis, tum magnificis promiſſis cùm vel vitam, vel animam ageret, quia jam ſæpe aliàs monuimus, triplici tantùm, eoque memorabili exemplo à nobis hìc erit confirmandum.

Lib 1. 6. 381. & 409.

Eques procedebat Princeps Alcantaram uſque palatinis nonnullis comitatus, cùm videt præcedentem ſervum palliorum ſarcina prægravatum; miſertus eſt humaniſſimus Princeps abjectiſſimi homuncionis, ſociiſque propria indicata commiſeratione, ulteriùs adhuc progrederetur ingrato ſibi onere ab humeris illius vernæ in ſui equi dorſum juſſo transferri, niſi comites à Principis decoro mutuatis, objectiſque rationibus prohiberent. Ad Principis pedes paupercula quædam, at honeſta fæmina provoluta, inſita muliebri ſexui eloquentia cœpit rei domeſticæ miſerandas certè difficultates, innumeraſque inde ſibi, ſuiſque parvulis alumnis ortas anguſtias amplificare; mox Principis vultum intuita, ſi fortè ad miſericordiam flecteretur, animadvertit intimi doloris certa indicia effuſis lacrymis exprimentem. Hîc mulier. Vehementer (inquit) doleo, mi Princeps, oblatam à me adeo immodicè dolendi Veſtræ Celſitudini occaſionem. Cui Princeps, *Mihi certè deeſſem, ſi fortè ſiccis oculis meorum clientûm anguſtias ſpectarem, & eorum, quos ardenter amo, doloribus non ingemiſcerem.* Mox humaniſſimis aliis verbis recreatam, Imperata inſuper pecunia ſatis cumulatam, lætamque demiſit. Ex oculis Principis cordis amorem erga pauperes indicantibus, omnibus planè conſtitit fruſtra introſpiciendo cordi à nonnullis optari ſpeculum in pectore poſitum; cùm illud aptiùs in cujuſque frontis quaſi ſpecula providentior natura collocarit, oculos nimirum, qui latentis in cordis intimis penetralibus odii, vel amoris ſigna paſſim verèque produnt. Altera de Miniſtro regio apud eundem Principem conqueſta eſt, quòd infinitis propè dilationibus ſibi, ſuiſque rebus valde noxiis privatam cauſam protraheret; nec mora blandis eam ſermonibus exceptam per Camerarium oſtiarium Antonium Rebello de Moura jubet ſuo nomine ſeriò moneri miniſtrum illum, ut pauperrimæ fœminæ quàm citiſſimè cauſam expediat, caveatque ne in poſterum ſimiles ad ſe pauperum querimoniæ deferantur. Dictum, factum; conſcio eo miniſtro quàm ægrè ferret patientiſſimus alioqui Princeps minimo alicui, vel minimam injuriam à potentioribus illatam. Erat præterea (inquit unus è Principis cubiculariis) externorum hominum pauperum, & puerorum amantiſſimus, eorum inopiæ mirificè compatiens.

137 Nemo illi unquam proprii damni cauſam expoſuit, quin ejus dolori acerbiſſimè condoleret. Niſi alienis malis poſſet occurrere, propria compaſſione ſuccurrebat. Ex intimi doloris externo ſenſu crederes illum pati proximi cujuſque calamitatem, quam avertere non valeret. Dum aliquando cum ingenuis pueris colludens ex Regio ſolario jacentem in ſubjecto atrio pauperem ſubitò ſymptomate laborantem animadverteret, dolenter animo commotus à ludo abſtinuit, neque ad illum rediit niſi ſacramentalis primùm confeſſionis, mox cibi auxilio ejus maximè indigente ſublevato. Id ei à prima pueritia inſitum Sereniſſima Regina Mater uni ex noſtris commemoravit. Cum enim Villaviſſoſæ fortuitus ignis cujuſdam puellæ veſtes comprehenderet, penituſque abſumeret, quia non aliter poterat puerilibus effuſis lacrymis noxias ſerpentis ignis flammas extincturus ad Sereniſſimam Parentem accurrens, ab ea ſupplicibus rogat precibus, ut afflictæ puellæ damna dignetur reſarcire. Hinc ardentioribus erga ſuos ille amoris flammis incenſus iniquè ferebat coram ſe de aliquo detrahi; immò detractores acerbè objurgabat propalatis proximi cujuslibet defectibus etiam publicis adhibita vel excuſatione, vel ſanæ intentionis interpretatione. Semel vir quidam è magnatibus

natibus coram Principe regiis nonnullis miniſtris obloqui non ceſſabat, multus in eorum defectibus incuſandis. At cùm Princeps obmuteſceret, nihilque omnino reſponderet, ſic ad illum obtrectator: Veſtra Celſitudo non audit? *Nihil* (reddit Princeps) *à te audivi meo vel auditu, vel reſponſo dignum.* Iterum è Procerum cætu, cui aderat Princeps uni eorum recedenti carpere alii obloqui, ejuſque nonnullos defectus carpere: ab iiſdem mox ingrati ſibi ejuſmodi ſermonis, indubiis datis ſignis, ſeceſſit Princeps expoſita ſui ſeceſ-
Lib. 1. §. 331. & 332. ſus hiſce compendioſis verbis cauſa: *Abſit, ut immerito amico obtrectantibus adſim.* Similia ſuperiùs exempla memoria digniſſima ſunt à nobis commemorata, non prætermittenda tamen hîc duco verba ipſius confeſſarii hactenus prolata confirmantis in quadam familiari Epiſtola: *Semper alienos defectus excuſabat, nec unquam verbum protulit, quo aliquem læderet. Incredibilis ejus erga clientes, & regnum amor.*

138 Illud pro complemento amoris Principis non minus popularis, quàm illuſtris addiderim conſtantem illum perpetuo extitiſſe. Quàm inſolitum id Regibus, & Principibus quotidiana, quæ nemo neſcit, exempla teſtantur: nihil cunctis optabilius eorum gratia, & benevolentia, ideo fortaſſe nihil brevius, & inconſtantius, ſingulis ad eam ſibi aucupandam, aliiſque eripiendam anxiè adnitentibus. Quem modò immodicè amarunt poſtmodò levi de cauſa adeo immoderatè oderunt, ut jam certò inter aulicos Philoſophos planè conſtet, regiam gratiam eſſe qualitatem difficilis acquiſitionis, at facilioris expulſionis. Longè alius Theodoſii amor erga omnes; quos ſuæ gratiæ unquam admiſit, nunquam dimiſſurus, ſemper conſtans, nulliſque aut loci, aut temporis terminis definitus; in finem ſuos dilexit Luſitanos, immò adhuc ultra finem. Si quando ex iis aliquem ſeu nobilem, ſive ab infima plebe vel lugubri cymbalorum ſonitu, vel alterius narratione admonitus deceſſiſſe audiret, è veſtigio pro ejus anima Eccleſiaſticum reſponſorium recitabat, quaſi abeunti amico ſupremum vale dicturus, eumque hac ultima veri amoris ſignificatione, quandiu aliter non poſſet, proſequuturus. Sciebat nempe verum amorem etiam nimis antiquum meritò ab antiquis ſapientibus depingi puerum inſita nutritiva facultate ulteriùs ſemper excreſcentem: Item ab iiſdem ipſummet amorem jure appellari vinculum, non extremum perfectionis, utpote finalis extremi neſcium. Præterea eundem egregium eſſe carminis conditorem, non Elegiaci ſciſuras admittentis, ſed Heroici, eodem ſemper tenore procurrentis; ut enim pulſus; ſic amoris intercadentiæ ipſius ſummum periculum prænuntiant. Deinde amare, à mari deduci perpetuo ſemper motu, irrequietaque fluctuatione inceſſanter agitatum. Ac tandem æmulandam à perfecto amore perfectiſſimam erga Deum charitatem, quæ ſola ex Theologicis virtutibus, poſt cujuſque obitum, empyrei penetralia intrat; Deo ibi æternum fruitura, excludente inde fidem utique temporariam ſummi boni evidentia; ſpem ſimiliter abſoluta ejuſdem poſſeſſione.

139 Ad hæc non placidis tantùm, ſed nubilis etiam temporibus amorem nullis mutabilis fortunæ obnoxium injuriis (quod rarius apud vulgares amicos) proferebat; ſive illa dilectis facilis alluderet; ſive difficilis illuderet: qui aliter amarent Samaritanos eos veræ amicitiæ proditores appellare ſolitus;
Joſeph l. 10 Antiq. cap.ult. de quibus ſic habetur apud Joſephum: *Samaritæ pro præſenti ſemper conditione temporum mutabiles, quoties feliciter degere Iudæos viderint, cognatos ſe eorum appellare,*

lare, utpote à Ioſeph oriundos, & hac ratione ſanguine illis conjunctos: quando verò in rebus adverſis eos aſpiciunt, nihil ad ſe pertinere ajunt, nec illis quidquam deberi benevolentiæ, cum ipſi ex longè remotis gentibus ad ea loca venerint. Alibi verò eorum infidum genium elegantiùs incuſat: *Sunt Samaritæ hoc ingenio, ut & ante diximus, in rebus Judæorum afflictis negant ſe cognatos, veritatem tunc dicendo: Cùm verò affulgere eis fortunam viderint, confeſtim in ſocietatem irruunt, attinere ad ſe affirmando, & à Ioſeph, ejusque filiis Manaſſe, & Ephraim ſeriem generis ſui deducendo.* Eoſdem vulgari fugacium nota hirundinum plerique inurunt, quas intra domum minimè recipiendas ob nimiam earundem garrulitatem, monuimus ſupra cum Plutarcho. Hujuſmodi nanque aviculæ optimum lubricæ amicitiæ ſymbolum, ineunte vere cùm placidi per id tempus ſpirant favonii, florum, frugumque tunc germinantium affluentia invitatæ ad nos ex Africa eo tempore inclementioris cœli tranſvolant; tandiuque hîc immorantur, quandiu ſecundæ res noſtræ ſunt: eædem autumno jam exacto, appetentem hyemem pluviis, & frigoribus horridam fugientes in Africam tunc mitiorem ſe recipiunt. Alio ſtabilioris amicitiæ commendandæ ſymbolo utebatur Theodoſius; hederæ nimirum perpetuò virentis, quolibet anni tempore cujuslibet arboris truncum, & ramos arctè, amicèque amplexantis; ſive illa frondibus ornata luxuriet, ſive fructibus onuſta gratam præbeat ſtationem, ſive tandem per hyemem utriſque ſpoliata in hoſpitalem ſe prorſus exhibeat; non ideo tamen ab ea diſſociari amat viridis ſemper hedera, nec niſi violenta vi avelli, amabilis vinculi tenaciſſima. Haud aliter Theodoſius in amicorum proſpera, vel adverſa fortuna ſemper idem, eundem in amore morem, modumque omnimodè obſervabat. Regis, vel Principis cujuſque in ſuos clientes, quos filiorum inſtar habere debeat, eosque paterna charitate proſequi, alere, ac fovere, amorem à nullo regum aptiùs exprimi dicebat, quàm à Sereniſſimo Joanne ſecundo Luſitaniæ Rege, qui meritò *Patriæ Pater* fuit cognominatus. Hic Pelicani pro alendis filiis pectus ferientis, & eviſcerantis effigiem pro gentili ſtemmate præ ſe ferre ſolitus, regii amoris erga ſibi chariſſimos filios ſive ſubditos verum indicem. Addita Epigraphe: *Pro lege, ac pro grege.* Id ipſum eleganti apologo ipſe Theodoſius expreſſit, quem ejuſdem characteribus ſcriptum, hic tranſcribo: *In quodam* (inquit) *agro juxta ruſtici cujuſdam domum, ubi terreo vallulo areola claudebatur, cum ſuis pullis gallina diverſabatur; cùmque illa hora eſſet, qua incolis vacua domus erat, doloſa vulpes gallinam capere tentans tumulum aliquantulum vallo prominentem, ex quo areola pars conſpiciebatur aſcendit. Eam verò gallina intuens pullos monet, à vallo ne recedant, ne fortè viſos vulpes invadat. Ego verò* (inquit) *cum ab ea jam ſim obſervata, domum eo. Vix domum ingreſſa gallina, cùm reſpicit pullos milvi umbram circumeuntem; accurrit tectura eos alis, & cum pullis à vulpe capitur. Cui vulpes, cur ita temerè me viſa, domo exiſti? Reſpondit gallina. Potiùs tibi prædam fieri volui, quàm natos tam mihi charos milvo volitanti permittere.* Aptè quidem ad æmulationem divini Principis qui gallinæ pullos ſub alas protegenti ſe non dubitavit aſſimilare.

Idem lib. 11. c. ult.

Hoc lib. §. 120.

Vaſconc. in ejus vita §. 26.

Mat. 23. 37

140 Sic ſuos amanti Theodoſio, tot præterea nominibus amabiliſſimo, quis debiti amoris vicem non rependeret? Ambroſii de Rege Davide luculentam ſententiam liceat Theodoſio diligenti, viciſſimque à ſuis dilecto aptè adoptare: *Quis igitur* (inquit) *non diligeret eum, quem videbat ita charum amicis, ut quia ipſe ſyncerè amicos diligebat æquè diligi ſe à ſuis amicis arbitraretur? Denique parentes eum filiis ſuis, filii præferebant parentibus.* Et paulò poſt; *Etenim ad inecntivum*

D. Ambr. de offic. l. 2. c. 7.

tivum charitatis communis plurimùm proficit, ſiquis vicem amantibus reddat, nec minùs redamare ſe probet, quàm ipſe amatur; idque amicitiæ fidelis patet exemplis. Quid tam inſitum naturæ, quàm ut diligentem diligas? Quid tam inolitum, atque impreſſum affectibus humanis, quàm ut eum amare inducas in animum à quo te amari velis? Infimi, ſummique Theodoſium ſummo proſequebantur amore: populares in eo diligendo Magnates certatim æmulabantur; jucundumque inter utroſque amoris certamen exarſerat; pudebat optimates ab ignobili plebe in amando Theodoſio æquari, ne dum ſuperari ab infimis, quos ſors, & natura fecerat longè ſuperiores: infimi è contra multitudine ſua præfidentes turpe ſibi ducebant, ſi tam multi à paucis admodum in reddenda mutui amoris vice per ſummum dedecus vincerentur: utriſque ſatis amplam redamandi paſſim materiam Theodoſius ſuppeditabat. In primis intimi amoris frequenti exhibitione, qua nullum eſt conciliando amori philtrum efficacius: mox omnigena beneficiorum in univerſos, prout ſe dabat occaſio, effuſione, qua inexpugnabiles alioqui animi vinci, ac devinciri ſolent: item placiditate mentis, & animi benignitate perpetuò influens in ſuorum affectus; popularis enim, & grata eſt omnibus bonitas, nihilque tam facilè illabitur humanis affectibus. Ad hæc manſuetudine morum, facilitate animi, moderatione præcepti, affabilitate ſermonis, verborum honore, modeſtiæ gratia, incredibile quantùm proceſſerit ad cumulum alienæ dilectionis. Tandem cæterarum omnium virtutum, quas hìc, & ſequenti libro proſequimur, indefeſſa proſequutione: quarum dum ſe abſolutum exemplar cunctis præbuit æmulandum, ſe propterea univerſis unicè amabilem reddidit; nam cùm nihil ſit pulcherrima virtute amabilius, quæ ſi oculis cerneretur mirabiles ſui amores excitaret, nil mirum tam charum ſuis Luſitanis Principem extitiſſe, quem virtutum omnium veram effigiem cunctos ad ſui amorem provocantem aſſiduè intuerentur. Illum certè Imperatori Tito idcirco jure contulerim, de quo Eutropius:

Eutrop. in Hiſt. Rom

Vir omnium virtutum genere mirabilis, adeo ut amor, & deliciæ humani generis diceretur, &c. Quàm ardenter Luſitani omnes Principi Theodoſio univerſos amanti mutuum amorem impenderent, exprimitur elegantiſſimè in citato ſæpe à nobis ejuſdem Elogio: *Nemo* (inquit) *unus homo tam charus fuit uni, quàm tu omnibus. Publicum demeruiſti amorem, quia procul habes privatum. Non modò meres, ſed habes validiora imperii inſtrumenta, bonos nimirum amicos. Quamvis naturæ jus Te non inauguraſſet Principem, ſufficeret communis affectus maximus Regnorum arbiter. Dominari amas cordibus, non ſtatuis, de Aſſertoris maximi experimento. Perduellis populi inclinato capite declinavit imperium; ejurata enim Dei, hominis (ideſt) Cæſaris elegerat Majeſtatem; Subditus ſine amore; ſtatua ſine corde. Vix fides, quanta fides maximè cum Te vidimus morbo laborantem. Quod tibi deprecabamur, nobis precabamur periculum. Vox noſtra non uti illa quondam vaniſſima, qua licet communis, erat nullius. Nobis fluebant verba non ex ore, ſed ex corde unum omnium votum noſtram in tuam vitam transcribere, &c.*

Apud Tertul. Apol. c. 35.

141 Nemini quidem certiùs erat exploratum, quàm eſſet univerſis Regni ordinibus charus Theodoſius, quàm Sereniſſimo ipſius Parenti, qui propterea illum Tribunali trium Statuum colligendis decimis ad belli ſubſidium erecto, ea de qua ſupra diximus cauſa, præfecit: non modico ex ea præfectura in publica commoda ſequuto emolumento. Idem, ut plurimi tunc maximè credidere (ideo Theodoſium ad Elvenſem exercitum recèns profectum, illucque acribus ſui amoris ſtimulis univerſos avocantem, Ulyſſiponem brevi

Lib. 1. §. 382.

Ib. cap. 27.

revo-

revocavit, veritusne inſolens erga Theodoſium Luſitanorum omnium ſtudium; vehemensque ardor eam in bellicoſi adoleſcentis pectore flammam excitaret, quæ non niſi largo Caſtellani, ac Luſitani ſanguinis profluvio reſtingueretur, cui parcendum interim, quandiu ab hoſtibus juſto exercitu minimè provocaretur prudens Rex è republica exiſtimabat. Certè Caſtellanis ipſis de hoc à pluribus jam pridem admonitis, tunc primùm è proximo clariùs innotuit qualis, quantusque foret Luſitanorum omnium in ſuum Principem amor ſibi unicè pertimeſcendus: enim verò non Luſitanorum militum virtutem, Ducùmque militarem peritiam, non reliquum belli apparatum ſibi nimis formidandum putabant, cùm illis ſe pares, aut fortè propria æſtimatione ſuperiores haberi vellent: unum præ omnibus ſibi formidabilem meritò ducebant ardentiſſimum Luſitanorum omnium erga Theodoſium amorem, ſub quo armorum Præſide ardua quævis, & difficillima imperante non dubitaret eorum quilibet plurimis; etſi validiſſimis occurrere Caſtellanis; per confertas hoſtium phalanges animosè irrumpere; vita millies potiùs periclitari, quàm ſemel tam chari capitis adimplendis imperiis, tuendæque ipſius incolumitati, exiſtimationique deeſſe. Hunc ſatis prudentem illorum timorem denuo conceptum mediocriter acuebat non minùs acutum, quàm verum Eliſabethæ Catholicæ Reginæ olim reſponſum recenti adhuc memoria retentum: *Quam virilis animi Heroinam rogabant olim Caſtellani proceres, ut Luſitano bellum inferret; rogantique ſuorum, ac Ioannis militum numerum; cùm ſibi duodeviginti, Regi verò ad octo millia eſſe reſponderent: At nos (*inquit*) milites: Ioannes filios numerat.* Quod verè de Joannis ſecundi, longè veriùs de Joannis quarti militibus ſub ejus filio Theodoſio ab omnibus unicè dilecto, ſi adhuc viveret, Eliſabetha pronuntiatura. Aliter Sereniſſimus Rex ſummum id omnium ordinum, etſi maximè gratum ſtudium erga Principem quaſi per jocum propalabat, dum apud aliquos fiducialiùs familiares haberet ſermones: *Orientem nempe ſolem Principem omnes ſuſpicere, cadentem vix paucos admodùm reſpicere.* Ad quem hæc præferentem argutè, urbaniſſimèque ſemel reſpondit unus qui aderat, P. Andreas Gomeſius inſignis concionator, acerrimi vir ingenii, promptique ad ſubita judicii: *Veſtra Majeſtas (*inquit*) non cadentem ſolem, ſed meridianum in apogæo fulgentem refert; cujus proinde intentiores radios pauci aquilino præditi obtutu ſuſtinere valent. Sereniſſimus Princeps ſolis inſtar orientis remiſſiores adhuc ſua lucis exerit radios; infirmam oculorum aciem minimè perſtringentes, ideo fortaſſe à pluribus obſervatur.*

142 Sermonem olim cum Theodoſio familiariter, ut ſæpe aliàs, è noſtris quidam conferebat; cùmque mentio incideret de Luſitanorum omnium erga ipſum Principem ſummo amore, auſus eſt vir ille ſic pro eo atteſtari: *Veſtra Celſitudo eſt Luſitanorum omnium Principum, qui unquam extitere à condita Luſitania, omni procul dubio, à ſuis Luſitanis dilectiſſimus.* Non inficiatus eſt religioſi viri verum planè teſtimonium Theodoſius, probè conſcius eximii ſuorum in ſe amoris, quo major eſſe non potuit, immò illud confirmavit prolata ſententia, digna quidem, quæ omnium Luſitanorum animis infixa æternùm, pro recolendo ipſius erga ſe ipſos amoris pignore, aſſervetur: *Certè ſi meum cor illis pateret, in eoque ſe ipſos attentè introſpicerent multò ardentiùs omnes à me uno diligi animadverterent.* Jucundum quidem illud mutui amoris certamen inter Theodoſium, cæterosque Luſitanos novam, & plauſibilem ſapientibus invexit philoſophiam: vulgaris enim docet duo tantùm ſe mutuò amantium corda

duas eſſe chordas ſympaticè temperatas, quarum pulſata leviter una jucundiſſimo, ſimillimoque ſono altera correſpondeat. Verùm Theodoſii ſuos amantis cordi non unicum tantùm cor, ſed tot debiti amoris vicem reddebant, quot numerabantur Luſitani amoris impulſu ab eodem provocati: niſi fortè illorum omnium corda in unum coiiſſe credamus, quò virtutis unitæ fortiùs agentis majori impendio unicè diligerent multis nominibus unicum Theodoſium. At utcunque ea ſe res habuerit, Non dubito quin ardentior fuerit Theodoſii amor erga ſuos Luſitanos, eodem ſic aſſeverante; verùm conſtat vel ipſius Theodoſii confeſſione, talem, ac tantum fuiſſe Luſitanorum amorem erga eundem, ut ipſe aliqua ex parte imminui, ac remitti Luſitanæ in ſe dilectionis intentionem optaverit. Cùm nonnullis igitur quorum plus nimiò indulgentiorem in ſe animum deprehenderat verba faciens, ſic eos dicitur non ſemel deprecatus: *Ne, quæſo, me citò periturum deperite; ne meus vos obitus acerbiore, quàm par eſt, dolore conficiat.* En iterum ſolitò flagrantiores emicant Theodoſii amoris flammæ; qui ſuæ inſtantis jam mortis à ſe prævisæ, ac prænuntiatæ parum ſolicitus, ſolo ſuorum nimio mœrore angebatur; minùs acerbum, immò placidum ſuum ſibi futurum obitum proteſtatus, ſi de illo ſui minus acerbè dolere poſſent. Id tamen unum à ſuis Luſitanis ad nutum ſibi obtemperantibus impetrare haud potuit, amori ſuo longè potentiori perenne lacrymarum profluvium, & æternum dolorem imperanti; quàm ſui dilectiſſimi Principis votis, & imperio in ejus lugubri obitus potiùs obſecundantibus.

CAPUT XII.

Politicarum Principis Theodoſii virtutum analecta.

143 PRæcipuas hactenus Principis Theodoſii politicas virtutes in propria capita diviſas expoſuimus; in hoc ultimo reliquas, quæ ſuperſunt nullatenus prætermittendas copulatim exequemur, naturæ, artiſque haud ingrata legentibus æmulatione. Et quidem non minus ſpecioſa eſt ſub noctem ſereni cœli facies illuminata fulgentibus ſtellis in ſuas ſtationes ſeriatim diſpoſitis, quàm earum pluribus in una via lactea mixtim conglobatis. Neque tam ſpectabiles per viridarii areolas diviſi flores, quàm in faſciculum aptè commixti. Neque tandem aut oculis gratiores, aut palato ſapidiores fructus, cùm à ſua quiſque arbore colligitur, quàm dum ab una eademque plures artificioſæ inſitionis induſtria ſimul erumpunt. Certè cum in unico ſapientis Theodoſii capite omnigenas ſcientias, in ſuo quaſi ſolio amicè reſidentes alibi dederim, non abs re erit in hoc ſupremo politicarum ejuſdem virtutum capite, quæ fortè ſuperaverunt, reſidua exempla colligere, ne omninò pereant; maximè cùm audiam divinum Principem ſuos diſcipulos admonentem prodigioſi convivii relicta ſparſim analecta, ut colligant, ne aliqua ex parte pereant: *Colligite quæ ſuperaverunt fragmenta, ne pereant.*

Hoc lib. c. 2.

Joan. 6. 12

Temperantia.

144 Ex quatuor Cardinalibus virtutibus Prudentia, Juſtitia, Temperantia, & Fortitudine, quibus mirificè claruit Theodoſius, quarumque jam ſuis locis meminimus, quarta ſupereſt à nobis hactenus illibata Temperantia, cu-

Hoc lib. c. 4. 5. & 7.

jus hoc loci mentionem faciemus, cùm in ea non minus, quàm in aliis excelluerit. Nulla certè Principibus utilior, nulla difficilior virtus; utiliſſima quidem, ne in ſumma rerum omnium affluentia immodicis deliciis, & voluptatibus diffluant; difficillima ex eadem affluentia, frequentibus in aula cupediis, lautitiis exquiſitis, ac peregrinis obſoniis gulam paſſim irritantibus, & intemperantiam provocantibus. In cibo, potu, ac ſomno moderando cùm Temperantia in primis verſetur, eorum omnium parciſſimum extitiſſe Principem planè conſtat. Et quidem cibo, potuique non niſi bis quotidie ad prandium, cænamque indulgere vulgò ſolitus, maximè poſt exactam pueritiam, initamque adoleſcentiam. Qua verò parcimonia vel in lautiſſimis conviviis inter prandendum, aut cænandum ſe haberet, teſtes locupletiſſimi adhuc extant plurimi aulici, qui Regiæ menſæ frequentes eo temporis aderant; fidem ii faciunt cibo, ut plurimùm ſimplici, nulliſque adulterato peregrinis ad irritandam gulam pigmentis, uti perpetuò aſſueviſſe Theodoſium, ea mediocritate, qua majori nullus alius è Principibus Brigantinis. Ex iis, quæ ad primam menſam inferri ſolent, ſola gallina, vel pullis gallinaceis coctis, aſſis ve admodùm modicè veſcebatur, corporis ſanitati, quàm appetitus ſatietati; reficiendiſque viribus, quàm prægravando ſtomacho potiùs intentus: à cæteris ferculis, quibus abundè regia menſa, opiparèque onerabatur, vel omnino abſtinebat, vel non nihil de aliquo delibabat, quò plus affici Sereniſſimum Parentem ſciret, eidem ea ratione gratum facturus. Ex iis, quæ pro ſecunda menſa mos eſt ad extremum adhiberi, aut bellariis, aut fructibus Cydonite (vulgò marmelada) leucopbagoque, melopoponibus, ac ceraſis utpote ſalubrioribus ſuo judicio tantummodò delectabatur; cætera etſi optima, nullibique, quàm Luſitanis menſis frequentiora, vel inſipida ſibi, vel inſalubria reſpuebat. Omnigenos idem piſces, oſtrea, & conchylia ita nauſeanti ſtomacho, à prima pueritia eſt averſatus, ut perpetuum eorum uſum illi medici quandiu vixit, interdixerint; maximè poſtquam innotuit manifeſta experientia, non ex delicatuli, ut nonnunquam accidit, genii vitio, ſed ex occulta ſtomachi affecti antipathia id provenire; cùm enim aliquando vellet Sereniſſimus ejus Parens experiri an fortè, ut ſæpiùs ſolet, eo piſcium horrore præpoſtera imaginatio Principem afficeret, minuſque, quàm deceret, virilem, ac robuſtum redderet, juſſit ex probatiſſimo piſce egregiè conditos globulos, illis omnino ſimiles, qui ex gallina ſolent confici, Principi comedendos apponi; eos ille moderatè, ut de more habebat, libenterque deguſtavit; at non multò poſt adeo cæpit male habere, anxièque inteſtinis convulſionibus diſtorqueri, ut non priùs potuerit ex integro convaleſcere, quàm exitiale virus evomuerit. Ceſſatum deinceps ab hujuſmodi noxiis experimentis, ſeriòque à medicis injunctum, ne unquam vel in quadrageſimali tempore piſces Princeps deguſtaret. Ei verò nativæ ſtomachi debilitati confirmandæ generoſum iidem vinum jam adoleſcenti hauriendum imperarunt, quo tam abſtemius, quàm reliquis cibis parcus, deinde uti cæpit; an vel ſic magno ejuſdem valetudinis hactenus validæ detrimento, ut nonnulli, poſt ejus obitum, aſſeverare non dubitarunt? Non eſt meum dijudicare: licèt ex ſe innocens, conjecturalis quidem eſt, ſæpeque fallax medicinæ ars; & non ſemel vel ipſis Principibus,

è quorum ſalute omnium ſalus pendet falſa opinione decepta, quaſi ſalutaria,
valdè noxia perſuadet.

145 At non ſatis habuit Theodoſius in ſumendo cibo, potuque intem-
peranti ſatietati minimè indulgere; ſingularem præterea in hiſce modeſ-
tiam, ac humaniſſimam moderationem, quæ ingenuum puerum, & ado-
leſcentem mirificè commendat, perpetuò exhibuit. Nemo illum unquam
de cibo perperàm condito, aut de miniſtrantium incuria conquerentem
vidit; utcunque illi ſe haberent eodem ſemper placidi oris habitu, ad
benevolentiam compoſito univerſis Princeps complacere. Non ſemel ipſi
plus nimio aſſi pulli gallinacei ſunt appoſiti, eos ſeponere contentus ad-
verſus cocum ne leviter quidem commoveri: quin immò cùm eidem
minitantem Architriclinum animadverteret, ne propter ſe ipſum moleſ-
tiæ minimum alicui inferretur ſeriò exorare. Urgenti verò haud impu-
nè fore ſervo, cujus negligentia impranſus, vel incænatus abiret Prin-
çeps, ita occurrere: *Parvi refert, illi potiùs referenda eſt gratia, qui ſalutaris*
abſtinentiæ nemini unquam noxiæ cauſam dedit; aliàs meliùs præparata ſubmittet.
Frequenter aulici Theodoſii obſequiis addictiores ipſius demerendæ gratiæ
cupidi ab eo quærebant, quales, cujuſmodique vellet cibos, qui ſibi eſſent
ſapidiores, adaptari? At nullum ab eo unquam niſi hujuſmodi reſponſum
accepere: *Prout vobis libuerit, id certe mihi accidet jucundiſſimum; quidquid*
vobis placebit, mihi non poterit diſplicere. Si ulteriùs pergerent, neſcire ſe
quale nam foret optabilius ſuæ Celſitudini condimentum? *Ego quidem* (red-
debat Princeps) *certò ſcio me à vobis impensè amari; nullæ quidem dulciores da-*
pes, quàm quas artificis amoris ingenium elaborat. Illis demum adeo temperatè
utebatur, ut à prandio literariis, à cæna cœleſtibus exercitiis diutius orando
vacaret. Delibatæ leviter epulæ neque illius corpori, neque animo graves
unquam extitere.

146 Hinc Epulones ventri, comeſſationibusque unicè deditos, propriæ
ſubſtantiæ, ſalutis, ac vitæ dilapidatores tam oderat, quàm ſobrios, & abſte-
mios amabat, omnibusque odio, vel amore proſequendos objiciebat ex
D. Chryſoſt. in tract.1. Quòd nemo læditur niſi à ſe ipſo. commendabili ſententia. D. Chryſoſtomi, utroſque inter ſe nervosè, ac ele-
ganter committentis hiſce verbis: *Ac primùm placet* (inquit) *divitum menſas*
inopumque perpendamus, & convivas percontemur, utri maximè liquidam, ac germanam
percipiant voluptatem; an qui ad inclinatum jam in occaſum diem in ſtratis decumbunt,
prandia cum canis jungunt, ventrem diſtendunt, ſenſus hebetant, ingenti epularum
pondere navigium obruunt, ac deprimunt, illudque tanquam in naufragio corporis de-
mergunt; compedes, manicas, linguæ impedimenta moliuntur, totumque corpus ebrieta-
tis illo diliciarum vinculo conſtringunt, catena ferrea graviori? Qui non ſyncerum ca-
piunt, non verum ſomnum, non horribilibus liberantur ſomniis, & furentibus miſeriores?
Qui dæmonem ultro quendam in animum admittunt, famulorum turbæ riſum movent,
vel tragœdiam potiùs excitant, lacrymarumque cauſam modeſtioribus præbent? Qui ni-
hil intelligunt rerum humanarum, non dicere quidquam valent, non audire, ſed
raptim ad cubile ex menſa feruntur. An non vera voluptate perfunduntur, qui ani-
mo ſemper excubant, languore omni abjecto, atque deſidia, qui modum neceſſita-
te metiuntur, ſecundis ventis utuntur in curſu; cibi, potioniſque condimentum,
& voluptatem in fame, ac ſiti maximam ponunt? Nihil enim æquè tum volupta-
ti, tum valetudini conducit, atque eſurientem, & ſitientem, quæ ſint appoſita, &
parata contingere, ſatietatem in una neceſſitate collocare, neceſſitatis fines non tranſi-
lire,

lire, neque corpori majus onus imponere quàm vires ferant, &c. Et paulò poſt: *Nonne firma ſunt illorum corpora, qui moderatum adhibent cibum, & ſenſus integri, quique ſuo facillimè funguntur officio? Aliorum verò enervata, languida, cera ipſa molliora, & morborum turba circumſeſſa? Etenim ad illos podagra illico volitant, tremor membrorum intempeſtivus, ſenectus immatura, capitis dolores, nervorum diſtenſiones, ac diſſolutiones, ſtomachi vitia, cibi faſtidium; aſſidua medicorum opera indigent, aſſiduis medicamentis, quotidiana curatione. Iſta ne ſunt obſecro voluptatis, &c.*

147 Exinde adverſus ebrietatis noxiam intemperiem, innumeriſque damnis bibaciſſimum quenque afficientis invehi ſolitus D. Ambroſii aculeatis verbis ebrietatem, ebrioſque inſectatus: *Ebrietas* (inquit Sanctus Doctor) *fomentum libidinis, incentivum inſaniæ, venenum ſapientiæ. Hæc ſenſus hominum mutat, & formas; & per hanc fiunt ex hominibus equi adhinnientes, &c. Ebrii verò* (proſequitur idem) *vocem amittunt, colore variantur, oculis igneſcunt, ore anhelant; fremunt naribus, in furore ardeſcunt, ſenſu excidunt. Hinc phreneſis periculoſa, hinc calculi gravis pœna, hinc exitialis cruditas, hinc vomitus frequens ſemeſas epulas cum internorum viſcerum cruore fundentium, &c.* Et paulò infra: *Hinc etiam vana imagines, incerti viſus, inſtabilis greſſus; umbras ſæpe tranſiliunt ſicut foveas. Nutat his cum facie terra, ſubito erigi, & inclinari videtur, & quaſi vertatur timentes in faciem ruunt, & ſolum manibus apprehendunt; aut concurrentibus montibus ſibi videntur includi; murmur in auribus, tanquam maris fluctuantis fragor, & reſonantia fluctu littora. Canes ſi viderint, leones arbitrantur, & effugiunt. Alii riſu ſolvuntur incondito; alii inconſolabili mœrore deplorant; alii cernunt inconſtabiles pavores, vigilantes ſomniant, dormientes litigant; vita his ſomnium eſt, ſomnus his mors eſt; excitari nullis vocibus poſſunt, quantolibet ſtimulando impulſu petas, niſi reſipuerint, evigilare non poſſunt, &c.* Utroſque tamen laudabili temperantia quàm verbis efficaciùs exagitabat Theodoſius cibi, potûſque, ac ſomni propterea moderatiſſimus. Quinque ad ſummumque ſex quotidie horis placido plerumque ſomno indulgebat; in reliquis vigilantiſſimus; eam Principibus vitandam perverſitatem dicebat, quæ ex diurno ſomno exiſtit, ut ſcilicet officia lucis, noctiſque pervertant; ac quaſi turpe ſit minimèque regium id facere, quod populis, diem totum ſtertant, tuncque tandem cum publico omnium incommodo ad ſe adeuntibus aures præbeant, negotia, quæ occurrunt tractent, cùm ſe noctis tenebræ intenderint, noctem facibus, cereis, funalibuſque vincentes. Quem morem ferinum eſſe, non regium probabat ex Regio vate: *Poſuiſti tenebras; & facta eſt nox; in ipſa pertranſibunt omnes beſtiæ ſylvæ, catuli leonum rugientes, ut rapiant, & quærant à Deo eſcam ſibi: ortus eſt ſol, & congregati ſunt, & in cubilibus ſuis collocabuntur, &c.* Cum enim hujuſmodi feræ illuceſcentem diem vident, antra ſua, & luſtra repetunt, & in ſuis conditæ cubilibus rurſus noctem præſtolantur. Longè contraria debet eſſe agendi ratio, quam ſequi oportet homines, maximè Principes ratione præditos, de quibus dicitur: *Exibit homo ad opus ſuum, & ad operationem ſuam uſque ad veſperam, &c.* Ideo enim ſupremus ille rerum opifex Deus ſolis lampadem hominibus accendit, ut diurno tempore ſuis inſiſtant operibus; idem poſt ſolis occaſum tenebras effundit, ut per nocturnam quietem ſe ad ſomnum componant, & vires tum coporis, tum animi reparent fatigatas. Quàm verò tandem ab omnibus deliciis, & voluptatibus maximè libi-

D. Ambr. de Elia, & jejun. c. 6.

Pſ. 103. 20

Ibid. n. 14.

libidinoſis temperantiæ infenſis Theodoſius abhorruerit, dicendum à nobis
Lib.3 §. 115. ad 163. alibi, cum de illius angelica virginitate mentionem faciemus.

148 Nunc de Majeſtate Regum, ac Principum propria virtute, plus æquo à nobis hucuſque dilatæ non nihil properanti jam ad extrema calamo perſtringendum: *Hæc* (Lipſio judice) *reverenda quædam eſt amplitudo ob meritum virtutis, aut rerum ad finium*: illam Honoris, & Reverentiæ vel prolem, vel parentem potiùs aptè dixeris. Eadem in vultu Principis ad gravitatem compoſito; mox in ipſius verbis pro rerum, perſonarum, loci, ac temporis exigentia ponderosè prolatis; præterea in cæteris ejuſdem actionibus, corporiſque motibus immobilitatem animi atteſtantibus, auctoritatemque conciliantibus multùm elucet: ad extremùm, ea non parum externis vulgò paratur auxiliis, cujuſmodi ſunt corporis auguſtior cultus, ædium, palatiorum, & hortorum amplitudo, frequens corporis ſtipatorum, ſatellitum, aulicorum, magiſtratuum, regnique procerum corona; domus luculenta, ſupellex auro, argentoque renidens; curruum, equorumque multitudo, & varietas, ac ſimilia; de quibus tamen nihil in præſentiarum nobis ſolas Principis noſtri virtutes exequentibus, dicendum; unicè inſiſtendum ſolidæ majeſtatis fundamento in vera virtute ſtabilito, quæ nullis etiam externis ornamentorum, apparatuumque adminiculis grato, & jucundo introitu animis hominum illabitur, admirationemque ciet.

Lipſ in po lit.l.2.c.16

149 Ab ipſa jam, ut diximus, pueritia inſitam majeſtatem affectare cæpit Theodoſius, præſertim quoties in publicum ſibi foret procedendum. Apud Alcantarenſem aliquando villam in concamerata ſpelunca cum ingenuo puero legendis libris operam dabat; ſed cùm videret Puerum ſomno vehementer in oculos irrepenti ſui ergo obluctantem: *Quieſce* (inquit) *ut libuerit quaudiu aulici non advenerint.* Qua indulgentia & alienæ infirmitati, & propriæ auctoritati conſuluit, ne fortè ſuperveniens aliquis ſedentem indecorè puerum, ſomnoque indulgentem coram Principe obſervaret. Aliàs nutricem ſuam magnam, Marchioniſſam Atouguienſem reprehendit, quia dum comitaretur ſe ipſum, Sereniſſimaſque ipſius ſorores, cùm obvia fortè Domina ſermones familiares conferens tantiſper immoraretur, reddita inſuper cauſa: *Nimirum id eſſe contra debitam regiis perſonis reverentiam.* Major natu crebriores nactus ſe omnium oculis exhibendi occaſiones, nullam conciliandæ venerationis, exhibita majeſtate, omiſit. Univerſi eum vel antea incognitum ex primo intuitu ſuſpiciebant, eſſeque inter plurimos facilè Principem ex Sereniſſimi vultus præcellenti dignitate dijudicabant. Crederes Græcum Periclem, quem deſcribit Plutarchus, *vultu ſerio, nec ad riſum facili, inceſſu moderato, voce, & ſermone ſedato*; vel Romanum Scipionem Africanum, cui (Authore Livio) *Præterquam quòd ſuapte natura multa majeſtas inerat, adornabat promiſſa Cæſaries, habituſque corporis, non cultus mundities, ſed virilis, ac verè militaris, &c.* Theodoſii majeſtatem vivis exprimit coloribus nobiliſſimus ipſius Panegyriſtes: *Auctoritas* (inquit) *ſpecioſior dominantium tutela affectata aliis, innata tibi. Ambigimus utra venerabilior in Te, oris dignitas, an Perſonæ? At ita in ſecreto facilis, ita in publico ſeverus; ut nec facilitas auctoritati, nec ſeveritas amori obſit. Matura ſemper hæc virtus vel in te puero fuit; ſi puer aliquando, qui viſus ſemper eſt vir. Rex, qui perfectus dictus eſt Princeps, ad ultimum dumtaxat vitæ ſtadium nuncupatur, Homo; Theodoſius jam ad primum pluſquam homo. Vix unus Hebræorum Heros, & jam appellatus vir: nempe fratrum æquè, ac Ægyptiorum deſtinabatur* impe-

Lib.1.§.22 Plutarch. Liv.lib.28 Joann.2. Luſit. Rex Vaſconc. in ejus vita §.26.

imperio. Ac ſi ſolus rectè valeat imperare hominibus, ab incunabulis Homo. Innata tibi regnandi ars ; ob maturas virtutes priùs contigit eſſe virum, quàm puerum. Non dedigneris tamen jam rude donatus auſcultare adhuc quæ pueris inſtillantur religionis rudimenta. Quia nihil incongruum majeſtati putas, quod congruum pietati. Mutatur per auguſtalem præſentiam tyrocinium religionis in magiſterium ſanctitatis. Enim verò frons tua pulcherrima virtutum magiſtra, pudicitiæ imago, veritatis ſpeculum, modeſtiæ ſedes, ita viſu, & auditu venerabilis, ut dubios reddas animos, utrum in Te validius imperium, facies, an ſermo, &c. Hæc illi frequens, & valde familiaris vox erat: *Nihil tam vultum Principis influere in omnium animos oportere, quàm reverentiam*: Eam ſummi ex æquo, infimiquę illi præſtabant, ſive tacenti, ſive verba brevi ſemper, & cum pondere, ac menſura facienti. Neque aulicis tantum, cæteriſque ſibi ſubditis, publicè, privatimqùe, verùm ipſi etiam Sereniſſimo Parenti, eodem ingenuè id ipſum palamque profitente, venerationi erat: non ſemel ille auditus eſt, cùm diceret: *Plus ſe revereri Filii Theodoſii, quam olim Parentis Theodoſii reprehenſiones.* Sic appellare ſolitus ea verba, quibus aliquando Princeps, cùm res maximè poſceret, Sereniſſimum Parentem debita cum reverentia regii officii admonebat. Id ſi unquam aliàs ſemel Aclantaræ accidiſſe mihi author fuit quidam ex aulicis teſtis oculatus, qui fortè poſt myrteta delireſcens mutuò colloquentes de ignoto ſibi negotio auſcultabat: illud qualecunque foret, ſibi certum eſſe jubere, ac perficere Sereniſſimus Rex obfirmatè contendebat ; è contra Theodoſius apprehenſa Parentis dextra ſic illi animosè obſtabat: *Non licet id Veſtræ Majeſtati tuta conſcientia: etſi ampliſſimi vulgò exiſtimantur, arctiſſimi quidem ſunt regiæ poteſtatis termini, rationis, & legum vinculis conſtricti.* At non modò expreſſis aliquando verbis, ſæpe alienati vultus tacita ſignificatione, reverentique aliorsùm declinatione, quid regiam majeſtatem decens, quid è contra indecens ipſe judicaret, Sereniſſimo Parenti efficaciùs, & fructuoſiùs indicabat.

150 In eadem forte Alcantarenſi villa juxta fontem, cui à Nympha, cognomen unà cum Principe, ac nonnullis religioſis viris utrique gratioſis ſedebat Rex; tunc univerſis, ut credidit, gratum facturus, imperat uni ex aulicis, qui adſtabant, ut ſibi adferat chartam à ſe legendam lepidis, ac ingenioſis acuminibus plenam. Audierat ex certa relatione Princeps, ſatyricis eam aculeis aliquorum vitia perſtringentibus eſſe aſperſam: quibus ne intereſſet ſimulato majori liberiùs per villam ſpatiandi voluptate, Impetrataque à Sereniſſimo Parente abeundi venia exinde antequam adveniret, emiſſus nuntius, alio ad tempus receſſit, nec niſi poſt abſolutam eam lectionem ſibi prorſus ingratam (quod neminem latuit) eandem ſtationem repetiit. Injecto de aliis, quæ interim, aut viderat, aut audierat, innocentiori ſermone, quo præteritæ jam lectionis recentem adhuc memoriam penitus aboleret. Aliàs cum aulicis, aliiſque illuſtribus viris Principem frequenter convenientibus familiares ille miſcebat ſermones; cùm abeuntem ex iis unum cæpere cæteri ſcommatis, & detractionibus indignè habere ; tunc pro rei in dignitate indignatus Princeps, ubi aliquandiu vultu ad ſe veritatem converſo ad inhibendam ingratam ſibi detractionem nihil ſe proficere animadvertit: *Abeundum* (inquit) *mihi eſt, quoniam ab immeriti abſentis amici calumniis minimè ceſſatis.* Mox aliò ſeceſſit, ſuoque abitu invaleſcenti murmuri ſine tunc impoſito, in poſterum, ut reſipiſcerent, ac ſe coram maledicis ſermonibus, cæteri abſtinerent, effecit. Hiſce, ac ſimilibus frequenter animadverſis, vel ipſe Sereniſſimus

Rex quoties cum aliis de rebus à Principe, ut credebat, improbandis colloqueretur, eo veniente ſermonem invertere, ad utilioraque traducere: tam erat ipſi, cæteriſque Princeps venerabilis. Immò ab ipſa Sereniſſima Regina Matre accepi, ex familiari adulti jam Principis convictu, frequentibusque collationibus multùm profeciſſe Regem Sereniſſimum tum ad propriam, tum ad alienam reformationem promovendam: quo maximæ auctoritatis effectu, nullus potuit fructus eſſe uberior.

. 151 Majeſtatis verò jura ita coluit, ut triſtitiam, & arrogantiam prorſus exueret, quæ duo imperiti nonnulli aſſumunt quaſi conciliandæ majeſtati,
Plut. in com. ad Princip. in doct. quos meritò Plutarchus reprehendit: *Qui mentem non habent Reges, & Principes* (inquit) *imitantur imperitos ſtatuarios, qui exiſtimant coloſſos ſuos magnos, & venuſtos futuros, ſi tibiis quàm maximè deductis, & inflatos, & biantes fecerint: ſic iſti gravitate vocis, & torvitate aſpectus, & morum aſperitate, & inſociabili quadam vita dignitatem, & majeſtatem imperantium exprimere ſe cenſent.* Theodoſius quidem regiam majeſtatem ſic tempeſtiva facilitate attemperavit, ut illi (quod
Tacit. in Agric. rarum) nec facilitas auctoritatem, nec ſeveritas amorem imminueri, Germanico ſimilis, qui *viſu, & auditu juxta venerabilis, cùm magnitudinem, & gra-*
Tull. pro Leg. Manil. *vitatem ſummæ fortunæ retineret, invidiam, & arrogantiam effugerat.* Idem magno Pompeio non abſimilis; *qui cùm dignitate Principibus excelleret, facilitate par infimis eſſe videbatur.* Sed quoniam *Continuus aſpectus minus verendos magnos ho-*
Liv. l. 35. *mines ipſa ſatietate facit*; paritque aſſiduitas contemptum; è contra raritas conciliat ipſa rebus admirationem; & majeſtati major ex longinquo reverentia; Theodoſius, cui hæc ſatis comperta erant, quique probè norat vel ipſa Dei majora miracula ex frequentia viloſcere, minora verò ex inſolentia pro ma-
D. Aug. ſer. 147. de temp. ximis haberi, id obſervante D. Auguſtino *Majora* (inquit) *miracula ſunt tot quotidie homines naſci, qui non erant, quàm paucos reſurrexiſſe, qui erant; & tamen iſta miracula non conſideratione comprehenſa ſunt, ſed aſſiduitate viluerunt, &c.* Ideo parumper aliquando ſe ſubducere, iterum ſuorum conſpectui ſe reddere conſuerat, inſtar ſolis modò in ortu majeſtatis indices radios mortalibus oſtentantis; modò in occaſu eoſdem viciſſim occultantis: verùm utrunque cum judicio, & modo, qui eſt anima, & ſal virtutum. Ideo immodicum oderat
Panegyr. ad Theod. illum Perſarum regium faſtum, *apud quos perſona Regis ſub ſpecie majeſtatis occulitur; quique intra ſecretum palatinæ domus incluſi, tanquam aliquod veſtale ſecretum conſuluntur.*

Conſtantia . 152 Conſtantiæ, quæ Principibus maximè neceſſaria virtus eſt, honorifica mentione claudendus demum eſt ſecundus hic de politicis Theodoſii virtutibus liber: hujus quidem duplex paradigma Principibus æmulandum ex
S. Hieron. l. 3. in ep. ad Epheſ. c. 4. Sanctis Joſepho, & Jobo proponit S. Hieronymus: *Ioſeph* (inquit) *unum habebat propoſitum placere Deo; hoc nulla varietate temporis immutatum eſt, nec fratrum invidia, nec conditione ſervitutis, nec ætatis illecebris, nec Dominæ repromiſſis, nec ſqualore carceris, nec poſtea tumore Ægyptiæ poteſtatis; ſed ſemper unus fuit, & varietatem temporum redimens, malos dies vertit in bonos. Hoc idem eſt de Iobo ſentiendum, quòd per varia tentamenta vexatus, nec divitiis, nec damnis, nec orbitate, nec vulnere, nec exprobatione amicorum, nec ſolitudine, nec poſtea bonorum omnium reſtitutione mutatus eſt, &c.* Non quidem his ſimiles inconſtantis Fortunæ viciſſitudines ſubiit Theodoſius placida ſemper ipſius afflatus aura, verùm ſimilem
Tumul. Theod. Pag. 133. 134, & 135. illorum animum adverſis ſi fortè ingruerent, conſtanter objiciendum retinuit. De quo eleganter, ut ſolet, ipſius Tumuli Author: *Minus eſt conſtantem,*

ſe præbere in adverſis, quàm in proſperis moderatum, &c. Et paulò infra: *Iam verò quanta futurus eſſet conſtantia Princeps, qui illecebris capi, lenociniis allici, deliciis corrumpi non potuit! Quæ multò ſunt ad frangendos animos, quàm pericula, & vulnera, fortiora: nec enim tam vi animus expugnatur acri, & vehementi, quàm mollitur voluptate dulci, ac inſidioſa; quæ titillando ineſcat, & prodit arcem munitiſſimam mentis, eluſa magis, & decepta cuſtodia, quàm oppugnato, pulſoque præſidio. Itaque ſummi ſæpe Imperatores conſtantesque viri ipſa in acie, frangi, & vinci deliciis potuerunt. Theodoſius in aula delicata, & molli ferreum ſe adverſus voluptates, & aſperiùs ferro induruit. Ille inter aulicas Virgines Achillem, & Herculem degeneres arma meditans, tractansque refutabat. Sola ei ad conſtantiam adverſa defuerunt; quæ ſi obvenirent, næ illa non magis eum, quàm fluctus ſcopulum commoverent; rideret inanes minas, & victis glorioſè inſultaret, &c.* Etſi adverſa Theodoſio, adverſarii non defuere, tot quidem quot virtutes coluit, quibus contraria vitia perpetuò adverſantur; eorum aſſiduis & quotidianis prope inſultibus, ita conſtantem ſe præſtitit; ut à ſuſcepto ſemel cujuslibet virtutis propoſito, cujus fuit tenaciſſimus, nulla vi, aut perſuaſione unquam potuerit dimoveri. Illum, quercum illam dixeris quam M. Antonius Columna junior Dux Paliani pro ſymbolo depingi ſibi juſſit furentibus undique ventis concuſſam, hujuſmodique epigraphe animatam: *Semper immota*: qua propoſitam ſibi conſtantiam adverſus quoslibet violentos impulſus obſirmatam fore ſignificavit. Quàm fuerit Theodoſii conſtans amor ſuperiùs obſervavimus; idem quàm in cæteris virtutibus conſtantiam ſervarit, obſervabit qui hunc, & ſequentem maximè librum ſedulò perleget. Inconcuſſam Theodoſii conſtantiam commendat ſolito ingenii acumine ipſius Panegyriſtes hiſce verbis: *Nemo magis imperioſus aliis, quàm ipſe Tibi. Immotus ſemper in ipſa rerum commotione. Tentata ſæpe animi pax, turbata nunquam; ultra omnem iram poteſtatis aſſeclam ſerena veluti Cæli facies ſupra iratum mare. Maxima quæque flumina minimo labuntur ſono; admurmurant plerumque torrentes ſaxis: plus terroris oſtentant, quàm habent. Nihil in Te novum, rebus novis diverſis, ſive adverſis, ſemper idem. Circunſtant hoſtes undique, obſtrepunt vindicatæ libertati; interim inconcuſſus ad trepida, expeditus ad ſubita, providus ad futura. Nec pax exarmat bellum, nec bellum interturbat pacem. Amabile quidem imperium, quod non minùs dominatur ſibi, quàm aliis, &c.*

Apud Anſelm Boodt.

Hoc lib. 4. 138. & 139

153 At ſi unquam aliàs, in ſuſceptis poſt maturam deliberationem optimis conſiliis Principi conſtantia in primis neceſſaria eſt: *Turpis enim* (aptè monet Lipſius) *& fœda illa vacillatio ſententiam mutantium, & certum ſignum non certæ mentis: idque cùm ſingulis conſiliariis, tum magnis conſiliis* (*adde Principibus*) *vitandum; ne audiant illud, quod Carolus V. Imperator facetè conjicere in veterum Germanorum conventus ſolet, quos aſſimilabat viperis: quia* (*ajebat*) *ut iſtæ matres ſuas tollunt; ſic illorum poſteriora decreta priora, &c.* Qualis, quantaque fuerit hac in parte Theodoſii conſtantia, etſi frequentibus paſſim indiciis teſtatum poſteris reliquerit, duabus in primis, iisque publicis occaſionibus, quarum alibi meminimus, militari quædam, civili altera, immobilis omnino judicii ſingulare ſpecimen præ ſe tulit: primò cùm de recipiendis intra Ulyſſiponenſem portum, aut ab eo excludendis Palatinis Principibus pericloſa, & ſatis difficilis controverſia in ſupremo concilio agitaretur; nonnullis in eo ampliſſimo cætu pro communi utili adverſus Principes ſuffragantibus; Theodoſio interim pro honeſto, pro laudabili hoſpitii jure, ſummis periculis ſummæ gloriæ poſthabitis, unicè, conſtantiſſimèque obnitente, Sereniſſimum-

Lipſ. in not. ad 3. lib. polit. cap. 5.

Lib. 1. à §. 285. ad 312

niſſimumque tandem Regem,ac cæteros conſiliarios ad proprii ſuffragii proſequutionem, more primi mobilis abripiente. Secundò cum Elviis, capitalem ſententiam in aſſaſſinum militem à militari judice meritò latam, at mitigandam eam, leviorique pœna mutandam univerſis, optimatibus, plurimiſque aliis ex omnibus ordinibus enixè deprecantibus, inexorabilis reſtitit, integrumque intemeratæ juſtitiæ decus conſtare ad extremum juſſit.

Ibid § 325 ad 329.

154 Hiſce verò,ac ſimilibus paſſim exemplis inducti nonnulli ſibi perſuaſum habûere tenaciſſimi judicii tam fuiſſe Principem Theodoſium, ut cui ſemel adhæſerit, ſententiæ, ab ea nulla unquam potuerit ratione divelli.Quàm falsò illi eam de rationabili adeò Principe præpoſteram opinionem conceperint, planum in primis eſt ex iis, quæ de ipſius erga Sereniſſimos Parentes, Magiſtros, Confeſſarios, Medicos, valetudinarioſque miniſtros obedientia infra latè dicemus. Longè abfuit à contumaci tenacitate, qui ſe tam facilem toties etiam contra inſitum appetitum hiſce omnibus promptè obtemperando præſtitit. Hujuſce autem eximiæ docilitatis duplex denuò, mihi recenter expoſita documenta, pro rei evidentis confirmatione ſuperaddo. Dum Cetobrigæ Princeps ageret, de quo alibi, duo ipſius piiſſimo genio maximè conſentanea,qui eum comitabantur, perſuaſerant. Primum,ut re, cujus cauſa illuc venerat,non dum perfecta, Ulyſſiponem tantiſper repeteret natalitiis ſolemnitatibus in Regio ſacello aſſuturus;quibus exactis ad Cetobrigam iterum rediret; in eo Sereniſſimo Parenti gratiſſimum quid facturus, ejuſque arctiorem benevolentiam hujuſmodi obſequio conciliaret. Secundum ut obiter adiret proximum Cetobrigæ Arrabidæ montem incultis ſylveſcentium paſſim arbuſtorum incondita varietate ſpectabilem; eundem celeberrimi Cœnobii Fratrum Seraphici Franciſci religioſa auſteritate commendabilem; ipſummet multiplici, artificioſaque nobilium ædicularum conſtructione ad Eremiticos uſus opportuniſſima maximè viſendum; nativo tandem S. Margaritæ antro maritimi æſtus impulſu ad latè patentis templi formam excavato admirabilem. Utrunque ſibi valde voluptuoſum, etſi exequi jam Princeps deliberaverat religionis,& honeſtæ curioſitatis haud levibus ſtimulis agitatus; ſui tamen Secretarii,qui tunc erat Doctor Petrus Ferdinandus Monteyro,contraria ſuadentis optimis quidem, è republica,privataque rationibus facilè acquievit;publicoque perficiendo tunc negotio propria voluptate poſthabita,à ſuſcepto ſibi propoſito penitus abſtinuit, totumque ſe ad publicum negotium exequendum unicè convertit. Ex quo patet, quàm flexibilis foret judicii Princeps Theodoſius, promptus ſemper eò facilè deduci, quò urgentis rationis ſibi expoſitæ pondus, vel contra plurimorum ſuaſiones, inſitumque appetitum inclinaret, aliter omnino conſtans, prorſuſque immobilis.

Lib. 3 à §. 80. ad 110.

Lib. 1. §. 392.

155 Juvat hìc pro coronide hujuſce libri, ſupremique ipſius capitis, noſtri Principis laureatum caput redimire corona ex conſtantis juſtitiæ auro elaborata, illique aptare ſymbolum quo uſum ferunt Franciſcum Foſcarium, Ducem Venetorum ſexageſimum quintum, qui pro glorioſo inſigni duos palmites coronæ aureæ inſertos medio inter utrunque ſceptro,uſurpavit,addita brevi ſententia: *Conſtanter,& ſyncere*; O conſtet Sereniſſimo Petro quaſi firmiſſimæ petræ nunc innixa Luſitana Monarchia, immò victricis palmæ inſtar cœlo ſe inſerat Theodoſii politicis hactenus commemoratis, & chriſtianis mox commemorandis virtutibus confirmata; ſic immutabilem Deum imperii Luſitani Conditorem,ut ſupplicibus annuat votis,exoramus.

Apud Anſelm. Bo. odr.

LIBER

LIBER TERTIUS PRINCIPIS THEODOSII CHRISTIANÆ VIRTUTES.

ANTILOQUIUM.

HActenus Theodoſium Principem politicum dedimus, jam Chriſtianum dabimus; cæteris ſuperioris ætatis Regibus, & Principibus in utroque celeberrimis certè conferendum; & niſi ejus immatura obſtaret mors, univerſis indubiè præferendum. Plura fortaſſis in eorum nonnullis longævioribus Chriſtianarum virtutum documenta poſteritas recolet; at non pluris facienda, quàm quæ Theodoſius edidit; qui compendioſo vitæ, ac virtutis tramite univerſos prætergrediens, eundem veræ gloriæ apicem brevi attigit, quem illi non niſi poſt longiſſimam annorum ſeriem, innumeris implicitam ambagibus difficillimè demum tenuere. Iam verò id inter virtutes merè politicas, & Chriſtianas intereſt, quòd illæ vel Ethnicis communes ſint; iſtæ ſolis Chriſtianis peculiares: illarum inani, & ſpecioſo fulgore hallucinatum vulgus, illis plus nimiò tribuit; iſtis ſola dignis æſtimatione ſapientes veræ gloriæ cupidi unicè capiuntur. Tandem (ut reliqua inter utraſque diſcrimina conſultò ſileam) politicis redundat Orcus; dum plurimi earum profeſſores, ibi torquentur, ubi ſunt, ibi laudantur, ubi non ſunt: Chriſtianis abundat cælum, iis maximè patens. Ex quo planè liquet, quàm ſint politicis præhabendæ Chriſtianæ Theodoſii virtutes; quibus tertius hic noſter liber, quaſi tertium certè Empyreum cælum ſtellis fulgentiſſimis illuminabitur.

CAPUT

CAPUT I.

Principis Theodoſii eximii erga Deum Charitas.

1 FAcem præferat Chriſtianarum virtutum Regina Charitas, quam cæteræ, quaſi pediſſequæ ad cœlum præeuntem, viamque præmonſtrantem, obſequioſo famulatu ſubſequuntur. Eximia erga Deum charitate tam excelluit Theodoſius, quàm illa reliquas præcellit virtutes, quas inter ſplendidiùs emicat, velut inter ignes luna minores. Ubi primùm, quàm ſit Deus amabilis illi planè innotuit, à teneris annis Deum tenerrimè amare cæpit; neque priùs amandi, quam vivendi finem fecit. In ea, ut indies proficeret, omni ope adnixus eſt, perfectam, pro imbecillo humanæ infirmitatis captu, divinarum perfectionum cognitionem aſſequi. Huc potiſſimùm referebat ſcientiarum omnium indefeſſum ſtudium, quibus inexplebili librorum lucubratione ſedulam dedit operam, ut in eis, maximèque in ſacra Theologia, cui cæteræ ancillantur, quàm poſſet abſolutiſſimam Dei notitiam indagaret. Eòdem ſimiliter ſpectabat frequens ipſius cum omnigenis viris doctis, & religioſis conſuetudo, & familiaria colloquia; quos aſſiduè rogabat, ut ſibi hoc unicè optanti, qualis, quantusque Deus eſſet, explicarent. Differentes verò de divinis attributis, incredibile dictu, qua voluptate, inſatiabilique aviditate attentiſſimè auſcultaret: non ſemel illos abire meditantes, diutius apud ſe immorandi, cæptumque de divinis perfectionibus ſermonem proſequendi cauſas ſuaviſſima comitate innectere ſolitus.

2 Jam verò, hac ratione, de infinitis Dei perfectionibus apprimè eruditus, quid de illis exiſtimaret, hujuſmodi apud eoſdem luculento ratiocinio exponebat. Immenſos prope arenarum cumulos, terra, marique paſſim obvios cogitatione comprehendamus; mox primo earum grano, quàm maximè poſſumus cogitando aſſequi, perfectiones innumeras affigamus; tum ſecundo, ultra prædictas, decem mille alias; tertio deinde, ſupra præteritas viginti mille; ac ſic deinceps, donec ventum erit ad ultimum granum numero carentis arenæ per univerſum orbem diſperſæ: illud verò quàm multis, penèque infinitis perfectionibus imaginariis, omnium acceſſione conſtabit? At quàm longè aberit à veris, diviniſque perfectionibus? Immò ab illarum qualibet? Certè in infinitum. Igitur (inferebat ad extremum Princeps) ſi tam perfectus, ideoque tam amabilis Deus noſter eſt, cur perfecto, ardentiſſimoque illius amore non accendimur? Cur terrenis affectibus ad infima, & indigna quæque depreſſi, ad ſummum illud bonum, alas divino amore ſubminiſtrante, præcipiti volatu aſcendere per ſummam ſocordiam non curamus?

3 Certè, præ cæteris perfectionibus, una Illius ſumma bonitas in cor Theodoſii altiùs deſcenderat, Illiusque jucundiſſima mentione voluptuoſiùs deliciabatur. Principem Elviis (ubi tunc aderam) ſupremum armorum Arbitrum ſemel adivi: poſt honorariam ſalutationem, illico de divina prædeſtinatio-

tinatione ſermonem injecit, & à me quæſivit, quid probabiliùs judicarem de illa celeberrima quæſtione. Utrùm Deus ante, vel poſt prævisa electorum merita illos prædeſtinarit? Satisfeci, ut puto, interrogationi Principis, cujus tamen ardenti deſiderio de rebus divinis colloquendi nemo unquam fecit ſatis: id quod tunc experimento didici; dum enim inter explicandum divinæ bonitatis, rebus eò ducentibus, meminerim; arrepta inde occaſione, tàm multus fuit in ea commendanda, tantus in amplificandis divinis ipſius theſauris, vel erga electos gratis ante prævisa eorum merita prædeſtinatos, & ultra meritum ampliſſimis præmiis cumulatos; vel erga reprobos ſufficientibus auxiliis præventos, diutiſſimè toleratos, ac tandem citra condignum, etſi æterno ſupplicio multandos; ut audire mihi viderer, non Principem tractandis armis intentum, ſed Auguſtinum potiùs tractatus de divina gratia, & prædeſtinatione à ſe conditos medullitus eviſcerantem. Majori ne ingenii acumine, an inflammatæ charitatis indicio? Haud facilè dixerim.

4 Ad ſumma quæque generosè ſemper adſpirans, ſupremum, quò niſi perfectiſſimus quiſquis, & exercitatiſſimus rarò evadit, divini amoris gradum facilè, ac brevi renuit. Deum nempe ardenter amabat, cæteriſque amandum ſuadebat, non quidem concupiſcentiæ, ſed amicitiæ amore, ut Theologi loquuntur, ideſt, non propter bona, & beneficia ex Illo ad nos derivata, ſed propter illius infinitam bonitatem, reliquaſque divinas perfectiones ſummo amore dignas: indignum reputans, & ab omni ratione prorſus alienum perfectiſſimo Deo perfectiſſimum amorem non impendi. Æget aliquando fratrem quendam è noſtris eximium Pharmacopolam ſibi ſalutaria miniſtrantem rogabat Princeps, Deum ne amaret? *Amo quidem, Sereniſſime Princeps* (reſpondit frater) *propter eximia in me licèt indigniſſimum collata beneficia. Bene quidem* (reddit Princeps) *at longè meliùs, ſi Deum ex ſe amabiliſſimum propter ſe ipſum amaveris. Mendicantis religioſi non eſt, ſed mendici planè abjectiſſimi emendicatis aliunde motivis Deum amare.* Frequens Illi, ac valde familiaris ea vox erat: *Quàm magnus, Deus noſter, quanta, & inexplicabilis ejus pulchritudo!* Id verò tanta inflammari animi contentione, nonnunquam proferebat, ut Deum videndi ardentiſſimo deſiderio extra ſe rapi, ac liquefieri prope videretur. Præter unum Deum unicè à ſe dilectum cætera omnia nihili faciebat. Quò ſpectat id, quod à Principe ſe non ſemel accepiſſe idemmet Frater atteſtatur: *Vidi, ac per otium expendi apud omnigenos libros, quidquid magnum, & ſpecioſum, aut natura edidit, aut illius æmulatrix ars elaboravit; planèque invenio, præter amorem Dei, omnia eſſe meras nugas flocci pendendas.* In cujus rei confirmationem Sapientis non minus veram, quàm recolendam ſententiam frequenter uſurpare ſolitus: *Vanitas vanitatum, & omnia vanitas, præter amare Deum, & illi ſoli ſervire.* Eccleſ. 1.

5 Accenſum intimis præcordiis divini amoris ignem aſſiduis ſuſpiriis exſufflatum, jaculatoriis quaſi facibus, iiſque creberrimis excitabat. Quoties horologium perſonaret ignita hujuſmodi verba eximio affectu iterabat: *Amo Te, Deus meus, ſpero in Te, credo in Te.* Licèt diverſis aliis viros ſanctitate præcellentes uti ſolitos, aut legerat, aut paſſim audierat, hiſce potiùs afficiebatur, quòd Theologalium virtutum, majoris quidem meriti, Deoque longè acceptiſſimum exercitium contineret. Noverat ex ſui Confeſſarii, aliorumque relatione Societatis noſtræ Tyrones, & complures alios religioſæ perfectionis ſtudioſos in frequenti uſu habere precarios quoſdam globulos, quibus in-

ter ſe artificioſè connexis recenſebant ſingulis ſaltem horis ejus peculiaris virtutis repetitos actus, cujus comparandæ præcipuo interim ſtudio ducerentur. Placuit pium, & ingenioſum artificium Principi, cui omnimodè placendi Deo unica inſederat ſolicitudo. Igitur ſimiles precarios globulos Ipſe ſibi componit, in quibus non alios, quàm divini amoris, fidei, & ſpei actus juxta numerum pro ſingulis diebus ſibi propoſitum numerabat; vel hoc ſolo nomine perfectiſſimis religioſis, immò cœleſtibus ordinibus meritò adnumerandus. Siquis verò ſcire cupiat, quot eſſent ii precarii globuli, quotieſque ſingulis diebus trium prædictarum virtutum editis actibus illos percurreret? Audiat Ipſius confeſſarium conceptis verbis hujuſmodi curioſæ interrogationi ſatisfacientem in familiari ad quendam amicum epiſtola: *Geſtabat* (inquit) *è brachio pendulos, unà cum reliquiis Sancti Xaverii, duodecim globulos, quos uſque ad primum examen bis percurrebat quatuor ſupra viginti actibus trium virtutum Theologalium, ſimiliterque uſque ad ſecundum examen, &c.* Ex quibus liquidò conſtat ſolitum Principem quotidie octo ſupra quadraginta virtutum Theologalium proferre actus, quater iis globulis per ſingulos dies evolutis. Eos verò globulos divinum Theodoſii amorem adhuc ſpirantes, poſt ejus obitum, mihi hæc, & ſimilia commemorans dignata eſt oſtendere Sereniſſima ejus Soror, magnæ Britanniæ Regina in maximo apud ſe pretio habitos; fraterni æquè, ac divini amoris pretioſum certè, perpetuòque aſſervandum monumentum.

6 Unà cum ipſamet Sereniſſima Regina Britannica, id mihi ſimiliter referente, in eodem aliquando curru ferebatur Princeps, laxandi animi ergo Sintram uſque nobile quidem oppidum quatuor ab Ulyſſipone diſſitum leucis, Luſitanorum olim Regum declinandis æſtivis caloribus ſatis commodum ſubterfugium; ubi ſoli, eo maximè tempore longè uberrimi, ac ſaluberrimi ſingularis amœnitas, cum ſummà clementiſſimi aëris temperie, zephyris, ut plurimùm leniter ſpirantibus, amicè conſpirat ad Caniculæ à longinquo latrantis infeſtam rabiem, vel penitus arcendam, vel mirificè demulcendam. Hìc Theodoſius divinis, quàm æſtivi caloris incendiis magis obnoxius, opportuniorem animi, quàm corporis recreandi nactus occaſionem, oblata ſibi loci amœniſſimi & ad cœleſtia invitantis commoditate jucundiſſimè utebatur. Et modò ſcaturientes ubique, paſſimque progredienti obvios fontes
Pſ.41.2. intuitus illud Pſalmiſtæ eructabat: *Quemadmodum deſiderat cervus ad fontes aquarum, ita deſiderat anima mea ad Te Deus.* Nunc è montis ſupercilio regii palatii ſublimitatem proſpiciens, cum eodem regio Vate intimis gaudiis deli-
Pſ.121.1. butus perſonabat: *Lætatus ſum in his, quæ dicta ſunt mihi, in Domum Domini ibimus.* Mox inconditis ſaxis hinc præruptos montes montibus impoſitos, illinc opacis nemoribus ſuperbientes colles ſuſpiciens, eundem Pſalmographum
Pſ.120.1. æmulabatur: *Levavi oculos meos in montes, unde veniet auxilium mihi.* Tandem depreſſas valles, latèque patentem camporum planitiem omnigenis arboribus, ac floribus, etiam æſtate, hyemeque vernantibus ſpecioſiſſimam deſpiciens, mediumque fluviolum fœcundiſſima irrigatione præterlabentem, demumque in proximi Oceani ſinus tumentem alveum exonerantem, non ceſſabat cœleſtis, divinæque in primis pulchritudinis Sereniſſimam Sororem admonere, ſuaviſſimo illo Sanctiſſimi noſtri Parentis Ignatii ſuſpirio ingemi-
Ex S. Aug. In ſoliloq. c.21. nato: *Heu, quàm ſordet terra, cùm cœlum aſpicio:* item illo S. Auguſtini: *Si hæc in exilio, quid erit in patria? Si hæc in carcere, quid erit in palatio?* Sic tunc, & ſæpe

aliàs

aliàs vel è terrenarum rerum illecebris captata occaſione divino ſe penitus amori devovendi. Aliàs (in eadem fortè amœniſſima regione) Sereniſſimas Sorores Joannam, & Catharinam ex florum paſſim oculos deprædantium caduca pulchritudine, ad cœleſtis, divinæque nunquam marceſcentis amorem ingenioſè à ſe confictì apologi mentione injecta transferebat. Eum ipſius Principis latinis characteribus exaratum hìc profero: *Ecalatho* (inquit) *exierat roſa, totaque tumens, & cuſtodibus ſpinis ſtipata cùm eſſet, lilium ei proximum, roſæ aura obſequente ſe jungens, illius ſpinis punctum eſt; cui dolenter ingemiſcenti ait roſa. Cur non recedis, te namque pungo, nolimque paucos, qui tibi ſuperſunt dies meis aculeis imminuere; nulli namque invideo pulchritudini. Tunc lilium, Nec ego tuæ ò roſa, invidebo: ſi enim breves mihi reſtant dies, tu cras non eris. Fabula indicat tempus ridendi, & tempus flendi eſſe.* Sic Princeps. Neque dubito quin eo apologo Sereniſſimas Sorores, quarum unam roſæ, lilio alteram pulcherrimis quidem, at brevis ævi floribus aptiſſimè confert, ipſe admonere intenderit; quam fallax, fluxaque ſit humana quælibet pulchritudo, quam halitus, & ſoles, & brevis aura ferunt; quare, ſi ſaperent, nihil illi ab eiſdem tribuendum, ſed ſolam divinam, & immarceſſibilem in oculis, & amoribus meritò habendam.

7 Unica, quandiu vixit, Theodoſium cura divexarat, quî poſſet maximum aliquod obſequium Deo præſtare, pro minimo reputans in minimis tantùm illum demeruiſſe. A recenti ægritudine jam recreatum rogavit Principem Doctor Joannes Piſſarro Ipſi per quam familiaris, ſi fortè in præteriti morbi ſumma contentione mortis viciniam exhorruerit? *Minimè quidem* (reſpondit;) *immò diſſolvi cupiebam, & eſſe cum Chriſto: unicus tamen interim me dolor, ingenuuſque pudor immodicè angebat; coram divina Majeſtate comparere, nullo hactenus edito à me in ejus obſequio memorabili facinore.* Ediderat jam quidem non magnum modò, ſed maximum divini amoris documentum, innocenti adeo, planèque Angelica traducta in palatio vita, ut in ejus moribus nihil unquam reprehenſione dignum, omnia verò ſumma laude, ac veneratione digniſſima quis deprehenderit; quo quid majus, aut commendabilius dici, vel cogitari poteſt! Verùm amanti nihil unquam ſatis; nec divini amoris ignis aliquando dixit, ſufficit. Non poſſum tamen obiter non mirari maximum innocentis conſcientiæ, animæque Deo addictiſſimæ teſtimonium, cujus inconcuſſam tranquillitatem, nec mortis larva ſanctiſſimo cuique horribilis, nec tremendi judicii conſequens metus, vel leviſſimè turbare potuit. Impavidus nihilominus ad mortem ipſam ſubeundam Theodoſii animus, ad levem ſolius mortiferæ culpæ mentionem expaveſcere, ac exanimari prope ſolitus; divino amore (ut par eſt credere) offenſi Dei ſibi dilectiſſimi deteſtandas præ omnibus malis injurias exhorreſcere ſuadente. Nihil mortalibus magis pertimeſcendum, quàm mortale peccatum; nihil eiſdem infelicius poſſe accidere, quàm lethali qualibet offenſa infenſum ſibi Deum reddere, ac ad juſtam iracundiam provocare meritò aſſerebat. In quodam conventu Alcantaræ privatim habito cæpere nonnulli coram Principe miſerabilem cujuſdam hominis, quem ille optimè noverat, cuique inauſpicatum neſcio quid obvenerat, conditionem exaggerare; dumque, pro ſe quiſque miſerrimi hominis infortunium commiſeratione proſequendum expendit, ac dolet: *Meritò* (inquit Princeps ad omnem ſuos erudiendi occaſionem intentus) *at certè plus æquo iniqua miſerandi hujuſce viri ſorte commovemini, cùm*

nulla ſit infelicior, ac miſerabilior, quàm ejus, qui Deum lethaliter offendit: hæc quidem infelicitatum omnium ſumma eſt; cui ſi reliqua conferantur, inter felicitates potiùs referri, & à prudentibus æquanimiter perferri debent. Hoc fuit noſtri Principis verum, ac venerandum de humana infelicitate judicium; quam dum in gravi Dei offenſa ſcitè collocat; ſummam è contra felicitatem in ipſius Dei perfecto amore ſitam eſſe haud dubiè judicavit.

8 Ad eam aſſequendam univerſos, ſingulòſque, prout occaſio ferebat, ſingulari dexteritate aſſiduè hortabatur; in ſermone de divinis rebus inſerendo mirus artifex. Si quos jocoſis, inutilibusque (ut in aula plerunque) ſermonibus intentos animadverteret, iis ſe placidè, ſuaviſſimaque facilitate inſinuans, non illico cæptos invertere ſermones, ne à divinis animos averteret; ſed arepta ex quolibet etiam frivolo dicterio nonnunquam occaſione, utilem, ac plauſibilem excitare quæſtionem, in qua utranque in partem diſcutienda, dum pro ſe quiſque ingenii vires exerit, genio Principis morigerandi, ac illius colligendæ gratiæ cupidus, judicium ſuum profert; ad extremum Princeps laudatis eorum ſententiis, laudabilia ut plurimùm, proferentium; ſuam ipſe inculcare ad pietatem, cæterarumque virtutum commendationem perpetuò reſpicientem; inde gradatim à terrenis ad cœleſtia progrediendo, injecta divini amoris magnifica mentione, illos ut quæ ſurſum ſunt unicè ſuſpiciant, quæ infra Deum ſubſunt, penitus deſpiciant, haud irrito non ſemel conatu adhortari. Hac maximè arte præter morem, at non præter intentionem, ex tribulis ficus, ex ſpinis uvas, ideſt ex otioſis, infructiferiſque ſermonibus ſuaviſſimos divini amoris miram hujuſmodi inſertionem edocentis fructus quandoque Princeps colligebat. Eoſdem humanæ fragilitatis, vel iniqui temporis, vel adverſæ fortunæ caſibus, & inſultibus obnoxios ſæpe admonens, ad cœleſtium rerum, ac in primis Dei amorem totius infortunii, externæque violentiæ prorſus immunem traducere ſatagebat. Quare tum ad hunc maximè finem, tum ad aliquem alium æquè honeſtum, ſimili utebatur apologo; quem propriis latinis characteribus expreſſum in ejuſdem moralibus inveni fabulis: *Iuxta populum* (inquit) *cucurbita erat, quæ ſub æſtatem luxurians, in altam creſcebat arborem: populo ab Olitore detruncatæ ſuprema venit dies; ei cucurbita inſultabat. Heus popule, cui uſui tuum robur, tui protenſi, craſſi, ac virides rami, tua multiplices radices? Anne propterea non detruncaris? Ego verò jam te proceritate adæquo, pulchrior ſum foliis, uberior fructu; unde non crucior, ſed gaudens dulces auras capio. Cui populus, Poſt menſem finietur æſtas, & tunc vel ſine securi marceſcens ipſa morieris, non ſecus ac detruncata ego, quæ per longum annorum ſpatium vixi cum gaudio. Fabula innuit eſſe tempus ridendi, & tempus flendi.* Ita Ille appoſitiſſimè quidem inſtruendis aulicorum animis; ne vel populari auræ ſibi blandienti, vel humanæ felicitatis foliis, ramis, truncoque, brevi, aut lethali falce præcidendis, aut ex ſe ipſis marceſcendis plus nimiò afficerentur; ſed potiùs cœleſtibus bonis nunquam interituris; divinique amoris exercitiis in terra cæptis, in cœlo æternùm proſequendis delicioſiùs indulgerent.

9 Fructuoſior tamen vulgò fuit Theodoſii cum aliis, quibus frequentiùs, & familiariùs aſſueverat, ſermocinatio. Commune illis erat cum Theodoſio in omnibus virtutibus proficiendi ſtudium; at peculiaris in Deo diligendo animorum conſenſio. Et cùm ardenter amantibus nihil accidat jucundiùs, quàm de dilecto paſſim verba facere, nullum de ſibi unicè dilecto, vel indies diligendo Deo viciſſim colloquentes finem unquam faciebant. In eo, ut in

cæteris illis præibat Theodoſius:& modò ex quotidianis eventibus ſive proſperis, ſive adverſis ardentiùs Deum omnium ex æquo Authorem amandi cauſas ingenioſè ſuggerebat. Nimirum ſiquid alicui ex votis feliciter precederet, amabili, beneficoque Deo agendas gratias; nec verò minores, ſiquem inauſpicatò infortunium aliquod inceſſeret;id enim etiam Dei benevolentiæ tribuendum, qui puniat citra condignum temporariis certè pœnis, quem juſtè poſſet æternis; vel nonnullis potiùs egregiè de ſe merendi per patientiam, pœnarum inſtrumenta ſuppeditet. Aliquando ex creaturis quaſi gradus ſubſternere ſuis commilitonibus, per quos ad Creatoris dilectiſſimi unionem aſcenderent: illæ verò vel ſint perfectæ, vel imperfectæ divinam profectò perfectionem omni prorſus imperfectione immunem perfectiſſimo amore proſequendam præ ſe ferunt.

10 Deinde creaturas prætervolans,& ad ipſum Creatorem ſublimiori cogitationis volatu propiùs accedens, in ipſius infinitis Attributis explicandis, amplificandisque ad exceſſivi amoris exaggerationem propè infinitus erat. Cæteris omiſſis, ne, dum omnibus, vel eorum plurimis immoror, Theologi potiùs, quàm Hiſtorici partes obire videar; in una Dei ubique præſentis immenſitate commemoranda præſentiſſimum Theodoſius adhibebat amuletum languentibus ſociorum animis ad amorem Divinum excitandis; hujuſmodi rationum momentis illos frequenter inflammatus ipſe incendens: *Diſcite, quæſo, per Deum immortalem, cur anguſtiis corporis circumſcriptum animum per immenſa ſpatia, ſi fas eſt optare, non laxamus, quò immenſo Deo nullibi non exiſtente liberiùs ubique frui, & uberiùs impleri poſſit? Certè hoc divinæ immenſitatis Attributum intentioris tributum amoris à nobis exigit; cui ſi aliter ſolvendo non ſumus, immenſoque Deo abſque ulla menſura in integrum ſolvendi deſiderio perſolvamus. Si longè ab unoquoque noſtrum abeſſet Deus noſter, oporteret quidem à patria, à cognatis, & amicis, immò à nobis ipſis; quoad fieri poſſet, excedere, quò illi proximè accederemus; nunc quoniam ille nobis multò eſt proximior, quàm corpori anima, inexcuſabiles profectò erimus, niſi nobis adeò intimum Deum ex toto corde, ac ex totius animæ intimo affectu diligamus. Sit abſentia humani amoris noverca, ut vulgò dicitur, Divini eſſe non poteſt; cum neque à nobis poſſit immenſus Deus, neque nos ab illo, etſi velimus, longè abeſſe. Et tamen (proh cæcam mortalium inſipientiam, inſanamque ſtultitiam!) Non pudet à nobis diſſitas, perpetuòque nos fugientes creaturas amando proſequi, & interim ipſis, nobisque adhærentem Creatorem, in quo vivimus, movemur, ac ſumus, per ſummam vecordiam, & ingratitudinem peccando perſequi. Cur coram Deo ſecretiora noſtri cordis penetralia introſpiciente, id agere, aut dicere non erubeſcimus, quod præſente aliqualis authoritatis viro non auderemus?* Hæc, & ſimilia Theodoſius, quibus ſociorum animos ex illius ore, ac nutu pendentes à creaturarum amore avocatos ad Creatorem traducere ſatagebat; facta paſſim Dei ubique præſentis mentione.

11 Quantum verò ex hac veriſſima, frequentique conſideratione ſpiritualem fructum ſibi Princeps ipſe perceperit, argumento ſit ejus univerſa vita innocentiſſimè, utpote coram Deo, traducta, cui placere in omnibus, nullatenus diſplicere, præcipua ſemper ei fuit ſolicitudo: at omnium maxima divinam omnimodè implere voluntatem, ſuamque illi penitus accommodare; non vulgari exinde accepto commodo ad conſtantem immobilis, quo reſcunque caderent, animi tranquillitatem perpetuò confirmandam. Siquid ſibi, ſuisve ſolito feliciùs, aut infeliciùs accideret, nec immodicè

lætari, erigi ve proſperis; nec inutiliter frangi, aut triſtari adverſis; certus omnino nihil inſcio, invitoque Deo mortalibus evenire; ad noſtram utilitatem divina providentia modò felicia, modò infelicia, pro mortalium exigentia ſapienti viciſſitudine alternante. Hinc eſt, quod nihil unquam à Deo, præter unicam animæ ſalutem abſolutè rogare ſolitus, cætera indifferenter, & conditionatè, prout Deo magis placeret, ejuſdem divinæ voluntati foret acceptiùs. Ideo in extrema ægritudine, concepta publicè, privatèque pro ſua incolumitate vota invitus ſemper auſcultans, nullis ſuorum precibus adduci potuit ad longiorem à Deo vitam flagitandam, aut imminens fatum licèt Regno videretur exitiale, deprecandum; obfirmato animo ad divinæ voluntatis executionem; amoriſque oculo, quo divini Sponſi cor vulneraverat, nec in ipſis quidem vicinæ mortis tenebris caligante. Cætera, quæ à nonnullis hìc deſiderari poſſent Theodoſianæ charitatis documenta, ea, quæ ad finem uſque hujuſce libri ſequuntur capita, largè dabunt; in quibus reliquæ Chriſtianæ Ipſius virtutes explicantur, charitatis in ipſo baptiſmatis fonte infuſæ, unde ortum veluti è matrice habuere, aut effectus, aut appendices. Id potiſſimùm fuit in cauſa cur exordiri à divina charitate conſultiùs duxerim; ut aperto priùs virtutum omnium nativo fonte, feliciori ex hinc decurſu proniùs defluentes cæteras proſequeremur.

CAPUT II.

Singularis Principis Theodoſii erga Chriſtum D. amor.

12 A Puero Theodoſius ſingularem Chriſti amorem hauſit è fontibus Salvatoris, in Bethlemico antro erumpentibus, ex oculis ipſiuſmet Domini, profuſis ubertim lacrymis mortalium corda ſolicitantis. Vix infantiam egreſſus, cùm divino Infanti vagitibus hominum ingratitudinem incuſanti puerilia crepundia, & oblectamenta conſecrare occepit. Nihil eo ætatis illi voluptuoſius, quàm à ſe conditis, licèt tunc inconditè Dominici præſepis ſimulacris natalitium ſtabulum referentibus, cœleſtem Infantem demereri: illuc adire facilis, illinc divelli difficilis; ibi multum, diuque ſubſiſtere; mutuoque amabiliſſimi Infantis, Deiparæ, ac Sanctiſſimi Joſephi aſpectu deliciari. Mirabatur prudentiſſimus quisquis, & meritò, non admirari ſolitum Theodoſium tantillum auguſti ſui palatii regiam planè ſtructuram, ſupellectilem, frequentiam, cæteraque admiratione digniſſima, ſolùmque in Bethlemici tugurii contemplatione defixum admirandi myſterii, vel Angelicum captum excedentis, amori, ac venerationi penitus addictum, & inhiantem. Quæ quidem erga divinum Puerum tenerrimi amoris ſcintillæ in Theodoſii corde à primis annis conceptæ magnum in ejus pectore olim excitarunt incendium, auctis indies unà cum ætate, oblatiſque opportunitatibus ardentiſſimi amoris incitamentis.

13 Nullus deinceps annus abiit, quìn cœleſti hujuſmodi artificio ſub natalitium tempus ſimile ſui eximii amoris monumentum Bethlemico Infanti recèns nato exhiberet. Et quidem Ulyſſipone longè majori ſumptu, operoſioreque

ſioreque induſtria: maximè poſtquam per id tempus unà cum Sereniſſima Regina Matre, univerſaque Luſitana Curia noſtræ Societatis Domum Probationis, in qua Tyrones educantur, honoris, & amoris cauſa primùm inviſit. Ibi in ſecretiori domus planè cœleſtis, ſacello, in quo verè non eſt aliud niſi domus Dei, & porta cœli, obvium habuit Dominici præſepis ad vivum expreſſum ſimulachrum, arte mirifica elaboratum. Dextra, lævaque ſacellum adeuntibus ſpectabiles ſe præbebant variæ rerum imagines ex utroque teſtamento deſumptæ, Dominicam appoſitè Nativitatem è longinquo velut indigitantes; quarum nonnullæ aëre ſuſpenſæ, reliquæ ſublimi tabulato ad inſtar viæ ſubſtrato impoſitæ, longo ſeriatim ordine procedebant. Cæli pulcherrima ſpecies ſtellis radiantibus, noctiſque tenebras eliminantibus univerſa circumquaque complectebatur. Sub eo nubes lucida plaudentium Angelorum choris fœta imminebat Bethlemicæ Urbi, muris, propugnaculis, bellicisque tormentis circummunitæ; ſub cujus exeſa rupe ſacrum patebat, antrum anguſtum illud quidem, at Regis divini ortu, & incunabulis, cœleſtiumque myſteriorum conſecratione auguſtiſſimum: nativo iſtud multò erat elegantius, utpote conchiliis, & peregrinis lapillis artificioſè prominentibus ad Moſaicæ artis normas exornatum. Ibidem cum omnia curioſos oculos ad ſpectandum invitarent, una Infantis Jeſu in præſepio reclinati pulcherrima imago ad ſe unicè amandum intuentium animos provocabat; amorem identidem ſuo exemplo Virgine Deipara, Sanctiſſimo Joſepho, & fortunatiſſimis Paſtoribus ſuadentibus.

14 Coram Illo procidens Theodoſius, cujus jam diu divinus Sponſus ſpecioſus forma præ filiis hominum cor deprædaverat, expleri mentem nequit, ardeſcitque tuendo ſimul, & legendo chartas nonnullas ſacra in ſpelunca repertas Tyronum ſanguine, vel ſcriptas, vel ſubſignatas continentes omnino inflammati amoris erga cœleſtem Infantem haud obſcura indicia, mirificis verborum pietatem ſpirantium ſignificationibus propalata. Earum paucis ſtatim perlectis, cæteris domi per otium legendis in faſciculum collectis; quaſi de reperto inibi theſauro ſibi plaudens, & gloriabundus aſſurgit. Mox Tyronibus ad Illius pedes procumbentibus humaniſſimè valedicens, inſita ſciendi omnia, ſed utilia in primis cupiditate rogat, Quidnam potiſſimùm eo maximè tempore, præſertimque illo in ſacello, ſeu veriùs cœlo Tyrones agerent? Reſpondit obſequioſus eorum Magiſter, Illuc ſingulis diebus convenire ſolitos ad plurima pietatis munia obeunda; nempe ad ſacrum audiendum, ad ſpirituales adhortationes, inſtructioneſque capeſſendas; ad recitanda memoriter ſacroſancta Evangelia, regulas Societatis, & ſimilia; item ad Chriſtianæ doctrinæ inculcandæ, methodum ediſcendam; ad orandum interdiu tam mentaliter, quàm vocaliter; ad extremum à prandio, & à cena, pro mutua, familiarique, at non niſi de rebus divinis, & ſpiritualibus per integram horam collocutione; qua tamen intermiſſa frequenter eo temporis, vel natalitiis cantilenis, vel colloquiis (ita vulgo appellant) in quibus modò iſte, modò ille viciſſim à Magiſtro deſignatus, cæteris interim attentè auſcultantibus ante cœleſtem Infantem provolutus, elata voce incipit eructare verba bona ex intimo ardentis, & fœcundi cordis theſauro deducta frequentibus ſuſpiriis interrupta, & manantibus paſſim lacrymis emollita. Unde ſæpe accidit ut ex ejuſmodi publico exercitio longè uberiorem quilibet eorum fructum percipiat, quàm ex diuturna, ſecretaque meditatione, aut

ex longa ſpiritualium librorum lectione.

15 Mirum, quàm hæc ſuprema ſapientis Magiſtri verba Theodoſii animo penitiſſimè inſederint! Certè ab eodem Magiſtro poſtera die gratias agente pro accepto heſterno, eoque ſingulari beneficio requiſitus Princeps, Quidnam ſibi de noſtris Tyronibus viſum fuerit? *Tam mihi* (ait) *veſtri placuere Tyrones, quam mihimet ipſe diſplicui, ab eorum ſocietate adeò brevi diſſociandus. Optarim enim apud eos diutius immorari, familiares cum ſingulis miſcere ſermones; de amabiliſſimo Infante; ipſiusque admiranda nativitate mutuò colloqui, crebrumque ſuaviſſimis intereſſe colloquiis. Sed quia per tempus, & iniquam mihi meæ dignitatis conditionem minimè licuit, erit hæc à me, utcunque dabitur irreparabilis jactura reſarcienda.* Ex illo, non contentus Princeps quotannis, ut hactenus, præter publicam hujuſce myſterii celebritatem, cui devotiſſimè in Regio ſacello intererat, apud privatum lararium ſolitò abſolutius ad noſtri exemplar conſtruxiſſe; ibi pia ſocietatis Tyronum æmulatione, iiſdem, quibus ipſi, per id temporis exercitiis vacare deliberavit. Ex pueris ingenuis ſuo addictis obſequio, quos quotidiano uſu ad pietatem proniores animadverterat, eos ſibi adhibet ſuſcepti perficiendi conſilii commilitones; cum illis interdum à ludis, & puerilibus oblectationibus ſe parumper ſubducens, deliciabatur apud cœleſtem Infantem, cujus deliciæ ſunt eſſe cum filiis hominum. Igitur more Novitiorum Societatis, relictis eorum, quarum ſupra meminimus, literis ſimili quo ſcriptæ fuerant affectu, ſalutato in primis Bethlemico Infante, de illius nativitate, cæteriſque ad eam ſpectantibus inter ſe colloqui; mox ad ipſius amorem mutuò excitari; tandem ſe, ſuaque omnia eidem devovere; Theodoſio interim ad hujuſmodi adeo raræ in aulis Principum pietatis irritamenta, non irrito quidem fructu præeunte, cæteris Principis exemplum certatim, vel morigerandi, vel proficiendi ſtudio ſubſequentibus.

16. Ex his unum hiſce divinis velitationibus frequentiorem, eoque piiſſimo Principi acceptiorem fuiſſe Franciſcum à Vaſconcellos, qui poſtea noſtræ Societati nomen dedit, mihi ſatis conſtat: cujus hæc ſunt concepta verba in quodam mihi tradito memoriali plurimas, & eximias Principis virtutes expromentis: *Semel* (inquit) *aliquos ingenuos pueros ad Sereniſſimæ Reginæ penetralia, ubi Præſepium erat extructum, Princeps deduxit; ibique ad cæleſtem Infantem primus ipſe habuit colloquium; mox ſuum quoque Sereniſſima Regina; tandem ſuum unus è patriis ingenuis, juxta ſolemnem ſocietatis conſuetudinem, &c.* Hunc verò puerum ingenuum, cujus nomen ſupprimit, indubiè credo fuiſſe illummet, qui hæc adeo memoranda commemorat: cujus etiam ſunt ipſiſſima, quæ ſequuntur verba ex eodem Luſitano memoriali tranſcripta: *Dominici natalitii die, cùm Princeps menſæ aſſideret, dixit ad quendam ingenuum puerum* (non dubito quin is idem fuerit) *Quantum, credis, lactis virginei ad hanc horam Puer Ieſus hauſerit? &c.* Ex quibus liquidò conſtat quali, quantoque amabiliſſimi Infantis amore inflammaretur is Princeps, qui univerſos, etiam Sereniſſimam Parentem ad eum adorandum, & alloquendum invitaret; quique menſæ aſſidens non niſi de illo cogitare, loquique ſciret; illiusque ſibi jucundiſſima recordatione ſumptas à ſe regias dapes quaſi cœleſti hac Ambroſia condiret.

17. Ex eodem Divini amoris ergà Chriſtum Dominum fonte promanaſſe crediderim eximiam in eximio Principe Sanctiſſimi Jeſu nominis, & venerationem, & frequentem uſurpationem. Enim verò, quem ardenter amaveris, illius paſſim tibi nomen ſit oportet, mel in ore, jubilus in corde. Hiſce,

quæ

quæ ſequuntur mellifluis verbis aſſiduè à ſe prolatis nihil Theodoſio familiarius, nihil dulcius: *Meus dulcis Ieſus, Amor meus, Ieſus meus.* Illa verò crebriùs, affectuoſiùsque iterabat nactus locorum ſolitudinem inflammati cordis cœleſtibus exhalationibus opportuniorem. Principem in recondito palatii ſeceſſu perambulantem, nullius conſcium auſcultatoris à ſe auditum ſæpiſſimè affirmat ejus Confeſſarius Epiſcopus Japonenſis, inter ſuaviſſimos cum Chriſto Domino ſermones Ipſum identidem in hæc verba compellantem: *Mi dulciſſime Ieſu.* Eademmet cùm aliquando æger, omnibus procul arbitris ad morbi levamen ardentiùs ingeminaret, ægerrimæ aulici cujuſdam animæ inſperatam attulit ſalutem. Aderat is fortè conclavi ubi jacebat Princeps proximiori; quem cùm lateret aliquem ibi latitare, in eaſdem voces repetitò erupit. Perculſus ergo aulicus Theodoſii ſuſpiriis ex intimis præcordiis Jeſum dulciſſimè inclamantis, tædere cæpit anteactæ licentioris vitæ, conceptoque reſipiſcendi propoſito, eodem fere temporis, quo Princeps corpore bene valuit, animo ille prorſus, optimèque convaluit. Denique, cùm multis nominibus Societatem Jeſu Theodoſio in amoribus, ac deliciis fuiſſe, tum ex hactenus ſparſim commemoratis, tum ex inferius collectim recenſendis palam conſtet, non dubito quin egregii, quo inſignitur nominis prærogativa multum eidem contulerit ad eximii Principis præcellentem amorem conciliandum. Quid mirum Jeſuitas adeo impensè amaſſe, qui ſe dilectiſſimi Jeſu amori adeo ſtudioſè impenderit?

Hoc lib. c. 6.

18 At in amando Jeſu Crucifixo, vitæ ac mortis Arbitro, culpæ, ac Inferni ex æquo victore, ſe ipſum vicit Theodoſius; In cujus meditanda, & expendenda, Paſſione totus incendebatur, propèque conflagrabat. A tenera pueritia cruces, & revereri, & formare, ſeque in crucis formam componere frequens illi fuit conſuetudo. Solemne fuit Sereniſſimo ejus Parenti adhuc apud Villaviſſoſam agenti ſingulis quadrageſimæ hebdomadis feria ſexta, religioſum Fratrum Seraphici Franciſci à Pietate adire templum: illuc ſecum ſemel adduxit puellum Theodoſium; qui exinde crucem, ex omnibus ibidem obſervatis unicè concupierat, à religioſiſſimiſque ſibi viris oblatam ſecum attulit. In reditu eam complexus, in eo, quo vehebatur curru, placidè obdormivit; experrectus poſtea, & ereptum ſibi venerabile pignus dolens, non priùs à lacrymis ſibi aliunde inſolitis ceſſavit, quàm ſua ſibi optatiſſima crux redderetur. Sub idem tempus inſtituit Sereniſſima ipſius Parens Aloyſia, ut intra palatium ſacræ paſſuum ſtationes Dominicæ Paſſionis ab aulicis rite obirentur; juſſitque nonnullas confici cruces ab iis portandas, qui ad æmulandam Chriſti Domini Paſſionem ſtudioſiùs afficerentur. Illico ſuam ſibi crucem tollendam ſeponi expetivit regius Puerulus, cui quædam parvula conceſſa eſt; eam libentiſſimè ille aſportare ſolitus; mira in hujuſmodi religioſis miniſteriis exultabundi animi propalata voluptate. Quinquennium Idem vix expleverat, cùm apud Sacram Domini è cruce pendentis effigiem viſus eſt à nonnullis, maximè ab Illius poſtea Confeſſario P. Joanne Nonio noſtræ Societatis, id atteſtante, brachiolis ad inſtar crucis expanſis, lacrymiſque guttatim manantibus, præcoces primitivi erga Chriſtum Dominum Crucifixum, amoris, & doloris fructus germinare, licèt adeo intempeſtivos, certè maturos. Stupebant, nec immeritò, qui ad inſolitum fortè intererant ſpectaculum divinæ gratiæ prævenientis mirabiles quidem effectus, tantilli Pueri affectus ad cæleſtia impellentis: univerſi eum generoſæ aquilæ genuinum pullum prædicare, quem pene implumem, ſed quaſi ad ſublimes vola-

tos jam extenſis alis enitentem aſpicerent; eundemque immotis palpebris divini ſolis radios defixo penitus obtutu excipientem.

19 Sub nonum ætatis jam adultioris annum ſimile omnino præbuiſſe Theodoſium inſignis pietatis ſpecimen non abſimili obſervantium admiratione, idem Confeſſarius Author eſt. Cui conſonat, quod in ſuo manuſcripto teſtimonio, diſertis hiſce verbis de Theodoſio commemorat Doctor Joannes Piſſarro Regius Capellanus: *Cum* (inquit) *adulta ſemel nocte ad ſacram venerandam Euchariſtiam, cujus erat in paucis obſervantiſſimus, ambo proceſſiſſemus; recitato ibi à me per otium Pſalmo Miſerere, ſubſtitit interim Princeps venerabundus, brachiis ad crucis ſimilitudinem protenſis; id verò accidit ſexto ſupradecimum illius ætatis annum, &c.* Quæ proximè ſequuntur ex eodem teſtimonio ſunt à me fideliter excerpta. Japonenſi Epiſcopo, qui ſibi jam tunc erat à confeſſionibus, impensè injunxit Princeps, ut ab omnium optimo artifice abſolutiſſimam Crucifixi Chriſti Domini effigiem affabrè conficiendam ſuſciperet. Nec mora imperantis Principis votis facturus ſatis confeſſarius non unicam, ſed duplicem jubet confici, pro Principe unam, pro ſe alteram; utranque brevi, unicèque perfectam Principi offert ſacris plantis arctiſſimos amplexus, oſculaque ſupplicìter ingeminanti. Mox utriuſque imaginis lineamentis, proportionibus, cæteriſque ſculptoriæ artis apicibus lentiùs obſervatis; ex duabus deſtinatam ſibi, eòque pretioſioris ornatus commendatione ſpectabiliorem confeſſario ſuo cedit; aliam ipſius confeſſarii nomine confectam, vulgari tamen, ſimplicique ornatu minus conſpicuam ſibi ſeligit, peculiari amoris, & venerationis exhibitione à ſe perpetuò recolendam. Rogatus verò ab eodem confeſſario cur hanc potiùs Crucifixi Domini effigiem eligendam, alterique longè ſpecioſiori præhabendam judicarit? *Non ne vides* (inquit) *in ea, quam jure prætuli effigie multò expreſſiores ſanguinis largiùs è ſacris plagis effluentis notas! Id quidem eſt, prudentibus hujuſmodi rerum æſtimatoribus unicè adnotandum; id amoris Divini ſpiculis vulnerato cordi arridere potiùs oportet; cætera pretioſiora ornamenta, ſi adeſſent non mererentur oculos inſpectores: mihi certè meus dulciſſimus Jeſus quantò pro me vilior, & plagatior, tantò mihi charior, & venerabilior, &c.* Ubi obſervandum obiter Theodoſium, etſi alioqui verborum parciſſimum, verbis tamen parcere neſcium, cùm de rebus divinis, maximèque de amabiliſſimo Jeſu cruci affixo jucundiſſimus ſermo incideret; amore ipſo, quo nemo eſt eloquentior, verba ſuppeditante, ac exundantia divini eloquii fluenta conglomerante.

20 Verùm, qui tam multus ſæpe fuit cum aliis de ſuo dilectiſſimo Jeſu crucifixo verba faciens, plurimus ſemper extitit, ac propè aſſiduus in eo familiaribus ſermonibus, & obſequiis demerendo. Eum modò ſuum Nazaræum, modò campi florem, & lilium convallium appellare: Illum quotidianis, iiſque recentibus, & ſuave olentibus floribus Ulyſſiponenſi tractu paſſim, & ubique toto anni decurſu provenientibus redimire; nunc ex iiſdem propria ſæpe manu ex regio viridario collectis corollas artificioſè texere; nunc faſciculos ſtudioſè implicare, dilecti ſui capiti, manibuſque aptandos, ſacriſque pedibus ſparſim, & inconditè ſubſternendos. Audierat à ſuis ingenuis pueris noſtri Ulyſſiponenſis Collegii regium Athenæum frequentantibus, ſcholaſticos quotidianis propè floribus, ſive ſolutis, ſive in faſciculos eleganter compoſitis ſui erga magiſtros ſuos obſequii teſtibus frequenter uti ſolitos; quos illi ab ingenuis diſcipulis unicè, libenterque acciperent, non exiguo ex hujuſmodi floribus in eorundem utilitatem paſſim collecto: iiſdem nanque flori-

floribus, quaſi gramineis coronis, eos ſolent donare, qui vel in literariis certaminibus victores extitere, vel in aliquo præſtantioris ingenii ſpecimen præbuere. Eiſdem mox perſuadent, ut illa veluti partæ victoriæ inſignia, Sanctiſſimæ Deiparæ, ipſiusve cœleſti Puero obſequioſè offerant; vel ad ægrotantes fortè condiſcipulos amoris, & urbanitatis ergo deferant; ſic unà cum bonarum artium ſeduliori ſtudio, erga Deiparam, & Sanctiſſimum Puerum amore intimo; erga commilitones urbanitatis, mutuæque charitatis officiis, occaſione florum cœleſtem virtutum odorem ſpirantium ſimul commendantis. Igitur Princeps, Flos veterum, virtusque virum, iiſdem Magiſtris (ut ſæpe aliàs ſolebat) ad ſe venire juſſis, laudata priùs eorum eximia induſtria in ſuis alumnis etiam blandis florum ſtimulis ad omnigenas virtutes excitandis; eoſdem urbaniſſimè rogat, ut ſuos ſecum pariter flores partiantur, ſuo à ſe Nazaræno, quem pulcherrimis redimitum floribus indigitavit, offerendos. Id illi ſingulari obſtricti beneficio certatim deinceps, officioſèque præſtitere; miſſis ad Principem ſingulis propè diebus, quos diſcipuli ſuppeditabant, floribus aliquo ſemper epigrammate cumulatis. Iiſdem, cùm Principem iterum convenirent, ſuum Dilectum (ita Crucifixum Dominum appellabat) ſpecioſis ornatum floribus, pro iis quos ad ſe miſerant, gratulabundus oſtentabat; additis frequenter, pro ſummi erga nos amoris ſignificatione, ſuaviſſimis illis verbis à nobis perpetuò recolendis: *Ego quoque ſum Ieſuita*: quæ Latina proferebat lingua; neque alia, niſi rarò, exercendi gratia, cum iiſdem magiſtris colloquebatur, expeditè quidem, de quacunque re propoſita, ſemper tamen ſpiritualia, vel literaria, & utilia, maximèque de ſuo dilectiſſimo Nazaræno Crucifixo ab univerſis unicè diligendo.

21 Neque verò interdiu contentus caſtiſſimis ſui Dilecti vacare obſequiis, diem nocti committens, illius ſe tenebris intendentibus, charitatis nervos omnes intendens, & ad ulteriora extendens ſe, amantis animi ſinus, velaque laxabat. Singulis igitur diebus à cæna, poſt familiares, eosque laconicos cum Sereniſſimis Parentibus ſermones, ad ſuum ſe recipiebat conclave, non ſomno, ut ipſi primò credidere, ſed excubiis, & ſuavibus cum ſuo dulci Jeſu colloquiis indulturus. Præcedebat facem præferens hebdomadæ Cubicularius, ſequebatur Princeps venerabilem Crucifixi Salvatoris effigiem ex itinere ab antiquo larario reverenter acceptam, manibusque levatam amplexus. Hic jam nactus liberum intimi amoris pariter, ac doloris exhibendi ſpatium, utrunque lacrymis, & ſuſpiriis erumpentibus teſtabatur. Et quidem teſtis eſt ipſe à nobis paſſim laudatus Joannes Nonius à Cunia; qui fidem facit indubiam, ſe unum olim è Principis Cubiculariis non ſemel interfuiſſe hujuſmodi cœleſti planè miniſterio, vidiſſeque Principem ſic acerbè dolentem, ut doleri ſolet in morte Primogeniti, ſic ardenter amantem, ac Dominicæ paſſionis ſecreta enucleantem, ut videretur inſtar Pauli divino accenſi amore Chriſtum, & hunc crucifixum gentibus prædicare. Quid prætereà eodem loci agere ſolitus Princeps, à nobis alibi erit opportuniùs commemorandum. Nec mirum dulciſſimo Chriſti D. Crucifixi amori tantopere Theodoſium induiſiſſe adulta jam nocte vigilantem; qui vel dormiens à manifeſtis vigilis amoris indiciis non ceſſaret. Luculentus author eſt ejus Confeſſarius Epiſcopus Japonenſis ſolitum Principem ſpeciali devotione inductum, brachiis in crucis morem compoſitis placidiſſimè obdormire. Sic in familiari ad amicum Epiſtola diſertis verbis ediſſerit. Dilecto nempe ſuo Crucifixo

Hoc lib. 4. 169.

fixo

fixo in ipſo lecto proprijs brachiis Dominicam crucem referentibus lectiſternium explicabat Theodoſius; miro perſpicacis amoris, vel in ſomno prorſus inſomnis artificio. Nec dubium quin tranquillè decumberet, excubias inter Dilecti concupitos amplexus pervigili amore faciente.

22 Illud interim abſque piaculo minimè omittendum, quin perſtringam, quod mirificè commendat Theodoſii erga Chriſtum Crucifixum eximium amorem, ſimulque ipſius in peccata poſt Chriſti paſſionem per ſummam ingratitudinem admiſſa, odium maximi faciendum. Certè quàm foret quælibet lèthalis culpa deteſtanda, hujuſmodi ratiocinio, cuidam è noſtris ſe avidè auſcultanti, curioſèque obſervanti ſemel explicuit: *Dic, quæſo, ſi Princeps magni alicujus Imperii hæres morti ſe pro cliente non devoveret modò, ſed propria demum morte obita clientis vitam in certum diſcrimen adductam redimeret; nonne cliens tanti beneficii reus perpetua grati animi exhibitione inſignem benefactorem recoleret? Quid ſi per ſummum nefas mortalium nequiſſimus adeo de ſe benemeritum Principem, probris, & injuriis indigniſſimè deinde habeat, iterumque ad oppetendam mortem frequenter adigat? An non improbum caput terræ, cœlique exècrandum in ſe odium concitaret? Tales quidem ſunt, qui lethali qualibet commiſſa offenſa; maximè poſt Chriſtum univerſi Principem orbis pro nobis crucifixum; ipſi, quem tot nominibus efflictim amare deberent execrabilis odii paſſim argumenta rependunt.* Eoſdem acerbiſſimis ſuppliciis coercendos aſſerebat, maximè ſi publicè peccarent; ut pœnæ metus deterreret, quos Chriſti amor à peccando non averteret.

CAPUT III.

A Principe Theodoſio gratia baptiſmalis intemerata frequentibus confeſſionibus, & communionibus aſſeritur.

23 SI alieni ſceleris execratio cenſeri debet evidens divini amoris commendatio; certè tantò eſt evidentior proprium perſequi, quantò quiſque ſtrictiùs tenetur bene ordinata charitate incipere à ſe ipſo, Deumque propiori amore proſequi. Et quidem, cùm legitima probatio veri amoris ſit operis exhibitio, juxta D. Gregorium; qui nihil unquam operari omittit, quominùs dilectiſſimi Dei adeptam ſemel gratiam amittat, ille verè ſe amantem probat. Illa fortis eſt, ut mors, dilectio, quæ abſque ulla intermiſſione immortalitatis privilegio perpetuò gaudet; mortis inſtar, quæ una immortalis cum ſit; cætera, præter ſe ipſam extinguit. Siquis aliquando emori amor potuit, nullibi eum vixiſſe planè patuit. Qui unquam deſiit amor eſſe, nunquam verum eum fuiſſe credendum eſt. Incipit (non inficior) verus amor per primum ſui eſſe intrinſecè; at nunquam deſinit ne dum extrinſecè per ultimum ſui non eſſe. Talem fuiſſe divinum Theodoſii amorem primitivæ gratiæ baptiſmalis integerrimum cuſtodem planè conſtabit, cùm de illo mox id verè dicam; quo majus de viro eximiè ſancto dici non poteſt. Quam nempe gratiam è ſacro baptiſmatis fonte primùm extulit, ad extremum uſ-

Hom. 30. in Evang.

que

quę innocentis vitæ halitum penitùs immaculatam cœlo intulit; divino ſimilis verbo; Qui quod ſemel aſſumpſit, nunquam dimiſit; nullaque unquam admiſſa lethali Dei offenſa, inoffenſo, ut ajunt, pede, humanæ peregrinationis lubricum curſum feliciter cæptum feliciſſimè demum abſolvit. Hoc verò abſolutæ numeris omnibus Sanctimoniæ manifeſtum indicium; quàm ſit in quolibet mortalium rarum; in adoleſcente rarius, in libero, & potenti Principe rariſſimum, apprimè norunt Sacris, & Eccleſiaſticis annalibus eruditi; ubi ſatis exiguus eorum numerus reperitur, quibus contigerit, immaculatam omnino poſt ſeptennium, vitam ab omni mortiferæ culpæ contagio prorſus immunem traduxiſſe.

24. Conſtat certè ipſius æternæ Veritatis irrefragabili teſtimonio, ad æternæ ſalutis portum multos eſſe vocatos, paucos verò electos; at ex ipſismet electis pauciſſimi quidem ſunt, qui divini Spiritus adſpirante aura hujuſce mundi pelagus miſerandis multorum naufragiis infame prætervecti, adverſis undis, ventiſque animosè ſuperatis, navem denique pretioſis virtutum mercibus onuſtam, penituſque illæſam ad cœleſtia littora feliciſſimè appulere; illorum plerique aut ſemel, aut ſæpe ſirenum fallacibus cantilenis deliniti, & ad ſcopulos, ac ſyrtes illiſi; diſſolutis nonnunquam miſeræ navis compagibus confligentium ventorum, undarumque tumultuantium impulſu, ac vorticibus propè abrepti; apprehenſa nihilominus fortiter ſalutaris pœnitentiæ tabula, è formidabili culpæ lethalis naufragio ad cæli tandem placidiſſimum ſinum, magnis infidi pelagi defuncti periculis emerſere. Hiſce longè abſimilis Theodoſius, primiſque ſimillimus, baptiſmalis gratiæ illibatum florem primitivo adhuc ſplendore immarceſſibilem, pro inviolati amoris argumento, ſuo cœleſti obtulit Nazaræno, qui lubens paſcitur inter lilia, immaculatis agnis, quocunque ierit, aſſociatus. Id verò (quod magis mirere) in ipſo florentis adoleſcentiæ fervore, anno ætatis undevigeſimo, in aula regia vitiorum ſpinas, & tribulos perpetuò germinante. Hac maximè ratione Theodoſius ad priſtinæ innocentiæ ſtatum ſub ſe denuo reviviſcentem univerſas ſtatus rationes traducens, ſe ipſum univerſi orbis Principibus ſpeculum ſine macula exhibuit; ad cujus contemplationem nævos ipſi ſuos corrigerent Theodoſianæ innocentiæ in ſuos mores transferendæ laudabili æmulatione.

25. Sed quia hujuſmodi virtus omnium maxima, & difficillima, eòque omnem penè fidem ſuperans proferri à me non debuit abſque indubio teſtimonio, jam illud profero ex auctoritate Japonenſis Epiſcopi Confeſſarii noſtri Principis, cujus plurimas (de quibus mox dicendum) generales confeſſiones exceperat. Hic poſt acerbum Theodoſii obitum Sereniſſimæ Reginæ Matri juſto dolore propè examinatæ præſentiſſimum ſolatium allaturus, eidem ſanctè ſyncerèque fidem fecit, certum ſibi eſſe Principem cum baptiſmali gratia totius lethalis culpæ immunem deceſſiſſe. Quo circa ex illius immortali gloria gaudium potiùs, quam ex immatura morte mærorem concipiendum. Mirum quàm hæc vox à viro indubiæ fidei adeo certò prolata Sereniſſimæ Reginæ animum incredibili dolore ſaucium confirmarit. Et verò licèt ſeriò, ſyncerèque affirmanti Confeſſario integram habere fidem minimè dubitarit conſcia eximiæ ſui Primogeniti Virtutis, animæque Deo penitus devotæ, ſumma tamen, ut par erat, admiratione defixa, conſervabat omnia verba hæc, ea conferens in corde ſuo, ad inſtar Sanctiſſimæ Deiparæ

Infra §. 18. & 19.

ſecum tacitè recogitantis mirabilia, quæ de ſuo Unigenito prædicari audierat. Audivi ego quidem non ſine ingenti mei animi voluptate, Sereniſſimam Reginam Matrem, ac deinde ſeorſim Sereniſſimam Magnæ Britanniæ Reginam mihi univerſa hæc enucleatè commemorantes: dum enim veritati circa rem tantam penitiùs explorandæ ſedulò incumberem, haud contentus graviſſimorum hominum atteſtatione, qui hoc ipſum à Confeſſario ſe accepiſſe propalabant, rogavi ſuppliciter utranque Sereniſſimam Reginam, an ea in re vel leviter ambigendi locus aliquis ſubeſſe poſſet? Nullum omnino reſpondere; mihique per otium dignatæ ſunt aſſeverare, omni procul dubio conſtare, quod proximè ſumma fide retuli. Immò addidit Sereniſſima Regina Britannica, cùm fuiſſe Theodoſium, qui non modò à lethalibus noxis liber omnino fuerit, ſed à venialibus etiam quibuslibet, ſe in primis, univerſosque, quibuſcum ageret, ſtudioſè liberare contenderit; auditamque Sereniſſimam Matrem poſt ejus obitum in hæc verba prorumpentem: *Jam mihi deeſt, qui me, ut frequenter ſolebat, efficaci perſuaſione admoneat, Domina Mater, ne leviter quidem Deum offendamus.* Eò perfectionis adſpirabat Theodoſius, ad eumque innocentiæ ſupremum gradum conſcendit, quò nonniſi Angelis, & paucis admodum Sanctis ab Orthodoxa Eccleſia indigetatis progredi à Deo conceſſum eſt, utriſque propterea non immerito adnumerandus. Sæpe Princeps ipſe dixit coram P. Joanne Alvaro Frovo, Regio Bibliothecario id atteſtante: *Neſcire ſe, quomodo aliquis lethalis culpæ reus cubitum iret, ſomnoque placidè indulgeret.* Neque verò à lethali, venialique culpa Princeps, ſed à quacunque alia re minùs decenti, quæ aliquali reprehenſione digna, licet inculpabilis, videretur, à primæva ætate abhorruit. Non dum quartum pueritiæ annum exceſſerat, cùm Doctor Franciſcus Moratus fortè deprehendit aulicam puellam Principi adaptantem ſericam, & ſatis elegantem veſtem nuper à Luſitano Dynaſta illi allatam ex Madritto. Verùm cum eam veſtem puellis potiùs, quàm pueris aptam vir ille judicaret, ideoque Principem ea utentem objurgaſſet, illico à ſe rejectam nulla ratione adduci potuit, ſibi ut deinceps induendam pateretur. Tam erat decori, honeſtique adeo tantillus æſtimator, ab omnique culpæ ſpecie, vel inculpabili alienus.

26 Siquis tamen, qui hæc leget ſublimioris perfectionis ſtudio fortè incendatur, & Theodoſii exemplo, ac æmulatione ad eam aſſequendam inflammatus ſcire cupiat, quibus potiſſimùm mediis uſus Princeps glorioſum adeo finem tam brevì ſit adeptus, iis, quæ legentium oculis jam ſubjicio animum, & ſolito attentiorem mentis aciem accuratè, quæſo, adjiciat. Uni Deo unicè placendi ardentiſſimo præventus deſiderio, quî poſſet voti compos fieri ſolicitè ſecum ipſe reputat, & à religioſiſſimis Viris curioſè inquirit; nec mora; divino in primis inſtinctu, mox pia ſpiritualium virorum inſtructione Princeps adhuc tenerrimus edocetur, primum ad Deum proximè accedentis gradum in puriſſimæ conſcientiæ nitore conſtare; enim verò cùm Deus, ſit candor lucis æternæ, lucemque inhabitet peccatis utique inacceſſibilem, nihilque tandem coinquinatum apud ſe patiatur, certum omnino nemini peccatorum tenebris immerſo, aut ſordibus fœdato ad ipſum Deum cœleſtis luminis, & candoris nitidiſſimum fontem, aditum, acceſſumve familiarem patere poſſe. Hunc verò conſcientiæ nitorem frequenti ſacramentalis confeſſionis, ſacræ communionis, ac demum ferventis orationis uſu non acquiri modò, ſed indies foveri, in immenſùmque augeri. Hæc verò ita ſe habere

planiùs, pleniùsque agnovit, ubi pueritiam egreſſus intentiori ſtudio librorum ſpiritualium lectione, qua maximè capiebatur, aggreſſus eſt; in iis enim facilè deprehendit hoc eſſe non unicum modò, efficaxque amuletum univerſis languentium animarum perſanandis morbis, ſed omnium præſentiſſimum, ne in ipſos languores incidant, præſervativum.

27 Jam ſupra delibavimus, quàm feſtinus ad ſalutarem pœnitentiæ tabulam apprehendendam non dum naufragii capax proſiluerit prima nondum exacto quadriennio Sacramentalis confeſſionis adumbrata proluſione peracta; in ſummo prætextatæ innocentiæ candore, jam togatæ pœnitentiæ candidatus. Exinde ſacram exhomologeſim Brigantinæ aulæ familiarem frequentare quàm qui maximè; creſcente indies unà cum ætate ad ſacramentalem confeſſionem affectu. Ulyſſipone primis reſtituti regni comitiis Princeps renuntiatus, cujuslibet hebdomadæ finem à confeſſione auſpicari decrevit: ſic ſolaribus radiis nitidiorem conſcientiam in ipſo diei ſolis pervigilio exhibiturus Deo, cui ſe quotidianis ſolitòque majoribus obſtrictum beneficiis experiebatur. Siqua præterea ex ſolemnioribus dies Chriſto Domino, Deiparæ Sanctiſſimæ, Sanctis Apoſtolis, aut Regni, ſuive Tutelaribus cœlitibus ſacra occurreret; eam ejuſmodi expiationem celebriori conſecratam ritu peragebat. Sic ad annum proceſſit, quo ex Ebora Ulyſſiponem veniſſe diximus P. Doctorem Andream Ferdinandum nuper Japoniæ Epiſcopum à Sereniſſimo Rege deſignatum, quem, ut ibi latiùs expoſuimus, ob ſingularis ſapientiæ, prudentiæ, ac maximarum virtutum commendationem ſatis celebrem, poſt diutinum experimentum ex frequenti congreſſu nactus Theodoſius Virum ſecundùm cor ſuum, eidem intima cordis, & penitiſſima conſcientiæ arcana propalanda deliberavit. Apud illum in primis totius anteactæ vitæ per quàm innocenter hactenus traductæ generali confeſſione præmiſſa perfectionis vitæ rationi denuo, ac deinceps à ſe tranſigendæ præluſit; cui ut ſecuriùs, omni procul erroris periculo inſiſteret, ac neque ad dextram, neque ad ſiniſtram à recto virtutis tramite fortè deflecteret, totum ſe illi permiſit, certus ſalutaribus ipſius conſiliis quibus jam diu aſſueverat, omnino acquieſcere. Ad id verò, quia è re ſua judicavit, frequentioribus, immò quotidianis confeſſionibus expiatum animum divinis auxiliis opportuniorem reddere, quò voti compos fieret, optimum Patrem enixè rogare dignatus eſt, ut ſe quotidie ſtatis temporibus hujuſce muneris obeundi cauſa conveniret. Lib. 1. §. 20. Lib. 1. §. 218, & 222

28 Parendum certè fuit æquiſſimis tanti Principis votis; quis enim, aut cur, abſque imprudentiæ, ingratitudinisque nota obnitendum judicaret? Non latebat perſpicacem Virum quantum inde ſibi apud nonnullos conflandum invidiæ, murmurisque apud cæteros, univerſis ignorantibus, cur toties ad palatium ventitaret? Nec alioqui ſibi foret liberum æquiſſimam aperire cauſam, quam Princeps occultam eſſe vellet; cui tamen obſequi vel exiſtimationis propriæ qualicunque diſpendio oporteret. Igitur ad horam à Principe deſignatam ſingulis diebus in palatio aderat, ad Ipſumque, nullo intromittente, ut convenerat, liberos nactus aditus, ab eodem humaniſſimè quaſi divinitus à Cœlo ſibi miſſus excipiebatur. Quòd ſi nonnunquam (id verò ſæpe accidit) urgenti aliquo impeditus negotio, à quo ſe facilè non poſſet explicare, ad præſtitutam horam in palatio deſideraretur, illico iteratis nuntiis à Principe miſſis evocatus, inevitabilis moræ primùm expoſita cauſa

Illius dulciſſimas querimonias ; mox ſi nemo adeſſet humillimam confeſſionem excipiebat. Si è contra vel plurimi, vel nonnulli Principem circunſtarent, præmiſſa honorifica ſalutatione ; cæptum fortè de quæſtione aliquâ Rhetoricâ, Philoſophicâ, vel Theologica ſermonem proſequebantur, experto interim, facilèque impetrato ; ea ſuper re judicio ipſius Patris, quem triplici ea ſcientia præcellentem tanquam oraculum meritò ſuſpiciebant. Mox cum eodem ſeorſim ab aliis Princeps vel deambulans, vel ad feneſtram applicitus, quaſi momenti maximi negotia conferens, vel in dubiis reſponſa petens, tandiu muſſitabat, donec ad amuſſim perfecta confeſſione, obtentaque abſolutione, iterum ſe ſuis redderet, inſolitam geſtientis animi jucunditatem, ex recenti ſacramentalis gratiæ incremento præ ſe ferens, ac ne ſe proderet, ſolita eam obtegens humaniſſimi oris hilaritate. Hac ratione ſingularis Princeps ſingulis diebus conſcientiæ ratiocinia reddere ſolitus ; nec ullam paſſus eſt abire diem, quin eam hac linea, quaſi ſolari radio illuſtraret ; memor Apellæi præcepti quo eximius pictor ſuos ſolitus admonere diſcipulos : *Nullam ſibi diem inductâ lineâ deducendam.* Ex tam multis certè lineis, non modò perfecti Principis, ſed perfectiſſimi Religioſi pulcherrimam effigiem omnium admiratione, ac æmulatione ſuſpiciendam expreſſit. Nonnulli ſolius hebdomatim confeſſionis à Principe rite obitæ meminere ; in quibus ipſemet Japponenſis Epiſcopus in Epiſtola familiari ſæpe à nobis citata ; nulla ibi de quotidiana facta mentio ; ab ea tunc fortè conſultò voluit abſtinere, ne infirmi aliquorum oculi tali, ac tanta luce offenderentur. Id tamen expreſsè atteſtantur in ſuis manuſcriptis teſtimoniis, quæ apud me habeo, Pater Joannes Alvarus Frovo Regius Bibliothecarius ; & Antonius Rodericus Almeyda Principis Clavicularius ; uterque Illius laudabilium actionum impiger, & quotidianus obſervator.

29 Jam verò ſabbatinis quibuslibet diebus, & aliis, quas diximus ſolemnioribus, Chriſti, Deiparæ, Apoſtolorum ; & Tutelarium Sanctorum ſolemnitatibus per anni circulum recurrentibus ; non occultè clam omnibus, ut in profeſtis diebus, ſed apertè coram univerſis apud Confeſſarium conſcientiæ latebras aperiebat ; cunctis interim intimi doloris haud obſcura ſigna obſervantibus, quæ indices oculi perenni lacrymarum ubertim manantium profluvio exprimebant. Ad id potiſſimùm peculiari contritionis actu offenſi Dei eximium dolorem propalante utebatur ; quem affectuoſis conditum verbis Ipſum ſibi compoſuiſſe, ac in frequenti habuiſſe uſu, idem confeſſarius atteſtatur. Satis quidem foret hæc tam aſſidua, inſolensque purgandæ conſcientiæ ſolicitudo, ad conciliandam admirationem in quovis altioris perfectionis ſtudioſiſſimo cænobita ; ſed non eam ſatis habuit Theodoſius ad ſumma quæque ſemper enitens. Idem præterea ſub finem cujuslibet hebdomadæ, menſis, & anni confeſſionem generalem præteritæ hebdomadæ, menſis elapſi, & exacti anni exactiſſimè repetebat. Neque verò hiſce contentus, intra ſpatium trium annorum tredecim totius vitæ generales Illius confeſſiones ſe excepiſſe idem teſtatur Confeſſarius ; à quo univerſa hæc, quæ ad Principis ſpectant confeſſiones me accepiſſe ſyncerè profiteor. Alibi apud funebrem poſt Principis obitum concionem memini legiſſe me ; à duodecimo ætatis ſuæ anno cæpiſſe Principem hujuſmodi generalium confeſſionum cæleſti exercicio aſſueſcere, quod eſt maximè obſervandum, ut omnibus innoteſcat quàm citò illibati animi procurando nitori invigilarit. Idem prætera

Confeſ-

Confeſſarius mihi roganti aſſeveravit Principem nullis innocentis conſcientiæ remorſibus, aut ſcrupulorum aculeis unquam exagitatum, ſed ob ſolius divinæ gratiæ augmentum; quò amantiſſimo Deo gratior indies, illiusque quotidianis beneficiis excipiendis dignior exiſteret, quotidie ad hoc cœleſte lavacrum recurrere conſueviſſe: utpote quem puderet à mundanis, ea in parte amatoribus ſuperari, ſi fortè iſti in corporis, & veſtitus quotidiana munditie procuranda humanis oculis placitura ſe præberent ſtudioſiores, quàm ille in animæ nitore curando, ab ea vel leviſſimis abſterſis maculis, quæ divinis poſſent oculis diſplicere. Addidit ad extremum eas fuiſſe perpetuò Theodoſii à ſe acceptas confeſſiones, ſive quotidianas, ſive generales, quales ſolent eſſe innocentiſſimi cujusque noſtræ Societatis Tyronis; neque unquam graviorem à ſe Illi ſatisfactionem impoſitam, quàm Virginei Cantici recitationem; cui abſque ulla mora Princeps faciens ſatis, eam animi cœleſtibus gaudiis delibuti tranquillitatem experiri ſe ipſi tantùm Confeſſario affirmabat, quàm verbis explicare nequiret. Immò etſi alterius in cœlo præmii certa ſibi ſpes non eſſet reliqua, vel ob id ſolùm debere hujuſmodi Sacramentum talium ferax deliciarum expeti ab omnibus ardentiùs, & frequentari ſtudioſiùs. Recolenda hoc loci quæ alio commemoravimus de frequentiſſimis per ſingulas ſemihoras in extrema Principis ægritudine confeſſionibus; quarum adeo venerabilis repetitio certam fidem adſtruit quotidianis. Lib.1.§. 418.

30 Hinc pronum erit conjicere, quàm longè uberiori cœleſtium voluptatum plenitudine fuerit innocens Princeps inundatus, quoties ad illarum irriguum fontem Sacram Euchariſtiam, Davidici ad inſtar cervi, Divini amoris ſagitta ſauciatus, & ſitibundus accederet. Si enim in Sacramentalis pœnitentiæ piſcina unà cum lacrymis luſtralis aqua immixta; & ſupra dolentis animi amaritudinem ebibita, ita Illi dulcis erat, & ſuavis, ut præ illa humanam omnem ſuavitatem, ac dulcedinem duceret inſipidam, nauſeantique ſtomacho reſpueret; quid cùm omni procul amaritudine, Divino amore puriſſimos latices propinante, ad ſatietatem hauriret aquas in gaudio de fontibus Salvatoris in Sacra Euchariſtia? Hoc certè cœleſti pabulo ſingulis totius anni ſabbatinis diebus, & celebrioribus, quas commemoravi, ſolemnitatibus eſurientem animum reficiebat. Sed priuſquam ſacræ menſæ accumberet, cumulatè impleturus conſilium Chriſti Domini, ſuadentis, relicto ante altare munere offerendo, reconciliationem cum fratre aliqualiter læſo; à domeſticis veniam exorabat, ſi fortè aliquem alienati animi ſignificatione offenderit; quod nunquam accidiſſe conſtat ipſorum, à quibus venia rogabatur, teſtimonio. Tunc præmiſſa, ut proximè dictum, ſacramentali confeſſione, illam deinde mentalis oratio excipiebat: in ea, ut verbo dicam, ſolicita cogitatione volvebat quidquid ad inflammandum, ac præparandum animum tanto excipiendo hoſpiti poſſet conducere: neque ullus erat adeo pius affectus, præſertim fidei, ſpei, & charitatis quin ſub id temporis expromeret, nullis parcens interea Divini amoris incitamentis, quibus devotas penitus Deo animas ea occaſione uti ſolitas, aut legerat, aut ſæpe audierat. Mox cœleſtis cibi percepta dulcedine, Deoque intimis præcordiis recepto, in lacrymas ſolvi, amoris flammis liquefieri, tandiuque in agendis pro ſingulari beneficio gratiis immorari, quandiu ſaltem ſacris reliquiis inconſumptis ſe in Chriſto manere, Chriſtumque in ſe manentem præſumeret; ad mini-

mum ſemihoram vulgò in eo munere Illum explere conſtat. Hîc magno fidei myſterio, Euchariſticoque Numini ſic ardenter inhiare, totumque ſe devovere, non modò Ulyſſipone, ſed etiam Elviis inter militarem ſtrepitum, ut non militiæ, ſed Euchariſtiæ Sacramento videretur authoratus.

31 At non is erat Theodoſii ad Sacram Euchariſtiam affectus, qui ſabbatina tantùm communione ſatiatus, ab ea per inſequentes currentis hebdomadæ dies penitus abſtineret; memor divini oraculi Hebræis olim præcipientis, ut cœleſte mannà hujuſce Divini panis umbra ſingulis matutinis crepuſculis è cœlo quotidie delapſum colligeretur. Igitur dum quotidiano Miſſæ ſacrificio reverenter adeſt, ſeque per ſummam demiſſionem indignum ſacra communione reali, re vera digniſſimus reputat, ſpirituali ſanctiſſimis viris familiari famelicam planè animam quotidie reficiebat; affectu nempe ardentiſſimo effectum ipſum compenſante, conceptiſque votis Euchariſticæ devotioni obſecundantibus. Quo frequenter factum, ut non abſimilem fructum ex frequenti, quotidianaque ſpirituali communione perciperet, quem ex ſacramentali experiebatur; liberaliſſimo Deo ex æquo nonnunquam noſtra inflammata virtutum deſideria pro ipſis exercitiis virtutibus acceptante, largèque remunerante. Summæ nihilominus Sacerdotum felicitati ſe invidere non ſemel ingenuè confeſſus eſt, quibus licet ſingulis quibuſque diebus introire in Sancta Sanctorum, ibique conficere, manibus attrectare, pectoriſque ſacrario recondere ipſis Angelicis poteſtatibus venerabile quidem, at inconceſſum ſacramentum. Verùm quàm potiori jure invidendum eſt Principi noſtro à plurimis Sacerdotibus, qui ut Illum ſacerdotali dignitate longè præcellunt, utinam in ſacra tractanda Euchariſtia non longè abſint ab ejus perfectione, quam perfectiſſimus quiſque, ne ſibi deſit, debeat meritò æmulari. Illud ad extremum Principis erga ſacramentalem confeſſionem, & ſacram ſuſcipiendam Euchariſtiam affectum palam facit, quod ſimili ſuos affici Macariopolitanos, ideſt cives beatæ à ſe conditæ Urbis vellet. Hinc eſt, quòd hujuſmodi præceptum inibi univerſis impoſuerit: *Omnibus* (inquit) *Dominicis diebus expiabuntur à peccatis, & ſacram Euchariſtiam ſument, &c.*

Macariop.

CAPUT IV.

Cætera Principis Theodoſii erga Deum, Deiparam, ac cœlites, amoris, & pietatis documenta.

32 PRæter ea, quæ jam diximus erga Deum, & Chriſtum Dominum amoris, & pietatis documenta, ſuperſunt nonnulla hîc à me commemoranda, ipſi Deo, Deiparæ Sanctiſſimæ, cœlitibuſque à Theodoſio exhibita. Prima certè hujuſce amoris, & pietatis fundamenta, vel à prima infantia, & pueritia olim ab eo jacta jam alibi delibavimus; quæ cum annis incrementa cepere. Ut nulla diei particula Theodoſio erat jucundior ea, quam Deo, Deiparæ, ac cœlitibus impenderet, in quibus obſequiosè demerendis bene collocatum tempus quodlibet, immò ſolidos dies ducebat; ita

Lib. 1. c. 3. & 4.

nullum tempus ſibi perire inutilius exiſtimabat, quàm cùm ab his officiis ceſſandum foret. Diebus ſingulis ferialibus in privato regiæ aulæ ſacello, feſtivis, in publico Miſſæ venerabili ſacrificio venerabundus ſemper intererat; eam verò laudabilem conſuetudinem à prima ineunte pueritia ſuſceptam nunquam intermiſſam, vel cùm ægrotaret, ad ſupremam uſque mortalis vitæ diem ſanctè retinuit. Hìc verò, ut faciente ſacerdote, perfectum ipſe de ſe faceret holocauſtum, ingenioſum continendis ſenſibus, & cogitationibus commentus eſt artificium, cujus ope, nulli diſtractioni obnoxius, corpore, animaque ſimul ad unum Deum unicè intentus præſentiori Numini totus omnino aderat. Evangelicum nempe librum aperiri coram ſe jubebat eo in loco, ubi diei illius proprium ſacrum erat ſignatum, cæteris eo ſpectantibus ex communi ſimiliter deſignatis. Sic ſacris operanti ſacerdoti cooperabatur Theodoſius adeo ad ſingula ſigillatim attentus, ut ne verbum, quidem ullum illi excideret, quin unà cum ſacerdote diſtinctè devotèque proferret: hinc vulgò aulici dictitare; Principem non audire, ſed celebrare ſacrum; alii ejuſdem ſtudioſitatem quaſi per jocum vellicantes ſic objicere, Tam eſt noſter Princeps legendis libris addictus, ut vel inter ſacrificandum, non ſit ei liberum ab evolvendis, devorandiſque libris tantiſper abſtinere. Audiens hæc, & ſimilia Princeps, utriſque, ſemel ſubridens feſtivis quoque reſponſis ſtimulando ſimul, & erudiendo, ſilentium impoſuit: primis ita: *Certè ſi forem ſacerdos, non ita brevi ſacrum abſolverem, longè diutiùs vos illic invitos demoraturus*; aliis ſic: *Quid mirum, ſi à legendis Sacris Libris inter ſacrificandum non abſtineo, cùm vos à profanis fortè collocutionibus, adeo alieno loquendi, niſi cum Deo, tempore non abſtineatis?* Hæc verò finito demum Sacro; nam dum fieret, vel eſſet coram Sacra Euchariſtia in templo Arpocratem ſe, mutum penitus, & ad plurimùm infantem apud Deum agebat; qui non puerorum jam verba proferentium, ſed infantium, qui ſolis gemitibus, & lacrymis alloquantur; linguas facit eſſe diſertas: & certè hujuſmodi cum Deo colloquendi verborum genere erat Princeps etiam in templo diſertiſſimus. Si quos aliter illic colloquentes audiret, eos illico evibrata oculorum acie feriebat, & poſt Sacrum publicè, vel privatim eiſdem rei ſummam indignitatem exaggerabat.

33 Ad hæc, quoties in ſacello regio Divina officia quacunque de cauſa ſolemniùs peragebantur, Illis aderat ſimili ſilentio, & veneratione, majorique, quàm ut dici poſſit, exultantis animi jucunditate. Sextum ætatis annum vixdum impleverat, cùm in regio planè Brigantinorum Principum ſacello Villaviſſoſæ Divina officia in majori hebdomada regifico certè apparatu, at ſolito demore celebrantur: antiqua illic, & inviolabilis vigebat conſuetudo, ut poſt expoſitam matutinis horis, in majori feria quinta, Sacram Euchariſtiam, uſque ad matutinum tempus ſequentis Dominicæ Paſchalis, Principes ipſi ſacro in odæo noctu, diuque vigilum ad inſtar excubarent, neque inde, niſi Paſchali die, finita ſolemni ſacra pompa recederent; interim tribus hiſce diebus, ac noctibus Deo, ac divinis laudibus; inter ſuaviſſimos muſicorum cantus, aliiſque ſpiritualibus exercicitiis unicè intenti. Unus eò jam ætatis præ cæteris, cœleſtibus hiſce agendis excubiis excellebat Theodoſius; quem cùm tanto imparem labori aulici animadverterent, ac præ teneris annis tot vigiliis immaturum, tentarentque modò infimis precibus, modò efficacibus rationibus inducere, ut ſaltem parumper ſe ſubduceret,

cubitumque iret; immò cùm id ipſum Sereniſſimi Parentes, quibus alioqui erat obſequentiſſimus, admonerent, univerſi apud ſexcennem Puerum, oleum, ut ajunt, & operam perdidere, amiſſaque omni ſpe illius piæ conſtantiæ labefactandæ; memorabili denique, ac generoſo ejuſdem reſponſo ipſi evicti tunc primùm, & ſæpe aliàs acquievere: *Abſit* (inquit) *ut laudabiles domus Brigantinæ conſuetudines à me uno ſint vel leviter violandæ.* Iterum jam major natu, in ſacello regio Ulyſſiponenſi, redeuntibus in orbem ſequenti anno iiſdem Sacris Vigiliis in eadem majori hebdomada proſequendis, ſolicitatus à Sereniſſimis Regibus, ut ad captandam aliqualem quietem ſe paulisper ad ſuum conclave reciperet; ſimili pii,ac generoſi animi exhibitione reſpondit: *Quàm indecorum foret ignavo militi ſomno intentoriis indulgere, divino Imperatore in aciem jam prudeunte, ac ad publicam defenſionem excubante!* Interim ibi, & ubique muſicis concentibus divinas laudes perſonantibus mirificè capiebatur; cupiebatque, ut ſibi liceret ipſis ſe ſacris cantoribus immiſcere, ad inſtar Regis Davidis, unàque cum illis in concinendis divinis laudibus Præcentoris munere voluptuosè defungi. Hinc fuit, quòd à cæteris inſtrumentis muſicis merè profanis omnino abhorrens, mira polleret dexteritate in pulſandis propria manu iis omnibus,quæ in templis divino cultui conſecrantur: quibus levandi animi ergo, & ſtudioſi laboris intermittendi causâ libenter nonnunquam utebatur.

34 Poſt Deum, ut proximos Illi honores Deipara Sanctiſſima, ita præcipui amoris, & venerationis primitias apud Theodoſium occupavit. Utriuſque gratiam omni officiorum genere promereri ſedulò properavit. A ſeptennio Virginei Officii diurnas horas; à duodecimo ætatis ſuæ anno Divini Officii canonicas auſpicatus eſt: utrumque ſingulis quibusque diebus, ad extremum uſque morbum devotiſſimè recitarit;cujus rei cito ſummæ fidei Authorem R. P. Joannem Nonium primum Principis Confeſſarium in ſuo manuſcripto teſtimonio. Virginis item globulos ſolitum quotidie percurrere, Author eſt ejus olim Cubicularius Ludovicus à Souſa in ſumma ejus vitæ pag. 1. Deiparæ ſe obſequio ſervum, amore filium profitebatur: ſervitutem virgineam probari affirmabat Officii, Coronæ, Roſarii, & ſimilium devota recitatione; ſic enim magnæ Dominæ quaſi debitum ſervitutis noſtræ penſum obſequiosè perſolvimus; ejuſdem verò filiationem pluris quidem faciendam in æmulatione Ipſius virtutum conſtare; quæ nos reddunt Parenti amantiſſimæ filios ſimillimos. Et quidem ut forma, ita morum indiſcreta ſimilitudo inter filios, & parentes veram evincit filiationem. At licet Theodoſius, quò ſe genuinum Deiparæ filium exhiberet, in imitandis univerſis ejus virtutibus totos animi conatus adhiberet; tamen ejus immaculatam animæ, corporisque puritatem ab omni omnino, & originalis, & actualis peccati labè immunem, quantùm humana ferret imbecilitas ipſius præſenti auxilio confirmata, præcipuo ſtudio à ſe in primis æmulandam deliberavit. Id verò ut aſſequeretur, jam diu impreſſam animo ejuſdem intemeratæ Virginis imaginem, præ oculis etiam habere decrevit, ut quoties eam ſuſpiceret, ſuſcepti à ſe propoſiti admonitus, ardentiori deſiderio illius promovendi inflammaretur. Igitur ſpeculum ex puriſſima cryſtallo ſibi confici jubet, ac in ejus medio pulcherrimam immaculatæ Virginis à Conceptione imaginem depingi, addita epigraphe in rem aptiſſima: *Speculum ſine macula.* In eo ſpeculo exquiſitè ornato, & appenſo in interiori ſuæ domus adyto, cui diutiùs

Tumul. Theod.

aſſidebat,

aſſidebat, & aſſiduè contemplabatur, non tam vultus reflexè redditi vitia emendaturus; quàm ex aſpectu immaculati ſpeculi animæ maculas etiam leviſſimas emundaturus; conſcius Ambroſianæ adhortationis univerſos ad hujuſmodi ſpeculandum cryſtallinum ſpeculum invitantis: *Sit vobis tanquam in imagine deſcripta virginitas, vitaque beata Mariæ; de qua velut in ſpeculo refulget ſpecies caſtitatis, & forma virtutis. Hinc ſumatis licet exempla vivendi, ubi tanquam in exemplari magiſteria expreſſa probitatis, quid corrigere, quid effugere, quid tenere debeatis oſtendunt.* Ab eo quidem ſpeculo Theodoſius vigilantiſſimus veluti ex editiſſima ſpecula, curioſa obſervatione prævidebat, cautèque declinabat intentas ſibi à communi hoſte inſidias; cujus exitiales machinas, & inſanas ſubſtructiones longè ingenioſiùs, & feliciùs quàm olim Archimedes eodem ſpeculo ad divini ſolis radios oppoſito incendebat, incenſus ipſe divini amoris flammis, & cœleſtium puriſſimæ Deiparæ virtutum exprimendarum ſtudio inflammatus. S. Amb. l. 2. de Virg. sub init.

35 Eandem magnam Matrem magno aliquo demereri obſequio, vulgaribus minimè contentus magnopere cupiebat. Maximum jam à Sereniſſimo Parente ipſi præſtitum animadverterat: erecto auguſtiſſimo Virgini à Conceptione Villaviſſoſæ templo; eadem pro Luſitanæ Monarchiæ tutelari Patrona electa; ſolutis eidem quotannis publici ſtipendii nomine argenteis numiſmatis Illius victrici effigie cœlatis; ac tandem imperato univerſis Regni ordinibus inviolabili juramento ejus immaculatæ Conceptionis propugnandæ: verùm majus adhuc aliquid generoſa mente conceptum agitabat; nimirum ut Univerſus orbis, orco ipſo fremente, inter cætera noſtræ Fidei myſteria, Conceptionis immaculatæ myſterium veneraretur; ita Sede Apoſtolica definiente: à qua id unum ſuppliciter, & enixè poſtulare, cum per tempus liceret, armis ceſſantibus, decreverat; quibus piiſſimis conatibus licet mors immatura obſtiterit, non dubito quin è cœlo, ut armorum ceſſationem à Deo impetravit, ſic à Deipara Sanctiſſima obtineat votorum ſummam, urgente apud Sanctiſſimum, ac demiſſis precibus ſolicitante per ſuum Legatum Sereniſſimo Principe noſtro Petro, quod ejus amantiſſimus Frater urgere, ac ſolicitare deliberaverat. Virginem tandem Deiparam ſine labe conceptam eo proſequebatur affectu, ut nihil eſſet in libero Principe, quod ipſi non foret emancipatum. Interim non ceſſabat piiſſimus Princeps omnimoda Virginei amoris argumenta, quoties ſe daret opportunitas, exhibere; univerſoſque, quibuſcum ageret, ad Illius amorem, & obſequium ſtimulare. Deiparam, ſive de Illa ad ſuos, ſive cum Illa ſolus verba faceret, non niſi Matrem admirabilem appellare; nullo alio titulo ipſi acceptiori poſſe meliùs ejus eximias dotes, & præcellentes virtutes explicari. Quotidie Deiparæ Lauretanæ Litanias devotè recitabat; ſed cùm illuc ventum erat, ubi Mater admirabilis appellatur, ibi affectuoſiùs ſubſiſtere, iterato ſemel, atque iterum eo Deiparæ titulo glorioſiſſimo, ſibique omnium acceptiſſimo. Non ſemel audierat ab ingenuis pueris ipſi tunc miniſtrantibus, ſimulque in Collegii noſtri Ulyſſiponenſis publicis ſtudiis operam literariam navantibus, ſolere ſtudiorum Præfectum ſingulis ſabbatis, poſt exactum Miſſæ ſacrificium, & recitatas Deiparæ Litanias Parthenios ſodales ex illuſtriſſimis, & nobiliſſimis familiis conflatos adhortatione panegyrica, ad Virginis amorem, & imitationem inflammare. Hiſce auditis, Alcantaræ cum ipſis ingenuis pueris profectus Princeps familiariter agens voluit Præfectum agere, concionem ad illos de

beata

beata Deipara habere, aſſumptis pro argumento verbis illis ex libro Canticorum: *Sicut lilium inter ſpinas, ſic amica mea inter filias*: (Cant. 1. n. 2.) in quibus enucleandis tam multa, & præclara de Sanctiſſimæ Deiparæ laudibus, & perfectionibus luculenter protulit, ut omnibus, qui aderant, & admirationem, & eximium erga Matrem admirabilem amorem injecerit: quo ſucceſſu in gloriam Deiparæ ex votis cedente animatus, eodem artificio ſæpius deinceps uſus eſt, haud mediocri auſcultantium voluptate pariter, & utilitate. Sub noctem, primis ſe tenebris intendentibus ſalutationem Angelicam ad triplicem campanæ pulſum utroque genu flexo, præterquam Saturni, ac Solis die devotiſſimè recitabat, Sereniſſimi Regis exemplo, cui hæc ſolemnis fuit, & perpetua conſuetudo. Supra diximus qualibet ſabbatina die ſolitum Principem (Lib. 3. §. 30.) præmiſſa ſacramentali confeſſione Euchariſtico pabulo refici: quam Virgini ſacram diem præ omnibus ad hujuſmodi ſacrum exercitium elegit, ut Deiparæ à Gratia cui ſuum auſpicatiſſimum referret ortum juxta ſuperiùs comme(Lib. 1. §. 7.)morata, ſe illa maximè ratione gratum exhiberet. Dies me deficeret ſimilia perſequentem.

36 Non abſimili cæteros cœlites affectu, & veneratione demereri ſatagebat; quippe quos Deo intimos, & familiariſſimos noverat, eòque præcipui amoris exhibitione conciliandos. In iis Angelicos Spiritus, cœleſtis aulæ Principes, magnates, & ſupremi Regis præcipuos miniſtros, ab omnibus, ſed in primis à terrenis Principibus, & magnatibus præcipuo cultu venerandos, cenſebat. Eoſdem præterea cœleſtis exercitus veteranos Duces, & milites pro noſtris armis commilitones auxiliares præſentem in conflictu opem laturos orationum ſtipendiis antea perſolutis ſolicitandos. Angelo verò Cuſtodi, optimè de mortalibus merito, cui pro quotidianis, iiſque maximis beneficiis ſolvendo eſſe non poſſumus, ſolvebat quidem Theodoſius angelicæ prorſus vitæ à ſe traductæ ſatis amplam mercedem: certè ſi ejus cuſtos Angelus corpus indueret, aut ſuum Theodoſius exueret, jure ambigeres, uter alterum cuſtodiret? Talis, & tanta utrique inerat cœleſtium planè morum, & affectuum conſpiratio, ut Angelum cum Theodoſio in terris verſari, Theodoſium in cœlo cum Angelo, cæteriſque cœlitibus converſari crederes. Nulli, paucis admodum exceptis, Angelo felicior, & facilior contigit pedagogia, quàm ei, cujus fidei commiſſus eſt Princeps, Angelorum potiùs quàm hominum contubernalis; cui à prima propè infantia tam fuit fixum immotumque omnigenas virtutes ſectari, quàm vitia quælibet inſectari; quibus tamen penitus expugnandis, multùm ſibi præſentis ſemper Angeli præſens auxilium profuturum agnoſcens, illud anxiùs implorare, omni ſive ratione promereri nunquam deſtitit. Similiter magni facere, ſtudioſèque implere (S. Bern. ſer. in Pſ. Qui habitat,) conſilium D. Bernardi ſic monentis: *Cautè ambula, ut videlicet, cui adſunt Angeli, ſicut eis mandatum eſt, in omnibus viis tuis. In quovis diverſorio, in quovis angulo Angelo tuo reverentiam habe. Tu ne audeas illo præſente, quod vidente me non auderes?* Neque ſolùm devitandis vitiis, ſed acquirendis virtutibus vim magnam eſſe in præſentis ubique Angeli conſideratione dicebat: ille nanque dum nobis adeſt vel utilia, optimaque operantibus, vel inutilia, & quandoque iniqua gerentibus, nunquam ſibi deeſt, diviniſque obſequiis adimplendis unicè intentus, exemplo, & ſanctis inſpirationibus mortales cœleſtem in terris vitam agere aſſiduè adhortatur. Cujus ad æternam ſalutem ductum perpetuò ſequi, & cœleſtibus monitis obſequi; ipſius præſentem opem frequenter im-

implorare ſatagebat, ſed præſertim ubi ſub auroram evigilabat,& cum adulta jam nocte ſomno vellet indulgere, illa ſolita, ſed inſolito affectu prolata ſuppliciter oratione: *Angele Dei, qui cuſtos es mei, me tibi commiſſum pietate ſuperna hodie (vel hac nocte) illumina, cuſtodi, rege, & guberna. Amen.*

37 Reliquis cœlitibus, qui mortales olim immortalitate digna geſſerunt, & fragilitatis humanæ terminos prætergreſſi divinæ felicitatis conſortes effecti, è cœlo annuunt sociis, ut illuc per anguſtam, & arctam viam ſuis virtutibus ſignatam evadant propitiis, & adjutoribus frui ſedulò curabat. Primis cujusque menſis Kalendis ſolemne fuit Sereniſſimis Infantibus Joannæ, Catharinæque Theodoſii ſororibus ſortiri ſanctos, ut cui quis obveniret, eum peculiaribus officijs demereri per totum menſem inſiſteret: mox illius, qui Sereniſſimo Fratri ſorte obtigerat eleganter inſcriptum nomen, eidem venerandum committere; quem Ipſe præcipua veneratione, ac exquiſitis obſequiis toto ejuſdem menſis decurſu proſequebatur. Idem cæteros quotidianis Litaniis interpellatos, & præſertim virtutum, quibus maximè claruere imitatione devinctos, provocabat. Ex iis nonnullos ſpeciali Divini amoris prærogativa, & cæterarum virtutum laude præcellentes ſpecialioris amoris ſignificationibus proſequutus eſt. In primis B. Joannem Evangeliſtam Chriſto Domino antonomaſticè dilectum; proptereaque Brigantinis Principibus ex longo in amoribus, & deliciis habitum, celebrato quotannis exquiſitiori apparatu ejus ſolemni feſto, quo in Villaviſſoſano, deinde in Ulyſſiponenſi Regio ſacello. Illius eximiam ex alabaſtro imaginem præ oculis ſemper habebat amoris indicem, & incitamentum. Minimus adhuc, maximum ſe profitebatur Evangeliſtam, cujus cùm ratio ab eo exigeretur, id mirabile reſponſum reddidit: *Avum ſuum Sereniſſimum Theodoſium è cælo deſcendiſſe, ſibique hujuſce intimæ devotionis Authorem extitiſſe.* Ita in ſua relatione memorat ejus minor Nutrix D. Maria Calada Roma. Mox B. Auguſtinum, ingeniorum facilè Principem, ſapientiæ, ac Sanctimoniæ totius apicem; in cujus legendis etiam in extremo, ut diximus, agone libris, incredibili voluptate afficiebatur. Ad ipſius laudabilem imitationem ſuam condidit Macariopolim, ideſt Civitatem Beatam Auguſtinianæ Civitatis Dei æmulatricem. Item B. Thomam Aquinatem, alterum ab Auguſtino Chriſtiani orbis ſolem, ex virtutum omnium, & ſcientiarum luminibus univerſum irradiantem: cujus in primis planè aureum, & laconicum ſtylum acuminis, perſpicuitatis, & ſuccoſi ponderis plenum in ſuis ſcriptis exprimere conatus eſt. Deinde B. Catharinam Martyrem, prodigioſæ ſapientiæ, virilis conſtantiæ, Angelicæque caſtitatis Heroinam triplici, Doctoratus, Martyrii, & Virginitatis aureola commendabilem; eòque dignam cujus extinctæ cadaver omnigenas virtutes adhuc ſpirans in montis Sinai mauſolæo tumulandum bajuli Angeli ſuccollarent. Hujus Angelici funeris effigiem Apellæo penicillo animatam, ſuſpendi juſſerat in intima ſui domicilii æde, pro eximio erga cœleſtem Virginem ſui amoris monumento. Præterea S. Franciſcum Borgiam primum olim Gandiæ Ducem, poſtea noſtræ Societatis tertium Generalem, religioſis virtutibus nulli ſecundum, ſibi ex materna linea conſanguineum: cujus in contemnenda mundi gloria generoſitatem regali ejuſdem generi præhabendam, à ſe aliquando adæquandam decreverat. Ex laconicis Principis Confeſſarii remiſſionibus planè conſtat, ſingulari eundem affectu in Sanctiſſimum Benedictum, & Seraphicum Franciſcum propendiſſe. Et quidem

Lib. 1. §. 411.

Lib. 2. §. 51

in

in Benedicto monaſticæ, ſolitariæque vitæ principatum, primam pueritiam adhuc illibatam Deo, divinæque contemplationi emancipatam; ſummam denique totius vitæ innocentiam ſummis virtutibus cumulatam ſuſpiciebat. In humano autem Seraphino Franciſco prodigioſa omnigenæ Sanctimoniæ monumenta, ſummam in primis paupertatem, mundi totius, ac ſui maximum contemptum, propriæ, alienæque ſalutis ardens ſtudium; ac tandem (quod caput eſt) inflammatam erga Deum, qua conflagrabat, charitatem, miraculoſis Chriſti Domini Crucifixi plagis in ipſius caſtiſſimo expreſſis corpore nobilitatam venerabatur. Horum omnium, & fortaſſe aliorum, qui me latent, gratiam, & auxilium, quotidianis commemorationibus, ſed præcipua virtutum, quibus excelluerunt, æmulatione ſolicitabat.

38 Tandem præ cæteris ardentiori amore abripiebatur in Sanctiſſimum Xaverium primum Japoniæ Apoſtolum, ſecundum poſt Paulum, gentium Doctorem, noſtri ævi novum Thaumaturgum, ſuperioris invidiam, poſterioris ſtuporem, mortuorum quinquaginta vitam, viventium ad pietatis ſtudium incentorem maximum; virum incomparabilem, omni laude majorem, ſuo tantùm judicio minimum. Diligebat Theodoſius Xaverium Luſitanorum dum vixit peramantem, Dei & animarum ſalutis in paucis amantiſſimum. In ejus pulcherrimam imaginem apud ſe in ſummo habitam pretio, frequenter, intentis oculis dum Xaverici corporis univerſa lineamenta ſecum tacitus expendit, in omnibus amore, admirationeque digniſſima deprehendit. Et primùm, hærebat dubius qui potuerit in tam anguſto corpore, humanam vulgò ſtaturam non excedente adeo auguſtus ſpiritus ampliora quàm terræ, cœlique ſpatia exigens tandiu incluſus contineri? Mox caſtiſſimos oculos Dei perpetuò nutum obſervantes, ac divini amoris ſcintillas in mortalium corda ejaculantes ſuſpiciens, concipiebat intimis præcordiis ingens ipſius divini amoris incendium. Os deinde intuens Incarnati olim Verbi organum vocaliſſimum, quaſi à concionantis adhuc ore pendulus recolebat antiquo eloquentiorem Herculem linguis hominum, & Angelorum loquentem, aureaque cœleſtium ſententiarum catena innumeros catervatim populos ad ſe, immò ad Deum attrahentem. Præterea manus ejus tornatiles plenas miraculorum hyacinthis, Divinæ omnipotentiæ indices, ſacri baptiſmatis ſpargendis aquis in duodecim myriades delaſſatus venerabundus oſculabatur, eaſque ſibi auxiliares depoſcebat. Pulcherrimos tandem pedes evangelizantis pacem alatos, & infatigabiles, ad animarum ſalutem procurandam pluſquam gygantcis paſſibus procurrentes, vix, præ nimia pernicitate, oculorum acie aſſequutus, illorum inſiſtendi veſtigiis deſiderio, inflammatis votis; ac iteratis precibus proſequebatur. Quocirca Xaverij exemplo incitatus, zeloque ſalutis animarum ſtimulatus, ter quotidie flexis genibus coram Deo effundebat eam orationem, quam ipſemet Xaverius, pro impetranda univerſæ gentilitatis converſione compoſuit: illam ſic reperi ſcriptam in Breviario ipſius Confeſſarii poſt ejus mortem.

P. Nadaſi in ejus Elog. 2. Decemb.
P. Sylva an. 10 pag. 517. & 518.
P. Nadaſi in ejus Elog. 2. Decemb.

(✠)

Oratio

Oratio S. Franciſci Xaverii, pro converſione infidelium: quam piiſſimus Luſitaniæ Princeps Theodoſius pro ferventi in ſalutem animarum zelo, & egregia in Xaverium pietate ter in die ſolitus recitare.

39 *ÆTerne rerum omnium effector Deus, memento abs Te animas infidelium procreatas, easque ad imaginem, & ſimilitudinem tuam conditas. Ecce Domine in opprobrium tuum his ipſis infernus impletur. Memento Ieſum Filium tuum pro illorum ſalute atrociſſimam ſubiiſſe mortem. Noli, quæſo, Domine ultra permittere, ut Filius tuus ab infidelibus contemnatur; ſed precibus ſanctorum virorum, & Eccleſiæ Sanctiſſimæ Filii tui Sponſæ placatus, recordare miſericordiæ tuæ, & oblitus idolatriæ, & infidelitatis eorum, effice, ut ipſi quoque agnoſcant aliquando, quem miſiſti Dominum Ieſum Chriſtum, qui eſt ſolus vita, & reſurrectio noſtra, per quem ſalvati, & liberati ſumus, cui ſit gloria per infinita ſæculorum ſæcula. Amen.* Mitto duo alia jam à nobis alibi perſtricta Theodoſiani erga Xaverium amoris documenta. Lib. I. §. 174. & 339

CAPUT V.

Principis Theodoſii erga virtutem, & religionem ardens ſtudium.

40 LIcèt invidia nonnulli obcæcati virtutem incolumem oderint, ſublatam verò ex oculis vel ipſimet quærant; attamen eandem, ſi oculis cerneretur, mirabiles ſui amores in omnium animis excitaturam prudentes meritò credidere: unde nil mirum ſi tantopere amarit virtutem Theodoſius, quàm præ oculis ſemper habuerit; maximè cùm probè noſſet eam eſſe probitatis pulchritudinem, quam primævo ſemper flore vernantem, & immarceſſibilem, neque tempus omnium edax rerum corrumpere, neque morbi, aut mors ipſa poſſint unquam deformare. Cùm præterea eandem amabiliſſimo Deo ſciret unicè dilectam. Hinc ſumma ejus in quoslibet virtute præſtantes propenſio; ex qua evidens infertur argumentum. Magnum quidem propriæ virtutis indicium eſt alienæ maxima æſtimatio: *Scias* (inquit eleganter Plinius) *ipſum plurimis virtutibus abundare, qui alienas ſic amat.* Ex iis quæ in terris aliquam merentur æſtimationem, primum apud eum locum virtus, ſecundum fortitudo, tertium ſcientiæ obtinuere. Nemini unquam ſe addixit, quem prius virtuti addictum non videret, nullus niſi commendatione virtutis illius gratiam aucupavit. Qui Principi miniſtrabant, vel erant eximiè probi, vel tales videri affectabant; aliter Ipſi nequaquam futuri gratioſi, cùm apprimè noſſent non niſi per virtutum quaſi gradus Plin. in epiſt.

poſſe aliquem ad thronum ejus gratiæ prope accedere; cui qui foret proximior, eum eſſe longè optimum planè conſtabat.

Plut. in moral.

41 Ut olim apud veteres Romanos, ad templum honoris non niſi per virtutis templum patebat aditus; ſic ad Theodoſii Principis intimius conclave, ipſiusque intimam familiaritatem ſola virtus liberiorem monſtrabat aditum, acceſſumque præbebat: Id verò à judicioſis obſervatum ex Theodoſii convictu majora indies cæpiſſe incrementa eorum virtutem, qui cum Illo familiariùs agerent. Certè à Sereniſſima Regina Matre accepi, Sereniſſimum ipſum Regem; ex quo Principem filium ſibi chariſſimum jam natu majorem, rebus, & negotiis, quæ cum Illo conferebat, ita poſcentibus, cæpit frequentiùs ad familiare conſortium adhibere, in regiis, Chriſtianiſque virtutibus multùm profeciſſe, longèque quàm antea reformatioris vitæ rationem inſtituiſſe. Nihil probroſius Principibus nonnullis eſſe dicebat, quàm improbos non improbare: quid ſi eoſdem foverent,& in pretio haberent? Miſerandos illos quidem, at miſerabiliorem ſub illis rempublicam ſupremo exitio jam impendenti obnoxiam deplorabat.

42 Ex omnibus conſanguineis uni Sereniſſimæ Infantæ Catharinæ plus deferebat, quia Illam procliviori ad virtutem, & ad omne pietatis genus ſtudio impenſiùs ferri deprehenderat. Audierat Sereniſſimum Theodoſium ejus nominis ſecundum inter Brigantinos Principes, quo Avo gloriabatur, fuiſſe virum omnigenis virtutibus excellentem: ipſius mentionem ideo tam ſanctè coluit, ut cùm ejus Magiſter D. Petrus Pueros aliquod minus decens exercitium Illi vellet diſſuadere, brevî hac prolata ſententia *Avus Veſtræ Celſitudinis id non faceret*, rem omnino conficeret; illico enim reſpondebat Princeps *Neque id ego ulterius faciam*; confeſtimque incæptum qualecunque opus, etſi valde ſibi gratum abrumpebat. Tam multus erat in lectitandis eximiis virtutibus, & præclaris rebus geſtis Sereniſſimi Regis Joannis ſecundi, ut auſus fuerit unus ex aulicis Principem aliquando in hæc verba interpellare. Cur tantopere Veſtra Celſitudo in legenda ejus Regis vita deliciatur, qui Sereniſſimo Ferdinando Veſtræ Celſitudinis quinto Avo vitam eripuit, Brigantinæque domui adeo fuit infenſus? Ad quæ Princeps: *Iurene, an injuria Rex Ioannes id præſtiterit? Iam Deo exactam reddidit rationem: de cætero; novi perfectum illum fuiſſe Principem, virtutum omnium ſuſpiciendum exemplar. Quare ad ipſius æſtimationem nihil refert, cujus fuerit amicus, aut inimicus; enim verò Ipſe hoſtis Teucros inſignì laude ferebat; atque ut meritò vitia in ipſismet amicis odiſſe, ſic virtutes amare, vel in inimicis æquum eſt.* Sub Sereniſſimo Joanne quarto diu adhuc vixit D. Rodericus à Cunia Bracharenſis olim Archipræſul, poſtea Ulyſſiponenſis, Vir noſtri nec ævi, nec moris, ſed priſci, unus inter primores Luſitanæ libertatis Aſſertores, & quod caput eſt, maximarum virtutum commendatione celeberrimus: quanti eas adhuc poſt ejus obitum faceret Theodoſius in tempore oſtendit, cùm primùm pueritiam egreſſi miniſterio, illuſtriſſimi quique à Sereniſſimo Parente ſunt deſignati: Illis adnumerari meritò ambiebat. D. Rodericus à Cunia prædicti Archipræſulis ex Patre nepos; hic apud Principem expenſis rationum momentis, quæ illum ipſius miniſterio dignum redderent, Principis reſponſum opperiebatur: *Tunc Princeps, Libenter* (inquit) *annuo tuis poſtulatis, teque in meam accipio clientelam, non ob eas tantùm, quas affers optimas quidem rationes, ſed etiam, quia nomen Patrui præfers, cujus non dubito, quin eximias virtutes æmuleris.* Mirum quàm ea verba non modò ipſum candida-

tum,

tuſri, ſed univerſos illius illuſtriſſimæ familiæ proceres optimò conſanguineæ virtutis æſtimatori Principi obligarint.

43 Inter cæteros pueros ingenuos, qui Principi miniſtrabant, unus erat Franciſcus à Vaſconcellos unicus illuſtrium parentum filius, at longè illuſtrioribus virtutum documentis commendabilis. Is in aula, quæ ſub Theodoſio Aſceterium erat, religioſam potiùs, quàm aulicam vitam agebat; Illum in frequentandis pœnitentiæ, ac Euchariſtiæ Sacramentis aſſiduum, in comparandis virtutibus ſtudioſiſſimum, in iis exercendis ſibi ſimillimum impensè amare Theodoſius; ipſius abſentis virtutes, ut olim Chriſtus Dominus ſui Præcurſoris extollere; ſive ut debitum merenti honorem impertiret, ſive, ut cæteros ad virtutis ſtudium Franciſci exemplo ſtimularet. Eundem ſemel ſpiritualibus exercitiis vacantem in ſecreto palatii loco fortè reperit Princeps, cujus aſpectui cum ſe conaretur occultare, illum amicè compellans: *Me ne fugis* (inquit Princeps) *tuorum conſcium ſtudiorum, ab illis; & à te minimè alienum?* Certè quàm foret hac Principis benevolentia, & laudibus dignus paulò poſt obitum Principis memorabili exemplo palam fecit; ſpreto namque ſatis amplo, cui jure hæreditario imminebat, majoratu, expetitam diu Societatem noſtram, & ſibi à Superioribus ſemper inconceſſam, tandem annuente R. P. Joanne Briſacier Gallo, noſtræ Luſitanæ Provinciæ Viſitatore; ipſius importunis precibus, rationibusque validiſſimis divinam eſſe vocationem evincentibus expugnato, ingreſſus eſt; impetrata priùs à Sereniſſimo Rege bona venia, & prompta defenſione adversùs invitos parentes, id ægerrimè ferentes, ac nullum non moventes lapidem, ut eum à ſuſcepto conſilio dimoverent; in quo tamen immotus perſtitit, ac per annos aliquot cœleſtem in Societate vitam duxit, qua brevi functus, & meritis plenus ad amantiſſimi Principis conſortium conceſſit.

44 De ſolidis virtutibus P. Joannis Piſſarro Capellani Regii (cujus vitam maximarum virtutum exemplis commendabilem, prœloque committendam Luſitano idiomate ſcripſit R. P. Magiſter Fr. Antonius à Sancto Bernardino Seraphici Franciſci alumnus, ejusque confeſſarius) Magnam conceperat opinionem Theodoſius, eòque ſuis Illum intimis ex longo admiſſum in maximo habere pretio, cum eodem ſuaviſſima frequenter miſcere colloquia, de mundi contemptu, de rebus cœleſtibus, de omnigenis virtutibus, mediisque ad eaſdem aſſequendas. Duos diverſis temporibus habuit confeſſarios, R. P. Joannem Nonium, Puer; Adoleſcens R. P. D. Andream Ferdinandum deſignatum Epiſcopum Japonenſem: utrumque non ſolùm ob eximias, quibus innotuere, virtutes, ſed quia ipſarum virtutum plenam notitiam incipienti, & progredienti monſtrarint, maximi ſemper fecit, ſummiſque, quibus majores eſſe non poſſent, amoris ſignificationibus cumulavit. Hinc virtus apud omnes in pretio haberi, quam ſuo Principi ſcirent eſſe pretioſam. Hinc plurimi ex aulicis maximè, qui cum illo frequentiùs, & familiariùs agerent, illius virtutum æmulatione ad ſummam Chriſtianæ vitæ perfectionem eniti. Et certè, qui ad Theodoſii aureos mores, ſuos componeret, ultimam ſummæ perfectioni manum imponeret. Ab aliorum viventium expreſſa mentione conſultò abſtineo, Divini oraculi conſcius, *Ante mortem, ne laudes hominem quenquam.* Eccl. 11. n. 30. Illud interim omittere nefas duxerim, æquè amaſſe Principem ſynceram, ſolidamque virtutem, & odiſſe fucatam, hypocriſiſque lenociniis adulteratam; quam à vera dignoſcere, pretioſumque avili ſecernerè

apprimè norat. Celebris per id tempus erat Eremita quidam, qui apud D. Mauri ædiculam prope Alcantaram ſub ſpecioſo ſimulatæ virtutis habitu, quaſi ſub ovina pelle, vulpinum aſtum, & diabolicam planè malitiam occultabat. Hunc adire plurimi, non modò ex infima plebe, ſed ex primaria ſæpè nobilitate, ſalutaris conſilii, vel Divini auxilii exorandi cauſâ. De cujus virtutibus, & propheticis, ut falsò putabatur, oraculis, cùm apud Principem magnifica jactarentur; jubet acciri hominem, paucisque à ſe interrogatum, & ineptè, ſubdolèque ad quæſita reſpondentem, certis obnoxium illuſionibus deprehendit; non modò illum, ſed univerſos, qui tenebras pro luce haberent, apertèque pronuntiavit, tàm miſerum eremitam à vera ſanctitate abeſſe, quàm proximum imminenti præcipitio. Veriores fuiſſe Principis de falſo eremita, quàm ipſius de aliis prædictiones, ſubſequutus haud multò poſt, eventus comprobavit. Enim verò verus hypocrita in Sacroſanctæ Inquiſitionis tribunali examinatus, & notæ aſtutiæ, manifeſtique veneficii reus inibi convictus, ſat meritas pœnas dedit.

45 Jam verò qui omnigenam virtutem adeo religiosè coluit, quid mirum ſi religionem ipſam virtutem divino cultui ſpecialiùs emancipatam ſpecialiori affectu recoleret? Hinc eſt, quòd univerſos Religioſorum hominum familias colendo Deo addictas non amaret modò impensè, ſed ſtudiosè veneraretur; at in primis eas, quæ ſuæ primitivæ profeſſionis tenaciores in ea ſanctiùs, & ſeveriùs obſervanda præcæteris eminerent: ut univerſi tales ſe præſtarent, & ſæcularibus exemplari vita præirent ad æternam, ardenter optabat; ſiquid è contra eorum nonnulli ſecus accideret, in vulgusque emanaret, quod bono religionis cujuslibet nomini officeret, ſummo dolore afficiebatur. Plaudebant vulgò aulici brevi, ſed aculeato apophtegmati Sereniſſimi Regis perſtringentis irreligiosè viventes religioſos: *Minus religioſorum* (dicebat Ille) *at plus religionis*: cujus majorem energiam Luſitanum idioma multò aptiùs exprimit: *Menos religioſos, emays religioſos*. At Princeps dolebat interim poſſe id verè jactari. Princeps (inquit Joannes Nonius à Cunia in ſua relatione) judicabat oportere, ut pauciores eſſent religioſi, reformarenturque, illi maximè, quorum ad fidei propagationem exiguus eſſet uſus; addita inſuper hujuſce ſententiæ ratione: *Luſitaniam nimirum eſſe Divinæ fidei ſeminarium; quare illorum maximè habendam rationem, qui cæleſti huic ſpargendo ſemini per vaſtiſſimos Luſitanæ ditionis tractus forent maximè opportuni. Idem nihil religionibus exitialius eſſe dicebat, quàm ſi aut religioſi ſæcularibus ſe negotiis, aut religioſis ſæculares ſe immiſcerent; utrumque religioſæ obſervantiæ certam eſſe peſtem; à fabris fabrilia, religioſa à religioſis, à ſæcularibus ſæcularia pertractanda. Idcirco monebat ſæpe Sereniſſimum Parentem, ne ſe religioſorum cauſis, vel ab iiſdem invitatus intromitteret, niſi rarò cum aut jus naturale, aut canonicum regiæ auctoritatis interpoſitionem neceſſariò exigunt. Nam ille potentior rex erit, qui in religioſis, & eccleſiaſticis quibuslibet cauſis minus poſſit. Deo tam regis potentiam amplificante, quàm illam in ipſius obſequium plùs imminuit.*

46 Nunquam permiſit, ut ſibi religioſus quivis manum, quam ilico accedenti ſubducebat, oſcularetur, neque ſimiliter, ut coram ſe genu flecteret; id verò conantes, eveſtigio aſſurgere jubebat. Cum ſæcularibus publicè magna quidem gravitate, majeſtateque, quaſi cum ſubditis agere; cum religioſis, quaſi familiaribus, & æqualibus maxima urbanitate, ac benignitate; eandem ſimiliter exhibere quibuslibet Eccleſiaſticis cujuscunque gradus, etiam regii

Sacelli pueris, utpote divino cultui deſtinatis. Quàm religioſis univerſis afficeretur, argumento ſint quotidiana, & familiaria cum eorum plurimis colloquia : nulla ipſi dies abiit , quin jucundiſſimis eorum alloquiis frueretur; poſtquam palatium à regio ſejunctum nactus eſt, patentes ſemper religioſis fores, expeditosque illis aditus imperavit. Immò non ſemel per plateam tranſeuntes voce, manu, aut nutu capitis ad mutuas collocutiones ſolicitabat; cum iis verò de rebus cœleſtibus, aut literariis colloquebatur; quæ potiſſima cauſa fuit, cur tantopere religioſis Viris indulſerit, quippe quibus hujuſmodi ſermones ſolent eſſe magis in uſu familiares. Solicitè inquirebat, qui nam in qualibet religione literis,& virtutibus eminerent? Eorum nomina memoriæ mandabat; illorum opera in tempore cùm ſe daret occaſio uſurus. Quo amore, honoreque Princeps religioſos, & ſacerdotes omnes proſequeretur, eleganter exprimit nobilis non ſemel à nobis citatus panegyriſtes in hæc verba, ubi nonnullis, quæ jam attigimus, fidem aſtruit : *Nihil* (inquit) *lucidius in Te, quàm pietas nitet ; illa in primis erga ſacros homines veneratio; Artaxerxem Longimanum credimus alterum : ſed cùm liberalis dextram extendis ad munera, religioſus contrahis ad oſcula; Sacerdotibus ſcilicet petentibus furaris eam; quia cùm ſis filius dexteræ, ſiniſtrum ducis in officioſo certamine, vinci à virtute Majeſtatem. Sacerdotem ad genua ruentem ſtatim manu elevas. Immò coram ſtante, das veniam ſedendi, ſi videas laborantem. Additur (inquis) majeſtati ſupra regale faſtigium, quidquid demitur in Dei obſequium. Pannoſos, & religioſos ordines adeo amas, ut videatur purpura invidere paupertati. Sanè opus eſt Dei Servis Te coram commutare modeſtiam in magnanimitatem; ne tua dum uterus virtute, illi pariter abutantur ſua. Quid majus de Te dici poteſt, quàm quòd ita magnus ſis, ut ipſa timeat virtus, ne à tua ſuperetur virtute, &c.*

47 At quanti demum faceret tum religionem, tum religioſos ipſos non poteſt meliùs confirmari, quàm ipſius mirabili quidem, & multis nominibus venerabili teſtimonio. Semel, ut ſæpe aliàs, Principem adivit ejus Con- Tumul.
feſſarius Epiſcopus Japonenſis, quem tunc quintum ſupra decimum agen- Theod.
tem annum, præter ſolitum inflammato vultu cœleſte neſcio quid ſpirante pag. 44.
invenit: *Et quid novi* (inquit) *mi Princeps? Te inſcio, & inconſulto magnum aliquid auſus ſum*, reſpondit Princeps: quærenti verò, quidnam illud eſſet, quod à maximo Principe tentatum non niſi magnum eſſe oporteret? *Tria* (inquit Princeps religioſiſſimus) *vota nuncupavi, religionis ineundæ primum, Caſtitatis illibatæ ſecundum; tertium prædicandæ infidelibus fidei, cùm dabitur opportunitas.* Obſtupuit, ad hujuſmodi votorum mentionem Pater; & ut erat æquè prudens, ac doctus, primò de illorum validitate eruditè diſputare; mox adeo intempeſtivè ſuſcepti conſilii cauſas inquirere: *Cur propria potiùs, quam publicæ utilitatis habita ratione id exequi auſus fuerit, quod abſque diutina cum Deo, cum viris Doctis, & prudentibus conſultatione cogitare, nedum deliberare, nemo auderet? Cur in minimis quibusvis ſe conſulere ſolitus, & nihil, niſi ſe audito demum decernere, in hac una re ſummi quidem momenti, ſuum conſilium nihili fecerit? Qui vellet ea ſubita deliberatione regiæ Domus majeſtatem in ſe maximè recumbentem, patriæ libertatem nuper redivivam, ſuis auſpiciis alendam, totius denique monarchiæ ſpem in ſe unicè collocatam, uno velut ictu lethaliter vulnerare? Quorſum, dum ſibi uni conſulit, ſuorum æquiſſimis votis, amicorum regum, & fœderatorum gentium fidei, totius orbis expectationi, ſibique tot nominibus obærato adeo inextricabilibus vinculis adſtricto deeſſe? Quare ſub objecta ſibi ſpecie majoris, at privati boni, obicem pergat opponere Divinæ*

gratia ſe ad majora vocanti, & catholicum orbem ſummis quæ ab illo ſperaret emolumentis, immò ipſum Deum maximis privare obſequiis, quibus illum Rex, religioſus demereri non poterit? Enim verò ſi animò Veſtræ Celſitudinis (ut compertum habeo) fixum, immotumque ſedet invaleſcentium indies vitiorum potentiam deprimere, juſtitiam in primis, cæteraſque virtutes labantes erigere, nutantem pacem inter Chriſtianos Principes ſtabilire, factaque cum illis unanimi conſpiratione, inſolentium Mahometanorum, cæterorumque infidelium tumentia colla ſubjugare; ac tandem (quod caput eſt) Chriſti fidem victricibus armis per univerſi orbis ambitum circunferre; hæc, & ſimilia quæ ſummam exigunt poteſtatem Monarchæ potentiſſimi, divinis auxiliis præmuniti, pauper, humilisque religioſus optare quidem poteſt, precibusque à Deo expoſcere; verùm ad optatum exitum perducere, omninoque exequi nequaquam poterit; unde verendum ne Deo fortè majora de V. Celſitudine cogitante maximè diſcipliceant vota, licèt illi maximè complacendi indubio concepta deſiderio.

48 Ad hæc paucis, de more, mira tamen conſtantis in ſuſcepto propoſito animi exhibitione, Princeps: *Ne quæſo mihi ſuccenſeas; certò velim ſcias, non potuiſſe me aliter me habere, quis enim poſſit efficaci Dei compellentis reſiſtere voluntati?* Ex hujuſmodi reſponſo, aliiſque in eam ſententiam à Principe tunc auditis majorem adhuc, quàm paulò ante admirationem concepit prudens Confeſſarius, reveritusque mortalibus incomprehenſibilia divini conſilii arcana ſupra humanum captum de ſuis creaturis multa plerunque ſtatuentis, non ultra interim divexandum Principem fruſtra, prudentiæ fore judicavit, cætera tempori optimo tum ſcripturarum, tum Divinæ voluntatis interpreti permittenda; maximè cum à Sanctiſſimo, ſi res poſceret, opportunum poſſet remedium obtineri. A quo tamen longè aberat Princeps; ſic ex illo in-
Hoc lib. §. 28, & 29. dies obfirmatus ad implenda quæ ſemel emiſerat vota, ut ſingulis diebus confeſſione ſacramentali peracta, de qua hîc ſupra diximus, iiſmet repetitis votis, ſe, ſuaque omnia mirabili hoc holocauſto penitus devoveret. Univerſa hæc ſibi ab eodem Principis confeſſario, poſt ejus obitum revelata, mihi Sereniſſima Regina Britanniæ dignata eſt commemorare, digna profectò æternæ poſteritatis memoria. Et quidem meo judicio, ſubſequuta poſt quadriennium mors Principis adhuc cælibis immatura, haud obſcurum fuit prudentibus cœleſtium rerum æſtimatoribus argumentum, non temerè, ſed maturo conſilio, planèque divino concepta, & toties renovata ea vota, Deo (ut par eſt credere) ſeduliori auxilio, univerſas amantiſſimi Principis actiones ad majorem ſui, ac illius gloriam ita dirigente: ut cui pro Luſitano cœleſte imperium opinione citiùs, ob rationes ſibi uni cognitas, & à nobis unicè venerandas decreverat, eum uberioribus virtutum omnium, etiam religioſarum meritis, & profeſſione cumulatum, ſupremo, quod illi deſtinarat, ſolio
Lib. 3. §. 63. 64, & à §. 68, & à §. 134. redderet omnimodè digniorem. Jam verò quàm exactè ipſa nuncupata vota obſervarit dicemus infra, cùm de illa, quam potiſſimum elegerat, religione, de inflammato ſalutis animarum, & Chriſtianæ fidei zelo, ac de Angelica ipſius caſtitate ſermo nobis inciderit. Ex dictis tamen in hoc capite, ac in ſequenti mox dicendis ſatis liquet, quo amore, ac æſtimatione religionem, & religioſos univerſos, quorum extitit non tam æmulator, quàm abſolutiſſimum exemplar ab univerſis æmulandum, fuerit proſequutus.

CAPUT VI.

Theodoſii ſingularis amor erga Societatem Jeſu.

49 DUm univerſas religioſorum familias impensè colit Theodoſius, Societati Jeſu ſingularem impendit amorem; quem à Sereniſſimis Avis, & Parentibus hæreditario acceptum, educatio enutrivit, frequens deinde cum noſtris conſuetudo indies fovit; morum tandem, & ſtudiorum obſervata ſimilitudo, maximum præcipui amoris incitamentum, glutinumque tenaciſſimum, in immenſum propè auxit, & ſupra omnem fidem provexit: adeo, ut ſiquis rerum prudens æſtimator, noſtros hac in parte, cum cæteris conferat, non immeritò dixerit, erga reliquos Theodoſium religioſi Principis munus; erga noſtros intimi, & familiaris munia ritè obiviſſe.

50 Habet Societas Villaviſſoſæ Domum profeſſam Sereniſſimi Ducis Theodoſii ſecundi ſumptibus conditam, Brigantinæ munificentiæ, ac religioſæ paupertatis, ære, auroque perennius monumentum. Hujuſce domus profeſſæ Patres, emendicatis tantùm oſtiatim eleemoſynis ali ſoliti, juxta laudabile ſocietatis inſtitutum, Brigantinam aulam, maximum eximiæ paupertatis aſylum, frequenter convenire aſſueverant; ſingulari Sereniſſimorum Principum benevolentia illecti, & regia planè liberalitate invitati. Illuc præterea vocati ſæpius adire, vel habendis in Sacello regio concionibus; vel excipiendis frequenter confeſſionibus, non modò Sereniſſimorum Principum, qui confeſſarios è Societate ſibi vulgò ſeligebant, ſed totius ampliſſimæ familiæ Brigantinæ. Eorum primùm aſpectu, adhuc infans Theodoſius; mox, ubi per ætatem licuit, alloquio, & familiari conſuetudine provocatus, mirificè delectari cæpit Auguſtus Puer. Tandem ab iiſdem ad omne virtutis, & pietatis genus, ſalutaribus monitis, & exemplis inſtitutus, cum erga ipſos amorem hauſit, quem innumeris teſtatum beneficiis, & benevolentiæ monumentis, perpetua grati animi ſignificatione recolemus.

51 Igitur Villaviſſoſæ primùm; tum deinde Ulyſſipone Theodoſio nihil fuit ad animi oblectationem jucundius, quàm noſtros familiari colloquio frequenter admiſſos, indulgentiſſimè habere. Eam ſibi periiſſe diem ingenuè, ac non ſemel profeſſus, quam ab eorum, quos unicè diligebat, alloquio prorſus immunem tranſigeret: illam verò è contra, ſibi ducebat auſpicatiſſimam, alboque (ut aiunt) ſignandam lapillo, quam plurimornm Jeſuitarum ad ſe concurſus, & frequentia commendaret. Ab omni jactantiæ ſpecie multùm alioqui abhorrens; id unum apud Sereniſſimam Reginam Matrem frequenter jactabat gloriabundus, in hæc verba: *Felix hæc mihi proceſſit dies, in qua ſatis multos allocutus ſum Societatis Patres*; mox decem, aut duodecim, & nonnunquam plures, quibus cum familiares habuiſſet ſermones enumerabat; expreſſo cujuſque nomine, gradu, talentis etiam, & virtutibus commemoratis. Id verò licèt à viris indubitatæ fidei ſæpius acceperim; tamen, quia rei prope incredibilis obſtabat magnitudo, auſus ſum (fateor) Sereniſſimam Reginam interrogare, an ut vulgò ferebatur, ita ſe res hæc haberet? Non modò libens annuit, verùmque omnino eſſe, fidem fecit; at longè nobiliori pro-

Hoc lib 4 num. 61. ductо exemplo, à nobis infra commemorando, incredibilem Sereniſſimi Principis erga ſocietatem, an eris magnitudinem, teſtari dignata eſt.

52 Illud interim minimè ſilendum, quòd noſtros ad familiare colloquium, non admitteret modò ad ſe ultro venientes, ſed ſæpe numerò etiam prætereuntes, ac vel nihil tale cogitantes, vel tanti Principis reverentia retardatos, invitaret ipſe per ſuos aulicos, & quodammodo compelleret. Celeberrima Ulyſſipone fuit dies, qua fœderatæ Galliæ legatus quidam extra ordinem miſſus à Chriſtianiſſimo Rege Ludovico ejus nominis 13. Sereniſſimo Regi Joanni IV, Regiam aulam publico triumpho invectus eſt. Ad viſendam eam pompam, confluxit univerſa quàm magna eſt civitas, animos, oculosque avidiſſimos novo ſpectaculo expletura. Aliquos interim è noſtratibus, iiſdem videndi ſtimulis agitatos, ac Principis palatium prætergreſſos Ipſe fortè intuitus, ad ſe vocari juſſit, ut ex eadem, qua Ille feneſtra Gallicum apparatum ſpectarent. Eoſdem cum Principe jam familiariſſimè colloquentes, Ipſumque Principem ſingulari propterea gaudio delibutum è regii palatii oppoſita janua proſpectans Sereniſſima Regina mittit, qui has ſuo nomine Principi deferret querimonias: *Mirari ſe vehementer nimiam tanti Principis avaritiam, qui univerſos ſocietatis alumnos ſibi uni addictos vellet, cumque tam multos ſecum haberet, ne unius quidem ſibi Societatis quoque unicè amantis copiam faceret. Memineris proinde in communi exultatione oportere maxima quæque gaudia eſſe communia, decereque Matrem ſummæ Filii voluptatis fieri participem.* Incredibile dictu eſt, qua exultantis animi ſignificatione Princeps exceperit urbaniſſimas haſce querimonias regiæ benevolentiæ, ſummique amoris erga Societatem noſtram teſtes. Tunc duobus è noſtris deſignatis, ad nuntium converſus: *Edicito* (inquit) *Sereniſſimæ Reginæ Matri meæ. Me verò non mirari eximiam tantæ Majeſtatis invidiam maximi faciendam, cui tam juſtam video ſubeſſe cauſam: hoſce duos tantùm Patres, pro ſingulari obſequentis animi teſtimonio à me conſultò mitti ad ſuam Majeſtatem duplici erga me, ac ſocietatem placando amori, ut credo, ſatis. Si reliquos adhuc mihi adhærentes pergat invidere, non illos à me dimittendos, ſed unà mecum ad pedes ſuæ Majeſtatis actutùm deducendos, pro maximo hodiernæ lætitiæ cumulo, & communione.* Sic tunc, & ſæpe aliàs cum Matre Sereniſſima de indulgentiori erga Societatem noſtram benevolentia certavit provocatus Princeps, maximi à nobis æſtimandi certaminis dubia nunquam, ſemper ad Ipſum inclinante victoria. Accidit non raro, aliquot è noſtris, Regiæ aulæ veſtibulum jam prætervectos, à Principe adverſa ex feneſtra palatii obſervatos, ad ſe acciri juſſos: mox humaniſſimè increpitos, dulciſſimisque delinitos ſermonibus dimittebat, ea lege, ne deinceps, ſe coram inſalutato, præterirent. Quod cùm jam nemini è noſtris, non eſſet exploratum, ſiquis fortè, aut urgenti negotio, aut anguſtiis temporis impeditus, quominus Principem adire poſſet; conſultò ab Illius palatio alıorſum declinabat, ne amantiſſimi Principis offenſam inofficioſa prætеritione ſubiret.

53 Et verò non ii tantùm, qui Ulyſſipone agerent, verùm omnes, qui Ulyſſiponem qualibet occaſione diverterent, hac ſingulari tanti Principis benevolentia fruebantur. At in primis illi, qui vel ex longè diſſitis regionibus, vel ad ultramarinas deſtinati miſſiones, illuc navem conſcenſuri appellerent. Vix portum tenebant, cum illico de illorum adventu Princeps fiebat certior; vel ab Illius Confeſſario, vel à quolibet alio: (plurimi enim captandæ Principis gratiæ intenti, hac maximè ratione, Illi morigerari certabant.)

Nec

Nec mora, moniti à Confeſſairo de Principis expectatione, mox per eundem ad interiora domus regiæ introducti, & Principis, & ſuum ipſi animum, aſpectu mutuo, & alloquio per otium explebanr.

54 Hinc etiam erat, quòd nulli unquam, etſi minimo è ſocietate, ad ſe fuerit præcluſus aditus, omnibus ſemper, & ubique liber patuerit; ſive aulicorum beneficio pariter, & obſequio, nihil majus noſtris, nihil gratius Principi ſe facturos exiſtimantium. Quod ut ſibi perſuaderent, quotidianis propè documentis, & frequenti uſu facilè adduci poterant: adeo, ut quoties præter ſolitum, hilariorem Principem deforis venientes animadverterent (& crebrò id contingebat) non aliam ingentis lætitiæ cauſam ſcrutati, palam familiari apud ſe ipſos ſermone jactarent. Cum aliquibus è Societate Princeps noſter deliciatus eſt. Cui firmandæ opinioni, unum privatim, alterum editum publicè argumentum delibare jucundum erit; nam omnia perſequi, immenſi propè operis foret.

55 Forte aliquando, inſciis aulicis, unum è noſtris ſibi in paucis gratioſum, Princeps nullo cubiculario intromittente, per ſe ipſe admiſerat: quo cum, poſt quam aliquandiu familiariter collocutus; fit repente ſtrepitus ab adventantibus conſueta hora cubiculariis; eos verò ut feſtivo pariter mimo diſtinerer, ſimulque de ſuo erga Societatem regio planè affectu erudiret, hujuſmodi lepidam ſanè commentus eſt fabulam. Edicit noſtro Patri, ut poſt aulæum, quo ſecretior paries Domus Regiæ veſtiebatur, ſe ita contraheret, curioſiſque oculis clam ſubduceret, ut nemini latentis hoſpitis, nedum levis ſuſpicio ſubeſſe poſſet. Dictum, factum: mox venientibus occurrit Princeps, inſolitæ lætitiæ ſigna hilari vultu præferens: & *Heus* (inquit) *congratulamini mihi de theſauro, qui, ex quo hinc abiiſtis, cælitùs mihi obtigit, & in hac eadem domo aſſervatur.* Mirari omnes ad novi theſauri mentionem, tum verò ampliùs, ubi amplam, liberamque circumſpicientes undequaque Domum, nullum theſauri occulti veſtigium deprehendunt. Igitur major inceſſit omnium animos cupido theſauri viſendi; quem ut gratulabundis dignetur oſtendere, demiſsè rogant. Tunc Princeps, poſtquam eos longa expectatione ſuſpenſos, & ſolicitudine accenſos diu tenuit: *Oſtendam* (inquit) *libenter vobis meum theſaurum, modò illum debita, ut par eſt, æſtimatione ſervetis, ejuſque divitiis, non ſine veſtro emolumento, utamini.* Accipientibus de facili, conditionem ſibi optimam; elato ſua ipſe manu, Princeps aulæo, ſub quo noſter latitabat: *En*, ait, *meum theſaurum, en alumnum Societatis, quam omni theſauro mihi duco pretioſiorem, vobiſque identidem eſſe velim.* Plauſu excipitur inſperati adeo rheſauri commendatio; prodit ab invidendis latebris noſter nimio ſuffuſus rubore, quem inſolentis magnitudo beneficii ori aſperſerat: demittuntur omnes, qui aderant ad pedes Principis, & degratiſſimo theſauro, Illi primùm, ſibi deinde, ut ſpoponderant, ſumma æſtimatione gratulantur; memores haud abſimilis artificii, quo magnus olim Alexander ſimili occaſione uſus perhibetur: qui fortunatiſſimus alioqui, nulla re fortunariorem ſe judicavit, quàm amicis; ſuoſque peroptanti theſauros conſpicere, amicos oſtendit.

56 Illud in aula, & ſub aulæo, privatum licet, at magnum certè; quod ſequitur, eò majus, quò pluribus coram teſtibus in latè patenti circo, manifeſtiùs exhibitum eſt ſummi amoris documentum. Alcantaram, laxandi animi ergò, ſolito de more, conceſſerat Theodoſius cum plurimis purpuratis; ſubſequi juſſis aliquot è noſtra ſocietate, quos in communionem publicæ lætitiæ

vel

vel inſpectores, vel ſocios frequenter adhibere ſolebat. Hic inter alia, quibus aſſueverat, ludicra oblectamenta, placuit equeſtribus ludis, qui maximè Principem decent, pauliſper indulgere. Igitur certatim conſcenſis equis; nunc mentitæ pugnæ ſimulachra ciere, nunc effuſis habenis ſingulatim, mox ſociatim datis manibus, quadrupedes ad curſus impellere: tum deinde iiſdem molliter contractis, ac reflexis in gyros, & inexplicabiles labyrintos implicare; omnia denique rite obire variis curſibus, & recurſibus, quæ olim equeſtri laude præcellentes Heroas præſtitiſſe, memoriæ proditum eſt. In quibus omnibus Theodoſius tantùm inter omnes innata equitandi venuſtate, acquiſitaque peritia, excelluit; quantùm dignitate, ac majeſtate cæteros anteibat. Ad extremum convenit inter omnes ultimo procurſu caſto à ſe amori velitandum (nempe in gratiam caſtiſſimi Principis, aliter vani amoris mentionem, minimè laturi; ſcitè placuit, amorem, caſtitatis nomine conſecrare:) adjecta inſuper plauſibili conditione; ut unuſquiſque ſuæ Dominæ vulgaret nomen, cujus nuptiis procurrendo inhiaret. Nemini feſtiva non arriſit conditio; immò præter omnium ſpem, eam libentiùs arripuit Princeps, haud dubius præclaram ſibi oblatam occaſionem, ſui ardentiſſimi amoris propalandi, ac de chariſſima ſibi ſponſa benemerendi. Igitur pro ſe quiſque ſpecioſæ victoriæ, ac laudis ſtimulis accenſus, ad curſoriæ artis exactiſſimas normas ſe componens, omnes induſtriæ nervos intendit, quò poſſit equitandi ſimul, & amandi expetitam palmam cæteris præripere. Univerſis ergò, qui aderant, ad pulchrum ſpectaculum intentis; ordine quiſque ſuo, ſolvit è carceribus ad metam, curſumque non invenuſtè abſolvit; iterato ſæpius nomine illius Dominæ, cujus amori, & nuptiis imminebat. Ultimus omnium, at inter omnes facilè Princeps, collaudatis priùs ſingulis, ad curſum ſe comparat Theodoſius, Luſitano inſidens Bucephalo; dignior, ſi unquam aliàs, oris venuſtate, totiuſque corporis elegantia ſpecioſior; vel ipſo æmulorum judicio, longævitatem, fauſtaque omnia decurrenti Principi adprecantium. Tandem confecto, mira dexteritate curſu, ad ſuos ſe recipit, longa jam diu expectatione ſolicitos, cujuſnam ſponſæ obſequio ſuum Theodoſius curſum conſecratum pronuntiaret? Tunc Ille ad ſuos converſus, noſtroſque lætabundus indigitans: *En* (inquit) *meam ſponſam ſocietatem, cui unimeam qualemcunque induſtriam, immò & me ipſum dicatum perpetuò velim.* Incredibili plauſu, lætiſque acclamationibus excipitur vox tanto Principe digna, non modò à noſtris, ſed à reliquis etiam; nemine Principi victoriam non adjudicante. Nonnullis interim, per jocum, Principem velicantibus, cui præ cæteris tantopere placeret, adeo rugoſa, & centennaria ſponſa: Ipſo è contra, pro virili adnitente, ac ridendo dicere verum perſeverante: *Nullam ſibi ſua, & ſi vetula, rugiſque exarata ſponſa videri pulchriorem, non indecero pulvere ſordidam pro ſalute animarum; neque pro fide, martyrum ſanguine invenuſtè rubicundam; nullam ſuo amore, ac benevolentia propterea digniorem.*

57 Non ex ſterili affectu quanvis maximo, ſed ab effectibus, etſi minimis, magnus probatur amor. Notha eſt veri amoris filia infæcunda benevolentia. At quidem non ſterilis, ſed fæcundiſſimus certè fuit Sereniſſimi Theodoſii erga ſocietatem amor; à quo tot publicæ, privatæque utilitates; tam multa, & lucuJenta beneficia orta ſunt. In his primum, ſuo jure, locum vendicat omnium Luſitanorum in ſocietatem amor, ab amore Theodoſii primogenitus. Amabant omnis ſocietatem, quam ſuo Principi unicè dilectam

agno-

agnoverant. Ad Illius gratiam colligendam, nemo ſibi unquam expeditiorem hac, viam muniendam putavit; Ipſo paſſim familiaribus ſermonibus atteſtante: *Nullus mihi nimis placere poterit, cui vel parum ſocietas diſplicebit.* Societis negotia majoris momenti, maximè ad animarum ſalutem, & ultramarinas miſſiones ſpectantia incredibili ſolicitudine apud Sereniſſimum Parentem, aliquando, ſi res poſceret, apud regios miniſtros propria interpoſita commendatione, auctoritateque, ſoliciti Curatoris ſibi accepto munere, multùm certè promovit, & ad optatum exitum raro non perduxit. Idem cùm de præficiendo alicui ultramarinæ Provinciæ Prætore ageretur, inter alias dotes muneri rectè obeundo requiſitas, an, is de quo mentio fieret ſocietatis eſſet amantiſſimus? inquirebat, illique, cæteris paribus ſuffragium ſuum libentiùs deferebat, à quo ſocietatis hominibus plus defendendum exiſtimabat: certus nimirum, reipublicæ illum abundè facturum ſatis, qui privatis, & ſalutaribus Societatis conſiliis in adminiſtrando duceretur. An à Sereniſſima Parente Societatis pariter amantiſſima conſilium id Princeps hauſerit, an ab Illo Sereniſſima Regina, dum per annos aliquot regnum pro pupillo Alphonſo adminiſtravit? Pro certo non auſim affirmare. Illud certiſſimum omnino habeo, quendam intimum ſibi cui maximè Sereniſſima Regina deferebat, ab ea ſemel conſultum, quinam è tribus vel quatuor candidatis alioqui dignis Societatis noſtræ familiarior haberetur, eòque nomine dignior ſuo judicio, cui ultramarina quædam præfectura committeretur? Eique demum delatam eam provinciam, quem opportuniorem vit ille judicavit. An hujuſmodi Præfectus Sereniſſimæ Reginæ conferentis, & conſultoris expectationi reſponderit? non eſt cur proferam, Theodoſii erga noſtros efferendo amori unicè, ut par eſt, attentus. Dum Ille univerſos ad amandam ſocietatem provocat, neminem in ea diligenda, præferri ſibi patiebatur, qui omnes ut dignitate, ſic amore longè præcelleret. Erat Illi multis nominibus, ſed eo in primis, maximè charus R. Pater D. Andreas Ferdinandus Ipſius confeſſarius, cujus eximium in Parentem ſuam Societatem, affectum deprehenderat: cum hoc fuit Illi frequens, & perjucundum ſæpe certamen, uter eorum ad Societatem ardentiùs afficeretur? Dum verò pro ſe quiſque viciſſim rationum momenta, haud contemnendis argumentis confirmata expendit, nunquam tamen Princeps, non victor exceſſit; conceſſa interim optimo Patri non vulgari gloria, quod in paucis unus eſſet, quem Princeps hac in re ſibi meritò conferendum æquanimiter ferret.

58 E contra, ſiquem fortè offenderet Societati noſtræ infenſum, is Illius offenſam, haud dubiè incurrebat. Ab illo unà cum oculis avertebat animum, quem ſocietati adverſum animadverteret. Apud amplam regii palatii aulam gladiatorio muneri Principem dantem operam, aggreſſus aliquando, data opera, ſenex quidam propè depontanus, magnæ quidem apud omnes auctoritatis, ſed notiſſimæ pariter dicacitatis. Et *Mi Princeps* (inquit) *ſi per Te mihi licet, docebo libens, quî poſſis, & quos debeas punctim, caſimque tutò Ipſe ferire.* Nec mora, facta illi docendi poteſtate, poſita ſenatoria toga, arreptoque tremula manu gladio; mox illum in noſtros, qui aderant, altè dimittens, tum deinde palatinis ſpectantibus intentans: *Sic illos* (pergit) *punctim, iſtos caſim ferire, tua maximi intereſt.* Tunc Princeps graviter commotus, quaſi dum nos, optimosque aulicos perſtringit, pupillas ſibi oculorum tangeret, prohibito garrulo ſene adhuc plura effutire parante; ad ſuos converſus: *Delirat* (ait)

hic

hic bonus ſenex. Ita verendus alioqui ſenator ſuæ maledicentiæ meritas pœnas dedit; & ubi ex obtrectatione plauſum ſperabat, inde juſtam Principis indignationem, cæterorumque inſperatam tulit irriſionem. Cujus eventus occaſione (quod etiam ſæpe aliàs) dixiſſe fertur, ad æmulationem Henrici Galliæ Regis, ſimile quid olim proferentis: *Tria, ut plurimùm, eſſe hominum genera, quos ſibi Societas experiretur infenſos, ſcilicet fatuos, invidos, & perversè improbas; & quidem tales ſe probare; quibus optimi omnibus tam innocui, quàm proficui non proborentur. Neque verò minùs glorioſum, ipſi ſocietati eſſe horum odium, quàm cæterorum omnium amorem. Cùm æqualis ſit gloria diligi ab optimis, & odio haberi à peſſimis.* In cujus amplificatione ſententiæ, cùm Princeps multus ſæpe foret; nobis in re propria, multisque odioſa diutius hærere non licet.

59 Illud quod à concionatore quodam Inſulano, in funebri poſt Principis obitum oratione, commemoratum reperi, omnino prætermittere abſque ingratitudinis nota non ſum auſus. Cùm Princeps tum ex annalibus ſocietatis jam prælo commiſſis, tum ex annuis manuſcriptis literis, ſibi lectitatu jucundiſſimis, planè cognoſceret, quàm uberrimo ſalutis animarum fructu, nec minore orthodoxæ religionis, Luſitanæque Monarchiæ, immò divinæ ſimul gloriæ proventu Societatis miſſionarii, ubique terrarum, at in primis in Japonia, in Æthiopia, in Piſcariæ ora univerſi hactenus ex ſocietate adlecti, vaſtiſſimisque illis regionibus præpoſiti Patriarchæ, Archiepiſcopi, & Epiſcopi impigrum, indefeſſumque laborem collocarint; ardenti publicæ utilitatis zelo inflammatus, ita cum aliquo è noſtris ratiocinabatur: *Si animarum ſaluti, orthodoxæ Eccleſiæ, Luſitanæque Monarchiæ, adeo fuiſſe utiles paucos è Societate Præſules apud exteras nationes ſatis nobis exploratum eſt, cur in universa Luſitania, ejuſque ditionis Regnis, & provinciis ſimiles præteritis, quibus abundat Societas, Viri ſimillimi non præficientur, velint nolint, dignitatibus; à quibus non abſimilem fructum certò ſperare poſſimus? Cur Dei optimi maximi omnium optimum regimen non æmulemur, qui ſolem ſuum oriri facit ſuper bonos, & malos, ſuper juſtos, & injuſtos, cujus fulgentiſſimos, & beneficos radios non ad longinquiores tantùm regiones, ſed ad proximiores primum diffundit? Cur Chriſti Domini Divinam planè politicem non ſequemur, qui ſuos univerſos Apoſtolos univerſi orbis Eccleſiis præfecit, non quidem remotioribus tantùm, ſed primò propinquioribus Hieroſolymæ, Romæ, ac ſimilium? Societatis igitur filii à Luſitanis Apoſtoli primùm jure ſuo appellati, cur in Luſitania ſaltem Apoſtolicum morem non ſervabunt? Tandem, cur humani ſaltem bene conſtituti, ſanique corporis minimè contemnendis maximis non inſiſtemus, in quo vitales, animalesque validiores, ac defecatiores ſpiritus ad nobiliores proximioresque primùm partes, mox ad remotiores, ignobilioresque diſpertiuntur? Id certè ni fieret, brevi ſalutis compagibus, humana penitus ſtructura diſſolveretur. Hoc verò ne politico Luſitano corpori accidat, ſedulò à nobis providendum, cordi, capitique Luſitaniæ, hiſce vitalibus ſpiritibus primùm inſpiratis, tum iiſdem deinde cæteris longinquioribus regionibus animatis.* Pro inſigni erga ſocietatem benevolentia gratiis cumulatiſſimè habitis, amantiſſimo, ſapientiſſimoque Principi paucis reſpondit ejus Confeſſarius, quo cum hujuſmodi ſermones conferre ſolitus: *Aliter, mi Princeps, Sanctiſſimus Parens noſter Ignatius divino motus inſtinctu, Apoſtolicaque Sede confirmante ſocietatis inſtituit inſtitutum, profeſſis Patribus indiſſolubili voto adſtrictis omnigenas dignitates omnimodè non ambiendi, tum intra, tum extra Societatem. Idem verò ſimili, quo Veſtra Celſitudo divinæ gloriæ, animorum ſalutis, publicique boni zelo incenſus nonnullos ultramarinas inſulas ſuis permiſit filiis (at nonniſi ſummo Pontifice obedientia inevita-*

bili

bili cogente præcepto) quæ plus oneris, quàm honoris habentes, immenſos labores, perſecutiones, martyria, & quod caput eſt, innumerabilium animarum ſalutem pro locupletiſſimo cenſu hujuſmodi Præſulibus abundè ſuppeditarent. Optimis itaque divinitus ſuffulſe adductum rationibus, quò Societatis incolumitati ſic proſpiceres, nemo, nedum Veſtra Celſitudo, Sedis Apoſtolicæ, Sanctiſſimique hujus Viri obſervantiſſima dubitabit. Earum nonnullas enumerarem, niſi Celſitudinis Veſtræ perſpicaci judicio cuncta prævidenti timerem eſſe inofficioſus. Id tantùm addo, non defuturos in cæteris Sacris Religionibus plurimos, & præclariſſimos Viros, quales Veſtra Celſitudo exigit ſimilibus dignitatibus rectè, riteque obeundis; dummodo in illis conferendis non eas ambientium, neque tantùm generis claritudinis, ſimiliumque humanorum reſpectuum, ſed ſolius meriti, ex ſapientia, virtute, zeloque conſtati unica ratio habeatur. Interim Societatis filii hiſce aureis, eòque ſtrictoribus expediti catenis in divinis, Veſtraque Celſitudinis id unicè optantis promovendis obſequiis, animarumque ſolicitanda ſalute ubique gentium liberiùs, laudabiliùs, & fructuoſiùs vacare poterunt. Audito Sanctiſſimi Parentis nomine, cui præ cæteris quantumvis ſolidis rationibus plus deferendum cenſebat Princeps; ipſe convictus; etſi tunc ſuo confeſſario dedit manus, non ideo ad illa munia Societatis filios valde opportunos, optimosque in paucis eſſe dubitavit.

60 Verùm dum eximius Princeps ſuis optimatibus, noſtros eſſe optimos perſuadere ſatagit; æquum, & grati animi erit, ut quidquid in noſtratibus per id tempus optimum fuit, id omne Illius amori, & familiari conſuetudini acceptum referamus. Enim verò in familiaribus, & quotidianis ſermonibus, nunquam Princeps cum noſtris, niſi de rebus ſeriis, ac utilibus, ad virtutem, vel ſcientias ſpectantibus agere viſus eſt: modò illis quæſtiones Philoſophicas, & Theologicas, nonnunquam etiam Hiſtoricas, & Mathematicas, pro eorum, qui eum conveniebant captu, aut profeſſione, proponebat: tum verò, uniuscujuſque rogata ſententia, reſpondentibus ex adverſo inſtare, novis uti argumentis, objecta ſibi etiam refellere; ac ad extremum, vel Gordianos difficultatum expedire nodos, maxima ſui cum voluptate, nec minori noſtrorum admiratione crebrò dictitantium, viſum à ſe divino, ac duodenni Puero ſimilem Principem in eadem propemodum ætate, cum Doctoribus diſputantem, ipſosque interrogationibus æquè, ac reſponſis edocentem.

61 At nullus Illi cum noſtris frequentior, nec jucundior, quàm de virtutibus ſermo erat. Et nunc de illarum natura, & præſtantia differere; nunc exempla commemorare; tandem ad eas facilè comparandas prompta remedia proponere, gratiſſima Illum ſolicitudo exagitabat. Ex quo, incredibile dictu, quantùm in virtutum, & ſcientiarum ſtudio, noſtri profecerint: pudore, ac æmulatione (ut ſæpe fit) ipſum ſtudium accendentibus: pudebat nempe virtutum, & ſcientiarum profeſſores vel à Principe facilè vinci; vel ſaltem Illius expectationi minimè reſpondere. Id quàm eſſet verum expertus quidam è noſtratibus Rhetorices Magiſter Ulyſſipone: huic ſuſpecta, immò religioſis viris indigna diu viſa fuerat nimia noſtrorum in palatio frequentia; cui cum religioſa profeſſione vix unquam ſatis bene convenit. Verùm idem, haud multò poſt experimento edoctus, aulam ſub Theodoſio, non otii, ut vulgò, & adulationis officinam, ſed virtutum potiùs, & ſcientiarum publicum eſſe athenæum; priorem ſuam ſententiam pertæſus, nullam deinceps prætermiſit occaſionem Principem adeundi: cujus familiari convictu, adeo ad om-

ne virtutis ſtudium exarſit, ut paucis à Principis obitu menſibus, impetrata Maranonica expeditione, ibi ſe totum ſaluti animarum impendens, poſt innumeras cœlo redditas, ad chariſſimi Principis familiare colloquium, perpetuò in cœleſti aula proſequendum (ut pium eſt credere) è terris alacer evolavit.

62 Ex hoc tandem erga noſtram Societatem amore, non modò a noſtris, ſed ab ipſo quoque Principe, fructus uberrimus eſt perceptus. Et verò cùm ſit ingenuum fateri per quos profeceris, ingenuè profiteri paſſim non dubitavit, quidquid ſciret, quantùm virtutis ſtudio incenderetur, id totum Societatis libris, quos aſſiduè verſaret, magiſtriſque, quibus cum frequens verſaretur, procul dubio ſe debere. Quod quidem adeo illuſtre, decorumque Societati noſtræ teſtimonium, ſatis, ſuperque fuerit, efficaci erga nos Principis affectui afferendo. Sed quia inflammati amoris ignis nunquam dicit, ſufficit, ulterius eò nobis progrediendum, quò ultra progredi amando, nemo unquam potuit. Parum viſum eſt Theodoſio ad æternum ſummi amoris monumentum, niſi amantem quoque ſe dilectæ Societati penitus devoveret: haud inſcius Amantem ipſum ultimam eſſe ſagittam Amoris: certuſque nonniſi holocauſto eximium placari amorem; cui reliqua minus placent ſacrificia, in quibus tota victima non abſumitur. Societatis inſtitutum, quod in propria, & aliena proximorum ſalute, ac perfectione ſedulò procuranda verſatur, apprimè tenebat Theodoſius; illud quia omnium perfectiſſimum, Deoque in terris ſimilis vitæ rationem profeſſo, longè acceptiſſimum, Ipſe quoque profiteri, ſi quà poſſet, ac ſibi aliquando liberum foret, maturo tandem conſilio deliberavit.

P. Euſeb. in Stromat. gn. 2.

63 Erat tunc Principi à confeſſionibus Pater Joannes Nonius noſtræ Societatis, vir omnium virtutum, ſingulariſque prudentiæ laude, in paucis clarus. Cum eo Theodoſius contulit animo concepta, de ineunda Societate conſilia; quibus exequendis, viam ſibi ille aperiret, & quì oppoſitas difficultatum moles ſuperare, opportunè expediret. Mirari interim Pater Principis ad omnia ſumma nati, at omnino à ſummis Regni felicitatibus abhorrentis, & cœli, quò adſpirabat, planè capacem animum: tum deinde ſecum reputans, qua potiſſimum ratione, Principis propoſitum, etſi laudabile, at intempeſtivè quidem adeo alieno reipublicæ tempore ſuſceptum inverteret, ſalutaris demum conſilii, cui tum temporis, ægrè licet, acquievit, conſultiſſimus Illi author fuit. Validiſſimis nempe rationum momentis Principem inducit, ut publicæ potiùs, quàm privatæ utilitatis ratione habita, opportunitatem opperiatur ſuis conſiliis promovendis; donec placatis, aut debellatis hoſtibus, Luſitana Monarchia, Illius interim opem implorans, belli periculis defuncta reſpiret. Ita palam monenti Deo fore gratum, ita prudentiæ, ac juſtitiæ id exigentibus eſſe conſonum; ſic Ipſius Principis auctoritatem maximè decere; ne turpem ignaviæ notam ſubiret, dum ſe belli motibus patriæ ſupremam perniciem minitantibus, indecorè ſubtrahit; ſic demum ipſimet Societati, cui tantopere indulgeret, utiliùs conſultum iri; aliter commune adversùs eandem, omnium ordinum conflandum odium, ſi difficillimis regni temporibus, apud Ipſum, plus æquò Societatis gratiam, quàm juſtam nutantis Regni tutelam, præpotuiſſe crederetur. Dedit manus hiſce rationibus Theodoſius, conſiliumque Societati nomen dandi conſultò diſtulit; Patri ea de re indicto ſecreto; quod ille, dum vixit Princeps, ſanctè obſervavit;

vit: at poſt Illius obitum, ſolutus Sacramento, Sereniſſimæ Reginæ, multa roganti de religioſiſſimi Filii virtutibus; mihi ejuſdem res geſtas ſcribenti, eadem Majeſtas Sereniſſima revelavit; nec aliis minùs certis authoribus, auderem tales tanti Principis conatus evulgare.

64 Verùm ea tunc evolutus ingenti ſpe Theodoſius, non idcirco deſperavit omnino, fore, ut aliquando voti compos fieret. Igitur ſuis Ipſe optatis præludebat interim affectu, quandiu optatiſſimum effectum aſſequi non valebat. Hinc illa Ipſius vox toties repetita, ardentis index deſiderii: *Illis tantùm invideo, quibus ad ineundam Societatem liber eſt aditus, nullo implicitis impedimento.* Cùm Patre Franciſco d'Almeyda noſtræ Societatis, qui haud pridem unus fuerat ex Ipſius Principis illuſtriſſimis pueris ingenuis, familiares aliquando habuit ſermones, & modò ampliſſimis religioſi ſtatus bonis commemoratis; modò Societatis laudabili commendato inſtituto; mox ipſi gratulatus optimam electionem; ſalutaribus deinde conſiliis ad perſeverandum, & progrediendum in ſolidarum virtutum proſecutione adhortatus; ad extremum addidit: *Invideo quidem tuæ religioſæ maximæ felicitati; quæ ſi mihi divinitus contingeret, eam, at in Societate, libentiùs arripuiſſem.* Hinc etiam ab Illo frequenter uſurpatum vocabulum, quo Societatis Patres, non abſolutè, ut cæteri, ſi quando de illis ſermo incideret, ſed cum tenerrimi amoris præfatione, *Noſtros Societatis Patres appellabat*; quaſi aut unus ex illis eſſet, aut inter illos recenſeri exoptaret. Hinc ad extremum, ingenioſum illud, ac planê Divinum commentum excogitantis rationem, qua poſſet intra Regii palatii amplitudinem, licèt extra Societatis clauſtra, & anguſtias, Societatis ipſius inſtitutum religioſiſſimè obſervare.

65 Satis multa Societati cum cæteris religionibus communia eſſe cognoverat: at nonnulla item peculiaria, in quibus Sanctiſſimus Parens noſter Ignatius, ſuis filiis, ut certatim excellerent, non verborum modò, ſed quod eſt multô efficacius, exemplorum commendatione præcepit. Ea verò in primis ſunt, ſcientiarum omnium ad ſalutem animarum ſpectantium; indefeſſum ſtudium; obedientiæ non modò voluntariæ, ſed intellectualis quoque obſervatio exactiſſima; Angelicæ caſtimoniæ ſedula æmulatio; conſcientiæ nitor eximius; Sacramentorum Confeſſionis, & Euchariſtiæ aſſidua propè frequentia; ad extremum, ſalutis animarum zelus ardentiſſimus. In his omnibus, quàm excelluerit Theodoſius, quia ſuo jam loco à nobis commemoratum, eritque deinceps inferiùs commemorandum, ſat erit in præſentiarum indigitare, fuiſſe noſtrum Principem verum Jeſuitam, Ideſt; in liberalium ſcientiarum ſtudio, nulli è Societate ſecundum; in obedientiæ laude inter paucos commendandum; in Angelicæ caſtitatis præconio, terrenis Angelis, Gonzagæ, ac Stanislao, meo judicio æquandum; in puriſſimæ conſcientiæ nitore, noſtris omnibus pro exemplari habendum; inexpiandis quotidie per confeſſionem leviſſimis maculis, ſacraque communione ſingulis hebdomadis ritè procuranda frequentiſſimum; in animarum quoque ſalutis zelo, vel ipſi Xaverio, cujus æmulator fuit ſtudioſiſſimus, ſi per regnum liceret, & occaſio ferret, certè componendum; in omnibus denique Sanctiſſimo Parenti Ignatio, cujus filiationem adeo ardenter concupivit, dum vita Illi ſuperſtes, perquàm ſimillimus.

66 Nec verò ſibi Ipſe diſſimilis extrema jam in morte; quæ cùm in omnibus ſit anteactæ vitæ clauſula, faciens utraque unum, talis plerunque ſo-

let eſſe, qualis fuerat, bene, vel malè inſtitutæ vitæ ad mortem ipſam quoti-
die properantis decurſus. Suprema, qua laboravit ægritudine, terrenis aliis
curis valere juſſis, unica Theodoſium angebat ſolicitudo ſciendi, quomodò
Societatis religioſi morerentur? Aderat ægrotanti Principi, ex Ebora, Su-
periorum juſſu ad hoc ipſum Ulyſſiponem evocatus, Illique ſedulam ac ſtre-
nuam navabat operam, quidam è noſtris Frater Antonius Ferraz, eximius
Pharmacopola, rei quoque medicæ, ac valetudinariæ peritiſſimus. Is manu
ſua ſcripto teſtimonio fidem facit, à Principe ſe interrogatum non ſemel,
quomodo ſe noſtri moribundi haberent? Quibus verbis, & precibus circunſ-
tantes illos juvarent? Quænam ad illos ipſi ægroti extrema verba facerent?
Qua ratione ſe ad ſupremum agonem compararent? Quàm ſuavi alloquio
Servatorem cruci affixum alloquerentur? Quàm ſuppliciter Deiparam San-
ctiſſimam, Angelum Cuſtodem, cæteroſque cœlites ad præſens auxilium
compellarent? Quid ad extremùm, cùm jam animam agerent, ac propè ef-
flarent? Summum certè ſciendi ſtudium, & addiſcendi utilia deſiderium,
nemo ex antiquis ad ipſam uſque mortem laudabiliùs proſequutus eſt Solo-
Lipſ. lib. ne Athenienſi: *Nam cùm langueret* (inquit Lipſius) *& aſſidentes amici aliquid*
de monit. *inter ſe differerent, ille caput ſuſtulit, & flexit ad audiendum. Interrogatuſque, quo*
c.7.n.1. *fine tunc, aut fructu? Vt cùm iſtud Sciero, doctior moriar.* Quantò laudabilior
Theodoſius, qui morti jam imminenti proximus, de arte bene moriendi,
quàm rectè vivendo univerſos edocuit, è noſtris quendam adeo curiosè ro-
gabat.

67 Roganti verò Principi, magna ipſius tum attentione, tum voluptatis
ſignificatione, faciebat ſatis hic bonus frater, per otium commemorando,
univerſim, quæ noſtri ad hujuſmodi compulſi anguſtias ritè obire ſoliti; mox
deinde ſpeciatim, recolendo feliciſſimos multorum obitus, quibus ille, non
ſine ingentibus invidiæ ſtimulis, interfuerat. Siquis verò ſciendi pariter, ac
proficiendi cupidus, me viciſſim rogabit, ut enucleatiùs explicem, quæcun-
que in hoc familiari colloquio, quærenti Principi Frater Antonius recitarit?
Is, quæſo, attentè relegat, quæ in ultimo ipſius Principis morbo, feliciſſimo-
Lib. 1. c. que obitu ſupra ſcripſimus, Illum religioſiſſimè obiviſſe: ſic planè intelliget,
32. ea omnino eſſe, quæ ille à noſtro fratre, multiſque aliis, non audivit modò
curiosè, ſed ſtudioſa æmulatione expreſſit. Hic idem, cùm placido inviden-
dæ mortis ſomno claudentem lumina Principem noſtrum obſervabit, ſimi-
les credat eſſe pene omnium noſtrorum obitus; quibus ille, non contentus
vivendo, moriendo quoque ſimilis eſſe præoptavit. Tunc, ſi libuerit, profe-
Num. 23. rat celeberrimum illud Prophetæ votum: *Moriatur anima mea morte juſtorum.*
10. Tandem, ſi nos amat, vel ſaltem non odit, ingenuè fateatur, non infæcun-
dum nobis, neque inutilem ſibi fuiſſe Theodoſii dilectiſſimi amorem erga
Societatem, cui proinde Societatis filios unicè amanti, aptari licet elo-
gium, quo dilectus Joannes eximium Chriſti erga ſuos amorem
Joan. 13. 1. mirificè commendavit: *Cum dilexiſſet ſuos qui erant*
in mundo, in finem dilexit eos.

CAPUT VII.

Principis Theodoſii ardens fidei, & ſalutis animarum Zelus.

68 MUlta quidem, ut Societati potiùs, quàm Religioni alteri nomen dare decreverit, Theodoſium acriter (ut proximè diximus) ſtimulabant; ſed in primis Catholicæ fidei quibuslibet gentibus propalandæ; animarumque ſalutis zelus ardentiſſimus. Apprimè norat Apoſtolicum planè Societatis inſtitutum eò unicè collimare, ut ejus filii propriæ, alienæque ſalutis aſſequendæ indefeſſo ſtudio penitùs intenti Catholicæ ſimul fidei ubique terrarum promovendæ, confirmandæque non verbo tantùm, & exemplo, ſed effuſo etiam ſanguine adlaborent. Et quidem pro comparanda in Societate noſtra propriæ ſalutis ſumma felicitate, cui æqualis nulla, ne dum major eſſe poteſt, invitabatur maximè præter alia multa recolendo certè Sancti Franciſci de Borja ſui conſanguinei teſtimonio, cujus fit mentio in libro cui titulus, Imago primi ſæculi Societatis Jeſu, hiſce conceptis verbis: *Franciſcum Borgiam orantem aliquando deprehenderat Marcus Viri ſocius, & (quod rariùs animadverterat) manantibus ex ſingulari lætitia lacrymis largè perfuſum: rogat ergò cauſam uti promat tanti ſolatii; & cùm urgendi, inſtandique non faceret finem, ita demum ex Franciſco intelligit. Scito Marce frater (hæc ipſa verba Borgiæ ſunt cum fide tranſcripta) Deum impensè amare Societatem, eique conceſſiſſe beneficium quod olim ordini Sancti Benedicti; Nimirum, ut trecentis primis annis nemo, qui in ea ad mortem uſque perſeveraverit, damnetur.* Adeo fidei digno teſtimonio fidem faciunt verba cujuſdam ex alio ordine Sanctiſſimi Viri ad P. Matreſium noſtræ Societatis Barcinonenſis Proregis Confeſſarium: *Felicem te* (inquit) *o Pater cui contigit ſocium eſſe ejus ordinis; in quo quicunque decedit, vita fruitur ſempiterna. Hæc mihi jam nunc Deus oſtendit, hæc palam omnibus nunciare jubet.* Fateor nullam humana majorem hiſce adeo magnificis promiſſis deberi fidem; maximè quia divinæ promiſſiones, minæque nonnunquam ſunt conditionatæ noſtram reſpicientes cooperationem; quod ſcitè admonuit P. Euſebius prædicta referens vaticinia. Quæ tamen, utpote à viris ſummæ fidei prolata, & recitata, prudentes, doctique meritò ſuſpiciunt; eadem ingens fuere Theodoſio incitamentum ad virtutem, æſtimationemque noſtræ Societatis propriæ, alienæque proximorum ſaluti, ac fidei ſtudioſè incumbentis.

Imag. primi ſecul. l.5.c.8. Et P. Euſeb. invita S. Borgiæ l.5.c.26.

Ibid.c.28.

69 Catholicam, Apoſtolicam, & Romanam fidem luſtralibus à ſe hauſtam aquis per ſe olim, vel per ſuos, infidelibus propinandam ſanctè quandiu vixit, intemeratèque coluit Theodoſius. Ejus myſteriis ab extrema propè infantia, primaque pueritia imbutus, eadem balbutienti adhuc lingua ita certò, diſertèque proferebat, ut Deum, *Qui linguas infantium fecit diſertas*, præſentioribus ſolitò auxiliis illi planè adeſſe admirabundi aulici prædicarent. Nihil eo ætatis Theodoſio jucundius, quàm ex aulica feneſtra deſpicere unum aliquem è noſtris in ſubjecta palatio Brigantino area innumeris circunſeptum pueris, ab iiſdem Sacræ fidei noſtræ dogmata exigentem, inſtructioreſque Virgineis glo- Sap.10.21.

 bulis,

globulis, Sacris icunculis, & id genus aliis numerantem. Quæ illic attentè audierat avidè ipſum audientibus domeſticis mox inculcare; Sereniſſimis Parentibus fideliter ſingula recenſere; Patri deinde ipſi coram univerſis aulicis curioſas ei Chriſtianæ doctrinæ quæſtiones objicienti planè ſatisfacere; accepto demum ab eodem exquiſitiori præmio, ſibi quaſi victori plaudere, ac pueriliter exultare.

70 Hiſce jactis in primæva pueritia fundamentis Chriſtianæ fidei, quæ *primum eſt Catholicorum omnium virtutum fundamentum*, cui tota cœleſtis perfectionis moles incumbit, humanam propè ſuperat fidem, quibus ſuam ipſe divinam incrementis indies auctam cum annis unà excreſcentem cœlo æquarit. De rebus divinis maximè ad Orthodoxam fidem ſpectantibus tum à ſuo Magiſtro, tum à Religioſis, doctiſque viris, quibus frequens aſſueverat, ſedulò ſolitus inquirere; mox legendis Bibliis, aliiſque libris fidei controverſias inculcantibus ita in univerſis ejus dogmatibus confirmari; ut firmiſſimum fidei Chriſtianæ propugnaculum Theodoſium omnigenæ infidelitati fidelis ſemper Luſitania eòque glorîabunda maximè poſſet opponere. Et quidem in Theodoſii recolenda fide id obſervandum, quod reliquis fidelibus commune cùm ſit, in eò multùm præ cæteris eminenti peculiari jure pluris duco faciendum. Perſpicaciſſimi nempe Adoleſcens ingenii; perſcrutandæque veritati penitus addictus, nec niſi evidentibus omnino rationibus acquieſcens, idem tamen in rebus fidei obſcuris, & inevidentibus nulla rationis naturalis habita ratione, totum ſe divinæ manciparat auctoritati, in cujus obſequium liberè captivato intellectu, ſic abſque ulla hæſitatione ipſius oraculis firmiter adhæſerat, ut nullis infidi pelagi fluctibus, aut fallacium ventorum turbinibus poſſet circumagi, depreſſis totius diſcurſus velis, fidei anchora ipſius navim ſecundiſſimè aliàs velificantem in tranquilla ſtatione ſuſtinente. Hanc eandem obſervationem priùs & judicioſiùs ab illuſtriſſimo Domino Ludovico à Souſa in ſuo perilluſtri Theodoſii Tumulo vivis expreſſam coloribus, aureiſque planè characteribus animatam hîc quoque ſuſpiciendam transferre liceat. Sic ille in funebri Europæ oratione:

Trid. ſeſſ. 3. c. 8.

71 *Fidei ſtudium ſingulare; cui mentem acutam ſic devoverat, ut in illius obſequium prorſus mactaret: & cùm acerrimo eſſet ingenio ad veritates naturales ſpeculandas, obtuſus ad inquirenda divina myſteria videbatur. De viſu detrahebat, ut quominus intueretur in Sacris, eò perfectiùs crederet. Has tamen tenebras amabat, quæ ad officium erudirent.* Idem argumentum proſequitur in extrema Laudatione pro tumulo certè copioſiùs, an argutiùs? Judicet eruditus lector: *Et verò* (inquit) *ſumma Fidei gloria erat, tam acutum, tam acre, tam ſubtile ingenium ſibi ſubjicere. Faſſa eſt nunquam ſuis altaribus acutiores oculos admotos, ut mactarentur. Tumprimùm cæcos illos vidiſſe, ſed volentes, & in religioſa cæcitate perſpicaces. Detrahebat videndi officio, ſed apparebat obſequium. Optabat Fides Cæci Theodoſii paradigma Hæreticis argumento proponere; quod ſibi perſuaſiſſet fore, ut nemo, vel acutiſſimus, cùm videret Principis aciem mactatam fidei, eidem litare erubeſcaret; non malletque cum eo cæcus, quàm cum aliis perſpicax eſſe.* Coram Principe quæſtio eſt excitata, quisnam erroribus circa fidem magis eſſet obnoxius, ruſticusne, an ſapiens? Ruſticum maximis rationum momentis eſſe procliviorem Princeps confirmavit. Eis verò, quia ſcripta non invenio, commemorandis ſuperſedeo. Nec dubito, quin ſapientibus, quibus hæc ſcribuntur probabilis hæc Principis ſententia videatur, ab iiſque ruſticitas, indicta pro ſe cauſa, damnetur;

Tumul. Theod.

netur; Ego ut ſummam ſapientiam duco ſapientis intellectum in obſequium divinæ fidei captivare, ſic extremæ ruſticitatis eſſe dixerim ab eadem fide, ac proinde toto cœlo ab errare.

72 At non ſolam fidem, univerſaque ipſius dogmata, & myſteria venerabundus ſuſpiciebat Theodoſius, verùm quidquid, vel fidem ipſam proximè attingeret, vel eandem etiam è longinquo reſpiceret, in maxima habendum veneratione, quoties ſe daret occaſio, pro virili contendebat. Ideo Sacroſanctam Sanctiſſimi Petri ſub ejuſdem legitimis ſucceſſoribus Cathedram, certam ipſius fidei regulam, Chriſtianæ Monarchiæ incxpugnabilem arcem, cui portæ inferi non prævalebunt, Aquilonarem ſtellam fidelibus viatoribus obſervandam, cœleſtem denique navem nullis infidi oceani tempeſtatibus obruendam ad cœlum tutò nos deducentem, non vulgaribus tantùm obſequiis demerendam, ſed exquiſitis prompti animi officiis, & vel cum fortunarum jactura, vitæque ipſius periculo propugnandam. At erant interim qui Principem (ut credo) exploraturi non ſemel ei objicerent. Aditum ad eam Cathedram omnibus patentem ſolis Luſitanis Monarchis adeo de illa benemeritis impervium; eoſdem à legitimo Petri ſucceſſore, ut illegitimos filios baberi; ab ea regula fidei fideliſſimum in paucis Regem excipi; ejus legatum ea in arce inexpugnabili licèt divina, & Luſitana virtute de hoſtibus triumphantem, ab iiſdem tamen per ſummam audaciam oppugnatum; Aquilonarem eam ſtellam Caſtellanis obduci nubibus, quominus à Luſitanis obſervari poſſit; ab ea cœleſti navi terra, marique fidei, & Eccleſiæ propugnatores inclytos Luſitanos ſupplices, tendenteſque manus ripæ ulterioris amore arceri. A catholica tandem Eccleſia toties expetitos Luſitanis Eccleſiis Paſtores inconceſſos. His ac ſimilibus objectionibus, quas verus amor, & filialis dolor ſuggerebant, paſſim faciebat ſatis Theodoſius aptis amplificando amori, extenuandoque dolori rationibus: *Non amantiſſimis Parentibus (quod abſit) hoſtium minis, metuque cadente in conſtantes viros deterritis; uni tempatum iniquitati repulſam noſtram tribuendam; eam æquis ferendam animis, illâ, quæ ſtrenuos decet viros conſtantia, & fide inconcuſſa: Luſitanam fidem adverſis probandam, Romanæ omnino ſimilem ſupra firmam petram fundatam: eſſe cur à conſanguineis Romanis ſuo quaſi jure certiſſima ſummæ benevolentiæ pignora expectent Luſitani, tum ob inſitam, ſimillimamque olim utriuſque glorioſæ gentis bellicam virtutem; tum maximè quia Romani, & illuſtre genus, & clarum nomen ab inclyta Roma Luſitaniæ Heroina Regis Atlantis filia prima Vrbis Romæ in Capitolino monte conditrice, gubernatriceque duxere. 873 ante Romulum annis, ut Author eſt eruditiſſimus Fr. Bernardus à Britto in ſua Luſitana Monarchia, part. 1. lib. 1. cap. 13, & titulo 25, ubi duodecim producit hujuſce veritatis famigeratos teſtes; Caium Sempron. Senatorem Romanum, Plutarchum, Dionyſium Alicarnaſſeum, M. Porcium Catonem, Ephygenem, Beroſum, Ioannem Annium, Fabium Pictorem, & cæteros apud eundem videndos. Vt magnanimos hactenus in hoſtili bello ſe Luſitani præbuerint, ita in paterna expectatione longanimes ſe præſtare oportere; placidiora Luſitaniæ brevibus annorum volvendis circulis certè ventura tempora; ex benigno faventium ſiderum aſpectu conjicere ſe ſolito benigniora oritura brevî aſtra, quæ in Luſitanum orbem placidiſſimè influentia, votorum omnium ſumma, optataque proſperitatis cumulo patientiam, fidemque Luſitanam abundè compenſent.* Hæc, & hujuſmodi Theodoſii verba cœleſtis fidei, prudentiæque plena, incredibile dictu eſt, quanti fuerint momenti ad Luſitanorum dolorem mitigandum, eorumque animos alioqui fideliſſimos in fide, obedientiaque Romanæ Cathedræ

Fr. Bern. à Britto.

confirmandos. Ejus certè veris promiſſis fidem faciunt indubiam orta nuper Chriſtiano cœlo fulgentiſſima Clementis X. aſtra gentilitio ſtemmati affixa, quæ benefico in noſtram Luſitaniam influxu, accepta jam obedientiæ legatione ſummam eidem prænuntiant felicitatem.

73 Poſt Romanam Sanctiſſimi Petri Sedem, Sacrum Sanctæ Inquiſitionis Tribunal, periclitantis fidei Aſylum, ejuſdem in tuto jam poſitæ ſingulare præſidium, effrænis infidelitatis frænum, juſtitiæ, miſericordiæque ſpectabile theatrum, Chriſtianæ tandem Religionis maximum ornamentum ab univerſis ſuſpiciendum, à Regibus, & Principibus protegendum cenſebat Theodoſius; illius verò Miniſtros juſtitiæ, religioniſque zelo inflammatos, regiæ benevolentiæ, ac beneficentiæ aura placidiſſima recreandos. Idem Hebræorum aliquot cæcitati, & cimmeriis tenebris non miſerabatur modò, ſed effuſis etiam quandoque lacrymis condolebat, maximè cùm in publico theatro ad id unicè erecto in maxima omnium ordinum frequentia juxta regale palatium eorum ſcelera, & deliria è ſuggeſtu recitata juſtis pœnis ſubjicerentur. Præter hoc ſalutare quidem amuletum, alia perſanandis miſeris ægris remedia volvebat animo, eaque cum viris doctis conferebat; ſi fortè poſſet ratione aliqua efficaciori miſerè cæcutientibus, & claudicantibus viſum, & rectum ad cœleſtia inceſſum providere; ac tandem exitialem eam peſtem penitùs extinguere, latiùs, & pernicioſiùs aliis Regnis, & regionibus ſerpentem, quò liberiùs impunita graſſari præmitteretur. Cum eorum uno aliunde Ulyſſiponem negotii ergo advecto, publicoque manifeſti Judaiſmi profeſſore multùm, diuque, licèt incaſſum, laboravit Theodoſius, ut illi Catholicæ fidei evidentem veritatem, Judaicæ verò ſectæ jam diu à Chriſto Domino Crucifixo Sacri effuſione cruoris abolitæ falſitatem demonſtraret. Is enim etſi irrefragabilibus Theodoſii argumentis convictus, duræ tamen cervicis vir, cordiſque durioris maluit, ſuo ingenti malo, inciſam olim duris lapidibus legem Dominicis jam exinde clavis expunctam, literamque occidentem proſequi, quàm vivificantem ſpiritum audire, ſuaviſſimoque Chriſti jugo tumentia colla ſubjicere.

74 Conceptum intimis Theodoſii præcordiis ex obdurati hujuſce Judæi obſtinatione dolorem, haud parum leniit cujuſdam Mahometani memorabilis certè ad fidem noſtram converſio, nobile Theodoſiani zeli argumentum. In Regio is ſtabulo Principis procurabat equos, in ignobilique adeo miniſterio ingenitæ nobilitatis haud obſcurum ſpecimen exhibebat. Id ubi reſcivit Theodoſius, hominem ad ſe acciri jubet, ab eoque de ipſius conſanguineis, de patria, de Mauritani cœli, ſolique conditionibus, de Mahometanæ gentis moribus, ac tandem de ſuæ ſervitutis occaſione multa curioſè ſciſcitatus, verè, ingenuèque ad omnia reſpondentem miris excipit regiæ benevolentiæ ſignificationibus. Aliàs fortè obvium bono animo eſſe, libertatem, beneficiaque inſuper, pro ſuo rectè obito miniſterio ſperare à ſe jubet. Poſtquam hiſce artibus Maurum ſibi mirificè devinxit, eum amplioris gratiæ quotidianis propè indiciis delinitum aggreditur, injecta palam religionis mentione; Mahometanæ ſectæ fallacias, & deliria homini minimè obtuſo aperit; hac iter expeditum Chriſtianis ad cœli gaudia, æternamque felicitatem, illac Mahometanis indubium ad ſempiterna inferni tormenta patere præcipitium. Tantùm denique divina in primis auxiliante gratia, dicendo profecit, ut perſpecta penitus veritate Mahometicæ perfidiæ tenebras diſſi-

pante,

pante, ingenuus fortunatiſſimusque ſervus Theodoſio libens manus dederit, Chriſtoque ſe totum addixerit. Idem paucis poſt diebus juſſu ipſius Principis à quodam noſtræ Societatis in rebus fidei apprimè inſtructus in templo D. Rochi, ejuſdem Societatis, Ingenti nobilitatis, plebisque concurſu Sacris undis ablutus fuit tunc; etiamque nunc eſt apud memores, ſingulare Theodoſii erga Catholicam fidem affectus monumentum. Cujus præterea exemplo, & monitu plurimi dynaſtæ ſuos certatim invitabant Mahometanos ſervos, adducendosque D. Rochum ſatagebant, quò Sacris fidei noſtræ myſteriis initiarentur; non paucis eorum ejurata Mahometis ſuperſtitione Chriſtianam libertatem in Sacro baptiſmate liberè adeptis.

75 In hæreticis quoque Orthodoxæ fidei reſtituendis multus fuit Theodoſius. Plurimi ex Anglia, & Hollandia, nonnulli è Gallia ad primum belli ſignum Luſitaniam convolarunt, noſtris armis præſenti auxilio futuri. Univerſos Sereniſſimus Rex Joannes, unàque Princeps Theodoſius pro ſe quiſque perhumaniter, & indulgenter excipiebant, concepta ſpe fore, ut ex iis non pauci noſtrorum convictu, & familiaritate, ad noſtram fidem afficerentur, illamque demum, cognita veritate, amplectentes glorioſiores de ſuis erroribus, quàm de noſtris hoſtibus victorias reportarent. Haud vanam eam fuiſſe ſpem plurimorum felix reditus, & exitus comprobarunt; quorum aliqui bello ſuperſtites, debellataque ſub victricibus Romanæ fidei vexillis hæreſi longè illuſtriores in patriam redıere, quàm venerant, illorum animis cognitæ veritatis luce illuſtratis; alii longè feliciores glorioſo è mortali vita exitu infidelitatis triumphatrices animas cœleſti Capitolio intulere: ſic ex acerba crudi belli radice fructu orto, & percepto verò fidei ſuaviſſimo. Ad id verò plurimum contuliſſe fidelem Theodoſii Zelum, & induſtriam pro certo habeo; is enim conſcius aliquot è noſtris Patribus Irlandis Gallicæ, Anglicæ, Holandicæque linguæ peritiſſimos ei expeditioni valde opportunos cenſeri, eos noſtris exercitibus quaſi ſubſidiarios mittendos curavit; ubi, Deo auſpice, in omnibus ſumentes ſcutum fidei, in quo poſſent omnia tela nequiſſimi ignea extinguere, & galeam ſalutis aſſumentes, tot erexere veræ fidei trophea, quot hæreticæ infidelitatis capita dejecere. Gratulari nos hìc æquum eſt Luſitaniæ hunc omnium maximum noſtræ Romanæ fidei ſub Luſitanis vexillis triumphum, ex ſterilique vulgò belli ſemine uberrimum ortum proventum. Infæcundum alii bellum incuſent; Luſitanum ego fæcundiſſimum prædicabo, quod cœlo tot genuit natos, quot milites Chriſto fideliſſimos procreavit. Veneranda in primis ſunt divinæ providentiæ arcana conſilia, quibus effectum eſt, ut Luſitanorum auxiliaribus auxilia efficacia ſuppeditaret, quorum præſenti ope glorioſiores redderentur convicti ſemel Catholicis rationibus, quàm toties victores, Catholicis hoſtibus profligatis. Niſi ad Luſitanum bellum procurriſſent cœleſtis fortè fidei bravium impigrè currentibus, & ſtrenuè decertantibus propoſitum non arriperent. Fidelem illi nobis operam præſtitere; at noſtra ſuſcepta Romana fide à nobis fuere omnium ampliſſimo ſtipendio locupletati. Supervacaneum duco hìc recenſere (quod maximè hujus loci erat) ardens Theodoſii ſtudium in reducendis ad veram fidem Principibus Palatinis Ulyſſiponem appulſis; ſimiliter, in promovendis divinis planè conatibus Sereniſſimæ Reginæ Chriſtinæ de ipſamet interea fide ſeriò deliberantis, de quibus alibi luculentiùs egimus: quod inſuper addo æreis incidendum laminis ad æternam poſteritatis admiratio-

Lib. 7. §. 280, 281. & à §. 260 266.

nem pariter, & religioſorum æmulationem.

76 Talis, tantaque in Theodoſii pectore Dei amoris flamma exarſit, ut illius, fidei ubique terrarum à ſe promulgandæ votum non conceperit modò, ſed emiſerit. Quo quidem voto à potentiſſimo Principe ampliſſimæ Luſitanæ Monarchiæ hærede in primo ineuntis adoleſcentiæ flore, non ſolùm ſemel nuncupato, ſed toties ſingulis quibusque diebus, quoad vixit, repetito (ut ſupra meminimus, prolato ſui confeſſarii, noſtroque ſimul ea de re judicio) neſcio certè, quid excogitari, dicive poſſit vel ad ſummæ commendationem ſanctitatis majus, vel (quod in idem recidit) ad prædicationem eximiæ fidei, inflammatæque tum erga Deum, tum erga ſalutem animarum charitatis exaggeratius. Proferant, quæſo, ſuum judicium docti myſtologi virtutum omnium optimi æſtimatores; quorum eſt expenſa in recti judicii æqua trutina cujuſque virtutis natura, & excellentia, earum uni principatum deferre, ſummæque demum perfectionis apicem deſignare. Mihi viros inſigni ſanctimonia illuſtres mecum recolenti unus occurrit Sanctiſſimus Xaverius, qui ſimili quotidianæ votorum, quibus ſe obſtrinxerat, repetitionis documento candidatos exquiſitæ perfectionis docuit hac maximè ratione poſſe ad illius cumulum brevì pervenire. Eum cùm ſibi æmulandum in omnibus maximèque in fide, ac ſalute animarum promovenda propoſuerit Theodoſius (juxta ſuperiùs à nobis commemorata) non dubito, quin cœleſtis hujuſce Aquilæ ſe quotidie renovantis more ad ſublime perfectionis culmen quotidianis incrementis ſublimiùs quàm citiſſimè advolarit. Memini etiam apud nuper à me citatam Imaginem primi ſæculi Societatis Jeſu, judicioſè obſervari, tria eſſe potiſſimùm in Societate noſtra illi peculiaria, nullique alii religioni communia, quibus (ſumma Dei auxiliantis benignitate) in viridi hactenus obſervantia perſeverat; exactam nimirum internæ conſcientiæ rationem à ſubditis redditam ſuperioribus, quò ab iis faciliùs regi, certiùsquè dirigi poſſint; mox eorum, quos eidem Societati prorſus inutiles, aut aliqua ratione noxios compertum fuerit, promptam dimiſſionem; tandem ſimplicium votorum renovationem ab iis, qui non dum in ultima profeſſione ſe Deo, ac Religioni penitùs devovere, bis quotannis ritè peragi ſolitam; duobus huic minimè facientibus interim omiſſis, extremum ad aſſequendam facilè perfectionem efficax medium ſic proſequutus eſt Theodoſius, ut non contentus ſemel, atque iterum annuam votorum Societatis renovationem imitari, quotidianam Xaverii adeo perfectè reddidit, ut illi ſimilior indies in maximis virtutibus, at præſertim in ardenti zelo fidei, & ſalutis animarum præ cæteris emineret.

Lib. 2. §. 48.

Lib. 3. §. 38. & 39.

Imag. primi ſæculi L. 1. c. 10.

77 Quandiu tamen, Luſitaniæ rebus ita poſcentibus, fidei prædicandæ, ſalutique animarum ſolicitandæ per ſe ipſe inſiſtere, ac votorum ſummam aſſequi haud poterat, id ipſum per opportunos exequi miniſtros omni ope, ac ſolicitudine adnixus eſt. Inter eos primum locum obtinuere Apoſtolici miſſionarii, qui volantium ad inſtar nubium divini Spiritus impulſu in longè diſſitas regiones prætervecti, arentes cæcæ gentilitatis terras, idolatriæ, vitiorumque omnium ſpinas, & tribulos unicè germinantes, cœleſtis doctrinæ imbribus, effuſo non ſemel ſanguine fæcundare ſolent. Eos, ut plurimùm noſtræ Societatis Ulyſſiponem, vel ex Italia nonnunquam appulſos, vel ex aliis Luſitaniæ urbibus paſſim advectos, incredibile dictu, quàm inſolita benevolentia venientes exciperet, abeuntes proſequeretur Theodo-

ſius,

ſius, cum iiſdem, dum Ulyſſipone moram traherent, de rebus Fidei, de animarum ſalute ſuaviſſimos, & quotidianos miſcere ſermones; & modò Apoſtolici muneris præſtantiam extollere, modò eorum ſorti feliciſſimæ invidere; ipſisque forti animo exantlandos pro Chriſti fide, pro animarum converſione mari, terraque labores gratulari. Proreges interim, aut Gubernatores in Indiam, Braſiliam, Maranonium, Angolam, cæterasque Luſitanæ ditionis Provincias ſoluturos officii admonebat: *Meminerint ſui muneris eſſe juſtitiam ſubjectis gentibus miniſtrare, ſimulque gentilium ſaluti, fideique promulgationi proſpicere; id verò extremum in primis ſedulò ſibi præ oculis habendum; certò ſcirent in eo maximè verti ſummam Luſitanæ Monarchiæ apud eàs regiones potentiam, & utilitatem, ut everſam penitus infidelitatem Catholica fides idolatriæ victrix exciperet: Quare Apoſtolicos miſſionarios ſtrenuam in fidei promulgatione operam collocantes ſemper, & ubique protegerent, eorum egregios ad ſalutem animarum conatus omni ope alerent, opportunèque juvarent; converſos tandem ad noſtram fidem omni officiorum, & beneficiorum genere ad perſeverandum invitarent.* Illorum tandem cuilibet in extremo diſceſſu à Sereniſſimo Principe enixè, ut moris eſt, roganti quid in ſua ſibi Provincia jucundius foret ad ſe mittendum? Reſpondere ſolitus: *Mitte mihi animas cætera tolle tibi*; facta nimirum, ad victoris Abrahami cedro, cœloque dignam ſententiam, alluſione; qua ſignificabat, ex illis amplis, & opulentis provinciis nihil ſibi aut gratius, aut optabilius eſſe vera multiplicis animarum ad Chriſti fidem converſionis relatione. Eam verò, vel à ſuis Proregibus, & Gubernatoribus, vel à noſtris Patribus, ut ſolent annuis literis, ad ſe, vel ad alios miſſam legebat voluptuoſiſſimè, omnique auro, & pretioſis lapidibus præhabendam pronunciabat. Gen.14.21

78 Inſignem interim voluptatem ex hujuſmodi lectione literarum, ingentem, quandoque dolorem excipiebat, dum generales totius orbis annales attentè legens frequenter incideret in tot barbaras incultasque nationes cimmeriis errorum tenebris obcæcatas, multifariam, multisque modis à nobiliſſimo Creatore ad viliſſimas creaturas, immò ad communis hoſtis miſeram ſervitutem deſciſcentes: ſummo præterea cruciatus angore, illarum omnium æternæ ſaluti, ut proſpiceret, de mittendis in tempore, quo maximè opus eſſet, evangelicis legatis ſecum ipſe cogitabat; qui toto cœlo aberrantes mortales ad cœlum ab inferis evocarent. Eiſdem verò tuendis, frænandæque barbarorum, quacunque pergerent, audaciæ, quàm poſſet validam claſſem, fidei, animarumque ſaluti præcipuè velificaturam deſtinarat; immenſos in ea faciendos ſumptus parvi pendens, longè majoribus impendiis, vel unius tantùm animæ pretioſo Chriſti Sanguine redemptæ ſalutem libentiſſimè lucraturus. Ejuſdem claſſis miniſterio ingens illi ſpes erat poſſe ignotas adhuc mundi regiones ſub Antarctico Coluro jacentes aperiri; eamque gloriam fruſtra ſæpius ab Hollandis naucleris tentatam feliciùs proceſſuram ſuis Luſitanis Argonautis, ditioribus inde rediturìs fidei ibi prædicatæ opimis ſpoliis, quàm exinde vellere aureo deportato. Incredibili afficiebatur gaudio, quoties Principem ſe Luſitani Regni cogitabat, quod fide purum perpetuò fore, Cruci affixus olim Deus primo ipſius Regni Conditori Alphonſo promiſerat; cujusque fundamenta, ut Eccleſiæ Catholicæ, ſupra firmam fidei petram jacta in Orichienſi agro, debellatis quinque Mauritanis Regibus, in immenſam maximi imperii molem aſſurgent, dato in obſidem divini, eòque indubii promiſſi glorioſo ſtemmate quinque plagarum Sacris monumentis Monarch. Luſit. 3. p. l. 10. c. 5.

reco-

venerabili.' Ex eorum annalium frequenti lectione ardentiſſimum concipiebat deſiderium proſequendi cœptas à ſuis majoribus Africæ, ac Americæ expeditiones, non tam Luſitanæ, quàm Chriſtianæ Monarchiæ prorogandæ cauſa, univerſis iis regionibus ad Chriſti fidem traductis.

79 Dum hæc, & ſimilia ſecum agitat literas accipit à quodam è noſtris ſcriptas ex Capite Viridi, quò fortuitò appulſus eſt ad Maranonium vela faciens. In iis monebatur Princeps regionem illam etſi nigrorum Æthiopum alioqui patriam, albam quidem ad meſſem, at extrema laborare operariorum penuria: dignaretur proinde S. Celſitudo illuc mittere aliquos è noſtra Societate uberrimum inde ſalutis æternæ fructum facilè percepturos; promptis incolarum animis fidei ſuſcipiendæ, eòque maximum evangelici ſeminis proventum pollicentibus. Illico admotum charitatis ignem concipit inflammatus Theodoſii zelus, negotioque ſummi apud ſe momenti cum ſuo Confeſſario per otium collato, illi ſeriò injungit, ut ſuo nomine adeat P. Provincialem, cum eoque deliberet de mittendis quàm primùm ad Caput viride operariis, qui Sacris aquis aſperſos, & cœleſtis Agni ſanguine dealbatos eos Æthiopes cœlo dignos reddant, infidelitatis cæno hactenus immerſos. Nec ſibi, nec Principis expectationi defecit Confeſſarius; nec dubitavit P. Provincialis præcipienti Principi religiosè obſequi. Verùm dum in ſuperandis nonnullis difficultatibus quas Regii miniſtri prætenderant, aliquale tempus teritur, intempeſtiva mors ſtrenuè urgentem Theodoſium Dei, fidei, & animarum cauſam adhorta, hoſce, alioſque illius Sanctiſſimos conatus intercepit, effectum brevi, ut ſperamus habituros, Theodoſio adhuc in cœlis tot animarum miſerè pereuntium, & fidei negotium apud Deum multò, quàm è terris, efficaciùs ſolicitante. Certè moribundus jam, ut alibi diximus, nihil adeo enixè Sereniſſimum Parentem rogavit; quàm ut evictis iis, quas miniſtri Regii objecerant, difficultatibus, miſſionem eam Deo æquè glorioſam, & animabus ſalutarem reſtituere dignaretur. Cujus extremæ commendationis meminit in ſua lugubri panegyri Conimbricenſis orator: *Defletis namque* (inquit ille) *Eccleſiæ columen, & Sanctiſſimarum legum Vindicem acerrimum, cui hæc, vel in morte princeps curæ fuit, ut Regi optimo Parenti hæc ante alia impensè commendaret, videlicet Chriſti Domini Servatoris regna protenderet, & ſuis in terris vices gerentis imperium non modò integrum, & illæſum ſervaret, ſed latiores ei terminos indies aperiret. O dignam tanto Principe curam! ò digniſſimum (niſi fata inviderent) illorum Regum Hæredem, qui inſimul cum Luſitano imperio Chriſti fidem ultra Garamantas, & Indos glorioſè, ac feliciter protulere.* Alii ad extremum fuere minimè hìc prætermittendi hujus fideliſſimi Principis, quos immatura ejus mors abrupit, conatus. Præter plures alios libros quibus componendis ſedulam dabat operam, de quibus ſupra, unum accuratiori ſtudio elaborare deſtinarat, in quo Orthodoxæ fidei univerſæ controverſæ quæſtiones, expugnatis hæreticorum omnium in contrarium falſis dogmatibus continerentur. Jamque illorum libri nonniſi obtenta Sacri Tribunalis bona venia ſibi legendi ex Hollandia paulò antea ipſius obitum advenerant. Quorum quis fuerit exitus infra dicemus; certè dum in flammas abiere illuſtre fideliſſimi Principis erga fidem zeli teſtimonium protulere.

Lib. 1. §. 417.

Lib. 5. §. 83

CAPUT

CAPUT VIII.

Principis Theodoſii obedientia.

80 PRæeuntem fidem, quam cæcam eſſe conſtat, cæca obedientia, ut proximè ſubſequatur, par eſt. Certè cæcus ſi cæco ducatum præſtet, ambo in foveam cadunt; non ita ſi cæcam obedientiam cæca ducat fides, quæ obedientem ad cœlum recta ducit. Præcedit quidem obedientiam, ut reliquas etiam virtutes omnium facilè Princeps, & anteſignana fides; in eo tamen illi concedit, quòd quæ fides dictat, ea dicto citiùs obedientia exequitur, unaque cæteras virtutes menti obſequiosè inſerit, inſertasque ſumma fide cuſtodit. Ex auditu proprio, & alieno loquentis ab ore utraque pendet: *Fides ex auditu*: ſimiliter obedientia: *In auditu auris obedivit*: utraque cum ſit nimis aurita, oculis eſt omnino deſtituta, ſed ideo potiſſimùm ab omnibus in oculis, & præ oculis habenda, maximè à Principibus, quos oportet, ut quam fidem, & obedientiam à ſubditis jure ſuo exigunt, eam Deo, & majoribus ſuis obſequiosè præſtent. Fruſtra ſubditos ſibi fideles, & obedientes requirit Princeps, qui Deo infidelem, ejuſque mandatis inobedientem ſe præbet: è contra ille optimè aliis novit imperare, qui alicui didicit religiosè obtemperare; idem audiri meruit, qui audivit; & quidem ſibi potenter imperat, qui alteri demiſsè paret. Ex quo pronum cuilibet erit conjicere, quàm Theodoſius dignus fuerit imperio non Luſitanæ modò Monarchiæ, ſed univerſi terrarum orbis, qui tam promptus perpetuò extitit ad obediendum Deo in primis, ejuſque divinis mandatis, mox Eccleſiaſticis, civilibusque præceptis; tandem Sereniſſimorum Parentum, & Magiſtrorum, vel juſſis, vel conſiliis ſalutaribus. Iis enim quaſi limitibus totam Theodoſii obedientiam circumſcriptam dabimus, ultra præfixos ſibi terminos nullatenus evagantem. Matt. 15. 14. Rom. 10. 16. Pſ. 17. 45.

81 Quàm Deo, ejuſque divinis obſecundantem præceptis ſe Theodoſius exhibuerit univerſa ejus vitæ ratio curiosè obſervantibus atteſtabitur; ſi quis de illo à nobis hactenus ſcripta recolat, ſi quis deinceps ſcribenda recogitet, nihil in Theodoſio niſi conſummatæ erga Deum obedientiæ archetypum deprehendet. Abſolutæ obedientiæ fuit divina præcepta ita exequi, ut ea nunquam graviter violaret, ac ne leviter quidem ab eo violari poſſent ſedulò, ac diligenter præcaverat. Quid illa Theodoſii voluntas ita divinæ addicta, & conglutinata, ut utranque unam tantùm eſſe crederes, niſi voluntariæ obedientiæ perfectiſſimum ſimulacrum? Suum Theodoſius velle, ac nolle non tam, ut cæteri mortales, ex prævia intellectûs proprii cognitione, quàm ex divini ductu imperii omninò regi volebat. Magneticam acum fixam Mathematicis hactenus irrepertam verè dixeris Theodoſii voluntatem, divini placiti aquilonarem ſtellam perpetuò ſuſpicientem. Quid ipſius intellectus, quo acutiorem, & perſpicaciorem nullum noſtra vidit ætas, in obſequium fidei, divinarumque diſpoſitionum captivatus, ac planè cæcus, illis indubiè acquieſcens, niſi exactiſſima intellectualis obedientiæ norma regularibus ſummæ perfectionis ſtudioſis obſervanda! Acerrimi judicii ſubtiliſſimo acu- Supr. 4. 23. 24. & 25.

mine ad penetranda faciliùs divina indies proficiebat, ſimulque ad obſequium promptior efficiebatur. Principem ſe noverat, cùm multis nominibus parere omnes deberent, pluribus ille Deo, qui aufert ſpiritum Principum, & à Supremis Principibus ſibi longè obſtrictioribus promptiorem idcirco exigit grati, & obſequentis animi retributionem. Meminerat ad Sacrum olim Tabernaculum divinis excipiendis oraculis juſſos à Deo ipſo vocari Principes unico tubæ ſonitu, dum ignobile vulgus non niſi multiplici, ac repetito
Num.10.2 clangore convocaretur: *Vnius tubæ ſonitu* (inquit Procopius) *convocantur Prin-*
Procop. *cipes acutiùs cernentes, & citiùs obedientes: at verò plebs convocabatur ad Taberna-*
161. *culum Domini ſæpiùs à Moyſe repetito clangore.* Principi Theodoſio acutiſſimè cernenti ad obediendum non erat opus tubæ ſonitu tardiores aures verberante; ſatis illi divinæ voluntatis levis nutus, quem attentis ſemper oculis
Pſ.122.2. obſervabat. Ideo cum Rege Davide dicere ſolitus: *Ecce ſicut oculi ſervorum in manibus Dominorum ſuorum, ſicut oculi ancillæ in manibus Dominæ ſuæ, ita oculi noſtri ad Dominum Deum noſtrum.* Nempe inſtar obſequioſi ſervi, officioſæque ancillæ non Dei, Dominæve Eccleſiæ loquentis os, ſed utriuſque manus præcipientis intenta oculorum acie attendebat divinis, Eccleſiaſticiſque imperiis levi vel manuum nutu ſignificatis actutum obtemperaturus.

82 In ſua Macariopoli, ſive Civitate ſancta, de quà ſæpe diximus, opportunas ſuis regendis Macariopolitanis laturus leges unicam tantùm ſancivit, ſanctèque obſervandam commendavit, Divinarum ſcilicet legum exactiſſi-
Macariop. mam obſervantiam hujuſmodi conceptis verbis: *Vnica illis lex eſt, Decalogus, cæteraque ex ſcripturis, & Conciliis œcumenicis deſumpta.* Ubi obſervanda obiter eximia noſtri Legiſlatoris prudentia prorſus abhorrentis à legum multitudine, quà nihil eſt ipſis infringendis exitialius. Certè legum multitudo multùm officit ipſarum obſervationi. Viæ ſunt, quibus ad beatam vitam ducimur præcepta; rarus eſt cui non contingat in longiſſima via ſæpe deviare; frequentes ibi accidunt lapſus, creberrimaque offendicula; crebriores multiplicis legis tranſgreſſiones; quibus profectò is obviabit, qui & viarum, & legum compendia deſignabit. Ut ruſticæ viti, quò evadat fructuoſior luxuriantium brachiorum tempeſtivè amputanda ſunt germina, ita politicæ vitæ, quò virtutum flores, fructuſque in tempore progerminet, legum in immenſum excreſcentium nimia luxuries ſuccidenda. Aggravant, paſſimque obruunt tanto impares oneri robuſtos ſubditorum humeros immodici legum faſces; dum earum faſciculos ſuavem exhalantes odorem iidem manibus, immò digitis contrectantes aſſiduè præ ſe ferunt, ſacriſque demum altaribus obſequioſi afferunt. De Apoſtolis quidem primis poſt Chriſtum D.
Pſ.125.6. legis novæ promulgatoribus appoſitè dicitur: *Euntes ibant, & flebant mittentes ſemina ſua; venientes autem venient cum exultatione portantes manipulos ſuos.* Non dicuntur portare prægrandes faſces, quibus illi, aliique prægravati ſuccumbant, ſed parvos manipulos, quibus utrique ferendis pares exultent. Id fuit cur Princeps Theodoſius ſuis civibus omnigenam olim virtutem profeſſuris, unicam tantùm legem ſtatuerit, divini Principis, & Legiſlatoris optimi exemplar ſequutus, qui abrogatis veteris legis innumeris præceptis, ſub quorum gravi multitudine (numerabantur enim univerſim 583, vel 613,
Cornel.in Levit.c.4. v.2.in fine juxta diverſas opiniones, pro numero dierum unius anni, vel membrorum humani corporis) ingemiſcentium Hebræorum vires fatiſcebant, ad breve unius charitatis erga Deum, & proximos compendium cuncta contraxit:

quàm

quàm uberi fructu, evidenti compertum eſt experimento; enim verò ſynagoga innumeris præceptorum legalium faſcibus onerata paucos admodum numerat viros, fæminasve inſigni Sanctimonia præcellentes; infinitos propè Catholica Eccleſia iis ſoluta præceptis, unicoque charitatis alligata. Certum, ac definitum prædeſtinatorum numerum ex duodecim tribubus Iſrael ſub veteris legis præceptis recenſet à ſe viſum S. Evangeliſta Joannes; at ſub nova charitatis, ſeu gratiæ lege, numerum prorſus innumerabilem: *Poſt hæc* (inquit ille) *Vidi turbam magnam, quam dinumerare nemo poterat ex omnibus gentibus, & tribubus, & populis, & linguis ſtantes ante thronum.* Charitate nimirum, cui nihil invium, expeditiorem ſub lege gratiæ ad cœlum viam mortalibus muniente. In ea cum Theodoſius tam eximius fuerit vel erga Deum, vel erga proximos, ut ſuperiùs oſtendimus, nemini erit dubium quàm cumulatè illius præcepta impleverit. Apoc.7.9. Hoc lib.3. c.1,& lib. 2.c.11.

83 Idem Eccleſiaſticis adimplendis mandatis ſedulam impendit operam, præcipuamque laudem promeruit. Quinqualogi univerſa præcepta ſic obſervavit, ut non contentus Eccleſiaſticæ obligationi ſatisfacere, juxta ſuperiùs à nobis dicta, omnimodè ultra proceſſerit. Sacro devotiſſimè intererat, non feſtis tantùm, ſed profeſtis etiam diebus. Confeſſionem ſimiliter non annuam ſolùm, ſed quotidianam peragebat; Sacra Euchariſtia ſemel ſingulis hebdomadis, præterquam in ſolemnioribus quibusque anni feſtis, animum reficiebat. Jejunii legibus omnino ſolutus tum ex minori ætate, tum ex affecto ſtomacho piſces omnigenos reſpuenti, illis tamen religioſè obtemperabat, quoties Eccleſia imperaret. Decimis tandem, & primitiis ſolvendis penitus liber, Sereniſſimo Parente omnia, quæ ad illum ſpectarent adminiſtrante, eas tamen & frequentibus, ut jam diximus, eleemoſynis, & oblatis Deo ſuorum omnium operum, cogitationumque primitiis abundè compenſabat. Unum eſt, mea quidem ſententia, & omnium, qui Principis genium apprimè norunt, Illius erga Eccleſiaſtica præcepta ſummæ venerationis maximum præ cæteris argumentum. Ad legendos cujuſcunque generis libros inſita propenſione ferebatur, neque innatus omnia ſciendi appetitus occultum ſibi quidquam, & inſcrutabile aliquid patiebatur: & tamen à legendis libris Romano, aut Luſitano Catalogo prohibitis ſic facilè abſtinuit, quaſi nullibi eſſent, nihilique faciendi; neque illorum aliquem unquam legit, niſi ſuppliciter petita, impetrataque à Sacro Tribunali facultate; id verò ſemel tantùm illi accidiſſe comperio. Furtivos panes, ideſt vetitos cibos eſſe dulciores, veteri paræmia, & vulgari multorum experientia comprobatur; at Theodoſio alioquin perquàm curioſo, quidquid ab Eccleſia vetitum erat, omnino inſipidum, totiusque dulcedinis prorſus expers. Sic Eccleſiaſtica quæque præcepta non obſervabat modò, ſed religioſè venerabatur. Quo in genere memorabile obſervantiſſimi Principis extat exemplum. Cogitaverat ille, ut ſupra dictum, de componendo libro controverſiarum, in quo univerſa tum veterum, tum Recentium hæreticorum dogmata confutaret; ad id verò miſſos ſibi plurimos libros ex infectis hæreſi regionibus non dum obtenta eos legendi facultate tuta juſſit arca includi; cujus clavem fideli, ac prudenti presbytero, à quo id accepi, committit; ne vel ſibi, vel curioſo alteri eſſet ante impetratam poteſtatem prohibitos legendi libros facultas. Ita uſque ad ejus mortem brevi ſequutam reſtitere carceri addicti damnati libri; quos omnes poſt Principis obitum juſſos à Sereniſſimo Rege recognoſci per Lib.2.§. 102. Hoc lib.§. 79.

Sacri Tribunalis Qualificatorem, ubi præverſæ doctrinæ reos eſſe certior factus eſt, ultrici flammæ addixit, quam ipſemet Rex intra palatium regia, fideliquc manu conflagraturis admovit. Ita cæptum à Sereniſſimo Filio, libros eos refutare deliberante, à Sereniſſimo Parente flammis eoſdem devovente peractum eſt gratiſſimum Deo holocauſtum. Leges verò civiles tum patrias, tum Imperatorias tanquam à Deo latas, à Regibus, & Imperatoribus divinitus, ut par eſt credere, ad commune bonum prolatas eſſe univerſis, ſibique in
Lib.2.§.55 primis venerabiles optabat. De quibus, cùm ſatis ſupra alibi dixerimus, non haberent hîc repetita leporem.

84 Sereniſſimis idem Parentibus ita fuit ſemper obſequioſus, & ab eorum ſibi venerabili nutu pendulus, ut neminem propè noveris Religioſum ſuis Superioribus obſequentiorem. Ab illis acceptam primogeniti prærogativam maximis à ſe auctam virtutum incrementis, amore, obſequio, & veneratione cumulatam iiſdem rependebat. Glorioſum ſibi ducebat tantis, ac talibus ſubjacere Progenitoribus, quibus longè fuit glorioſiùs tantum, ac talem Primogenitum adeo ſuis imperiis habere ſubjectum. Poſſunt alii Primogeniti ſimiles jactare Parentes; nulli poſſunt Parentes de ſimili Primogenito, tam multis, & eximiis dotibus inſignito, ſibique adeo obſequente gloriari. A prima pueritia ad decimum quartum ſuæ ætatis annum diebus ſingulis ſubveſperum, ſolemne illi erat ingenuis pueris in certa palatii ſtatione Principem opperientibus colludere; at ne ſemel quidem eò ſe contulit, niſi obtenta prius à Sereniſſimis Parentibus, vel ab eorum aliquo venia, ſine qua injucunda illi foret quælibet alioquin jucundiſſima oblectatio. Quandiu in regii palatii genycæo egit ſingulis noctibus ad horam ſeptimam ad ſuum conclave diſceſſurus utriuſque Sereniſſimi Parentis manu reverenter oſculata lætus abibat, rite obito ſimili debitæ venerationis officio, quoties ab eorum aſpectu aliò ſecedere oporteret. Id ipſum obſequium Sereniſſimis Parentibus præſtare ſolitus ſingulis diebus, cùm è lecto ſurgeret, benedictus planè Puer à paterna, maternaque benedictione auſpicari, deſinereque certus.

85 Valetudinarium olim Principem in villa Præſidis ſupremi Senatus judicarii inviſit Rex à venatione Alcantarenſi redux. Ad oſculandum ſibi, manum ſuppliciter petiit Princeps provectæ jam adoleſcentiæ; illam ſubtrahere Rex, cauſatus ex venatu, & itinere pulverulentam. Cui Princeps: ***Ad hoc miniſterium ſemper mihi Majeſtatis Veſtræ manus veniunt politiſſimæ.*** Nec mora, ſuavi oſculo paternæ dextræ impreſſo, eam, & Parentis ipſius animam mirificè delinivit. Pueritiam ille, at non puerilem ſubjectionem egreſſus, eandem in adulta jam adoleſcentia, mira ingenuitate profeſſus eſt. Quandiu in genycæo egit ita ſe perpetuò geſſit patriæ poteſtati addictum, ut neminem ad privatum, & familiare colloquium admitteret, quin priùs per aliquem ex ſuis domeſticis impetraret à Sereniſſimo Parente colloquendi poteſtatem; eove abſente à Matre Sereniſſima; iis tantùm exceptis, quibus per Sereniſſimum Regem liberum erat, quoties liberet, Principem convenire. Id quidem mirum dictu ad filialis obſervantiæ commendationem; quod ſequitur fortè mirabilius; utrunque tamen accepi à P. Joanne Alvaro Frovo Regio Bibliothecario actionum Principis apprimè conſcio, & egregio æſtimatore. Abſolverat jam compoſitum à ſe librum, ſive tractatum Theodoſius, eumque elegantibus tranſcribi characteribus optabat Principis voluptati morigerandi

gerandi cupidus Bibliothecarius optimum illi ſuggerit Amanuenſem, ſibi notum ad amuſſim munus iſtud obiturum: *Placet mihi* (inquit Princeps) *modò Parenti meo non diſpliceat; perge, ab eoque impetra facultatem*; Quis unquam Tyro religioſæ obedientiæ profeſſor tantùm in obedientia profecit; propriamque voluntatem adeo ſuis ſuperioribus, ac Princeps Theodoſius, Sereniſſimis Parentibus ſuam emancipavit? Tum amoris, tum ingenii exercendi gratia, ſuum cuilibet ex Sereniſſimis Fratribus, & Sororibus horoſcopum delineavit; ubi quidquid in uniuſcujuſque genium influerent aſtra, ſalva ſemper fide, ac libertate humana, explicabat. Verùm ab horoſcopis Sereniſſimorum Parentum obfirmatè ſemper abſtinuit; neque alicujus unquam precibus adduci potuit, ut de illis aſtra conſuleret; ne ſi fortè inauſpicatum aliquid in eorum torvo aſpectu deprehenderet, proferre demum cogeretur, quod iiſdem aliqualem mœroris occaſionem poſſet afferre.

86 At erit qui veri fortè inſcius, ejuſque ſciendi cupidus, ex adverſo mihi opponat Elvenſem expeditionem, in qua Theodoſii erga Sereniſſimos Parentes obedientia nutare, dubiamque pati eclypſim viſa eſt: cur (dicet aliquis) clam Sereniſſimis Parentibus, ipſiſque inſalutatis ad Elvenſem exercitum repentinus, & præter omnium ſpem evaſit Theodoſius, qui hactenus eiſdem inconſultis neque manum, aut pedem aliò à ſe moveri, neque familiares cum aliquo miſcere ſermones, immò neque tranſcribi librum ſponte ſua pateretur? Cur in minimis adeo fidelis, & obſequens, in re tanti momenti adeo ſui oblitus videri voluit, & qui ad id tempus parentum imperiis, immò nutibus fuerat reverenter, uniceque obſequutus, tunc ſui unius arbitrii ductum, propriæque voluntatis impulſum adeo animosè ſequutus eſt? Gratulandum certè ſic objicienti, quò perſpecta evidenti planè veritate, Theodoſii ſingularis, indeficienſque obedientia totius expers eclipſis ex hoc ipſo clarior omnibus innoteſcat; ſed quia jam alibi totius hujuſce rei cauſas, & ſeriem latiùs evolvimus, hoc loci ea ſolùm vel recolenda brevì, vel denuò adjicienda quæ ſatis omnino eſſe ducimus ad aſſerendam intemeratam Theodoſii erga Sereniſſimos Parentes obedientiam. Et primum omnium ex illic certò commemoratis plane conſtat non profectum Elvios Theodoſium, etſi clam, inconſultis, penituſque inſalutatis Sereniſſimis Parentibus, à quibus non ſemel adhoc ipſum expreſſam expoſtularat abeundi poteſtatem; ipſis apertè nunquam inficiantibus, immò generoſos Martialis Filii conatus palam extollentibus, at data opera eorum immaturam adhuc exequutionem in tempus opportunius differentibus. Ex quibus ſatis amplam ſibi evidentibus oblatam indiciis nactus eſt occaſionem Princeps, interpetrandæ prudenter paternæ voluntatis, quam hujuſmodi eſſe ſibi perſuaſit, ut ea quam conſultò iniit, ratione profectionem ſuam clandeſtinam, paucis comitantibus, adornaret; vel evitandis immodicis ſumptibus, belliciſque apparatibus neceſſariò peragendis, ſi jubente, vel palam annuente Rege, ipſius Primogenitum ad arma proſilire compertum foret; vel aliis de cauſis, quas vulgò prudentes reges cæteris occultas eſſe, ſibi unicè perſpectas è regia dignitate ducunt. Et quidem vulgaris prudentum Regum maxima eſt, ut plurima quæ illis maximè placent, paſſim iiſdem invitis fieri credantur; rebus nimirum publicis haſce conſiliorum latebras, & occultas rationes exigentibus. Haud vanam fuiſſe conceptam à Principe de paterna voluntate opinionem ſubſequutus mox ab illius exitu omnium ordinum curialis plauſus approbavit; univer-

Lib. 1. c. 24. 27, & 28.

univerſis ad palatium ſtatim confluentibus, Sereniſſimoque Regi propterea exultanti regiam Theodoſii generoſitatem gratulantibus. Haud multò poſt Rex vel publicis ductus rationibus à ſe lentiùs expenſis, vel privatis, & virulentis aulicorum inductus adhortationibus, primò repetitis literis, mox paterno, regioque uſus imperio Principem ſola interna efficacium rationum momenta ſemel, atque iterum reverenter admodum proponentem, tandem propriam exiſtimationem, Europæ totius de ſe conceptam ſpem, Luſitanorum ducum, militumque ardorem, ſe omnimodè retinere cupientium; paternis juſſis ſuæ voluptati valde infenſis poſt habentem ad Ulyſſiponem revocavit. Ex quibus planum eſt non modò in ea occaſione fuiſſe Principem Theodoſium paternæ voluntati, ſeu tacitæ, ſeu expreſſæ obſequentiſſimum, ſed in hiſce rerum maximarum difficillimis anguſtiis promptè obtemperando glorioſiorem Parenti, quàm de hoſtibus poſſet, victoriam comparaſſe; cujus quidem victoriæ quaſi coronidem addidit ipſe Princeps quoties de illa mentio incideret intimum teſtatus dolorem, quòd aliqualem dolendi cauſam Sereniſſimis Parentibus ſuo clandeſtino diſceſſu, etſi præter opinionem ipſe nolens præbuerit. Sæpe apud ſuum Confeſſarium, quo cum partiri curas, animumque ſolebat; extra confeſſionem proteſtatum accepi: *Summo ſe intimi doloris ſenſu affici, & excruciari, quoties in mentem ſibi veniret expeditio Elvenſis à ſe inauſpicatò ſuſcepta, peractaque abſque Sereniſſimi ſui Parentis expreſſa facultate.* Id ipſum à Principe ſæpius ſe audiſſe P. Joannes Alvares Frovo Regius Bibliothecarius atteſtatur. Neſcio certè quæ poſſit verior, & expreſſior eximiæ obedientiæ fingi effigies, quàm Theodoſii ſuo illacrymantis triumpho, ex quo chariſſimus ſibi Parens, qui deberet exultandi potiùs cauſam, dolendi tamen occaſionem arripuiſſet.

87 Ab Elviis Ulyſſiponenſi Curiæ redditum Theodoſium cæpere nonnulli ſeu legitimo zelo, ſeu adulterina zelotypia ducti, à miniſtris aliquot, quibus Rex plus nimiò deferebat, omni arte alienare, Illos potiſſimum eſſe impendentium nuper turbarum artifices, Regiæ alienationis incentores; ab iis ventis regias aures perpetuò exſuſlantibus excitari cæptam eam tempeſtatem, quæ niſi ejus prudentia, & ſapientis obedientiæ declinatione ſedaretur, parum abeſſe, quin Luſitanæ Monarchiæ navis, vel ad ſyrtes, & ſcopulos allideretur, vel tumultuantibus adhuc, & ſe viciſſim prementibus undis fluctuaret. Oportere quacunque ratione hujuſmodi exhauriri peſtiferam ſentinam velificanti navi, & in ea navigantibus certo exitio futuram; è re communi eſſe peſſimos Conſiliarios vel aperta vi, vel quòd videretur conſultiùs, ſub quolibet honeſto prætextu à Regis latere averti, ne illorum opera, & malis artibus circunventi univerſi penitus everterentur. Hæc & ſimilia placido tranquilloque animo, ab omni vindictæ labe prorſus alieno Theodoſius excipiebat. Tunc ſi eos veris falſa involvere animadverteret, alieniſque amplificandis defectibus injuſta exaggeratione uti, ſic progredientibus occurrebat: *Cur perſtrictis Regiis conſiliariis, Parenti meo præpoſterè conſulentibus, longè deterioris conſilii, quo ille poſſit juſtè lædi, ejus miniſtri nequeant tutò corrigi, mihi authores eſtis?* Si verò vera omnino ab illis proferri videret, ita eorum ardorem quaſi frigida igni ſuperinfuſa, blandis hujuſmodi verbis mitigabat: *Aliquod à nobis diſſimulandum; non nihil etiam dandum, & meo erga Parentem meum, & illius erga ſuos dilectos amori, cui palam obſiſtere, nec tutum, nec æquum eſt: interim ſatis, ſuperque ſit abſque ulteriori ſtrepitu illos noviſſe homines, quibus haud levis erit*

pœna

pœna ſi ſe agnitos agnoſcant: Adveniet juſtum pro cujuſque meritis premii, vel ſupplicii, ne arceſſite, tempus. Non abſimili olim ratione Princeps exagitari ſolitus à ſuo Magiſtro adhuc ſuperſtite iniquè ferente, quòd Princeps adeo æquanimiter, pacatèque ferret privatam aliquorum inſolentiam, qui regia freti auctoritate, vel gratia, ejus æquiſſimis conatibus, vel ſtudiis non ſemel palam ſe opponere auderent. Admonebat ergo Magiſter ingenuum Diſcipulum (ex animo ne, an ejus animi explorandi cauſa? Judicent hæc legentes.) Ne ſe adeo ſubjectum, & patientem exhiberet, ut aliquis adoleſcentiam ejus contemneret, ſuam ut pro virili auctoritatem tum apud Parentem Regem, tum apud ejus miniſtros ſtrenuè, ut Principem deceret, tueretur; iniquum eſſe ſibique valde indecorum, ut quenvis alium plus apud Regem poſſe, quàm Principem, crederetur; ad publicum proinde regimen, etſi omnino invocatus irruere non deberet, ſe tamen inſinuare, ac prudenter inſerere, è re privata, publicaque eſſe; ut votis omnium jam tunc vocari, eſſeque in veneratione aſſueſceret. Ad quæ brevi, ac ſeverè præter morem Princeps: *Omnia tempus habent; non dum gubernandi advenit; in præſentiarum parendum mihi eſt, poſtea cùm Deus, aut Parens annuerit, imperandum; certum mihi abſque illius placito, ne leviter quidem publicis me negotiis immiſcere. De cætero nihil honeſtius cuique, ne dum Principi, quàm ſuis Parentibus officioſè obtemperare.* Aliud maximi quidem habendum filialis erga Sereniſſimum Parentem obedientiæ, illiusque voluntati ſubjectionis exemplar de Principe Theodoſio in ſua de illo relatione prudenter obſervat Petrus à Souſa ipſius olim Principis apud Villaviſſoſam puer ingenuus; cujus expreſſa verba latinè à me donata ſubjicio: *Principi Theodoſio* (inquit) *S. Majeſtas peculiarem domum, & domeſticos deſignavit: in quo adeo ſe rectè Princeps geſſit, ut neminem ſibi miniſtraturum voluerit nominare iis prateritis, quos Sereniſſimus Parens adhuc Brigantinus Dux ſuis olim obſequiis addixerat. In Brigantino autem Regio ſtatu (cujus Princeps ipſe Dux fuit renunciatus) cùm univerſim cenſeantur 43 commendataria beneficia; Eccleſiæ tum Parochiales, tum diverſi generis 160 Arcium præfecturæ maximæ, 17 Iudiciaria munera 1300; quorum omnium immenſa eſt annuorum redditaum ſumma; & tamen eorum nullum ſcimus ulli collatum à Principe omnium Domino, univerſa Sereniſſimi Parentis diſpoſitioni liberè permittente; adeo illi per omnia ſubjectus erat.* Vide lib. 1 §. 158, & 159.

88 Jam verò Sereniſſimæ Reginæ Matri non modò debita obedientis Filii obſequia, ſed præcipui, ac tenerrimi amoris argumenta perſolvebat, provocatus tum peregrinis illius dotibus, cœleſtibusque planè virtutibus, tum incredibili ejuſdem erga ſe ſpecialis affectionis omnibus explorata propenſione. Ut apud omnes, maximèque apud Sereniſſimum Parentem in ſummo illa eſſet pretio, ac veneratione vehementer optabat. Idcirco Sereniſſimo Regi ſe non ſemel maximis Regni de rebus conſulenti, ubi faceret ſatis ſuo prudenti prolato ſemper ſuffragio; ſi fortè, quod frequenter accidit, cæcus Laberinthus occurreret, qui Dædaleo filo indigeret, vel Gordianus certè nodus inexplicabilibus difficultatibus irretitus, addere ſolitus Princeps: *Conſulendam cenſeo Sereniſſimam Parentem, cujus ea eſt cœleſtis planè judicii lux, ut ſola in tenebris illuceat, unaque poſſit implicitis, & difficillimis negotiis facilem exitum reperire.* His, & ſimilibus veris quidem ſententiis cùm de Sereniſſima Matre ſermo incideret apud univerſos, illi meritam conciliare celebritatem ſollicitus. Qua in parte facilè voti ſui compos extitit, cunctis non Luſitanis modò, ſed exteris quibusque Nationibus, ad quas Aloyſiæ Reginæ fama pe-

netravit, eam è celeberrimis mundi totius Heroinis unam ſuſpicientibus. Inter eas merito nulli, aut indulgentis naturæ, aut induſtriæ artis dotibus ſecunda, maxima debiti honoris præfatione recenſetur; à nonnullis tanquam maximum fœminei ſexus, & decus & incrementum. Ut aliquem indulgentiſſimè haberet Theodoſius, magni erat momenti ſcire illum eſſe Matri Sereniſſimæ gratioſum. E contra ſiquis eam fortè, quod raró accidit, ſuperſtite Theodoſio, vel leviſſimè læderet, haud poterat ſibi imperare quin manifeſti ſigna doloris, & latentis averſionis vultu proderet, hujuſmodi alioquin affectuum continentiſſimus.

89 Si quando Sereniſſima Regina ægrotaret hic Theodoſius exquiſitiſſimi amoris, filialiſque obſequii laxatis velis ampliora documenta expromere; illi aſſiduus diu, noctuque, ſi res poſceret, aſſidere; morbi cauſam, & affectus ſtudioſè obſervare; cuncta venientibus deinde medicis ſeriatim exponere; cum iiſdem ſingula conferre; ac de præſentiori adhibendo amuleto ſapienter apud eos diſſerere; mox ſedulò providere, ut præſcriptum ab eis qualecunque pharmacum apprimè conditum in tempore, horaque commodiori applicaretur; habita ratione, tùm febris ſe intendentis, tum remittentis; aſtrorum præterea, lunæque in primis benignioris, aut inclementioris in ægrotos influxus; in quibus conſulendis multus, & eximius profectò erat: deindeque, quod caput eſt, pluriſque refert, Dei, Deiparæ, ac cœlitum præſens auxilium pro ægrotantis incolumitate frequenter; enixèque implorare: nihil denique prætermittere quominus verè amantis Filii munia, menſuramque cumulatiſſimè adimpleret. Claudo hujuſmodi amoris erga Matrem amantiſſimam mentionem haud prætermittenda ipſius Principis erga ſuos aulicos objurgatione. Summis illi coram Principe aliquando ad cœlum laudibus efferebant eximias dotes Sereniſſimi Regis Joannis; cùmque ejuſdem quoque Principis encomia, more aulico, inſerere cæpiſſent, occupat de ſe ſibi valde ingratos ſermones prævertere, omnigenæ adulationi ſemper infenſus; ſic præſentes aulicos cæptis de ſe laudibus inſiſtentes, non ſine ſtomacho alloquutus: *Ideo Bizantini cæcos Chalcedemonios ſoliti meritò appellare. Excidit vobis eam Reginam laudare, cujus præcellentes dotes, præclaraque virtutes, etſi omni laude majores, à vobis tamen minora commemorantibus deberent ante omnia, etſi pro illius dignitate parum, at pro veſtro captu omni contentione amplificari?* Plauſere omnes, ut par erat, etſi aculeatæ in ſe ipſos amantis Principis vellicationi; moremque illi gerentes in Sereniſſimæ Reginæ Matris laudes effuſi ſunt, adeo, ut qui de Rege ſatis multa. magnaque dixerant, lòngè plura, & majora de Regina prædicarent. Ex his nonnulla brevì à me more Hiſtorico perſtrinda ſunt, ne aut Sereniſſimi Principis è Superis (ut reor) me admonentis expectationi, aut benemeritis adeo de univerſa Luſitania Regibus, ingrati ſilentii præteritione injurius deeſſe omnino videar.

90 Sereniſſimum Regem non vulgari Joannis quarti appellatione, ſed Magni, vel Maximi aut illuſtriori alia nomenclatura à cæteris Luſitanis Regibus diſcriminandum prudentes aulici contendebant; ita nimirum ejus inclytis rebus geſtis, & virtutibus eximiis exigentibus; quas in aliis ſingulas, in Joanne ſuſpicimus ſingulares. Is Deo in primis (quod caput eſt) adeo charus extitit, ut plurimis, quibus nullum alium ſeu vaticiniis, ſeu prodigiis, eum Luſitanæ Monarchiæ Aſſertorem, illique præficiendum multò antea prænuntiarit, admirandis poſtea ſubſequutis effectibus earum prædictionum

veri-

Veritatem indubiè confirmantibus. Idem (quod rarum) totius expers ambitionis Luſitanum Imperium cunctis nominibus ſibi debitum, & non ſemel antea oblatum, ſæpe recuſando, eo ſe digniſſimum eſſe oſtendit. Tandem non privatis, ſed publicis extremè laborantis patriæ rationibus, & ſupremæ nobilitatis infimis precibus expugnatus regnum jure partum, ægrèque ſuſceptum mirabili juſtitia, & prudentia per ſexdecim annos gubernavit. Illud interim futuræ olim poſteritatis admiratione recolendum; ad primam nempe Joannis auſpicatiſſimi nominis mentionem univerſam Luſitanam Monarchiam per Europæ, Aſiæ, Africæ, ac Americæ fines longè, latèque diffuſam, illius obſequio non libenter modò, ſed avidè ſe devoviſſe, potentiſſimi omnium ad id tempus Hiſpani Monarchæ gravi jugo leviter excuſſo; ex ipſius aſſeclis nemine contra mutire auſo; ne humili quidem reſiduo mapali ei ſubjecto; univerſis pene gentibus præter modum exultantibus, Sereniſſimoque Joanni certatim congratulantibus. Nec minùs mirabile, quod initio Regni à ſe initi nactus illud munimentis, armis, militibus penitùs exutum, opibus ſimiliter, quibus bella conſtant, omnino exhauſtum, ita ſe tamen induſtriè, ſtrenuèque geſſerit, ut repreſſa formidabili hactenus Hiſpanorum undequaque in Luſitanos agros more intumeſcentis oceani effusè irruentium potentia, nullo ab eis accepto memorabili damno; eoſdem è contra plurimis, & inſignibus affecerit cladibus; immiſſo in eorum terras, vel exercitu, vel frequenti equitatu, captis, ſpoliatis, direptis, & incenſis ultra 129. Caſtellanis oppidis, aut arcibus, illarum nonnullis pro locorum opportunitate præſidio Luſitano munitis, diuque retentis: præter innumeros pagos iis oppidis adjacentes: quorum nomina exprimit Mauſoleum Sereniſſimi Joannis IV. Ulyſſipone ſub eo typis mandatum: quibus adeo tumentes hoſtium ſpiritus fregit, audaciamque frænavit, ut quandiu Joannes vixit, vix auſi fuerint Luſitanos fines juſto exercitu penetrare, contenti ſuos utcunque tueri; unumque Oliventiæ pontem fluvio Anæ impoſitum faciles noſtris ad eorum confinia præbentem aditus ex parte diruere, inſtructo ad id unum numeroſo exercitu, noſtri è veſtigio occurrentis impreſſionem indecorè ſubterfugiente.

P. Machado in ejus elogio in fine.

91 Conſtat nonnullos è Luſitanis Regibus diverſis olim temporibus cum Caſtellanis; at non dum ad ſummam potentiam evectis, plurium deinde in Europa Regnorum, & principatuum acceſſione conflixiſſe, ab iiſque pluſquam duodeviginti memorabiles victorias comparaſſe; quarum recentibus adhuc laureis noſtri, exterique annales luxuriant: verùm longè fuere illuſtriores, quibus ſtrenuiſſimus æquè, ac feliciſſimus Joannes initium dedit, adeptæ nimirum ab Hiſpano jam nunc Monarcha inclyto, potentioreque, quàm ut ſuſtineri, nedum toties vinci à natione ulla poſſe vulgò crederetur. Quem tamen frequentibus irruptionibus ita maceràvit, ac terruit, ut pleriſque hactenus terribilis, minus deinceps timendus ab aliis, magiſque proprio timori obnoxius eſſe inceperit. Hiſce jactis bellicæ virtutis fundamentis erigendæ Luſitanæ Monarchiæ, quam reperit pene collapſam, optimis interea legibus confirmata politica Republica, munitionibus, omnique armorum genere ſtabilito Regno; eodem opibus ad futuri belli ſumptus à triplici ſtatu ipſius Regni ſibi libenter oblatis amplificato; denique virtutum omnium exemplis tum politicis, tum Chriſtianis clarus, fato, demum conceſſit, ſexto Novembris anni 1656 citiùs quidem, quàm Luſitana res poſceret, feriùs

quàm

quàm hoſtes optarent; eam certè apud memores poſteros ſingularem gloriam aſſequutus, ut inter celebriores, tum Luſitaniæ, tum Europæ totius Heroes meritò habendus ſit; religionis in primis, juſtitiæ, prudentiæ, bellicæ fortitudinis, magnanimitatis, cæterarumque virtutum, quibus multùm excelluit, multiplici commendatione. Quæ de illo in gratiam aulicorum Theodoſii limatiori olim ſtylo pro dignitate ad poſteros tranſmittenda, ſummatim hîc delibaſſe ſit ſatis. Nunc Principis Theodoſii monitis æquiſſimis obſecundantes, de ipſius Matre Sereniſſima nunquam ſatis dignè laudanda, pauca etiam è multis præſtringemus, ne in urbana disjungat hiſtoria, quos mutuus amor, & maximarum virtutum indiſcreta ſimilitudo conjunxit.

92 Virilis quidem animi, cœleſtisque planè genii Fæminam maximis Heroibus quàm hominibus ſimiliorem Aloyſiam Sereniſſimam Reginam dixere nonnulli, ejus præcellentium virtutum probè conſcii. Eam Sereniſſimo Joanni Regi conſortem, adjutorium ſimile ſibi in partem tanti operis ſingulari providentia Deus attribuit. Talem certè Luſitanæ Reipublicæ ratio, & utilitas difficillimis illis temporibus maximè poſtulabat. Præter cæteras elegantis formæ, præſtantisque animi dotes, quas longum eſſet, nec mei muneris recenſere, in regia eminebat Heroina magnanimitas virili major, maximarum rerum appetens, periculorum omnium contemptrix, judiciumque par, æquè ſubtile, ac maturum. A Franciſco de Mello Marchione de Sande, viro acerrimi judicii, multisque aliis nominibus commendabili ex privata eruditione, publicisque legationibus rite obitis longum magnarum rerum uſum, & illuſtrium perſonarum maximam notitiam adepto, id ſæpe audivi: *Neminem in tota Europa novi Aloyſia Sereniſſima Regina, vel prudentiorem, vel generoſiorem, vel demum politicæ Chriſtianæ artibus ad gubernandum inſtructiorem.* Hinc in adverſis, dubiisque rebus mira conſtantia, & magnanimitas, palmæ ſimilis ſub majori difficultatum, aut negotiorum pondere indeficiens, immò altiùs ad cœlum aſſurgens; ſumma deinde in iiſdem prævidendis, expediendis, vel declinandis dexteritas. Quibus à Sereniſſimo Joanne ſolidæ prudentiæ æſtimatore maximo animadverſis, nihil magnum, arduumve aut ſuſcepit, aut confecit, quin præſenti ejus opera, & opportuno conſilio in tempore uteretur. Illi potiſſimùm Sereniſſimi Joannis, pro ſummis rei valde arduæ difficultatibus, prudenter nutantem animum, generoſis rationibus ad capeſſendum ſibi oblatum ſceptrum confirmanti, debet ſuam adeo expetitam libertatem Luſitania: eidem rectè conſulenti, virumque ad ſumma quælibet perpetuò impellenti, tum privatos rei domeſticæ, tum publicos illuſtrium victoriarum feliciſſimos progreſſus; ejuſdem tandem auſpiciis fortunatiſſimum, quo in præſentiarum fruimur optatæ cunctis, à noſtris æmulis nobis oblatæ pacis, & ſummæ tranquillitatis complementum. Enim verò quandiu Sereniſſimus Rex Joannes vixit, Regnique gubernacula tractavit, eidem clavo aſſidens, laboris domeſtici, gloriæque militaris ſimul particeps Sereniſſima Regina, hanc inclyto Viro laudem libens conceſſit, ut primus, at non ſolus haberetur; eam ab illo viciſſim jure ſuo ſibi vendicavit, ut ipſi per omnia eſſet æqualis.

93 Poſt Sereniſſimi Viri obitum viriles partes una ſuſcepit pro virili obeundas. In ſuo Rex teſtamento iſti unicæ Viragini, & communium utriuſque filiorum puerilem tutelam, & Regni Luſitani, cui paterno ſemper amore vivens indulſerat, abſolutum regimen, & patrocinium moriens commiſit.

Utrunque

Utrunque Illa munus ſic implevit inter lacrymarum fluenta; quibus dilecti conjugis manibus parentabat,& imminentium jam hoſtium torvum adſpectum extrema Luſitaniæ minitantium; ut meritò dubites, togatæ ne Palladis in protegendis parvulis liberis, an armatæ Bellonæ, in cæteris tuendis Luſitanis ſibi pro filiis adoptatis munia laudabiliùs una obierit? Certè utrorunque propitium, ac tutelare numen, inſtar generoſæ Aquilæ pullos ſuos advolandum provacantis, ſimul regales,inermeſque Pueros, & armatos, ſtrenuoſque Luſitanos hortabatur, fixo ut obtutu; oculiſque minimè conniventibus divinum ſolem pro Luſitanis radiantem ſuſpicerent, hoſteſque contra Regnum præſenti Dei auxilio, & certis promiſſis ſtabilitum nihil pro futuros generoſè deſpicerent. Sic ſuis animatis, & in Aloyſia novam Phænicem ex demortui Viri calentibus adhuc cineribus repullulantem reveritis, rebus domeſticis, & politicis ſedulò, ac ſapienter compoſitis, maximè ad religionem, & juſtitiam ſpectantibus; ad arma ſe totam nova Clelia, recens Camilla, vel Semiramis Luſitana conuertit: validum jubet conſcribi exercitum propulſandis hoſtibus Oliventiam obſidentibus. Interim ſparſo, incertis authoribus rumore Catholicum Regem Philippum cogitare de transferenda in Pacem Auguſtam primam belli ſedem, aliquantisper Madrittenſi Curia, quò ſua exinde propiori præſentia Luſitanum bellum incenderet; acriùſque urgeret, nihil hiſce commota bellatrix Matrona, immò lætabunda ſic ad ſuos: *Veniat bonis avibus tantus Rex; oportet à nobis excipi per quàm comiter, univerſo bellico comitatu: ſi de Pace Auguſta cogitat, priusquam illuc accedat, ad Elvios ego præcedam illi obviam proceſſura.* Digna planè tanta Regina vox; cujus virilis animus maligno errore fortunæ, muliebre corpus ſortitus eſt. Falsò credidere Hiſpani, animam agente Sereniſſimo Joanne Rege, actum eſſe de Luſitania, quam certa jam ſpe devorarent, noſtriſque militibus occidente tali Duce, prorſus cecidiſſe animos, nec ſupereſſe, qui poſſet ſuis armis, & conatibus obſtare. At experti ſunt ſuo ingenti malo, etſi mortalis, mortuuſque foret Joannes immortalem eſſe illius invictum animum in bellicoſo Aloyſiæ Uxoris corde ſuperſtitem, indeque martiales ſpiritus ſuis ducibus, ac militibus adſpirantem. Iidem lugubri ſibi, feralique documento didicere, natura tenuem, debilemque nubem concipere nonnunquam molliſſimis in viſceribus ignita metuendi belli fulmina, quæ nulla patriæ, patritiorumque habita ratione in ſubjectas, unde orta eſt, terras inevitabili exitio ejaculatur: haud aliter à Sidonia nube Luſitanam regionem beneficis imbribus irrigari, Hiſpanam patriam maleficis fulminibus verberari. E contra Luſitani obſervarunt poſt ſui ſolis occaſum Luſitano cœlo effulgere pulcherrimam Lunam, cœleſtem victricium aſtrorum militiam ducentem, ſeque intendentes tenebroſæ noctis umbras ſuæ lucis fulgore diſſipantem.

94 Non unum tantùm, ſed triplicem intra proximum biennium in ſola Provincia Tranſtagana, ubi atrociùs deſævire bellum ſoleret, exercitum Caſtellanis armis oppoſuit bellatrix Regina: extremi certè, omnium exilioris, cùm ad Triarios apud Elvios ventum eſt, is fuit exitus, quem indecorè victi, pulſique numero, & potentia ſuperiores Caſtellani perpetuo dolore, victores Luſitani, etſi pauciores, at virtute potiores, æterna exultatione proſequentur. Quid mirum adeo ſtrenuè ſe illic geſſiſſe Luſitanos ſub ea Regina, ita ſuos tenerrimè amante, ut quæ illi adverſo pectore vulnera excipe-

rent, ea ſe corde ſuo excepiſſe teſtaretur, effuſis inſuper lacrymis effuſum eorum ſanguinem abundè compenſatura? Quibus deinde perſanandis pariter, & refocillandis, præter ingentem auri vim in ſingulos dividendi, ex Ulyſſipone frequenter mittere ſolita, non modò præſentiſſima pharmaca, omnigenaque dulciaria, ſed ex tenuiſſimo lino deducta ipſius regia manu innumera fila militum vulneribus à chirurgo adhibenda? De quibus illi facti certiores incredibile dictu eſt, quàm brevì recuperatis ex integrò viribus, tanquam leones ignem ſpirantes in aciem procederent animoſiores, prompti, & ſanguinem, & animam effundere pro Matre non minùs diligenda, quàm dilectrice. Illa quidem hac celeberrima victoria confirmatis denuo noſtrorum militum animis, hoſtium omnino depreſſis, innumeris præterea Chriſtianæ, politicæ, bellicæque virtutis editis monumentis, quæ perſequi, extenuareque adeo brevi compendio nec decet, nec eſt otium; ſolitudinis, rerumque cœleſtium ardenti flagrans deſiderio, commiſſis regni habenis Sereniſſimo Filio Regi Alphonſo jam tertium ſupra decimum annum agenti, ad ſuburbanum ſuum palatium uno ab Urbe diſſitum milliari libens, & invita ſeceſſit. Libentiſſimè quidem illuc ſe contulit, adepta nimirum votorum ſummam ex longo à ſe anxiè expetitam; ut terrenis omninò curis libera, ſoli Deo, & ſibi vacaret, cœleſtiſque vitæ, quam illic præſtitit, extrema clauſula ſuis inclytis rebus geſtis glorioſam coronidem imponeret. Eadem invita eò conceſſit; tum quia bonorum omnium in ſuo diſceſſu ingemiſcentium, & corda, & ſpes maximas ibi tumulandas ſecum aſportaret, nec jam deinceps tam ſibi liceret ſuis prodeſſe Luſitanis, eorumque proſpicere incrementis, quàm maximè vellet; tum ob alias cauſas, etſi Luſitanis vulgò perſpectas, conſultò hìc premendas; à venturis olim ſcriptoribus fortè palam expromendas, cùm à ſuo ævo longinquiora tunc referre magis erit liberum, & minus invidioſum.

95 Sereniſſima interim Regina, licèt in privata fortuna ſuæ haud immemor Regiæ amplitudinis, munificentiſſimæque liberalitatis, abſoluto jam illo magnifico templo, & cænobio ipſius ſumptibus extructo, de quo alibi meminimus; duplicis alterius templi, & cænobii fundamenta jacit, brevîque ad juſtam provecta molem religioſis inſtruit domiciliis: in eorum uno regii palatii ædibus contiguo Auguſtinianæ Sorores diſcalciatæ, in altero haud longè ab eodem palatio Auguſtiniani Patres idem inſtitutum profitentes recipiuntur, nova Luſitani terreſtris paradiſi cœleſtia planè germina, virtutum omnium ſuaviſſimum odorem ſpirantia. Hujuſmodi, ac ſimilibus omnigenarum virtutum exercitiis intentam, cœleſtemque planè in terris vitam agentem, auſa eſt, videns ſolitariam invadere Libithina lethalis ægritudinis venenato immiſſo ſpiculo. Eam tamen reperit etſi ſolam, maximarum virtutum Regio ſatellitio ſtipatam, & inſignium meritorum præſidio præmunitam, quibus undique aſſociatus regius ille, ac verè generoſus ſpiritus humanæ mortalitatis vinculis expeditus ad dilectiſſimi ſui Theodoſii, è cœlo (ut par eſt credere) illum invitantis amplexus evolavit die 27 Februarii anni 1666 undecima noctis hora; relicto in Luſitanorum omnium intimis præcordiis immedicabili dolore, ac in eorundem animis veri amoris flamma propè liquefactis æterno ſui deſiderio. Talibus, ac tantis Parentibus quid mirum fuiſſe Principem Theodoſium obſequentiſſimum! Mirandum potiùs erit, ſi quis fortè dubitabit, an talibus, ac tantis Parentibus aliquid

Lib. 4. 210. & 211.

fuerit tali, ac tanto primogenito aut prius, aut illuſtrius?

CAPUT IX.

Principis Theodoſii reſiduæ obedientiæ ſupplementa.

96 NUllius alterius virtutis tam multa, quàm obedientiæ religioſis etiam hominibus æmulanda exempla reliquit Theodoſius; vel quia in ea virtute, quæ cæteris latiùs patet, omnibusque ſuos peculiares actus exercentibus ſuum generale impertit meritum, eminere vellet; vel quia, cùm vir obediens loquatur victorias, victricem in obediendo palmam omnibus præripere optaret. Id eſt, cur duplici capitulo commemoranda duximus, quæ unico à nobis includi commodè haud potuere: cùm ſolito uberior ſeges provenit copioſioris colligendæ meſſis ſtudio, vel anguſtum laxat granarium, vel novum conducit prudens agricola. Poſt Parentes, à quibus primò vitam hauſimus, immò præ illis Magiſtri, quibus rectè vivendi ſalutarem debemus inſtitutionem, ſunt à nobis religioſè obſervandi, omnimodiſque obſequiis demerendi: *Diſcipuli* (aptè monet Peluſiota) *veros Magiſtros, & ut patres amare, & ut Principes timere debent, & nec ob amorem diſcutere metum, nec ob metum obſcurare benevolentiam*; & quidem ſummo jure, à parentibus enim mortalis vitæ uſuram, à Magiſtris tum ipſius vitæ decora, tum immortalitatis arrhas accipimus. Primum inter eos apud Theodoſium locum habuit D. Petrus Pueros, cui à puero pro virili ſtrenuam navavit operam: eum non ut Parentem modò, ſed quaſi Numen aliquod è cœlo ſibi dilapſum venerari. Quoties ad ſe venientem Magiſtrum certò ſciret, honoris, & amoris ergo è ſuo exire conclavi, ultra quatuor aulas procedere, illumque urbaniſſimo exceptum amplexu introducere. Eidem hujuſmodi honoris exceſſum à tanti Principis dignitate alienum frequenter recuſanti, & aliquando incuſanti ſic reſpondere: *Nihil Principe digniùs, quàm digniſſimum Magiſtrum omni amoris, & venerationis ſignificatione proſequi: ſi quis in eo modum exceſſerit, is cæteros Principes mea excedet ſententia, divinæque proximè accedet; qui vel improbis Magiſtris obſequium, & reverentiam præſtare, non turbis modò, ſed Apoſtolis Eccleſiæ Principibus imperavit; Tunc Ieſus locutus eſt ad turbas, & ad diſcipulos ſuos dicens, ſuper cathedram Moyſis ſederunt Scribæ, & Phariſæi: omnia ergo quæcunque dixerint vobis, ſervate, & facite.*

Iſid. Peluſ. ep. 26.

Mat. 23. 2.

97 At non privatis tantùm dictis, publicis, & quotidianis etiam factis promptiſſimæ obedientiæ Magiſtris exhibendæ fuit Theodoſius æmulandum exemplar. Singulis quibuſque diebus, ut proximè diximus, levandi animi ergo, unà cum ingenuis, ſibique coætaneis pueris, in regii palatii quadam ſublimi planitie, ex qua in proximum mare liber proſpectus patet liberalibus, & Principe dignis ludis vacare ſolitus. Aderat ibi frequenter prudens Magiſter, exploraturus, ſi quid fortè interludendum Principi excideret Principe minùs dignum, quod cenſoria ipſius correctione indigeret; in ludicris faciliùs inſitos animi affectus cujuſque incauta expromente natura. Hic ſeriùs, aut citiùs, prout optimum judicaret, ſigno receptui dato, vel voce, vel manu ludendi finem præſcribebat; quo audito Princeps, in majori aliquan-

 do

do voluptuoſioris ludi fervore ab eo penitus ceſſabat, quaſi ampliorem ex prompta obedientia, quàm ex puerili oblectamento voluptatem perciperet; ſequutus illico, libenterque Magiſtrum quocunque avocaret. Sic in urbanis oblectationibus, at non minùs in ruſticanis obſequens, ſibi ubique ſimilis. Alcantaræ aliquando unà cum iiſdem ingenuis pueris genio indulgebat Princeps adhuc puer, juxta littus maximis tunc maritimi æſtus acceſſibus, & receſſibus perturbatum; ibi tentantem animoſiùs quàm inquietum plus nimiò mare pateretur, regiam ſcapham conſcendere, Magiſter prohibuit, manuque apprehenſum retinuit; id cùm ægrè ferret Princeps, conceptique animo doloris ſigna triſti vultu proderet, ſic ad illum Magiſter: *Præſtat ut interim Veſtra Celſitudo brevi doleat, quàm nos pro aliquali Celſitudinis Veſtræ periculo multùm, diuque doleamus.* Illico Princeps in ſe reverſus ad Magiſtrum ſe convertit, ingenuo mox rubore præteriti ſui doloris notas damnat; ſalutare ſibi præbitum conſilium gratulatur; ab eoque tandem veniam exorat; quod minùs promptè, penitusque inconſultè illius monitis prudentiſſimis acquieverit. Ibidem iterum cum iiſdem ingenuiis pueris colludens in ea, quæ amplo cycnorum ſtagno imminet domo, eorum uni fortuiti lapſus occaſionem Princeps dedit: ad puerilem cadentis gemitum, inclamare cæpit alius Magiſtrum; cui Princeps, *Tace puer; ne, quæſo, Magiſtro meo dolendi cauſam dederis; pro certo habeas non mihi graviorem pœnam infligendam à Magiſtri reprehenſione, quàm ex pœnitentia, quæ me afficit ex fortuiti hujus eventus dolore.* Talem ſe præbuit non modo erga D. Petrum Pueros, ſed erga cæteros Magiſtros, à quibus liberalis alicujus artis præcepta didicit; univerſos ille revereri, eorum documenta maximi facere; illa in promptu habere; quidquid præſcriberent actutum exequi; lectionis præteritæ penſum ſumma fide ſolvere; nihil denique omittere, quin diligentiſſimi, abſolutiſſimique diſcipuli partes, immò totum impleret.

98 Si parentibus vitæ noſtræ primis authoribus eſt parendum, ſi Magiſtris vitæ ipſius inſtitutoribus obſequendum; non minùs, immò plus medicis acceptæ, inſtitutæque vitæ ſervatoribus optimo jure deferendum. Parvi, aut nihili certè referret, vitam, illiusque inſtitutionem Parentibus, & Magiſtris acceptam referre, niſi utranque præſenti medicorum auxilio à morborum, mortiſque tyrannide vindicatam diutius prorogare contingeret. Ideo Theodoſius colendos à ſe medicos à cæteriſque præ reliquis mortalibus obſervandos, judicabat, maximè divino ſic oraculo præmonenti: *Honora medicum propter neceſſitatem.* Quoties ægrotaret ægerrimè ferebat ſuum ipſius, non medicorum placitum unicè conſuli: ſi quis ab eo rogaret, hoc ne, an illud pharmacum libentiùs acciperet? *Ex nullo* (reſpondere vulgò ſolitus) *voluptatem aliquam percipiam; verùm quidquid mihi à medicis imperabitur haud gravatè ſuſcipiam.* Nihil unquam ab iis adeo aut in ſuave, aut difficile ſibi decretum, quin placido, minimèque faſtidiente vultu exciperet: cùm tamen (quod magis mirere) nonnulla ipſius opinioni, philoſophiæque adverſantia aliquando præſcriberent medici; cum illis interim de morbi origine, de remediis aptè diſſerere, ſed ad extremùm illorum judicio ſuum demittere, penitusque acquieſcere: in eo Sanctiſſimi Parentis noſtri Ignatii memorabilem obedientiam æmulatus; cui ſimilia, ſæpe accidiſſe, pro ſummo intellectualis obedientiæ apice, meritò celebrant ejus vitæ ſcriptores. Non minoris faciendum à Theodoſio in extrema ægritudine medicis exhibitum obſequium. In graveſcente jam morbo, mortiferumque lethargum inducente, excogitatis,

Eccl.38.1.

P. Ribad. in ejus vit.

tis, nihil tamen proficientibus plurimis excutiendo lethali ſomno remediis, unicam imperantis medici præſentis vocem, aut abſentis mentionem præſentiſſimum eſſe amuletum ſæpe compertum eſt. Siquis enim elata voce diceret: *Mi Princeps jubet medicus, ut Veſtra Celſitudo victo noxio ſomno evigiles;* ſtatim apertis oculis ad nutum obedire aſſuetis, quàm poſſet ſumma eniti ope, divini Principis uſque ad mortem obedientis vivam effigiem in ipſa imminentis fati vicinia exprimebat.

99 At neque medicis aliquid pro ſalute imperantibus parere ſolùm, ſed quoties occaſio ſe daret eorum cauſam ſtrenuè tueri ſolitus; indignum quolibet viro ingenuo reputans iis promptam ingenii defenſionem denegare, quibus à morborum, & mortis faucibus ereptam non ſemel vitam, & ſalutem debeas. Jam ſupra delibavimus, quid Sereniſſimo Regi medicos inter prandendum vellicanti prudenter objecerit; nunc re ipſa exigente dicendum, quàm ingenioſè ſuos aulicos medicis, medicinæque inſultantes objecta efficacium rationum quaſi parma repulerit, & ad ſaniorem ſententiam revocarit. Imparatum illi Principem ipſi paratiſſimi aliquando aggreſſi, cæpere data opera plurima, quæ in medicos, eorumque artem vulgò jactantur, apud illum ſatis prolixè recenſere; ſive Principis promptum ad ſubita ingenium exploraturi, ſive ipſius erga medicos omnibus exploratum affectum provocaturi, veterum, recentiorumque adhoc ipſum minimè contemnendis, ut ipſi credebant, ſententiis recitatis: *Mirum, & indignum* (ex Plinio dicebat unus) *protinus ſubit nullam artium inconſtantiorem fuiſſe, & etiamnum ſæpius mutari, cùm ſit fructuoſior nulla. Conjecturalis planè ars eſt medicina; cui tamen ſoli evenit, ut cuicunque medicum ſe profeſſo ſtatim credatur; cùm ſit periculum in nullo mendacio majus; non tamen illud intuemur; adeo blanda eſt ſpirandi pro ſe cuique dulcedo. Nulla præterea lex eſt, quæ puniat inſcitiam capitalem, nullum exemplum vindictæ. Diſcunt periculis noſtris, & experimenta per mortes agunt; medicoque tantùm hominem occidiſſe impunitas ſumma eſt. Quin immò tranſit convitium, & intemperantia culpatur, ultròque, qui periere, arguuntur.* Multis ibidem legendus certè, plurium medicorum vitia, damnaque ab iiſdem in orbem, Urbemque invecta commemorat: nimirum circa ægros miſeros ſententiarum concertationes, nullo idem cenſente, ne videatur acceſſio alterius; univerſos famam novitate aliqua aucupantes animas ſtatim noſtras negotiari; eorum deinde avaritiam, & inexplebilem divitiarum cupiditatem, teſtamentorum inſidias, venenorum uſum, inſcitiam, & intemperantiam in morbis, aquarum calidarum diverticulis: ab iiſdem per exquiſita remedia inductas vitæ illecebras, peregrinas merces, conciliata externa pretia, quæ perdidere imperii mores; nullaque morum major lues, quàm ex medicina: in Urbem admiſſos Græcos medicos nonniſi poſt ſexcentos annos; ex eaque demum pulſos, inutiles eos, immò pernicioſos judicante Senatu, Catone approbante, cujus auctoritati triumphus, atque cenſura minimum conferunt, tantò plus in ipſo eſt; Idem alibi queritur de externa medicina Romanæ potentiæ imperanti: *Ita eſt* (inquit) *profectò, magnitudo populi Romani perdidit ritus. Paremus externis, & una artium* (Medicina) *Imperatoribus quoque imperat.* Certè Adrianus Imperator moriens dixit illud Menandri vulgatum, *Turba medicorum Cæſarem perdidit*: Quæ verba ſuo incidi ſepulchro pro Epitaphio juſſiſſe, dicunt alii. Tiberius verò Cæſar ridiculum dicebat eum, qui poſt ſexageſſimum annum conſuleret medicum.

Lib. 1. §. 121.

Plin. lib. 29. c. 1.

Plin. lib. 24. c. 1.

Dion.

100 At non ſoli Romani medicos, & medicinam exagitarunt (excipit alius ex aulicis Theodoſii) Græci quoque, unde Romam immigravit medicina, eam, ejusque profeſſores ſubſanandi finem haud faciunt. Nicocles per Anton. in Meliſſ. part. 1. ter. 76. ſummam irriſionem Medicos feliciſſimos vocabat, *Quoniam eorum ſucceſſus ſol intueretur, errores autem tellus operiret*. Ibidem citat Stratonicum Medico dicentem: *Laudo tuam experientiam, quia non ſinis infirmos computreſcere, ſed illos ſtatim è vita liberas*. Pauſanias ſimiliter eum medicum cenſebat optimum, qui Plut. in Lacon. non ſineret ægros extabeſcere, ſed quàm primùm ſepeliret. Philemon verò: *Medico* (inquit) *& Advocato occidiſſe impune eſt*. Democritus: *Sapiens* (inquit) *cùm imperitus ei medicus dixiſſet, ſenex factus es, reſpondit, Quia non ſum uſus medico*. Ad extremum adjecit ultimus. Non ex Romanis, Græcisque ſapientibus tantùm, ſed ab Hebræis quoque improbatos medicos, eorumque artem certum habeo. Pro cunctis unum profero Ezechiam Sanctiſſimum Regem, à Deoque cùm ægrotaret, miraculosè ſaluti redditum, & productiori quin- Emman. Theſ. in ejus elog. decim annorum vita cumulatum: *Hic Moyſis ſerpentem dejecit, olim ſalubrem, jam virulentum, poſtquam ſuperſtitioſis aris concaluit. Idem ſculptilia in Cedronem ſparſit, tot Pharaonibus demerſis, quot Idolis. Poſt hæc ſimili zelo Salomonis de plantarum uſu commentarios, in magno tunc pretio habitos, majori nunc, ſi extarent, à noſtris medicis habendos, combuſſit. Vtinam* (addit hic Author) *Coi ſenis* (Hippocratis) *ſarcimina ad Ezechiæ manus veniſſent; ſine carnificina homines convaleſcerent*. Non me latet præcipi hominibus ab ipſo Deo honorem medico præſ- Eccl. 38. 1. tandum: *Honora medicum propter neceſſitatem*. Verùm ex hoc infero, non medicos, ſed medicum honorandum, eum nimirum, qui ſit unicus, & eximius, qui rara avis in terris. Si tamen is alicubi fortè reperiatur, cùm una hirundo (ut eſt in veteri paræmia) non faciat ver; cùm ex adverſo tam multi ſapientes ex tribus gentibus, Hebræis, Græcis, & Romanis, quæ olim prudentia, & ſapientia floruere, medicos nihili omnino faciant, tanti eos à noſtro Principe minimè faciendos exinde convinco.

101 Hîc Princeps ſuis auſcultandis aulicis hactenus intentus, contentiore, quàm vulgò ſoleret, voce, ſic in eis evincendis pariter, & erudiendis, non minùs prudenter, quàm ingenioſè ſtrenuam operam, neque fruſtra collocavit. Miror (inquit) in primis indicta cauſa, inauditisque medicinæ profeſſoribus non modò contra illos, ſed adverſus me ipſum, quòd eos plurimi faciam, à prudentibus adeo aulicis latam ſententiam. Cavete ne ipſi de veſtro judicio fiant certiores, quibus liberum eſt capitali decreto de noſtra vita, vel morte deliberare. Nunc quoniam ipſi abſunt, illis, me adeſſe oportet, veſtriſque oppoſitis allegationibus integrè, appoſitèque, ut ſpero, ſatisfacere. Immeritò quidem medicinam, divinam planè artem damnatis, à Deo unà cum cæteris, noſtris primis Parentibus infuſam, quod Sacri paſſim Doctores atteſtantur; per eorum poſteros ad nos tranſmiſſam, eandem etiam brutis omnigenis animantibus cum naturali inſtinctu, pro eorum conſervatione inditam; tot, tantisque herbis, lapidibus, arboribus, animantibus, ſingulisque creaturis, ſalutaribus virtutibus ad medicinæ uſum affixis. Certè quàm omnibus viventibus ſit neceſſaria medicina, quotidiani; quibus illa unicè opitulatur, morbi ſatis probant; quanti ſit ab omnibus facienda, corporeæ ſalutis, ab illa vel reſtitutæ, vel aſſervatæ, vitæque ipſius per illam ſæpe vendicatæ, aut prorogatæ ſummum bonum maximè à mortalibus æſtimandum evidenter demonſtrat. Quòd ſi ad hoc ipſum ab externa commendatione, aucto-

ritateque oporteat à nobis argumenta mutuari; quæ à divina deducuntur
majoris quidem ſunt momenti. Quis neſcit poſſe Deum ſolo ſuæ volunta-
tis placito cæco Tobiæ Sanctiſſimo de ſe adeo benemerito viſum reſtitue-
re? At non niſi adhibito ipſius oculis felle piſcis, ſic filium divinitus ad- Tob.11.n.
monente Angelo Raphaele, viſum recuperavit: ut nimirum ex hoc fac- 8,& 14.
to diſcerent mortales medicinæ vim revereri, ab eaque auxilium im-
plorare, creatisque à ſe rebus ſalutarem ineſſe virtutem ſibi perſuadere. Joan.9.n.
Simili fortè de cauſa (omiſſis plurimis aliis Sacræ Paginæ argumentis) idem 6,& 7.
accidit ChriſtoDomino cùm cæco à nativitate viſum reddidit, admoto ipſius
oculis luto, præceptoque natatoriæ Siloë lavacro, cùm facilè poſſet ab illo,
ſolo verbo avertere cæcitatem. Scio in his, & ſimilibus divina contineri
myſteria, & ad ſanandos animæ morbos cœleſtia documenta; ſed ſive lu-
tum, aut piſcis fel naturalem, ſive contrariam ſanandis oculis habuerint
virtutem, ut diverſi diverſa ſentiunt, hiſce rebus planum eſt à Deo medici-
næ obiter uſum etiam commendari; cujus ope non ſemel contraria con-
trariis curantur. Sed in aſſerenda medicinæ aut neceſſitate, aut ſumma uti-
litate, ac præſtantia ulteriùs progredi ſupervacaneum duco, cùm nulla ſit,
aut unquam fuerit tam barbara natio, ne dum nobilis reſpublica, in qua
hujus adeo utilis, immò neceſſariæ omnino Artis aliqualis uſus non floru-
erit, in maximaque fuerit veneratione. Nec verò à vobis laudatus Plinius,
aut ab eo citatus Cato medicinæ uſum, ſed abuſum improbarunt; immò
Plinius magnificè, ut æquum erat, tantùmque virum decebat, de hac præcel-
lenti Arte paſſim verba facit. Loco enim à vobis citato dicit nullam hac Ar-
tem fructuoſiorem; addit verò ibidem: *Diis primùm inventores ſuos aſſignavit,* Plin.l.29.
& cœlo dicavit. Nec non & hodie ab oraculis medicina petitur. Item de Catone eo- c.1.
dem loco ſic demum ſtatuit: *Quid ergo? damnatam ab eo rem utiliſſimam credi-*
mus? Minimè hercule. Subjecit enim, qua medicina & ſe, & conjugem uſque ad lon-
gam ſenectam perduxerit; iis ipſis ſcilicet, quæ nos tractamus; profiteturque eſſe commen-
tarium ſibi, quo medeatur filio, ſervis, familiaribus, quem nos per genera uſus ſui differi-
mus. Non rem antiqui damnabant, ſed artem. Illam nempe artem, qua Græci me-
dici abutebantur à ſimplicibus remediis abhorrentes, & compoſita inculcan-
tes, à quibus ſibi plus lucri, ægrotis minùs utilitatis colligebant; è contra Pli-
nius compoſita paſſim deteſtatus, in ſimplicibus commendandis integrum
ſuum tomum abſolvit; tam abeſt à reprobanda penitus medicina, ut totus ſit
in ea, quam judicat utiliorem, amplificanda; laudandus certè dum ſimplicia
ſectando laudat; non audiendus, dum compoſita inſectatur, cùm ab eorum
plurimis v.g. ex Mithridato ex nonaginta ingredientibus conflato, ex The- Cornel. in
riaca Ex.54. compoſita, ſimilibusque aliis, tam multa paſſim commoda, & Eccl.c.38.
mirabiles effectus experiamur. verſ. 6.

102 Satis, ſuperque de Medicina; paucis nunc de ipſius profeſſoribus. Me-
dici quidem munus plane divinum eſt, ipſi Chriſto Domino maximè congru-
um, qui ſe medicum non animarum tantùm, ſed etiam corporum dicit: *Non*
eſt opus valentibus medicus, ſed malè habentibus. Angelis quoque idem officium Mat.9.12.
eſt familiare, maximè Raphaeli, cujus nomen ſignificat (*Dei medicinam*) qui Tob.11.8.
cæci Tobiæ filio ex piſcis felle opportunum collyrium medicandæ Patris
cæcitati ſuggeſſit. Munus prætereà eſſe Regium Principes multum decens
teſtatur ille, qui ſceptro ſe inutilem judicavit, eo in primis nomine, quòd me-
dicus non eſſet, regiæ quidem artis omnino expers; *Non ſum medicus, & in domo* Iſai.3.7.

 mea

mea non eſt panis, neque veſtimentum; nolite me conſtituere Principem populi. Reges quidem univerſis mortalibus, at medici regibus medicinæ imperitis dominantur: à Deo primùm, mox à medicis vita, & mors regia pendet; ideo à regibus æquè Numinis inſtar timendi, & diligendi. Et quidem nullus fuit olim, aut Rex, aut Imperator aliqua ex parte commendabilis, cui periti medici non forent perchari, plurimis ab iiſdem honorum, & divitiarum cumulis aucti. Infinitus eſſem ſi hujuſce rei ſatis nota exempla recenſere vellem. Cur igitur, mihi vitio datis quòd illuſtrium tot Heroum exempla in medicis honorandis mihi propoſuerim æmulanda? Neque verò alicui negotium faceſſat exemplum à vobis objectum Ezechiæ Regis Sanctiſſimi, qui Salomonis de plantarum uſu commentarios combuſſerit, non quidem id aggreſſus eſt odio medicinæ, aut medicorum, ſed ut ſuis Hebræis plus herbarum virtuti, quàm divinæ tribuenribus ſalutaris conſilii Author foret, quò deinceps diſcerent ſpem ſuam in divino auxilio unicè collocare. Conſulite veſtrum, ex quo id protuliſtis, Theſaurum, quem penitus reperire oporteret, ejusque aurea planè verba omnia fideliter recitare. Sic ille: *Iam enim ex horto, non è cælo ſalus quærebatur: & herbarum, non oculorum expreſſo ſucco, membra curabantur, non animi. In illa igitur flamma ars mortua, ſpes revixit.* Cætera (ut verbo dicam) quæ medicis objeciſtis, cadunt quidem non in peritos, verèque ſapientes medicos, ſed in circumforaneos impoſtores, in imperitos periculoſos, in ridiculos ſycophantas, ſuo tantùm lucro, non alienæ ſaluti ſtudentes, in Veſpillones demum, & Diaulos, de quibus Martialis: *Nuper erat medicus, nunc eſt Veſpillo Diaulus. Quod Veſpillo facit, fecerat & medicus.* Hoſce, ac ſimiles Urbe pulſos, orbe ſimul pellendos, ſapientes viri meritò iis, quias dixiſtis, irriſionibus pupugere; non veros medicos divinæ, utiliſſimæque ſcientiæ profeſſores: eos nanque Deus ipſe ab omnibus colendos, ut appoſitè meminiſtis, præcepit: *Honora medicum propter neceſſitatem.* Cujus tamen textus interpretationem ingenioſiorem duco, quàm veriorem. Genuinus enim ſenſus eſt, debere unumquenque ſuo medico debitum honorem impertire: unde cùm in ampla republica unus tantùm medicus non poſſit univerſis ſufficere, neceſſarium eſt ut ſint plures à pluribus honorandi. Odi ego quoque, ingenuè fateor, turbam medicorum veritusne mihi accidat, quod olim Epigrammatario Romano: *Centum me tetigere manus Aquilone gelatæ. Non habui febrim Symmache, nunc habeo.* Multum certè nocet ægrotanti multitudo medicorum, maximè inter ſe diſſidentium, miſerique ægroti ſalutem incertis, & contradictoriis plerunque ſententiis ad certum exitium diſtrahentium. Si plures adhibendi ſunt, optimi omnes ſint, & quaſi unus, veritatis in indiviſibili conſiſtentis ſcopum unicè colliment. Sed quia rara eſt in medicorum conventu concordia, difficillimusque in eorundem concilio conſiliorum conſenſus; ſingulis proprii judicii palmam potiùs; quàm ægroti ſalutem vulgò curantibus; ille, me judice, ſapiet, ſuæque ſaluti ſapienter proſpiciet, qui unico, eoque optimo contentus medico, cæteris non contemptui, ſed minoris habeat; quos aliquando in magno diſcrimine audiendos non inficior; dummodò uni, cujus probatæ ſcientiæ, ac de ſe ipſo experientiæ, magis tribuit, ſe penitus committat. Id verò niſi regibus, & magnatibus ex medicorum multitudine inſanam vulgò auctoritatem captantibus ſuadere valeam; non dubito, quin vobis adeo prudentibus perſuaſerim dignos eſſe ſapientes medicos, quibus à digniſſimo quoque ſummus honos, tempeſtivum obſequium,

Em Theſ. in Ezech. elog.

Mart. l. 1. epig. 40.

Eccl. 38. 1.

Mart. l. 5. epig. 9.

exhibeatur. Aſſenſere omnes facilè prudentis, & eruditi Principis rationibus, quibus convicti dedere manus, polliciti ſuas deinceps attrectandas daturos ſe non niſi unico medico, eique omnium optimo, quem in ſummo habitum pretio debitis honoribus, obſequiis, & muneribus proſequerentur.

103 Ex his indubium manet quanti fecerit confeſſarios Princeps, qui tanti faceret, faciendosque medicos judicaret; ut corporis temporariam ſalutem iſti, ſic æternam animæ procurant illi: parvi quidem, aut certè minoris refert quòd corporis, maximi verò quòd ſuæ quis animæ detrimentum patiatur. Unde liquet, quàm debeat unuſquiſque ſpirituali, quàm corporali medico eſſe obſequentior: *Si enim* (rectè argumentum confecit à minori ad majus D. Ephren) *qui ſecundùm carnem ægrotant ſua vim inferunt naturæ, ut ſervent quæcunque ipſi præſcripſerint medici; non ne multò magis decet morem iis gerere, quibus cura animarum noſtrarum credita eſt?* Duos habuit Confeſſarios Sereniſſimus Princeps, P. Joannem Nonium, qui Sereniſſimæ Reginæ erat à confeſſionibus, & P. Andream Ferdinandum ex noſtra Societate, utrunque ſingulari prudentia, & eximiis virtutibus egregium. Eorum cuilibet non modò intra, ſed etiam extra confeſſionem aperiebat Princeps univerſos animi ſinus, & receſſus adeo dilucidè, ut nihil in eo eſſet, quod Confeſſarium lateret, quò meliùs ab eo in omnibus ad cœleſtis, quam adornabat, vitæ perfectionem dirigi poſſet. Idcirco non defectus modò, ſed quoslibet animi affectus, motusque, ſive ad virtutes, ſive ad res indifferentes eidem revelabat, conſulto Confeſſarii judicio, expetitoque ſalubri ejuſdem conſilio, ut ſciret, quî ſe deberet gerere in his, vel illis occaſionibus. Quidquid verò ab illo audiret, quaſi divinum oraculum, vocemque Dei per vocale illud organum ſe alloquentis demiſsè accipere, ſedulòque obſervare. Conſtat utriuſque Confeſſarii teſtimonio, nullum poſſe Tyronem eſſe erga ſuum ſuperiorem, vel magiſtrum ſpiritualem, aut in reddenda ſui ratione fideliorem, exactioremve, aut in obſervando ejuſdem voluntatis nutu, exequendoque promptiorem, quàm erga ſuum Confeſſarium eſſet Theodoſius. Quàm benevolè, immò familiariter eundem haberet, tum ex plurimis argumentis, tum ex pluribus epiſtolis ipſius characteribus ad ipſum ſcriptis, quas alibi diverſis locis ſparſim dedimus, manifeſtè conſtat. Ultimam intimi amoris plenam adjicio. Ita habet: *Non communi deſiderio tui jam quidem afficior, nec vulgari ſtudio angor ſanguinis miſſionis numerum inquirendi. Huc non properes niſi integrè reſumptis viribus; te enim ita accedente, ſubitò mea horum dierum tua abſentia defectio ſublevabitur. Attamen cùm veneris ne obliviſcaris admonitionis Franciſci Viti; nam ego jam codices paro; & uti audio, dimidiata ſequente hebdomada jam Rupem longinquiùs ſpectabis, quàm accedi queat, abſque naufragii diſcrimine. Vale ſemel tibi, iterumque Mii. Modò hiſtoricus, &c.* Ad eundem remittebat frequenter ſuarum compoſitionum codices corrigendos; illiuſque correctioni acquieſcebat. De quo ſic Idem alibi: *Cenſorio ungue mi Epiſcope corrige, quæ ſi velles, utiliùs præceptoria virga caſtigaſſes.*

D. Ephr. paræn. 6.

104 Eſt illud ad extremùm commendabilis obſequii genus Principes maximè decens, illis omnimodè prodeſſe, ac benefacere, quorum aliquali opera utcunque profeceris. Quo in genere, neque generoſi Principis expectationi, neque ſuis Magiſtris, Medicis, & Confeſſariis Theodoſius unquam defuit. Parenti Sereniſſimo, quoniam aliter quandiu vixit haud potuit, eorum omnium de ſe merita recenſere; pro illis deprecari, eos ut meritis honori-

 bus,

bus, & muneribus, pro cujuſcunque captu, dignitateque afficeret, ſedulò, & inſtanter ſolicitare. Nec dubium quin maxima illis à Sereniſſimo Parente impetraret, longèque majora conferret,ſi unquam aut ſui omnino juris eſſe, aut Luſitano ſceptro potiri contingeret: ſuorum maximas ſpes, & ipſius ingentia vota uno velut ictu immatura, & inofficioſa mors præcidit. Pro ſuo tamen Magiſtro à Sereniſſimo Parente obtinuit,eum ut Egitanenſem Epiſcopum deſignaret; quam illi dignitatem, aliaſque, quibus ejus merita imminebant, intempeſtiva quoque illius fata invidere. Cæteros poſt obitum Theodoſii haud immemor Rex aut honoribus, aut redditibus auxit, non pro ſuis votis, ſed prout temporum, ex immenſis belli ſumptibus natæ anguſtiæ tunc ferebant.

105 Pro ſuo Confeſſario P. D. Andrea Ferdinando quem nactus eſt Japonenſem Epiſcopum deſignatum, major indies inceſſerat Theodoſium ſolicitudo. Virum illum eſſe per omnia magnum,& ad ſumma quæque factum quotidiano, familiatique ipſius uſu deprehenderat. Et quidem, ſi naturæ, artiſque dotes ſpectaret; indolem auream, planèque cœleſtem,ingenium præcellens, ſacræ Theologiæ, Philoſophiæ, Rhetoricæ, totiuſque humanioris literaturæ diſciplinis excultiſſimum, in pauciſque celeberrimum; judicium tandem ſingulari prudentia præditum expertus fuerat: ſi reliquas virtutes morales attenderet, magnanimum, conſtantem, urbanum, induſtrium, amantem omnium, nullis, etiam æmulis infenſum, eòque univerſis vulgò gratioſum agnoverat: ſi religioſarum denique virtutum documenta, quæ in eo in primis eminebant curioſè obſervaret, religionis, fidei, ſalutis animarum, publicæque reformationis ſtudioſiſſimum, eundem humilem, moderatum, manſuetum, totiuſque perfectionis tum Chriſtianæ, tum Monaſticæ animatum exemplar intuebatur. Ea propter illum ſibi, curiæ, univerſoque regno utiliſſimum fore judicabat, ſi ejus opera, & conſiliis uti, eumque apud ſe perpetuò habere liceret. Sed quia obſtabat præſens ipſius ad Japonenſem Epiſcopatum à Rege olim facta nominatio, futuraque aliquando ad eas adeo diſſitas regiones profectio, cæpit ſecum Princeps ſedùlo reputare; mox cum Sereniſſimo Parente, pauciſque admodum aliis prudentibus aulicis, apud quos non minori quàm apud Principem ejus Confeſſarius erat æſtimatione; conferre, qua poſſent virum tot dotibus, & virtutibus inſignem adeo indiſſolubili vinculo Ulyſſiponenſi Curiæ, cui tam eſſet utilis, devincire, ut ex ea, etſi maximè vellet, nunquam poſſet avelli? Nec fuit difficilè facilem reperire viam regis, & Principis conatibus adimplendis: ſedit nempe inter eos revocata priori Japonenſi nominatione denuo præficiendum Confeſſarium uni ex duabus maximis dignitatibus Eccleſiaſticis, quæ per id tempus Ulyſſipone vacabant; utranque licèt ex ſe magnam,at maximi viri meritis haud majorem judicandum; ſic & publicæ utilitati, & privatæ Principis voluptati ægrè ferentis à ſuo unquam Confeſſario diſſociari, ex æquo morigerandum.

106 Haud multùm aberat, quin ſecreto concilio concepta deliberatio in publicum emanaret; cùm data opera unus ex intimis Theodoſii,ejus conſilii conſcius Confeſſario nihil tale ſomnianti, nedum cogitanti exultans aperir, quid de illo Princeps cogitaret; quid Rex ipſe decerneret; gratiſſimum fortè reputans ei hujuſmodi fore adeo inſperatum nuntium; pro quo ſibi,& meritas grates, & majoris deinceps benevolentiæ argumenta deberet rependere.

re. Expavit primò religioſus, verèque humilis vir adtantæ dignitatis men-
tionem ; mox virum ſibi ex longo familiarem amicè compellare ; cur ſibì
vellet illudere, re prorſus incredibili commemorata? Cur ſe tam credulum
haberet, ut manifeſtis figmentis, ad imponendum ſuæ innocentiæ, ab ali-
quo nimis otioſo compoſitis fidem à ſe habendam crederet? Verùm cùm
idem certiſſima ſe referre ſemel, atque iterum ſeriò proteſtaretur, liberam-
que dubitanti adeundi Principem (à quo indubiè miſſus fuerat) exploran-
dæque veritatis faceret poteſtatem; ad illum è veſtigio contendit certus ip-
ſius conatus (ſi fortè veri eſſent) aut efficacibus expugnare rationibus, aut
ſe qualibet alia ratione propugnare. Igitur Principe, ad quem ſibi liberri-
mus patebat aditus, comiter ſalutato, ab ipſius mox familiari, ſed nova re ſa-
lutatione, inviſam ſibi eam dignitatem exprimente, certior factus eſt vera
omnino eſſe, quæ ſibi aulicus ille amicus retuliſſet. Tunc ea, qua pollebat
apud Princìpem gratia, & auctoritate conquerenti ſimilis, non minùs do-
lenter, quàm urbanè ita eundem cæpit expoſtulare: *Itane mi Princeps, cum ſuo
agit Confeſſario Veſtra Celſitudo! Ita Macariopolitanum ſuum tractat?* (ſic frequen-
ter, ut dixìmus, apellare ſolitus Princeps ſuæ Macariopolis, ſive civitatis be- Lib.1.§. 249.
atæ à ſe conditæ concives ſibi acceptiſſimos) *Quis crederet adeo graviter, a-
cerbèque, me inſcio, & inaudito de me ipſo, meaque religioſa exiſtimatione à Sapientiſ-
ſimo, humaniſſimoque Principe ſtatuendum? Quorſum hæc tam vehemens, & querula
expoſtulatio mi Epiſcope? (quærit ab eo Princeps) Ediſſere quæſo, nec me plus nimiò
ſuſpenſum ex tuo mihi inſperato dolore, pergas ulteriùs excruciare.* Tunc ſic optimus,
prudensque Confeſſarius.

107 *Dignetur quæſo Veſtra Celſitudo ſibi perſuaſum habere hujuſmodi de me ſuſcep-
tum conſilium eſſe Deo inprimis, cui tantopere Veſtra Celſitudo placere ſatagit, valde in-
gratum, ſocietati meæ, quam adeo ardenter diligit, multùm exitiale; idem neceſſariò
fore univerſæ Nobilitati Luſitanæ, cæteriſque religioſis ordinibus, quorum ſtudiosè ha-
benda ratio eſt, nimis injurium; propterea que mihi maximè indecorum, & invidio-
ſum. Eſt quidem ingratum Deo, qui olim Sanctiſſimo Parenti meo Ignatio Author fuit
ſolemnis voti à profeſſis Patribus emittendi, quo tenemur omnes quamlibet etiam mi-
norem, ne dum tantam dignitatem tota contentione recuſare, ſicque ambitioni certiſſi-
mæ cujuſque religionis peſti oſtium præcludere. Ideo eſſet exitiale Societati, quæ iniquè
feret, immò non patietur tantum, & tam lethale ſibi vulnus infligi, palamque tum hìc,
tum Romæ non ceſſabit ſummis, & demiſſis precibus urgere Sanctiſſimum; mox Sereniſ-
ſimum Regem, ſimulque Veſtram Celſitudinem, pro ſui adeo laudabilis inſtituti exacta
obſervatione, donec voti demum compos fiat. Acceptare ſolet minus gravatè Societas
aliquot ultra marinos Epiſcopatus, quibus nulli annui redditus, niſi quotidiana laborum,
& frequens periculorum pro ſalute animarum exantlatio: at vel ipſos non niſi ſub obe-
dientiæ præcepto cogente Sanctiſſimo. Ab Europeis eadem dignitatibus omnino abhor-
ret; tandiuque divina, & humana æſtimatione ſe dignam judicat, quandiu hiſce digni-
tatibus omnes omnino aditus habeat obſeratos. Iam verò qualis, quantaque inferetur
injuria tum univerſæ Nobilitati Luſitanæ, tum cæteris Religioſis ordinibus? Quis erit
eorum omnium certè juſtus dolor, ſi tot eximiis viris illuſtri proſapia, virtute ſapien-
tiaque præcellentibus præteritis, videant humilem quendam Religioſum ex minima So-
cietate omnium minimum, nulla nec majorum aliena, neque meritorum propria commen-
datione conſpicuum, immò ea dignitate ampliſſima manifeſtè indignum præferri? Quis
verò tunc mihi erit circunſpicienti talia ſenſus, quis pudor adeo indecorus, cùm me vide-
ro bonis omnibus odioſum, ab univerſis ordinibus mea demerita probè agnoſcentibus ex*

ſibila-

ſibilatum? Quis mihi mortalium ambitioſiſſimo, abutentique ſumma V. C. in me gratia hocce opprobrium non tribuet, ac exprobrabit? Nemo certè adeo inſolens beneficium mihi non illud ambienti collatum exiſtimabit: ſi hac tam execrabilis nota meæ inuratur exiſtimationi, quomodo tali apud omnes nomine malè audienti mihi licebit coram palatinis, coram Celſitudine Veſtra, quod pluris facio, comparere? Plura pergentem dicere, ac tandem tanti honoris intolerabile onus deprecari, præ nimio dolore ubertim effuſæ lacrymæ non indecoræ intercepere; quarum tamen cùm longè major ſit, quàm verborum eloquentia, iis demum expugnatus Princeps, bono illum animo eſſe jubet, nihil ſe invito exequutioni mandandum; ſe ſuſcepti conſilii, ejuſdem revocandi Authorem fore pollicetur. Exit à Principe inter ſpem, ac metum gratulabundus; intentatum tamen ſibi laqueum contritum, ſeque ab eo liberum jam præſumens, ideoque longè hilarior, quàm plurimi alii forent, ſi eodem implicarentur. Exponit Princeps Sereniſſimo Parenti ſui Confeſſarii expoſtulationem; mirantur humillimi viri, quem torquere ulteriùs, ſericis licèt funiculis, non oporteret, generoſam modeſtiam, ſublimium honorum contemptricem, eumque deinceps pergunt, non ſolita modò, ut hactenus benevolentia, ſed inſolita proſequi veneratione.

108 Illud interim minimè ſilendum, quod æterno involvi ſilentio prudens humillimusque Confeſſarius maximè curavit: nempe pro recentis, ac ſummi erga ſe beneficii complemento à Principe impetravit, ut hujuſce negotii conſciis inviolabilem imperaret taciturnitatem: è republica, privataque tum Regis, tum Principis eſſe auctoritate, ne poſſet quis ſuſpicari de re tali, tantaque cogitatum unquam, ne dum deliberatum. Non miror quòd Confeſſarius profundæ humilitatis, & pluſquam Harpochratici vir ſecreti, quandiu vixit, ne intimo, & familiariſſimo ſibi aut palam revelarit, aut ſaltem rem ſibi adeo decoram inſinuarit: mirandum potiùs quòd tantæ rei conſcii, etſi viri graviſſimi tandiu ſe continere potuerint, quin tàm memorabile monumentum, felici adeo exitu explicatum, illudque non minùs Principis liberalitati, quàm Ipſius Confeſſarii victrici humilitati glorioſum evulgarint, meritisque panegyricis celebrarint. Verùm tenebantur illi ſumma Principis, & Confeſſarii reverentia; poſt utriuſque obitum, mihi de rebus Principis curioſè à ſingulis inquirenti, paſſimque aliis iidem voluptuoſè retulerunt, inter alios id non ſemel audivi à Joanne Nonio à Cunia, à Ludovico à Souſa, & D. Didaco à Sylveyra intemeratæ fidei viris illuſtriſſimis. Ipſimet quæcunque ſe daret opportunitas præterita recolendi, ſummis ad cœlum præconiis efferre, tum Principis in ſuo, pro meritis, exornando Confeſſorio liberaliſſimam ſedulitatem, tum ipſius Confeſſarii ad maximos declinandos honores maximam dexteritatem; in hoc uno ejus facto plurima illuſtrium virtutum lumina ſuſpicientes; prudentiam in primis, qua ita ſe geſſit, ut ejus repulſa inoffenſis Rege, ac Principe talem ſibi dignitatem conferentibus, eo ipſo magis ſe illis probaret, intenſioremque deinceps, utriuſque ſibi amorem, gratiamque minimè ingratus tanto beneficio, conciliaret; cùm maximè viderent, in eo repudiando habitam à Confeſſario ipſorum potiùs auctoritatis apud cæteros præteritos periclitaturæ, quàm ſuæ præcellentis gloriæ rationem: mox eximium erga dilectiſſimam ſibi Societatem amorem, cujus inſtituti exactam obſervantiam, & Principis gratiæ, ſi fortè offenderetur, & ſuis præhabuit utilitatibus: prædicandam tandem egregii Viri modeſtiam

tiam tantùm honorem animosè, conſtanterque repudiantis, quæ una virtus etſi cæterarum ornamenta deeſſent, dignum eum redderent longè amplioribus dignitatibus. Ad extremùm eruditè illi repetita magni Alexandri, ejuſque Parentis Philippi memoria dicebant, in ortu magni Alexandri Regis olim Philippi ſummæ felicitati gratulatos amicos; quòd eo maximè tempore illi natus eſſet filius, quo ſub Ariſtotelis tunc celeberrimi diſciplina poſſet laudabiliter educari; at multò feliciorem habendum Sereniſſimum Regem Joannem, cui divinitus contigerit filius Theodoſius ſapientia, & virtutibus magno Alexandro longè major, meliùs inſtituendus à tali Magiſtro, ſimul & Confeſſario, qui Ariſtoteli ſolius antiquitatis prærogativa facilè decederet, eundem in cæteris aut æquaret, aut longè præcederet.

109 Similem de ſuo Confeſſario conceperat opinionem Theodoſius novis indies incrementis majorem, maximè poſtquam memorabili eo exemplo ſe ſupra ſe ipſum altiùs elevavit. Hinc multò indulgentiùs eum deinde habere, illius monitis obſecundare libentiùs, omnique ratione illius apud omnes auctoritatem dictis, factisque promovere. Igitur quia concepti ſemel voti adhuc tenaciſſimum, eccleſiaſticisque dignitatibus omnino impervium illum expertus fuerat, eas ipſius conſanguineis conferre deliberat, in quibus ornandis fruſtratam in eo ſuam liberalitatem expleret. Geminos illi eſſe germanos fratres præsbyteros ſeculares acceperat, honorabiles ſanè viros, genuinæ virtutis multiplici commendatione, quæ apud Principem præcipuum ſemper locum promeruit, fratri ſuo perquàm ſimillimos. Utrunque primis, quæ ſibi vacarent eccleſiaſticis beneficiis ex pinguioribus amplificare certum illi erat. Brevì ſe dedit Principis votis, & expectationi ſatis opportuna occaſio; cùm certior fieret in ſuo Brigantino Principatu ampliſſimum omnium ſui patronatus eccleſiaſticum beneficium proprietarii morte vacuum à ſe oportere providendum: jubet ergo è veſtigio arceſſiri Confeſſarium, ab eoque mirificè lætus inquirit, cui non ex duobus fratribus velit illud à ſe beneficium impertiri? Ad Principis adeo munifici pedes corruit venerabundus: ac primò quàm poteſt cumulatiſſimas grates reddit, pro tam ſedula erga ſe, ſuosque immodicis honoribus cumulandos ſolicitudine: mox impetrata ſuum in illius beneficii collatione conſilium explicandi venia, commemoratis ampliſſimi tanti beneficii copioſis redditibus, tale, ac tantum illud eſſe demonſtrat, ut ejus largitione poſſit, ac debeat Sua Celſitudo magnum aliquem, & valde benemeritum virum, ſimulque univerſam ipſius proſapiam ſibi arctiſſimè devincire; ita præſentem regni ſtatum; ita juſtitiæ commutativæ leges ad longè digniores æquam trutinam inclinantis; ita demum tanti Donatarii, cujus prima ea foret alicujus momenti collatio, dignitatem poſtulare, omnium oculis ad primas magni Principis actiones intentis, quas eas oporteret eſſe, ut omnes publicè laudarent, nemo etiam ſecretò poſſet jure reprehendere. Suos deinde fratres minoribus aliis beneficiis facilè contentos fore, abundèque locupletandos; non expedire illos interim, ſeque in primis magnatum benemeritorum id beneficium attendentium invidiæ, murmurique objicere. Si demum ſalubriter conſulenti dignetur annuere Princeps, ut ex conſultiſſimo ipſius judicio ſperare liceret, longè gratiùs id ſibi fore, majusque beneficium ab eo certè accepturum, quàm ſi tantum beneficium in aliquem ex ſuis fratribus conferretur. Id tunc fuit humillimi, eòque maximi verè illius viri conſilium, etſi Principis judicio, volunta-

luntatique contrarium, maximi quidem ab eo habitum, nec minoris à Sereniſſimis Regibus, aliiſque, quibus Princeps, denuò admirabundus revelavit Confeſſarii ſui verus ubique prædicator, & eximius æſtimator; cujus etiam tunc prudenti conſilio invitus licèt acquievit, certus in omnibus obtemperare; blandè tamen apud illum conqueſtus, quod non ſemel ſua liberalitas ipſius invictæ ceſſerit humilitati.

110 Non dubito quin alicui fortè humana, quàm divina politica inſtructiori viſus tunc fuerit, etiamque nunc videatur plus nimiò juſtus Confeſſarius, planèque inurbanus, recuſando toties pro ſe, ac ſuis fratribus tam copioſas eccleſiaſticas dignitates, ſibi à Principe adeo libenter, liberaliterque oblatas, eò maximè, quia non propterea inhærentem perpetuò Principum gratioſis invidiam devitavit, immò eadem multorum degeneres animos ſtimulante, multas, & graviſſimas tulit conſtanti quidem generoſitate perſequutiones, etiam ab iis ſibi valde oppigneratis, quibus venerabilior eſſe oporteret. Certè ſi prudenti adeo viro adhuc ſuperſtiti hæc, & ſimilia objicerentur, nihil à religioſo, & cunctis nominibus commendabili propoſito dimoveretur; immò quod ſemel, atque iterum effecit tertiò, & millies non minus laudabiliter perficeret. Indubiè conſtat poſt obitum Sereniſſimi Principis, & Sereniſſimi ejus Parentis, Regni habenas tractante Sereniſſima Regina, cui æquè, atque Filio, & Conjugi erat acceptiſſimus, vacaſſe in ejus privato Regio patronatu ſatis pinguem Prioratum in Obidenſi Oppido, quem illa ei libenter obtulit, libentiùs ille ſimilibus uſus rationibus recuſavit, injecta honorifica mentione viri cujuſdam nobiliſſimi optimè de Sereniſſima Regina meriti, ejus obſequiis per longam plurium annorum ſeriem ſumma fide addictiſſimi, cujus tandem filio Prioratum illum contulit pro eo, adversùs proprios fratres intercedente ipſo Confeſſario: qui ea propter neque Principi, neque Sereniſſimis ejus Parentibus, neque prudenti cuiquam rerum æſtimatori viſus eſt aut ingratus, aut inurbanus, ſed maximè venerandus, & inter inclytos Heroes Chriſtianæ reipublicæ, de quibus ſimilia celebrantur, ſummo jure adnumerandus. Idem credo judicabunt cum hæc legent, prudentes ejus fratres, & conſanguinei propriis, etſi maximis utilitatibus eximias adeo glorioſi viri virtutes præhabentes. Illius tandem æmulis, ſi qui fortè fuere, reſpondeat prudens Lyricus: *Virtutem incolumem odimus, ſublatam ex oculis quærimus invidi.* (Orat. l. 3. carm. ode. 24.) Fulminat quidem invidia, quos fama ſolito altiùs evehit, ſed virtuti laureatæ lauri virtus ineſt, cui fulmen minimè nocet; ſola fulminantis nubis certò rumpuntur viſcera; in terras ſæpe fulmen innocuum cadit. Nihil unquam obfuit, ſæpe multùm profuit invidia ei qui invidetur ad nominis celebritatem. Non ſiſtit currentem lunam rabidæ canis invidus latratus; ſolùm efficit ut latratum audientes currentem eam, & fulgentem animadvertant. In memoria æterna erit juſtus, de illoque in poſthuma fama magnificè glorioſa prædicabit; de invido vel tacebit muta omnino, vel de illo maximè probroſa evulgabit. Prudentis, & moderati viri laudabunt multi ſapientiam; utinam æmulentur omnes, inter quos æmulari mihi viſum eſt Theodoſium ſui Confeſſarii laudes ſæpe proferentem, illiusque conſiliis ſemper obſequentem.

CAPUT X.

Principis Theodoſii Chriſtiana, & generoſa humilitas.

111 OBedientiæ filiam humilitatem, matre pulchra certè pulchriorem ab ea ſejungere nefas duxerim: virtus hæc antea ignobilis, Ethnicis vel ex nomine penè ignota; à Chriſto nato, ipſiuſque deinde magiſterio cæpit inclareſcere, ac ſummis Principibus in honore, ac veneratione eſſe: nulla quidem eſt quæ Principem magis deceat, cùm ſit nulla ſublimi ejus faſtigio difficilior. In ſummo loco poſitum (ut inde ordiamur) non efferri difficillimum eſt; ex alto inferiores non deſpicere miraculum; paucis contigit vanis frequentium adulationum flatibus minimè inflari, ac evaneſcere: rarò inter tot obſequia, & officiorum blandimenta ſatis cauta eſt humana fragilitas, quominus intumeſcat. Hujuſmodi raram in terris avem, planèque miraculoſam extitiſſe Theodoſium avitæ gloriæ faſtigio nuſquam elatum, propriæque fortunæ ſummis incrementis nec tumidum, nec evanidum verè dixerim; in quem non minus aptè, quàm in modeſtiſſimum Principem Trajanum convenit, quod ſuus illi Panegyriſtes attribuit: *Nec quidquam mutavit in te fortunæ amplitudo, niſi ut prodeſſe tantundem poſſes, ut velles.* Plin. in paneg. Nullam certè habet cauſam, at plurimas occaſiones ſuperbiæ Princeps. Illum idcirco nihil tam decet, quàm humilitas, cujus exhibitione ſapientem, generoſum, laudabilem, omnibuſque amabilem ſe prodit. Quid ſapientius, quàm Deum bonorum omnium Authorem, ac ſe ipſum omnium egenum, nihil ex ſe, à ſolo Deo cuncta ſibi eſſe, ideoque ad illum referenda cognoſcere? Id una præſtat ſapiens humilitas. Quid generoſius, quàm ſuperbiam exitialem cujuſque monarchiæ peſtem, multarumque proditricem invicto humilitatis auxilio ſuperare? Quid illuſtrius, quàm objecta illiuſmet parma venenatis tot adulatorum ſagittis ſe præbere inſuperabilem? Quid honeſtius, quàm inanis tandem gloriæ, cui tot olim Heroes inclyti, magnique appellati turpiter ſuccubuere, aucupium inſectari, veramque ſolis virtutibus inhærentem ſectari? Hujuſmodi Principem verus honos virtutum aſſecla, qui ut umbra corpus, fugientem ſequi ſolet, meritis laudibus, & amore univerſi proſequentur. Quæ præmitti oportuit, ne Theodoſii commemoranda humilitas ipſius generoſæ magnanimitati, ſapientiæ, publicive amoris opinioni aliquibus rerum imprudentibus officere videatur.

112 Et tamen non poſſum hic non conqueri de ſumma Theodoſii humilitate, quæ nos maximarum ejus virtutum notitia plus æquo fraudavit: vix adhuc eam haberemus, quàm poſt ejus obitum aſſequi magno labore potui, niſi dum in vivis ageret curioſi aulici, quibus propterea multùm debemus; univerſis ejus actionibus obſervandis ſedulò invigilarent; ita iiſdem occultandis, ne humano quantumvis perſpicaci obtutu deprehenderetur, miram induſtriam collocabat: ſit hoc primum ipſius ingenioſæ humilitatis ſpecimen, cujus ingenium Theodoſii genio ſimillimum elegantiſſimis explicatum ſententiis liceat ex divite, ſed abſcondito in noſtræ Societatis olim Theſauro, proferre: *Hæc* (inquit) *miracula patrat Humilitas vera Thaumantis, ſapientum magiſ-* Em. Theſ. in eloge Eliacim & Azor.

magiſtra, nil ſcire docens. Hæc ſuis elementariis in arcanum ſevocatis; ubi nec tuba fremit, nec turba Pithagoreum inſuſurret, ſilere hic & ſileri, infra ſe omnia ponere, ſe infra omnia. Denique ſe intra nihilum totos claudere. Ita nemini notos niſi ſibi, ſuos nihilo, ut Philoſophali palliolo involvit; Ac ſophos demum proclamat, cùm nihil ſciverint, niſi nihil. Hæc Meſſiæ deſtinata educatrix ipſum nihilatura, qui omnia fudit è nihilo Pædagogiæ experimentum in Proavis facit, quos latebreſcere jubet; ut ignotus ex ignotis naſcatur Deus. Talis profectò Theodoſius neſciri amans, in hoc uno tam inſcitiæ alienæ, quam propriæ ſcientiæ ſtudioſus; ne buccinatrix Fama ingrato ſtridore ipſius aures verberaret, veſtigia virtutum haud leviter impreſſa confundere; ne ſe mortales ſuſpicerent, ſe ipſum deſpicere; atque ut divino ſoli oculos unicè admoverent, radios ipſe ſuos objecta humilitatis nube occulere. De illa etſi meritò conqueramur, ne illa de nobis viciſſim juſtiùs poſſit conqueri, æquum eſt, ut quam ipſa lucem abſcondit, & ſub modio poſuit, ſuper candelabrum exponamus, ut luceat omnibus, qui in domo ſunt. Nonnulla jam alibi hujus generis argumenta edidimus iiſque jam proferimus jure ſuo aſſocianda.

113 Pueritia non dum exceſſerat Theodoſius, cùm ab ingenuis pueris ſibi colludentibus in patenti, ut ſæpe diximus, regii palatii area ſæpius recederet, ſolitas ſibi quotidianas preces vel in ſecreto conclavi, vel alibi recitaturus. At ne quis eorum abeuntem proſequeretur, vel quò iret, quidve demum ageret curioſiùs obſervaret, divertere ſe ad Sereniſſimas Sorores dictitabat; & quidem obiter divertebat, ne à veritate vel leviter deviaret; at mox aliò abibat diurnum orationum penſum rite obiturus, longèque voluptuoſiùs cum Angelis, quàm coævis pueris exultaturus. In eo tamen humilitatis artificio, ſuis celandis piis conatibus à Theodoſio excogitato, ſub honeſto Sereniſſimas Sorores conveniendi prætextu illud obſervandum judico; licèt aliquando eas non adiret, nunquam à verò abiiſſe, cùm ad exercendas Chriſtianas
Mat.12.50 virtutes, quas verè poſſet appellare Sorores, diverteret. Si enim Chriſtus Dominus eum, qui faceret voluntatem Patris ſui veriſſimè appellat ſuum fratrem, ſororem, & matrem; cur Theodoſius verè non appellaret ſorores virtutes ſibi dilectiſſimas? Natu grandior, virtutibusque indies provectior
Hic §. 169 & 170. plurima horarum ſpatia (ut infra dicemus) quotidie mentali orationi deditus ſuaviſſimè impendebat, verùm ita ſe gerere, ut aulicis, Cubiculariiſque perſuaſum vellet, ſe interim liberalibus ſtudiis vacare, aliquoſque libros volutare; cùm interea unicum tantùm librum ſcriptum intus, & foris lectitaret, in ejusque lectione, ac dilectione, cæteris liber curis deliciaretur. Immò quò liberiùs Deo ſibi frui liceret, eum, qui ſibi erat à clavibus Antonium Rodericum Almeydam veritatis conſcium, cui maximè fidebat, poſt oſtium, quandiu oraret, ſubſiſtere juſſerat, ut venientes arceret monitos Principem ſuis vacantem ſtudiis nolle ab aliquo conveniri. Semel à cæna in ſacrum odæum, ſolito demore, diuturnis precibus indulturus præcedentem Principem ſequebatur illius hebdomadæ Cubicularius; tunc inquirenti curioſè Sereniſſimo Parenti, quò iret Princeps, quid ve nocturnis illic ageret horis? Reſpondit P. Joannes Piſſarro, qui fortè ibi aderat; ſe, cùm abiret Princeps, expoſiturum. Id cùm audiret è longinquo Princeps, compoſito ad ſeveritatem vultu, ad eum converſus, quàm ſibi hoc foret ingratum indicavit, digitisque ori admotis ſilentium indixit.

114 Idem nonnulla olim eventura, quæ quidem poſtea evenere multò

anteà prædixit; nimirum, citò ſe periturum; ingens ſub annum decimum nonum ſuæ ætatis ſibi periculum imminere; ſororem Sereniſſimam Joannam minùs aptam eſſe; Sereniſſimam Sororem Catharinam longè aptiorem Britannico, de quo tunc agebatur, connubio, & plurima nonnulla: vera omnino illum prænuntiaſſe, de his omnibus ſubſequuta non multò poſt citiùs, aut ſeriùs experientia compertum eſt: at quærentibus interim, unde futura uni Deo nota ipſe prænoſceret? Ne quis divinitus fortè ab illo accepta ſuſpicaretur, ad aſtrorum factam à ſe obſervationem, & ad mathematicæ peritiæ, in qua eximius ab omnibus habebatur, commendationem cuncta referebat; naturalis potiùs mathematicæ minoris faciendæ, quàm ſupernaturalis intelligentiæ pluris æſtimandæ opinione prælecta. Adde quòd, non virtutes modò, & ſapientiam, ſed ipſum quoque proprium nomen virtutum indicem, & ſapientiæ vindicem ſub obſcuro anagrammatis involucro abſcondit: nempe iis, quos condidit libros, vel tractatus non Theodoſium, ſed Doſitheum inſcripſit; ut vulgus inſcium ab alio, non à ſe ſcriptos crederet; ſapientes, quia omnia Deo totius ſapientiæ fonti adſcribunt, ei ſoli honorem, & gloriam attribuerent. At non contentus ſub anagrammatis ſigillo ſuum nomen celare, illud quò eſſet occultiùs græcis characteribus ex ſe reconditioribus exarabat. Divinum Principem Chriſtum Dominum Deum verè abſconditum, qui ſe reconditæ humilitatis Magiſtrum profeſſus eſt, divinis illis verbis *Diſcite à me, quia mitis ſum, & humilis corde*; ſe diſcipulum diligentiſſimum profiteri ſatagebat. Ideo non qualemcùnque humilitatem, ſed eam quæ cordis, eique maximè cordi eſt, in primis ſeduliori ſtudio æmulabatur. Unde ut humanum cor cæteris mortalibus inacceſſum ſoli Deo patet, qui ſecretas illius cogitationes, abditaque conſilia unus penetrat; ſic inſtar cordis, immò illi ſimilis, de quo à Samuele dictum *Quæſivit Dominus ſibi virum juxta cor ſuum* ſolius Dei oculis humanum cor unicè intuentis ſua conſilia, & benefacta patère optabat, eadem humanos oculos prorſus latère, ac de ſuis geſtis apud mortales nihil certò conſtare voluit, niſi nihil. Mat.11.29. 1.Reg.13.14.

115 Hinc ſumma ipſius Principis ab humanis laudibus alienatio; tam oderat laudari, quàm alii amant; nec minùs ab encomiis abhorrebat, quàm multi à vituperiis; erubeſcere, ſiquis eum coram, ejus inſcius genii, laudibus aſpergere aggrederetur, ingenuoque rubore pudendum laudanti ruborem injicere; mox ſi vir eſſet magnæ auctoritatis, à quo laudaretur, ſermonem aliò trahere; aliàs panegyrica verba otioſitatis damnare, atque ab illis ut abſtineretur, modeſtiſſimè commonere; laudabilia perpetuò efficere, at ea coram ſe prædicari ægrè admodum ferre. Mirabatur, & meritò, quòd olim magni viri, maximique vulgò habiti tam afflictim incaptandis humanis laudibus deſudarent: adeo ut Themiſtocles inter Græcos celeberrimus theatrum petens, cùm interrogaretur, cujus vox auditu ſibi futura eſſet gratiſſima? Dixerit, *Ejus, à quo artes meæ canentur optimè.* E Romanis verò ſuperior Africanus Ennii poetæ effigiem in monumentis Corneliæ gentis collocari voluit, quòd ingenio ejus opera ſua illuſtrata judicaret. Brutus familiari cultu, & prompta laudatione Accii poetæ delectatus, ejus verſibus templorum aditus, quæ ex manubiis conſecrarat, adornavit: magnus tandem Pompejus Theophanem Mitylenæum ſcriptorem rerum ſuarum in concione militum civitate donavit; beneficium per ſe amplum accurata etiam & teſtata oratione proſecutus. Magnos alioqui eos viros (judicioſè Theodoſius admonebat) magnam ſuæ Valer.l.8.c.14.

 gloriæ

gloriæ labem intuliſſe; dum eam alienis laudibus, quas veræ magnanimitatis eſſet potiùs contemnere, quaſi ruinoſam, & inſtabilem fulcire tantopere adniterentur. Laudandi forent, ſi poetas, ſcriptores & quoslibet alios ſapientes viros aliena, non ſua commemorantes meritis honoribus afficerent: quòd ſecus fecerint, illorum ſe opera indigentes, eòque illis minores, nec propria virtute ſatis præfidentes præbuiſſe. Jam eos olim à prudente Seneca vanitatis damnatos: *Qui virtutem ſuam publicari vult, non virtuti laborat, ſed gloriæ*; vanæ quidem non veræ; vera enim gloria eodem teſte, *umbra virtutis eſt*, quæ fugientem ſequitur, fugitque ſe proſequentem.

Senec. ep. 114. & 79.

116 At in eo potiori jure reprehendendos Hiſtoricos ducebat, qui prudentes alioquin viri futilem illum, & immodicum vanæ gloriæ appetitum meritò ab eis incuſandum, non contenti excuſare, laudibus efferunt immoditis: & quod inglorium illis penitus eſſe deberet, in vera gloria ipſi reponunt. Quòd veteres illi Heroes tam avidè alienis laudatiunculis inhiarent humanæ fragilitatis vitio, etiam viros optimos ad inutilia, & peſſima propellentis, dandum foret: quòd verò egregii ſcriptores improbanda omnino probent inexcuſabiles quidem ſunt, & indecora pravi judicii nota ſunt à prudentibus inurendi. Ab eorum tamen numero expungendus Valerius vir maximus, qui citato proximè loco prudentium in primis judicio commiſſa ea celebri quæſtione, gloria unde oriatur? Aut cujus ſit habitus; aut quà ratione debeat comparari; & an melius à virtute, ac veluti non neceſſariò negligatur? Aliquorum obiter intemperantiam in captandis laudibus, ſectandaque gloriola non leviter increpat: Caii Fabii nobiliſſimi viri primùm, qui ſequutus exemplum Phidiæ Minervæ in clypeo ſuam effigiem ita includentis, ut ea convulſa tota operis colligatio ſolveretur; cùm in æde ſalutis, quam C. Junius Bubulcus dedicaverat, parietes pinxiſſet, nomen his ſuum ſcripſit; addit verò: *Cæterùm ſordido ſtudio deditum ingenium qualemcunque illum laborem ſuum ſilentio obliterari noluit.* Idem mox Ariſtotelis haud abſimile factum minoris in tanto Philoſopho faciendum ſimiliter reprehendit: *Is namque* (inquit) *Theodecti Diſcipulo Oratoriæ artis libros, quos ederet, donaverat; moleſtèque poſtea ferens titulum eorum ſic alii ceſſiſſe; proprio volumine quibuſdam rebus inſiſtens, planiùs ſibi de his in Theodectis libris dictum eſſe adjecit.* Adjicit verò Valerius: *Niſi me tantæ, & tam latè patentis ſcientiæ verecundia teneret, dicerem dignum Philoſophum, cujus ſtabiliendi mores altioris animi Philoſopho traderentur. Cæterùm gloria ne ab his quidem, qui contemptum ejus introducere conantur, negligitur: quoniam quidem ipſis voluminibus nomina ſua diligenter adjiciunt; ut quod profeſſione elevant, uſurpatione memoriæ conſequantur.* Quàm alius Theodoſius; adeo alienus ab aucupandis alienis laudibus, adeo eiſdem promerendis ſimul, & contemnendis intentus, ut proprii nominis laudabili diſpendio tribuenda Doſitheo, vellet opera, quæ Theodoſii forent illuſtriori titulo conſecranda. Certè ſi ad noſtra hæc tempora Tacitorum illuſtris familia derivata extaret adhuc, non abs re gentilitii Taciti cognominis illuſtrandi ergò illud Theodoſio adoptaret in ſuis tacendis rebus geſtis, & ſupprimendis laudibus Tacitos omnes facilè ſuperanti: de cujus propterea memorabilibus encomiis nulla unquam immemor poſteritas conticeſcet.

Valer. ibid ſupra.

117 Veris etiam laudatoribus infenſa, fictis adulatoribus multò ſe præbuit infenſiorem Theodoſii vera, & prudens humilitas: noverat vitium id omnino palatinum, aulæ indigenam, ibi natum, ac liberaliter educatum, cibis, & expenſis regiis innutritum, vel ab ipſius aulæ nomine aulicum nomen mutuatum; Adaulator enim perinde valet, atque Adulator: ut ærugo ferri, teredo ligni, acor vini, mucor panis, ſic adulatio aulæ proprium eſt vitium. Didicerat à Philoſophis illud definiri *Blandum inimicum*, qui omnigenis blanditiis inteſtinum, & crudele bellum aſſiduus, & quotidianus adverſarius ipſiſmet infert Regibus, & Principibus, à quibus indulgentiùs, & ſplendidiùs habetur. Idem non exteriora munimenta, & ſuburbia; ſed ſummam arcem per ſummam oppugnat audaciam; non admotis è longinquo bellicis tormentis, ſed è proximo adhibitis aſſentatoriis blandimentis: Igitur capitalis hoſtis caput ipſum aggreditur; nactusque faciles aditus per aurium poſtes ſibi perpetuò apertos illas molli demulcere ſuſurro, nunc regiis virtutibus, vitiiſque promiſcuè collaudatis; nunc vitiorum, quibus impenſiùs afficitur, nutrimenta ſuggerere; modò Regium amorem erga immeritos, odium adverſus benemeritos inflammare; modò ſibi, ac ſui ſimilibus regiam gratiam dicteriis plauſibilibus conciliare, aſſiduis aſſentationibus ſtabilire; ac tandem miris, quæ infinitum eſſet recenſere, artificiis regis animo illabi, nec ceſſare donec illum dementet, & penitus evertat, regis ipſius & regni communis Erynnis. Hos quidem fallaciarum nocentiſſimos artifices eleganter exprimit Petrarcha in hæc verba: *Sirenes cantu fallere dicuntur, illud verò non creditum; ſed compertum, ut quotidie blandis verbis homo hominem fallit; & ed ſummum ad fallendum voce aptiùs. Aranea, ut ajunt, antequam mordeat, & medicus linit, antequam feriat; & anceps, & mulier, quem fallere vult delinit; & prædo quem perimit, & polypus quem demergit, amplectitur: & quidem peſſimi hominum nunquam terribiliores ſunt, quàm dum ſe geſtu, & voce leniſſimos oſtendunt.* Hoſce hoſtes eò perniicioſiores, quò blandiores, aulæ viſceribus inhærentes eradicare; aula pellere, omneſque illis in poſterum aditus, & acceſſus tum apud ſe ipſum, tum apud Sereniſſimum Parentem includere præcipua erat cura Theodoſio, certo ſeparari etiam idque longo intervallo oportere Principem à fallaciſſimo choro adulantium, qui peſſima laudent, optima illudant, eaque peſte nihil in aula regum exitialius. Igitur cùm illi eſſet exploratum in aula univerſos aulicos etiam optimos nauticam, & piſcatoriam exercere, omnes expanſis totius induſtriæ velis ad unum illud intentos, ut regiæ benevolentiæ placidiſſimam, ſuiſque conatibus faventem auram colligant, qua leniter adſpirante portum denique tenere poſſint, ubi ſpes ſuas intuto collocent; eoſdem jactandis aſſiduè retibus, captandæ regiæ gratiæ, ex illaque uberi capiendo proventui deſudare; ipſos frequenter admonebat qua poſſent ratione faciliùs voti compotes fieri; ut nempe latentes ſyrtes, & extantes vitiorum ſcopulos devitarent; ſed in primis fallaces blandientium ſirenarum cautilenas ad certum naufragii exitum dulci cantu incautos nautas deducentium ſubterfugerent, nihil earum dulciſonis vocibus inſulſius ſibi; nihil illis poſſe accidere perniicioſius, ſi fortè illarum artibus circunventi, eaſdem æmulentur: retia ſimiliter ſua non doloſè implicita; ſed ſyncerè explicata jacerent,

D.Hier.l.2. adv.Pelag. c.9.

Petrarch. Dial.23.

non juxta littus, jactatis in illud ſuperfluis domorum impeditum, quò parvuli tantùm paucique adnatant piſciculi turpibus illiciis ineſcati, cæteris grandioribus, & ſapidioribus populi prætereuntis voces, plauſusque fugientibus; at in alto, cùm placidum ventis ſtabit mare, ipſumque tranquillo ſileat, diſcerent ab iiſdem mutis quidem, at auritis piſcibus promptiores eſſe ad audiendum ſalutaria, quàm ad loquendum inutilia, ſibique valde injucunda.

118 Sub ea metaphora Principum gratiam expiſcantium ad eamque remis, ac velis ad navigantium minimè contentus Princeps ſuis aulicis ingratæ ſibi, ab eisque deteſtandæ adulationis vile genium, & pericula indigitare; eiſdem erudiendis palam, & jam ſine parabolis de adulationibus nihili faciendis verba frequenter, eruditèque faciebat. Pernicioſam nempe adulati-
Curt. l. 8. onem, *perpetuum Regum malum eſſe, quorum opes aſſentatio ſæpius, quàm hoſtis evertit*. Adulatores aliud in ore, aliud in corde gerere; immò & in ore dulce vinum, in corde amarum, & noxium venenum; in facie laudare, à tergo ſub ſanare: Proditorem, & veteratorem idem eſſe atque adulatorem, amicum in
Laur. Juſt. de paup. c. 2. obſequio, hoſtem in animo. Unde rectè quidam: *Adulatores ut inimicos cave, corrumpunt fictis laudibus leves animos, & malè credulis mentibus vulnus infligunt*. Rectiùs Auguſtinus: *Plus perſequitur lingua adulatoris, quàm manus interfectoris*. Idemque *mavult pati ſupplicium, quàm adulatione conſequi beneficium*. Eoſ-
Aurel. Vict. in ejus vita. dem ex magno Conſtantino, appellare ſolitus ſorices, & tineas palatii pretioſa quæque arrodentes, & deperdentes; ex aliis aulicos canes, qui cauda adulantur, dum fruſtum projicis, cùm dederis abeunt; ſi petas, ringunt; item, curiales corvos in Principum, & magnatum oculos involantes, eosque ſuis aſſentationibus excæcantes. Aliàs adulationem ſolitus dicere, Lethale mulſum, melleam præfocationem, vel ponticam avem venenatum mel conficientem, quod comedentes illius dulcedine capti vita privantur; illos deinde aptè conferebat, Echo, ſpeculis, umbris, & chamæleonti; ut Echo, prolatas ab aliis voces reddentes, illis in omnibus annuentes: ut ſpecula, & umbræ, alienis figuris, & motibus ſe omnimodè acommodantes; ut chamæleon omnibus vitiorum, quæ laudant coloribus, excepto veritatis albo, veſtiri ſolitos. Adulatio blanda applaudit, omnibus *ſalve* dicit, prodigos vocat liberales, avaros ſapientes, laſcivos curiales, garrulos affabiles. Tandem adversùs malum adeo peſtilens, duplex adhibendum inter alia remedium ſuadebat; primum nolle laudari, quo ſubtrahitur materia, qua talis ignis alitur: ſecundum, ſi palam oſtendas adulatores tibi eſſe odio: itaque verbis exagitandi ſunt, quem admodum Alexander Severus abjici, & cachino excipi volebat: Ladiſlaus Poloniæ Rex colaphis eos excipiebat, egregio elogio, Percutientes me repercutio. Similiter Sigiſmundus Imperator adulatorem colapho cecidit; eidem verò dicenti Cur me cædis? Reſpondit Cur me mordes? Acerbiùs Heliogabalus; qui riſum toti imperio movit, cùm paraſitos roſis opprimeret, aut rotæ aquariæ illigaret, ut per voluptates occideret, qui per dilicias Principum vitam impeterent. Utroque remedio uſus eſt moderatiùs Theodoſius, propriis laudibus repudiatis, adulatores humilitatis, cæterarumque virtutum hoſtes, ſuperbiæ, vitiorumque omnium incentores ab aula prorſus exterminandos ſæpè coram ſuis aulicis proteſtatus. Non prætermittendus hîc Theodoſii Panegyriſtes eleganter ejus genium à laudibus, & adulationibus abhorrens ita delibans: *Cæterum* (inquit) *cùm omnia facias, ut laudari debeas, nihil*

tamen facis ut lauderis, multò plus erubeſcis à laude, quam rubeſcis à purpura. Vſque adeo incorruptas ſervas aures adverſus blandientes, ut penes te malè audiat, qui eblandiri audet.

119 Præterea quod etiam eximiæ in Principe humilitatis eſt, cum humillimis quibusque libenter, & familiariter agere, ſequè longè dignitate ſuperiorem ſuis clientibus æqualem, & quaſi unum ex illis habere ſolitum Theodo-
ſium diximus non ſemel, cùm ejus ad Elvios, & Cetobrigam profectionem Lib. 1. 42
memoravimus. Siquis eum ex infima plebe adiret, ab eo multa rogitare, 314, &
cum eo longum ſermonem humaniſſimè protrahere, divinumque in eo ge- 393.
nium æmulari, de quo ſapiens: *Cum ſimplicibus ſermocinatio ejus.* At in primis Prov. 3, 32
Divini Principis Chriſti Domini ſummam ſibi æmulandam humilitatem decreverat: & quidem ex omnibus illius virtutibus hæc una ipſius animum acrioribus excitatum ſtimulis ad ſui amorem pariter, & æmulationem ardentiùs incendebat; maximè cùm Apoſtoli verba tacitus ſecum, & admirabun-
dus expenderet: *Qui cum in forma Dei eſſet non rapinam arbitratus eſt eſſe ſe æqua-* Ad Phil. 2.
lem Deo; ſed ſemetipſum exinavit formam ſervi accipiens in ſimilitudinem hominum n. 6. 7. & 8.
factus, & habitu inventus, ut homo: Humiliavit ſemetipſum factus obediens uſque ad mortem, mortem autem crucis. Hujuſce adeo ſtupendæ humilitatis æſtimatione ſuſpenſus ſe ipſum pariter exinanire optabat, infra infimos quoſque ſe dimittere, eique ſe conformare, qui cùm eſſet omnium dominus, formam ſervi accipere, ut immerentes ſervos redderet Dominos, minimè dubitavit. Nec intra vota, humillimique cordis penetralia tantùm res tanta delituit: ſæpe foràs exiit, conceptaque intus humilitas ad externas humiliationes erupit. Cum nonnullis pueris ingenuis, quos virtuti addictiores deprehenderat adhuc Puer ſe frequenter Theodoſius in quædam palatii ſecretiora latibula ſubtrahebat, vel ſpiritualibus legendis libris, vel ſimilibus exercitiis tempus utiliter collocaturus: hìc injecta nonnunquam Chriſti Domini humilitatis mentione, ſocios adhortari, ut quà poſſent eam aliqualiter in ſe ipſis exprimerent; mox humi ſe proſternens, & vel humili corporis habitu ad ulteriora extendens ſe ipſum, rogare commilitones, ut ſe ipſum tranſcenderent proculcarentque, impoſito pede ſupra ejus pectus; Illis verò imperata exequentibus dicebat Princeps: *Sit hæc humilatio in honorem humilitatis Domini noſtri, qui Princeps gloriæ cùm eſſet, adeo pro ſalute noſtra ſe humilem exhibuit, nobis relinquens exemplum, ut ejus veſtigia ſubſequamur.* Non dubito quin ſi aliquis è palatinis, terrena ſapiens hæc è longinquo ſpectaret, jacentemque Principem Theodoſium ſuorum pedibus ultro proculcatum aſpiceret, vel riſu, vel acerbiore fortè cenſura puerilia hujuſmodi exercitia damnaret: verùm eadem ſuſpicientes ab Empyreo Angeli cœleſti plauſu interim excipiebant, dignumque divinis ipſius Chriſti Domini oculis ſpectaculum ſibi mutuò de ſumma noſtri Principis humilitate gratulantes, judicarent: Hæc verò documenta (ne quis dubitet) ab uno eorum, qui adeo humiliato Principi non ſemel inter fuere, accepi, qui poſtea Societati noſtræ nomen dedit; quæ illic à Theodoſio didicerat liberiùs, at non in cænobio voluptuoſiùs, quàm in palatio Ille, proſequuturus.

120 Admirandæ quidem ſunt hujuſmodi abjectiones, in ſupremo Principe adeo infra dignitatem ſe habente. At non minùs, quæ ſequuuntur. Vi-
liſſimam ſe creaturam non cogitabat modò, ſed prædicabat. Ita ille in ea, Lib. 1. 43
quam ter quotidie recitabat à ſe condita oratione, de qua ſupra, ubi ſic: *Tu de* 379.

tua immenſa bonitate mihi etſi viliſſimæ creaturæ tuæ regnum iſtud Luſitanum tuendum dediſti: Idem etſi univerſis ſuis clientibus longè ſuperior, ſæpe numerò
Lib. 1. §. 414. tanquam inferiorem ſe illis ſubmittere non dubitabat. Enim verò, ut ſupra diximus, jam morti proximus veniam ab omnibus ſuppliciter expetivit. Ille
Lib. 3. §. 30 etiam quoties Sacra Euchariſtia erat reficiendus veniam à domeſticis poſtulabat, ut alibi perſtrinximus; Tandem quotieſcunque aliquem fortuito caſu (conſilio etenim nunquam) à ſe lædi vel leviſſimè contingeret, ab eo illico, ut ſibi condonaretur, efflagitabat; conſtat nonnullis à nobis alibi prolatis exemplis; quibus aliud illibatum hactenus ſuperaddendum. Alcantaræ inter ludendum lapillus ab eo impulſus levi talitro leviſſimè ingenuum quendam puerum in facie fortuitò læſit; mox ad illum accurrens: *Indulgeas* (inquit) *mihi quæſo nollenti, & incogitanti.*

Hoc lib. §. 63. 121 Certè inter alia eò maximè Societati noſtræ admitti enixè, ut ſupra diximus, optabat Theodoſius; ut in ea non clam remotis arbitris, ſed palam Chriſti glorioſam humilitatem poſſet profiteri, ſolitasque in Societate humiliationes exercere liberè, libentiſſimèque obire; nimirum pannoſis, vilibusque indutus veſtibus in publicum procedere; victum oſtiatim emendicare; cum lacernoſis mendicis ad oſtium promiſcuè cibum ſumere; in noſocomiis ægrotis miniſtrare; in carceribus vinctis inſervire; in triremibus omni ope afflictis; in mapalibus, & ſtabulis moribundis pauperibus fame jam enectis aſſidere; per compita, & publicas plateas catheciſmum rudes edocere; domi apud culinam, triclinium, valetudinarium, & pergulas, abjectiſſima quæque miniſteria implere; defectus proprios publicè ipſe fateri, pro eis ab aliis reprehendi; nihil demum ex iis omittere, quibus commendabilis Societatis noſtræ humilitas deliciatur. Neque verò hoſce adeo humiles Theodoſii conatus infra magni Principis dignitatem, & magnanimitatem ſciolus aliquis rerum cœleſtium inſcius interpretetur, cùm præter innumeros alios illuſtriſſimos Heroas, plurimi olim Reges, & Imperatores poſito diademate non ad privatam modò vitam redierint, ſed pauperem, mundoque contemptibilem; ipſi Deo glorioſam profeſſi fuerint in diverſis religioſorum cœtibus, in vilibus religioſæ humilitatis miniſteriis, quàm in glorioſis olim imperiis, vel iiſdemmet mundanæ gloriæ æſtimatoribus ingenuè id fatentibus; auguſtiores;
Boſ. de ſign. eccleſ c. 9. *Tales*, ut cæteros taceam (inquit Boſius) *Lotharingius Imperator Ludovici Pii filius anno* 855. *Hugo Provinciæ Rex, Rachis Longobardorum* 750. *Sigiſmundus Burgundiæ* 413. *Vermundus Caſtellæ, Ramirus Aragoniæ, Sigisbertus Northumbriæ, Sebbis Angliæ; Elcheiedus, & Chemuredus Merciæ, Alfridus, Afridus Northumbriæ, Offaat Iva Angliæ, Cledulfus, & Egebertes Northumbriæ, Henricus quartus Daniæ, Carolo-mannus Alemaniæ, Tribelius Bulgariæ;* Quibus adnumerandus ad extremum Caſimirus Poloniæ Societati noſtræ haud pridem adlectus; licèt is deinde juſſu Romani Pontificis, ſuorumque obſecrationibus victus regni gubernacula receperit. Certè inter tales Reges, & Imperatores ſub glorioſis Chriſtianæ, ac religioſæ humilitatis vexillis, quàm ſub Regiis, & Imperatoriis clariores, nemo verè prudens, & Chriſtianus Theodoſii Principis ſimiles conatus, & vota dedignabitur.

122 In eo nonnulla fuere ad extremùm minimè prætermittenda Chriſtianæ humilitatis monumenta, in religioſis magni quidem facienda, in maximo Principe pluris æſtimanda. Cùm tam ſapiens eſſet, vulgòque ſcientia inflet, nullum ne leve quidem arrogantiæ, aut tumoris veſtigium in eo ali-

quis

quis animadvertit: ab omnibus etiam minùs ſapientibus diſcere, in qualibet arte doctos conſulere, nullius ſanum conſilium detrectare, ſuo judicio minimè præfidere; ſiquis ipſius ſuffragio publicè, vel privatim adverſaretur, modeſtè ferre; modò is afferret probabiliora, è veſtigio in illius ſententiam pedibus ire, ac è ſua deviare ſolitus; quod in quovis rarum; in Principe ingenioſo rariſſimum; cùm, qui velit ingenio cedere, rarus admodùm ſit. Idem de ſe, ac ſuis rebus non magnificè, glorioſèque, ſed modeſtè, demiſsèque ſentire, ac loqui. Fortè aliquando in familiari cum ſuis aulicis ſermone illorum unus lepida narratiuncula Principi, cæterisque riſum movit: tunc prætereunti alteri, erga quem parcam ſe natura præbuerat vehemens ſuſpitio fuit, ſui ne cauſa inſolens ille plauſus fuerit excitatus? Quærit igitur à Principe haud modicè perturbatus, an in ſe cuderetur illa faba? Ridiculumque, ac deridendum ſe aulici haberent? *Abſit* (inquit Princeps) *ut tam multis nominibus ego reprehendendus, alicui, ne dum tibi patiar irridere. Is tantum meritò irridendus, qui aliis immeritò irridet; non eſt ſani omnino capitis alteri ſubſanare. Non ad te pertinet noſter plauſus plane innocuus; cave tamen ne iterum tibi veniat in mentem poſſe aliquem me coram, vel leviſſimè lædi.* Ab aliquibus è contra ſciebat ſe vituperari nullo ſuo merito; à quibus non idcirco meritas pœnas repetebat; immò eoſdem benevolentia, & beneficiis proſequutus majorem è dignis laudibus, quàm ab indignis calumniis doloris ſignificationem præ ſe ferebat: Non erat nempe vulgaris Theodoſii virtus, quæ laudata creſcit, ſed nimis rara, quæ probata opprobriis, inſolita capit è calumniis incrementa.

123 Igitur dum proprias laudes vituperat, ac aliena vituperia contemnit utriſque ſuperiorem ſe præbuit, ſimillimumque Deo nec ex humanis laudibus ſibi jure debitis majori, nec ex injuſtis injuriis minori. At non minùs dum laudabilia quæque ſedulus occultat, ſua ſe virtute involvens, ſecumque habitans, more Numinis æquè ante, atque poſt Orbem conditum beatii ſive cùm jam à Beatis divina ejus attributa palam agnoſcerentur, ſive cùm ante illos in lucem editos ſibi eadem unicè innoteſcerent. Idem præterea Theodoſius, quò longiùs aberat à vana ſuarum illuſtrium virtutum oſtentatione, manifeſtè oſtendit propiorem ſibi adeſſe divinæ lucis viciniam, qua Deum, & ſe ipſum apprimè noverat. Quis neſcit propinquiorem ſolis eſſe ortum, cùm ſe fulgentiora ſidera properant antelucanis horis penitùs abſcondere? Ex ea certè illuſtriori Dei, ac ſui cognitione ortum habuiſſe crediderim univerſos eos prædictos Theodoſii humilitatis generoſos planè affectus, & illuſtriſſimos effectus. Dum enim ſolum Deum bonorum omnium fontem omni laude, ac veneratione digniſſimum agnoſcit; dum è converſo humanæ fragilitatis conditionem præter ipſum nihil, & inſitam in deteriora propenſionem ex ſe nihil habentem perſpectam haberet, ſoli Deo ter optimo, & maximo reddebat libenter quæ ſunt ipſius Dei, quibusque maximè capitur, honorem nimirum, & gloriam; ſibi verò unicum peccati fomitem à primis Parentibus hæreditariò acceptum, miſeriarumque omnium exinde promanantium ſcaturiginem ſummo, atque optimo jure tribuebat.

CAPUT

CAPUT XI.

Principis Theodoſii divitiarum mundique contemptus.

124 Qui humanæ gloriæ laudibus, & aſſentationibus armatæ, irruptiones expugnatu difficillimas Regibus,& Principibus propè inevitabiles adeò facilè ſuperavit, cum divitiarum cupiditatem, & affinia eiſdem vitia faciliùs diviciſſe pronum erit prudenti cuilibet conjectare. Utraque memoranda certè victoria; at quæ capitur ex devictis penitùs divitiis aliqua ex parte venit illuſtrior; licèt alioquin ſpretæ à principibus gloriæ ſplendor nativis ſuæ lucis radiis altiùs aſſurgat. Enim verò; ſi evanidæ gloriæ fuco explorato, eam nihili, ut par eſt, apud te habere deliberes, univerſam ejus potentiam unico veluti conflictu ex integro debellaſti; verùm divitiarum copias auro fulgurantes, argentoque inſtructas non viciſſe ſemel ſatis eſt, ſæpius cum recentibus hoſtibus confligendum adhuc, Plutone, Mamonaque divitiarum, ut antiqui finxere, Diis novas ſubinde auxiliares turmas in aciem deducentibus. Viciſti opum inſatiabilem cupiditatem; divitiarumque ſitim inexplebilem, quibus vel maximi Heroes orbis victores turpiter aliquando ſuccubuere; parvoque, ut priſca gens mortalium, contentus, Attalicas contemnis opes, Craſſique theſauros, ſupereſt victori ſuperanda mox avaritia, quæ in parvis etiam, & anguſtis rebus maxima eſſe poterit, niſi extrema inopia laboranti vel amico, vel conſanguineo, immò & cuilibet indigenti exinde ſubvenias. Eam verò ſi pergas glorioſè quoque vincere, moderato ſplendens rerum tuarum uſu, & prudenter eis expenſis, ultimus tibi reſtat labor profligandæ prodigalitatis; cui ſi ad extremùm fortè ſubjaceas, immodica profuſione in res inutiles, aut minimè honeſtas abuſus, oleum, ut ajunt, & operam, immò præteritas omnes victorias perdidiſti. Jam verò cum hiſce adeo validis, & pertinacibus hoſtibus vincendo maximos Heroas aſſuetis, ſtrenuè quidem non pugnavit modò, ſed eos penitus expugna-
Lib.2.c.9. per totum & §. 105. vit Theodoſius. Cùm de illius eximia liberalitate prudentiæ legibus circunſcripta mentionem alibi fecimus, planum à nobis factum, quàm glorioſè de avaritia, & prodigalitate triumpharit; nunc quibus documentis palam ipſe fecerit, quàm ſint à principibus viriſque generoſis, contemnendæ potiùs, quàm concupiſcendæ divitiæ propalandum.

125 Et primùm omnium virtutis, & ſapientiæ ſtudioſo, eximioque profeſſori Theodoſio nil mirum tantopere viluiſſe opes à ſapiente Viro prorſus deſpiciendas; id à Salomone Regum omnium ſapientiſſimo pariter, & opu-
Sap.7.n.7. 8, & 9. lentiſſimo diſcendum monebat Theodoſius: *Propter hoc* (inquit Salomon) *optavi & datus eſt mihi ſenſus, & invocavi, & venit in me ſpiritus ſapientiæ: & præpoſui illum regnis, & ſedibus, & divitias nihil eſſe duxi in comparatione illius; nec comparavi illi lapidem pretioſum*: quoniam *omne aurum in comparatione illius arena eſt exigua, & tanquam lutum æſtimabitur argentum in conſpectu illius.* Quaſi diceret. Sapientia præſtantior eſt omni auro, & gemmis; illius aſpectu obſcura-
S.Bern.ſer 4.de Adv. tur auri fulgor, infuſcatur argenti candor, hebeſcit margaritarum nitor, & quidquid illuſtre, ac pretioſum eſt, ſordeſcit: *Quid enim eſt argentum, & aurum niſi*

niſi terra alba, & rubra? Hinc Plato ſapientes, & eximia virtute prædítos ait
conflatos ex auro, & argento, ſed cœleſti, quod terreno præſtet, cæteros ex
ære, ac ferro. Sic ille: *Deus effector hominum principibus reipublicæ, qui cæteros
præcedebant, miſcuit pectori aurum cæleſte, ideſt virtutes divinas, ut alta quadam, &
excelſa mente eſſent: illis autem, qui hos adjuvarent in gubernando rempublicam cæ-
leſte pectoribus indidit argentum, ideſt præclarum virtutum ornamentum, etiamſi ſub-
ſtiterint infra dignitatem priorum, ut & ferrum, & æs miſcuit agricolis, & aliis opi-
ficibus, qui reipublicæ ſerviunt.* Addit tamen: eos, quibus aurum, & argentum
cœleſte pectoribus miſcuit contemnere debere terrenum aurum, & argen-
tum, neque loculos habere oportere, neque ſequi opes. Hinc plurimi fideles,
immò etiam aliqui philoſophi, ut Crates, Democritus, Anaxagoras, Dioge-
nes, & alii ultro abjecerunt opes, regnaque abdicarunt, ut ſapientiæ, ſancti-
tatique vacarent. Quare ſtultorum vox illa eſt apud Horatium: *O cives quæ-* Horat. l. 1.
renda pecunia primùm, Virtus poſt nummos. Similis, & neſcio an majoris ſtultitiæ ep. 1.
vox illius aſſerentis, ſedulò ſe in conſervandis omnigenis divitiis, ſibique ac-
quirendis, laborare, ut cùm omnium dominium aſſequeretur poſſet commo-
diùs primum Decalogi præceptum adimplere, Deumque ſupra omnia dilige-
re. Hoſce, ac ſimiles ſtolidos divitiis, & earum ſimul, inferorumque domino
Plutoni adeo deditos, jam pridem notæ ſtultitiæ damnatos à Chriſto Domi-
no dicebat Princeps divina illa ſententia: *Stulte hac nocte animam tuam repe-* Luc. 12. 20
tent à te; quæ autem paraſti cujus erunt? Meritò appellatum ſtultum; non quia
plurimis abundaret divitiis, ſed quia eaſdem inter animæ bona, per ſummam
inſcitiam computaret. *Anima mea habes multa bona poſita in annos plurimos; re-* Ibid. n. 19.
quieſce, comede, bibe, epulare. Eundem, ac ſimiles non ſtultis tantùm, ſed brutis
adnumerandos: cùm brutorum more terrenis tantùm bonis inhiantes habe-
re ſe animas fateantur. Meritò ſtultorum infinitum eſſe numerum à Sapiente
pronunciari dicebat Princeps. Enim verò cùm innumeri, ac infiniti propè
ſint, qui coacervandis divitiis inexplebili earum fame, ſitique torqueantur,
eoſque Chriſtus D. ſtultos appellet, bene ſequitur hujuſmodi ſtultorum infi-
nitum eſſe numerum. Addebat præterea fore, ut ſi Chriſtus iterum in mun-
dum veniret, raros admodum Chriſtianos reperiret, cùm pauciſſimi tales ve-
rè ſint; id verò provenire à nimia rerum humanarum, & divitiarum affectio-
ne, propèque nulla rebus divinis, & cœleſtibus addictione.

126 Certè non is erat noſter verè aureus Princeps, qui omnino infenſos
auro, cæteriſque divitiis Reges, ac Principes optaret; cùm Deus ipſe ſuum
olim templum laminis aureis ornatum approbarit, in quo præter innumera
ex ſolido auro vaſa, & inſtrumenta, duæ illæ decantatiſſimæ columnæ viſe-
bantur, quas auro unius digiti craſſitudine tectas ſcripſit Eupolemus, quæ P. Euſeb.
cùm tantùm in decem, & octo cubitos aſſurgerent ultra octoginta ſex mil- in Strom. &
liones æſtimari dicuntur; cùm ipſi divino Principi Chriſto Domino recèns l. 2. c. 2.
nato, ſummamque paupertatem profitenti Reges Orientales obtulerint pre-
tioſa munera Aurum, Thus, & Myrrham; cùm denique oporteat potentes
Reges magnam auri, argentique vim habere, opulentiſque abundare theſau-
ris, quibus Regni auctoritatem tueantur, quæ potentiæ, divitiarumque opi-
nione apud exteras nationes, maximè conſtat; quibus in mari claſſes, in ter-
ra exercitus, ſi reipublicæ ſalus poſtulet, abundè alant, innumeriſque tum
publicis tum privatis paſſim occurrentibus incommodis laudabiliter ſuccur-
rant: *Habeant* (dicebat prudens Princeps) *Aſiaticis theſauris longè ampliores di-*

vitias

vitiis Chriſtiani Reges, dummodò ſe ipſos habeant in poteſtate; illisque non apponant cor ſuum, ſic opportunè admonente Rege locupletiſſimo, & prudentiſſimo. Divitiæ ſi af-
Pſ.61.11. *fluant, nolite cor apponere. Affluat Rex divitiis, non ut deliciis diffluat, ſed ut nativi fontis more indigentis populi ſitim manantibus ubertim aquis reſtinguat. Conſervet theſauros, non ſuæ cupiditati explendæ, ſed ſuorum indigentiæ reficiendæ. Non divitiis apponat, ſed potius opponat cor ſuum; cui ſi auri ſacra fames dominabitur vili ſervituti obnoxius ab omnibus pro vecorde habebitur; ſi è contra eaſdem generoſo corde contemnens ſuis fruendas ſubditis tempeſtivè, ac liberaliter exponat omnium ſibi corda conciliabit.* Idem ſuorum quoque cupiditati modum poſiturus, ſic in ſua ſtatuit
Macariop. Macariopoli: *Prima, ſancta, & inviolabilis lex erit communitatis; omnia namque erunt communia, & ex communi Magiſtratus cuilibet neceſſaria concedet.* Ut nimirum neceſſariis ſui Macariopolitani contenti, ab appetitu ſuperfluorum abſtinerent, & ex communi viventes privatum affectum propriis rebus ne impenderent. Aliud ibidem alio loco ſalutare quidem monitum in hanc rem iiſdem præſcribit:
Ibid. *In Civitate* (inquit) *& inter cives nummorum non valet ratio; attamen eos comparant ad uſum commercii.* Sic de divitiarum uſu, vel abuſu; in quo illarum commodum ſitum eſt, ſapienter philoſophabatur Theodoſius; neque minùs prudenter, aut generosè ſe habuit in exequendis, quàm in exponendis veræ frugalitatis documentis.

127 Per biennium, quandiu vixit, colligendis ab univerſis regni ordini-
Lib.1.§. 382,&383 bus decimis præfuit, ea qua diximus prudentia, & integritate; neque unquam ex tot millionibus ſuo arbitrio ſuppoſitis, vel unum obolum ad proprios uſus derivavit; univerſos eos in belli publicas expenſas ſumma fide collocandos ſedulò adnixus eſt. Tanti muneris privato labore contentus, neque alio exinde peculiari ſibi fructu percepto, ſatis ſe divitem prædicabat quòd poſſet benemeritos adeo ſuos duces, ac milites locupletare. Idem Braſiliæ Princeps, & Brigantinus Dux fuit à Sereniſſimo Parente renunciatus: & licèt ſub ejus patria poteſtate ſemper egerit; poſſet, ſi fortè liberet, vel ex ampliſſimis Brigantinis annuis redditibus, vel ex amplioribus Braſilienſibus etiam conſcio, & facilè conſentiente Sereniſſimo Rege ad ſua vel honeſta oblectamenta, vel ad tanti Principatus ornamentum non nihil deflectere: nihil omnino unquam deflexit inflexibilis ipſe ad omnem auri, ac divitiarum cupiditatem, cui adeo ſunt obnoxii Principes, maximè in ipſo adoleſcentiæ flore, quorum ſatiandis cupiditatibus anguſta terrarum ſpatia vulgò cenſentur. Quandiu in gynecæo delituit, præceperat Sereniſſimus Rex uni è regiis miniſtris, ut quidquid Princeps ab eo peteret illi actutum ſuppeditaret; monito etiam Principe, ut quidquid ſibi aut opus, aut voluptati foret, ab eo miniſtro expoſceret. Mirari primò is miniſter, nihil à ſe Principem poſtulare, magnique inſtar prodigii habere aliquando, quod ad coemendos aliquot libros non nihil à ſe Princeps exoraret; quod cùm Sereniſſimo Regi quaſi miraculum Principis aliquid poſcentis renuntiaſſet, placuit deinde certam illi pecuniæ ſummam deſignare certis anni temporibus illi tribui ſolitam; quam
Lib.2.§. 102. ille ſatis liberaliter ea, qua diximus, ratione expendebat: ſimiliter eam, quam ad peculiare palatium tranſlato auctiorem Rex ipſe ſtatuit. Ejus verò pecuniæ in cujuſdam ſcrinii loculamentis aſſervari ſolitæ clavem ſuo commiſerat Confeſſario, quò eam ille vel in eleemoſynas, vel in ſimiles uſus diſtribueret illius contactu, immò & viſu Princeps ipſe prorſus immunis. Id mihi retulit Regius Bibliothecarius, cui cùm Princeps librum quendam tranſcribi jube-

juberet: *Expectare* (inquit) *oportet, donec adveniat Confeſſarius apud quem eſt clavis cuſtos pecuniæ tibi ab eo ſuppeditandæ.*

128 Ita ſe habebat cum Sereniſſimo Parente; non aliter cum Sereniſſima etiam Matre. Præter ipſam Regiam planè ſupellectilem, quà Sereniſſimus Rex ornatum ſatis voluit peculiare Principis palatium ad majorem illius ſplendorem plurima; eaque pretioſiora ornamenta frequenter illi Sereniſſima Regina offerebat; modò ſerica multiplici auro intertexta periſtromata, & exquiſiti artificii ſcrinia, in quibus divitem materiam ſuperabat opus; modò aureas, argenteas, & ex alabaſtrite, ſuccino, ebore ſtatuas pene ſpirantes; nunc Apellæas effigies, ſic ad vivum antiquos Heroas exprimentes, ut una vox illis deeſſe videretur, quò apud nos adhuc vivere, vel è mortuis denuo excitati crederentur; nunc primæ magnitudinis cryſtallina ſpecula ornatu peregrino conſpicienda; tandem quidquid arte, vel natura pretioſum Luſitanis Regibus ſtipendiarius oriens, aut vectigalis quoque America largè proferunt, quotannisque obſequiosè ſubminiſtrant. Ea omnia à Sereniſſima Matre oblata dignè commendare Princeps, debitaque tantæ liberalitatis æſtimatione, quanti eam faceret proteſtari; at eandem modeſtiſſima declinatione, ingenioſisque ſubterfugiis omnino deprecari. Et quidem jucundiſſimum erat ſpectaculum certantem Matris Sereniſſimæ liberalitatem cum modeſtiſſimi Filii frugalitate contemplari: quò illa inſtabat efficaciùs, ut magnum aliquid à ſe Princeps acceptaret, eò ille magnanimiùs ſummæ liberalitati obſiſtere, moras, obicesque opponere ingenioſis, & excogitatis, quibus ſuam tueretur parcimoniam rationibus. Aliquando urbano uſus diverticulo dicebat, *Non opus eſſe hujuſmodi monumenta, & pignora materni amoris apud eum, qui ſe ſatis, ſuperque oppignoratum tam multis aliis eximiæ benevolentiæ ſignis apprime norat; inſignem è contra ſuo reciproco amori plagam infligi, dum exiſtimaretur talibus eum indigere irritamentis, ut ſe peramanter gratum exhiberet amantiſſimæ Parenti, cujus imaginem cæteris divitiis ſibi pretioſiorem præ oculis ſemper haberet, expreſſamque corde aſſervaret.* Aliàs, *ſuis Sereniſſimis Sororibus, quàm ſibi aptiora eſſe illa pretioſiſſima donaria ipſis in tempore collocanda, cum Regibus aut maximis Principibus in matrimonium collocarentur.* Iterum, *ſui palatii penetralia vulgò pervia eſſe ducibus, & militibus, qui bellicoſum ſibi eſſe Principem optarent; quorum proinde oculos non pretioſam nimis ſupellectilem, ſed ejus loco bellica inſignia, militaria vexilla, omne armorum genus, raptaque devicto ex hoſte trophæa objicere oporteret. Immò evidens eſſe periculum, ne fortè videns ipſos duces, ac milites egentes, eorum inopiam iis ipſis pretioſis donoriis ſublevare cogeretur; ſi placeret, ſub ea conditione, in ſuum illa transferri palatium actutum curaturum.* Ad extremum, *expedire ſolicitiorem eſſe Principem talium Parentum filium, in adornando virtutibus, & liberalibus artibus animo, quàm in palatii ſui aulis artificioſis aulæis, & pretioſis rebus, quæ apud ſe in nullo eſſent pretio, exornandis.* Incredibile dictu quali afficeretur voluptate Sereniſſima Regina hujuſmodi reſponſa, & divitiarum repulſas æquanimiter auſcultando; immò Regiæ planè generoſitatis inclyta æſtimatrix, ut ſimilia ſæpius à magnanimo Filio libenter audiret, ſæpius data opera indubiæ repulſæ bene conſcia, eidem aureos torques, ſmaragdos, diamantes, & omnigenas margaritas oblata opportuna occaſione inſtanter offerebat. Cui aliquando Princeps: *Accipio, ne inofficioſus videar, moremque materno amori, quem præ omnibus maximi facio libenter geram, dummodo hæc apud ſe Veſtra Majeſtas aſſervari jubeat, donec bellicus noſter apparatus diſpareat; interim ære, quàm auro fulgentiorem,*

 ferro,

ferro, chalybeque, quàm margaritis nitidiorem Principem in Luſitanorum oculis verſari æquum eſt.

129 Ita ſe quibuſcunque muneribus, etiam maternis impervium, inexorabilemque præbebat Theodoſius; ut exemplo eſſet miniſtris Regiis, Urbium, & Provinciarum Gubernatoribus; quos à munerum corruptelis omnino immunes eſſe vellet. Certè peſtem hanc jam diu in maximis quibusque Imperiis maximè graſſantem, in Luſitano penitus extinguere, ſi fortè poſſet, omnì ope adnitebatur: *Nihil exitialius cuique reipublicæ accidere poſſe, judicioſè dicebat, quàm dominari aurum iis, qui altis præcellentis dignitatis jure dominantur; eos munus ſuum rectè implere haud poſſe, qui accipiendis muneribus inexplebili aviditate inhiarent; quibus divitiarum nihil unquam ſatis, eos publicæ utilitati, & expectationi ſatisfacere poſſe omnino deſperandum. Si ea vis auri eſt, ut per medios ire ſatellites, ac perrumpere amet ſaxa, & arces quaslibet munitiſſimas, longè potentiùs ictu fulmineo, quanto erit fortior ejus virtus ad expugnandos eos inermes miniſtros totius virtutis expertes, quibus ad arcendam ſummam auri potentiam nullæ arces, ad eam excipiendam patentes circumquaque aditus? Si auri cupiditas æquo major in alicujus privati viri ædes impreſſionem faciat, illius tantùm domum, & familiam everti minùs dolendum eſſet; atſi eadem publici alicujus miniſtri, ad reipublicæ ſalutis excubantis nutantem animum concutiat, deploranda erit ipſius univerſæ reipublicæ labefactatio; ſi fortè (quod abſit) juſtitiam maximum boni communis fulcrum auro vendenti, ſi jus ipſum per largitiones injuſtè corrumpenti; ſi miſerorum cauſas corrupto judicio decidenti; ſi denique innocentum fortunis inſultanti omnimodè impune fore contingat: in hujuſmodi miniſtrum peſtiferi peculatus convictum, regiis inſignibus exauthoratum, aurei funis ſuſpendio vindicandum; ut vindex aurum, cujus adeo inſatiabili fame contabuit, & illi voracem gulam frangat, & cæteris ipſius appetendi faſtidium, vel nauſeam memorabili ſupplicio deterritis inducat.* Impunitatis cauſa verebatur ne olim, ac etiam num verum eſſet, quod amico Goæ agenti ex Ulyſſipone familiaris ſcripſiſſe dicitur. Acceperat is Angelum Eburneum eleganter elaboratum ab amico miſſum judici in ejus cauſa laturo ſententiam offerendùm. Ad quem in hæc verba reſcripſit familiaris Procurator: *Toto cœlo aberraſti amice; ſi pro eburneo Angelo miſiſſes aureum Diabolum tuæ cauſæ tibi certè adjudicandæ plus hujus, quàm illius prodeſſet patrocinium: uterque Angelus eſt; verùm cùm ſimilium eadem ſit ratio, plus apud cupidum judicem valet plerunque peſſimus, quam optimus Angelus: Quid mirum ſi Caco magis arrideat Cacodæmon? Longè alios vos opto, ſperoque fore mei aulici* (concludebat Princeps) *ab omni ſordidæ cupiditatis fæce liberos, uniùs virtutis, veræque gloriæ percupidos cùm vos præſtabitis, & meæ de vobis expectationi, & veſtrorum illuſtrium majorum nomini ex æquo ſatisfacietis.*

130 Eoſdem ut efficaciùs opere, quàm verbis erudiret, quo loco habenda ſibì forent ſumma quæque divitiarum ornamenta non prætermittendum præbuit coram ipſis documentum. Vulgari, ut plurimum veſtitu ab omni luxu abhorrente utebatur libenter Princeps; tum ut laudabilis parcimoniæ exemplo ſuis præluceret ad immodicos ſumptus evitandos; tum maximè proprio genio indulturus, cui ſuperflua, & immoderata ſummopere diſplicerent. Fortè accidit, ut unà cum Sereniſſimis Parentibus Regifico apparatu in publicum procederet Princeps exquiſitiore cultu, prout res poſtulabat, conſpiciendus. Præter cætera ornamenta, quæ recenſere ſupervacaneum eſt; galerum capiti aptarat, quem aureus obibat circulus plurimis, & prægrandibus diſtinctum adamantibus inſolitum fulgorem inſtar cœleſtium

ſiderum longè, latèque ſpargentibus. Omnium in ſe oculos, animosque converterat Princeps, inſolitum ejus ori decorem afflante non auro, aut adamantum ſplendore, ſed inſolentis habitus ingenuo pudore, inſitaque diſplicentia. Vix ſuo redditus palatio, cùm coram univerſis aulicis prægravatum gemmarum ingrato pondere caput, veluti levaturus, detractum galerum terræ propè indignabundus, certè faſtidioſus afflixit; ſic profeſſus Principis capite indignos adamantes, ipſius potius pedibus proculcandos. Ita ſe Princeps erga ſplendida capitis ornamenta; longè aliter ſe habuit erga pedum pauperrima calceamenta. Uni è ſuis palatinis injunxit, ut ſecretò ſibi confici curaret calceos à ſutore noſtri Tyrocinii eadem omnino forma, & ratione, qua illos pro Societatis Tyronibus elaboraret; ſive Illum Societatis, ſive religioſæ paupertatis amor eximius ad hoc adeo inſolitum artificium impulerit: Principis juſſis obtemperavit è veſtigio vir ille, confectosque brevì calceos, at minimè perfectos, humili potiùs tyroni, quàm tanto Principi aptos eidem reverenter obtulit. Vix dici poteſt, quà exultantis, & gratulantis animi ſignificationè rude illud munuſculum acceperit; mox acceptiſſimos ſibi calceos adſtantibus Cubiculariis, & feſtivis dicteriis egregium ſutorem vellicantibus, ab eorum uno ſuis aptari pedibus imperat; per amplam mox aulam glorioſè incedit, ſibi mirificè placens, ſuorumque plauſui, longè majori ſuo accumulans incrementa: neque verò hiſce contentus, ad Sereniſſimam Reginam procedit gloriabundus, ſe illi novo calceamenti genere exhibiturus. Riſit primò Regina; mox ruſticum potiùs, quàm Principem perones illos decere, ſeriò edixit: *Accipio conditionem* (inquit Princeps) *& quoniam ruſticum decent, cùm ruſticatum iero, illis utar.* Id Principis voluptati, ne delicias ſuas contriſtaret, permittendum conſultiſſimè judicavit prudentiſſima Domina probè conſcia ſic affici erga Societatem noſtram ipſius Primogenitum, ut quoniam ejus pileum geſtare abſque nota minimè poterat, illius ſaltem aliquando uti calceis ei foret maximè voluptuoſum. Et quidem ita ſe res habuit; quotiesque ruſticatum deinde abibat Princeps, animi exhilarandi ergò, non aliis quàm hujuſmodi calceis utebatur aptioribus utique Regio faſtui, & divitiarum illecebris proterendis.

131 Altiùs adhuc Princeps optimus ſpirabat; dumque frequenter Gerſonis aureum librum, cui titulus *Contemptus mundi*, lectitaret, in eo eximias, paſſimque obvias ſententias ad mundi, ejusque divitiarum contemptum inducentes obſervans, memori animo univerſas reponebat, in tempore, ſi Deo placeret, exequendas. Legerat præterea eſſe mirabilis genii ſuo maximè conformem avem; cui nomen Apus, ideſt, ſine pedibus, quam religioſæ paupertatis animatum hieroglyphicum ſapientes nonnulli virtutis monaſticæ ſtudioſis indicarunt. Eam à terreno contagio penitùs liberam, per aëra perpetuò volantem, ibique nidificantem, ac pullos etiam educentem, educantemque, ac tandem vitæ ſuæ propè cæleſtis, cœlòque ipſi proximioris rationem exprimentem elegantiſſimè apud P. Euſebium animadverterat: *Me vita pauper jure ditat cælico. Rupe, atque ramo inops recumbo nullibi. Nec hoſpitatur terra, vel fons puerperam. Egena pullis terga ſunt cunabula. At nemini invideo, dominor alsis plagis. Immunis aucupum doloſis artibus; Iugisque pendeo pede abſque, ne luter. Æther vicarius mihi eſt rerum omnium, ſubſiſto dum memet; quies æther mea. Conviva ſum Diis; libo florem nectaris. Collega ſum compar ob inopiam Iovis. Divinitatis ars, habere nihil, fuit.* P. Euſeb. in S. gal. l. 2. c. 1.

Hujus admirandæ aviculæ contemplatione defixus Theodoſius, in eaque cœleſtis planè paupertatis expreſſam ideam reveritus ardentiore indies ejus amplectendæ deſiderio, ſi qua fata darent, incendebatur. Expendebat ſecum ſummam religioſæ paupertatis felicitatem; cui nemo invidet, nemo inſidias molitur, nemo injurias, quaſi ſacro præconi, caduceum ex prærogativa Fecialium præ ſe ferenti, Eandem gravi divitiarum pondere ad imma miſeros poſſeſſores detrudente levatam, inutilibus curis liberam, moleſtis ſolicitudinibus expertem, ad cœlum pernicîſſimo volatu aſſurgentem, Deo tandem incarnato (quod caput eſt) acceptiſſimam, illius indubiis promiſſis locupletatam intuitus; inflammato ejus amore incenſus eidem ſe penitus devovendi generoſo, ac divitiarum omnium contemptore animo vota concipiebat. Et quidem devovit, dum ineundæ religionis votum, de quo alibi di- Lib. 3. §. 47. ximus, ultro emiſit.

132 Juvat hîc pro uberiori Theodoſii à terrenis divitijs abalienatione confirmanda Pori, & magni Alexandri meminiſſe; quorum ille totius olim Aſiæ Rex ditiſſimus Alexandri fortunæ tot victoriis, & clariſſimis triumphis eo temporis celeberrimo ita dicitur invidiſſe, ut poſt Alexandrum ſecundus eſſe, haberique præoptarit. Longè prudentior Alexander, qui non immenſis Pori theſauris, ſed extremæ Diogenis paupertati faſſus eſt ingenuè ſe invidere, adeo ut niſi Alexander eſſet, Diogenes eſſe, aut ſaltem ab eo ſecundus æſtimari percupierit. Quos inter ſe conferens præclarè, judicioſèque P. Euſebius: *Poſt invidiam* (inquit) *felicitatis inopis Porus ſolatus eſt ſuperbiam ſuam,* P. Euſ. ſupra c. 2. *quòd ſecundus ab Alexandro eſſet; Alexander ambitionem ſuam, quòd ſecundus à Diogene eſſet. Indi felicitas ſoli ceſſit Macedonicæ, ejus ſcilicet, cujus fortuna non minor eſſet, quam mundus, ei ſcilicet, qui habuit omnia: at felicitas ejus, qui habuit omnia ceſſit ei, qui habuit nihil, quippe hujus, fortuna major mundo. Plura poſſet Diogenes contemnere, quàm Alexander vincere.* Certè ſi Theodoſius in Alexandri, aut Alexander in Theodoſii tempora incidiſſet, longè is Alexandro foret, quàm Diogenes invidendus, & à Theodoſio ſecundus, vel tertius eſſe concupiſceret: ſi enim tanti fecit ignobilem, & pauperrimum Diogenem in ſuo dolio inſtar cocleæ rationalis agentem, magnifica ſua promiſſa repudiantem, & à ſe nihil niſi, ut ipſum non obumbraret expetentem; quanti faceret Theodoſium Luſitanæ Monarchiæ Principem, eoque opulentiſſimum in Ulyſſiponenſi aula Orientalium, ſimulque Occidentalium divitiarum receptaculo eminentem, at univerſas eas, immò totius univerſi opes Chriſti extremæ paupertati, cui ſe devoverat, poſt habentem! Eundem non ab alieno Rege fortè periculum de Philoſophi genio faciente, ſed à Sereniſſimis Parentibus ſincerè oblata pretioſiſſima donaria recuſantem! Adde, quòd Diogenes, ut plerique veterum ſapientum, quibus Chriſtiana fides, & humilitas non illuxerat, gloriam utique vanam ex contemptu divitiarum fortè captabat, & cynico faſtu divitis Platonis fauſtum proculcans; nominis celebritatem, quam ex amplis divitiis pauper arceſſere non poterat, ex ipſomet divitiarum contemptu ingenioſa, ſed vili paupertatis affectatione emendicabat. E contra Theodoſius non ſolùm divitias ipſas, ſed in primis, fucatæ gloriæ vanum fulgorem contemnebat, non minùs ſui, quàm omnium opum contemptor; quòd proximè affirmavimus, & ſequenti exemplo denuo confirmamus.

133 Commemorabat apud eruditum Principem ejus rei minimè, ut cre-

do,

do, inſcium vulgare hujuſmodi, ſed non vulgaris doctrinæ memorandum quidem exemplum religioſus quidam. Sub magno Gregorio Pontifice maximo Eremita quidam cœleſtem in terris vitam agebat, arctiſſimæ paupertatis præcipua laude inſignis, cui herbarum radices famem, frigida ſitim ſedabant; de cætero nihil, præter unam felem ſuæ ſpeluncæ cuſtodem, & ſui ipſius ſociam. Huic ſemel in mentem venit, neminem ſe poſſe ullibi eſſe pauperiorem; indeque vana gloria non nihil afflari; quam ut illi excuteret Deus, eidem revelavit, Pontificem Gregorium longè illi paupertatis excellentia præſtare, Dubitanti verò, quî fieri poſſet, ut Pontifex omnigenis divitiis affluens ſibi omnium egeno paupertatis palmam præriperet? Reſpondit iterum divinum oraculum: *Non ex rerum affluentia, vel pecunia, ſed ex affectu æſtimandam veram paupertatem: hinc eſſe, quòd Gregorius, & ſi maximis abundaret opibus, inopem habendum, cùm illis nullatenus afficeretur; illum verò, licèt extrema inopia laborantem, Pontifici poſtponendum, cùm unica, quam apud ſe haberet, feli plus nimiò indulgeret.* Pontifici maximo ſimilem eſſe Theodoſium dicebat vir ille, qui ſe ab omni divitiarum affectu immunem, immò eximium earum contemptorem præbuit in ſumma opum luxuriantium affluentia. Ita quidem verum ſe habebat; ſed quia id apud alios, quod veri foret panegyriſtæ, non apud ipſum Principem proferre oporteret, quod adulationis eſſe videretur, ab ipſo tunc modeſtè reprehenſus, ut parceret verbis otioſis juſſus eſt; pro evidenti teſtimonio quàm abeſſet ipſe Princeps à vana captanda gloria ex ſummo divitiarum contemptu; ideoque Diogeni, cæteriſque antiquis philoſophis meritò præferendus. Pro cujus complemento minimè omittendum, quod idem religioſus atteſtatur, ſæpe à Principe ſe audiviſſe: *Terrenis opibus utendum nobis, non ut propriis, ſed quaſi fortuitis, & alienis, animo ab earum amore prorſus alienato.* Hæc ille verbis, conſulere, at factis longè ulteriùs progredi, ab omnique uſu rerum, quarum fruebatur dominio, penitus abſtinere. Nam, ut proximè obſervatum, Brigantini ampliſſimi, omniumque Luſitanorum opulentiſſimi Status Dominus; immò Braſiliæ totius Princeps, ita ſe gerere, quaſi ad ſe nullatenus pertinerent; neque in proprios uſus vel minimum quid exinde derivaret, copioſiſſimis redditibus patriæ poteſtati, diſpoſitionique omnino relictis. Eam in totius vitæ decurſu ab humanis rebus univerſis alienationem profeſſum, nihil mirum videbitur eandem morti proximiorem exhibuiſſe: *At mirum eſt* (inquit R. P. D. Fr. Joannes à Sylveyra in ſua funebri Concione) *videre Principem in ipſo ætatis flore ab univerſis mundanis rebus adeo abhorrentem, omniumque contemptorem. Omnia arbitror, ut ſtercora (dicebat ille) & verò neque terrenarum opum, neque regnorum temporalium, ſed ſolius beatitudinis, ac rerum æternarum, quæ perpetuò ſunt duratura, à prudenti quolibet habendam rationem.*

CAPUT XII.

Principis Theodoſii Angelica planè Virginitas.

134 QUi cœleſtem Puerum, & Adoleſcentem Theodoſium ob eximias alias virtutes meritò hactenus ſuſpeximus; jam terrenum Angelum, ob virginitatem planè Angelicam venerari par eſt. Conſtat indubio ipſius Confeſſarii teſtimonio illibatæ virginitatis perpetuò vernantem florem ad extremum uſque intemeratæ vitæ anhelitum retinuiſſe Theodoſium; dignum propterea, qui Angelicæ virtutis admixtus candidatis, immaculatum Agnum, quocunque ierit per cœleſtis paradiſi amæniſſima prata ſubſequatur. In quadam familiari ad Amicum Epiſtola, ſic ille: *Honeſtiſſimus ſemper extitit, neque unquam auditus huic virtuti diſſonum proferre verbum; neque ab alio coram ſe proferri paſſus.* Iidem virtuti è carceribus admetam inſiſtentem Filium Sereniſſimus Parens commendabat, cùm abeuntem è vivis hujuſmodi memorabili Elogio proſequeretur: *Pari certè virginitate primum vitæ initium, & ſupremum exitum Theodoſius conſecravit.* Sic ab eodem ſe audiviſſe P. Emmanuel Monteyro noſtræ domus profeſſæ Ulyſſiponenſis Præpoſitus poſtea Provincialis ſummæ vir fidei atteſtatur. His conſona de Theodoſio adhuc ſuperſtite pronunciaſſe ipſius Magiſtrum D, Petrum Pueros author mihi fuit alius è noſtris vir ſummæ auctoritatis, in hæc verba: *Nulla fingi poterit puella Virginea pudicitia laude Theodoſio commendabilior.* Quanti ſit facienda, immò admiranda hæc virtus, maximè in Principe adoleſcente inter omnigenas diliciarum illecebras innutrito, nemo erit adeo cæcus, quin
D. Amb. l. 1. de virg. circa initium. planè videat. Virginitatem principalem eſſe virtutem docuit D. Ambroſius; eandem Principis maximè propriam Agapus: *Capilli* (inquit) *ornamentum eſt diadema, Principis caſtitas.* At quàm difficilis ea virtus Principibus, quorum voluntati certatim omnes, voluptatibus plurimi obſecundant, obſiſtit vix un-
Agap. apud P. Adam. l. 3. c. 12. §. 1. quam aliquis? Quorum colligendæ gratiæ ita inhiant plurimi adulatores, ut præ illa divinam prodere non dubitent, ſummopereque appetant, eorum etiam præpoſteros appetitus omni ratione fovere! Jam verò cujus difficultatis eſt in ipſo adoleſcentiæ flore immarceſſibilem integræ virginitatis florem aſſervare. cujus nitorem vel placidè ſpirantis auræ blandiens flatus nonnunquam inficit; vel minimus blandæ manus contactus haud parum minuit; vel tandem leviſſima cogitatio, præſtito lubricæ voluntatis aſſenſu indecorè
Prov. 30. n. 18. & 19. commaculat. Certè Sapientiſſimus mortalium Salomon, cui tria erant difficilia, nimirum via aquilæ in cœlo, via colubri ſuper terram, via navis in medio maris, quartum ſe penitus ignorare ingenuè fatetur, nempe, viam viri in adoleſcentia. Quòd enim in fluxæ adoleſcentiæ inconſtantia conſtantem ſe virum quis ita præſtet, ut per virtutis, & virginitatis ſemitam perpetuò progrediens nunquam aut turpiter ſuccumbat, aut graviter prolabatur, humanum ſuperat captum, idque divinæ tantùm potentiæ adſcribendum. Etſi difficillimum quidem intellectu ſit, longè faciliùs cogitando quis aſſequetur, & volantem aquilam immotis palpebris, oculiſque minimè connivent ibus ſolem ſuſpicientem; & colubrum ſine pedibus perniciſſimè gradi-

en-

entem, nullis quacunque pergat ſuæ viæ veſtigiis derelictis; navim demum ventorum, undarum, ſyrtium, & ſcopulorum victricem ad portum feliciter appulſam, quàm adoleſcentem recto ſemper virtutis tramite, quin ab eo unquam deviet incedentem; ac tandem inoffenſo per tot lutulenta, & devia pede, immaculatisque manibus, optatiſſimæ felicitatis metam attingentem.

135 En quod Salomoni planè arduum, prorſusque incognoſcibile viſum eſt, Theodoſius adoleſcens præſtitit divino præmunitus auxilio, eoque præſentiſſimo, aliter qui poſſet Babylonicæ fornacis incendium penitus illæſus evadere? Magnum certè, ac divinum fuit miraculum tres illic Hebræos Pueros inter flammarum globos per innocuum ignem incedentes accenſas prunas quaſi roſas proculcaſſe, indeque ne unius quidem capilli levi jactura exceſſiſſe. At longè majus, quòd Luſitanus Theodoſius tandiu inter aulicas delicias, & puellares blanditias, noxii amoris perniciosiorem ignem exſufflantes, ne levem quidem ſcintillam unquam conceperit: brevium horarum ſpatium tenuit illud prodigium; plurium annorum iſtud; captivis Pueris Babylonicus ignis pepercit, libero Principi Ulyſſiponenſis: illæ flammæ in ſola corpora jus habebant, animos inſuper iſtæ inflammant, eò impotentiùs quò mollioribus illecebris nutriuntur. Eas dum vincit Theodoſius virgineis liliis victor meritò coronandus. Nil nimirum ſi caſtitatis lilia in clauſtris, & irriguis viridariis proveniant, ſuaviſſimumque ibi exhalent odorem. Præ altis muris ventorum noxios flatus, ſolis æſtus, virorum, fæminarum, immò & animalium incurſus, & licentiam prohibentibus: mirandum potiùs quòd inſtar divini Sponſi qui flos campi, & lilium convallium appellatur, eadem in terra ſpinas, & tribulos paſſim germinante, in campis, & convallibus temporum injuriis, temerè proculcantium, aut avidè colligentium libertati expoſitis; quòd ibi nativum illibatæ pulchritudinis nitorem inter tot hoſtium frequentes inſultus tueantur, pluris faciendum, & ſummi prodigii loco habendum. In cæteris mirabilis certè Theodoſius, in eò citra omne dubium admirabilior: non enim apud remotam à mortalium conſortio, humanisquè voluptatibus in acceſſam ſolitudinem; non intra monaſtica ſepta, religioſæ auſteritatis munimine libidinibus vulgò impervia intemeratæ virginitatis candidiſſima lilia totius labis immunia perpetuò aſſervavit, ſed in Regiæ florentiſſimæque Luſitanæ aulæ ſpecioſis pratis, in molliſſimo totius Europæ Ulyſſiponenſi tractu; ad decimum quartum ætatis exactum annum inter illuſtres, & pulcherrimas puellas educatus, earum quotidiano aſpectu, & alloquio, blanditiisque omnigenis, etſi honeſtis ad amorem certè provocatus; deinde ad annum decimum nonum ad proprium palatium traductus, at ab earundem, aliarumque ſimilium frequenti conſuetudine, familiaritateque minimè abductus, amabiliſſimæ, amantiſſimæque indolis adoleſcens; tamen quaſi Angelus corporeæ fæcis omnino expers foret, Angelicam in terris vitam exegit, Angelis ipſis compar, immò, teſte Bernardo, ſuperior: *Quid* (inquit) *caſtitate magis decorum, quæ mundum de immundo conceptum ſemine, de hoſte domeſticum, Angelum denique de homine facit? Differunt quidem inter ſe homo pudicus, & Angelus, ſed felicitate, non virtute; ſed etſi illius caſtitas felicior, hujus tamen fortior eſſe cognoſcitur. Sola eſt caſtitas, quæ in hoc mortalitatis, & loco, & tempore ſtatum quendam immortalis gloriæ repræſentat.* Sed jam hujuſce Angelicæ virtutis peculiaria non nulla monumenta ſunt, à nobis proferenda.

Cant. 2. 1.

S. Bern. ep. 42. ad Archiep. Senonenſ.

136 A prima ſtatim pueritia non à noxiis modò voluptatibus, ſed à qualibet etiam innoxiæ illecebræ umbra cæpit Theodoſius abhorrere. Apud Villaviſſoſam aulicus quidam puerulum Theodoſium tenerrimis, quibus illa ætas mirificè capitur, verbis aliquando compellare, mox ab eodem pro familiaris benevolentiæ ſigno puerile oſculum apud exteras nationes, etiam inter adultos honeſtum, & frequens deprecari; averſantis deinde ingratum ſibi officium Sereniſſimi Pueri tenellas manus apprehendere, invito inofficioſum collaturus obſequium; tunc ultra vires, & annos animoſus æquè, ac pudicus Puer pro virili colluctatus extracta, fortiter elataque altè dextra propiùs jam admoventior haud levem alapam inflixit; ex qua ingens importuno aulico rubor obortus; cæteris, qui aderant feſtivus plauſus; univerſis præſtitum documentum intutum eſſe parvuli leunculi teneros unguiculos jam exerentis nativam irritare generoſitatem. Certè qualis, quantaque fuit in Theodoſio pro tuenda caſtitate adverſus illicitas blanditias, argumento ſit, quòd vel puer licitas adeo ſeverè vindicarit. Neque aliàs mitiorem illum quædam ex aulicis elegans puella experta eſt. Ea, ſive jocandi, ſive periculi faciendi gratia, inſolitis, blandimentis Sereniſſimum Puerum pertentans, manibusque blandè contrectans juſſa primùm ſeriò ab hujuſmodi lenociniis abſtinere, obſtinatè deinde immorantem, verbisque nihil proficientibus immotam, arrepta obvia fortè virga indignanti ſimilis aggreditur, ac repetitis ictibus moleſtam ſibi muſcam abigit; fugientem à facie minacis Pueri adſtantes ſcommatibus proſequuntur, viciſſimque inclamant; effuge virguncula Theodoſium, virga ferit ille, caveto. Ita ſe caſtè, cautèque geſſit in gynecæo; à quo exire, atque à fæminarum ſocietate ſecedere duodennis jam magnopere optabat; verùm Sereniſſimis Parentibus aliter ſentientibus obſequendum illi fuit. Tertium jam ſupra decimum ætatis annum expleverat, cùm illuſtriſſima, ut ſolebat, Domina illi veſtiendo ſedulam daret operam, ad quam ſic Theodoſius: *Non exinde (*inquit*) abducar, donec falſum aliquod mihi teſtimonium elevetur.* Adeo nempè caſto Principi firmum, immotumque ſederat à veri criminis macula ſe immunem exhibere, ut ſolius confícti famam, ſive infamiam pertimeſceret. Et meritò in aula, ubi ad omnigenas Principis actiones intentis omnium oculis, eas plerunque in deterius interpretantur, manifeſtis ejus virtutibus vitiorum labem affigentes; à vitiis ibi paſſim obviis deviare difficile, à vitiorum opinione difficillimum. Maledici murmuris peſtilens aura nullibi quàm in aula perflat vehementiùs. Ea tamen extitit adeo evidens, univerſisque Theodoſii perſpecta caſtitas, ut labem inferre illi, aut leviter detrahere nemo unquam tentarit: in eo quidem noſter Princeps divino Principi fuit ſimillimus; plurima enim, & graviſſima Chriſto Domino crimina, cùm ejus perfidi hoſtes falsò imponerent, illius tamen immaculatam caſtitatem nemo eorum, vel projectiſſimus ad audendum vellicare leviter auſus eſt. Similiter Theodoſio accidiſſe conſtat; immò illum quòd plus nimiò caſtitatem coleret non nemo improbè politicus vitio dedit, dignus qui deteſtandæ criminationis acerbiſſimas pœnas daret.

137 Acerbiori ſupplicio dignior profectò alius qui alium ab eo, quem ſe gerebat reputans Theodoſium in peculiari jam palatio agentem, eidem per ſummam iniquitatem nefarii conſilii authorem ſe præbere occæpit. Is nactus Principem abſque arbitris, ſolito de more, ſuis vacantem ſtudiis, laborioſo

in primis otio, quod Principem maximè deceret, commendato, ab eo viciſſim abſtinendum, mutandaque lætioribus triſtia commonere; ſtudiorum utili miſcendum aliqualis voluptatis dulce, quò illorum acerbitas emollita naturæ aſpera recuſanti, mollibusque gaudenti, noxia eſſe nequeat; mox veterum tum Luſitanorum, tum aliarum gentium Principum prolatis glorioſis nominibus, ſuæ iniquitati facilem, & expeditam, ut credebat, viam præmunire. Illorum pleroſque celeberrimos extitiſſe, vel præclaris editis rebus geſtis, vel prudenti, optimaque Reipublicæ adminiſtratione; at propè nullum fuiſſe quin adhuc inter maximarum rerum conamina, genio, & voluptatibus indulgeret, ſine quarum adminiculis quî fieri poteſt, quominus ſub immenſa graviſſimarum ſolicitudinum mole fragilis humanæ infirmitatis conditio ſuccumbat, penitusque deficiat? Eorum præterea plurimos valde proficuos ſuo imperio extitiſſe præter alia, relicta poſt ſe numeroſa prole Regia tum ex legitimo thoro, tum ex vago, & illegitimo; unde præclariſſimi orti Heroes illuſtrium familiarum progenitores. Plura in eandem ſententiam proſequentem, & parantem dicere intercepit Theodoſius, certus jam quò impudentis conſiliarii perſuaſio collimaret, cumque peracerbè habitum hujuſmodi reprehenſione caſtigatum à ſe abire juſſit: *Quam pro me curam geris, eam de tua conſcientia conſultiùs foret te habere; oleum & operam, immò meam, & quod caput eſt divinam gratiam perdidiſti; perdere verba, etſi aliquando leve ſit, at prodere Principem, piaculum eſt graviſſimum: ſi capitale meritò habetur regiam monetam adulterare, quantò erit capitaliùs Regis Filium velle corrumpere? Nec tibi, nec alteri deinceps erit impune Principis aures ſimilibus artificiis circumvenire; cave tibi niſi te penitus reſipiſcentem audiero, curaque in poſterum, ni me tibi perpetuò infenſum velis, gravem læſæ pudicitiæ offenſam publica ejuſdem obſervatione abolere.* Egregio impoſtori taciturnitatem impoſuit juſta Principis indignatio: ab eo tandem exiit, qui à ſe priùs exierat, neque ſui, neque voti compos, haud obſcuras turbati animi notas vultu proferens; quas cum obvii familiares obſervaſſent, cauſam inquirunt, importuniſque precibus demum extorquent; qua cognita, ſparſoque per aulam rei memorabilis rumore, tantus omnes terror invaſit, ut nemo deinceps niſi honeſta coram Theodoſio commemorare, ne dum illum ad inhoneſta provocare auſus fuerit. Tanti refert in primo congreſſu hoſtem profligare; qui ſemel victus, vel victoriam deſperabit, vel ſi fortè inſurgat novam animoſo victori offeret triumphandi occaſionem.

138 Et tamen aliàs aliam ſubiit longè periculoſioris aleæ plenam; ex qua præſentiſſimo Dei opitulantis auxilio multò glorioſiùs victor evaſit; cœleſtibusque Angelorum ordinibus vel ex eo unico facto inſerendus. Fuere, qui, ut olim ad Angelici Doctoris, ſic tunc ad Principis Theodoſii labefactandam pudicitiam ſimili, tartareoque utrique artificio uterentur. In ſecretum cubile quà Principi neceſſariò eſſet tranſeundum, ſatis elegantem introducunt puellam pretioſis ornatam veſtibus, amatoriis blanditiis, omnibusque perficiendo concepto ſceleri artibus apprimè inſtructam; ſive de Principis inexpugnabili, ut vulgò ferebatur, caſtitate periculum facturi; ſive illum in libidinoſos laqueos, à quibus humana tantum ope ſe nemo poſſet explicare, per ſummum nefas, & incredibilem audaciam inducturi. Latentium inſidiarum inſcius omnibus procul arbitris ſolus cubile illud adit Princeps: mox à ſibi obvia puella, quid eo loci agat? Quid præter morem illic abdita ſibi velit? Inquirit: *Vt* (inquit) *Veſtra Celſitudo pro ſua erga omnes benevolentia, notaque comitate,*

tate, digneitur, hunc accipere faſciculum à nobili virgine ſibi oblatum, quæ Celſitudinem Veſtram ardentiſſimè deperit. Ita ne virgo es? Rogat iterum Princeps, non magis conſtanti animo commotus, quàm ſi dura ſilex, aut ſtet Marpeſia cautes: *Ito ſanè* (reddit mellitis labiorum motibus dulciſona Siren) *ac ex integro Veſtræ Celſitudinis votis, & obſequiis addictiſſima.* Hìc Princeps totus ad modeſtiam, & inſitam gravitatem compoſitus, cœleſtē quid virgineo vultu ſpirans, nihilquè mortale ſonans: *Quoniam* (inquit) *Virginem te profiteris, ac ſpecioſæ Virginis os, habitumque geris, à te peregrinis floribus textum faſciculum ea conditione libenter accipio, ut illibatum intemeratæ virginitatis florem, cæleſte quidem donum cæleſti Principi omnium pulcherrimo, integræque virginitatis integerrimo amatori aptiùs offeras. Si mortalium aliquem deperis, periiſti; ama potiùs immortalem Deum qui ſolus eſt dignus amari. Hoc fac, & vives, dummodo confeſtim hinc abeas bonis avibus, certè melioribus, quam veniſti. Tui miſereor ò puella, ut credo, ſeducta; ideo tibi parco, ut par eſt: at illis, qui te hùc deceptam introduxere, ſi reſcivero, haud erit impune.* Puellam antea impudicam à Theodoſii conſpectu virginitatem ſpirante abeuntem, ſalutaria ipſius monita mirificè pudibundam reddidere: eadem tentati ſceleris Authores ab illa inſperati eventus certiores factos de admirabilis Principis comitate, conſtantia, prudentia, & Angelica planè virginitate reddidere admirabundos; ac ſibi de illius juſta vindicta, ſi forſitan eidem innoteſcerent, meritò pertimeſcentes.

139 Et quidem non minus erat urbanus Theodoſius, & placidiſſimus erga omnes, cùm honeſtis officiis ad benevolentiam alliceretur, quàm violatæ caſtitatis ſeverus cuſtos, rigidusque vindex, cùm eam vel leviter offendi animadverteret. Miſſum ſibi ab illuſtriſſima Domina elegantem faſciculum excepit Princeps mirificè gratulabundus. Idem muſſitantibus aulicorum nonnullis, mittentisque intentionem ſiniſtrè accipientibus ſic occurrit: *A malo eſt, malignè, quod ex ſe minimè malum eſt, interpretari. E floribus delibatis apes dulcem ſuccum, ex iiſdem lethale venenum aranea conficiunt; utris earum vultis, quæſo, aſſimilari?* Sic ab aulicis fucis vernantes flores ſibi miſſos; aliter ſe ipſum aliquando tutatus eſt, haud minori urbanitate. Coram Principe ſummis ad cœlum encomiis ſupra ſidera, ſolemque, ut vulgò fit, eximia peregrinæ cujuſdam Dominæ pulchritudo efferebatur, dumque in ea præter modum commendanda omnes amplificandi modos univerſi aulici certatim expendunt, ex iis unus quaſi cæteros laudando ſupergreſſurus exquiſitioreque uſus exaggeratione ſermonem ad Principem ita convertit: *Si Veſtra Celſitudo illam videret, procul dubio deperires.* Cui Princeps: *Nec videre juvat, neque, ſi fortè viderem brevi perituram pulchritudinem deperirem: longè ſpecioſior, & amabilior virtus eſt, quam ſi oculis cerneremus, omnis, & peregrina pulchritudo humana, præ illa nobis vileſceret, nihilique facienda judicaretur. Fallax gratia, & vana eſt pulchritudo feminarum; mulier timens Deum ipſa laudabitur; fallitur quiſquis fallaci, & evanida illius ſpecie mox in pulverem, & putredinem abitura deceptus infatuatur.* Sic amatorios aulicorum ſermones invertere ſolitus, divinæ, cœleſtique cujuſque virtutis, at caſtitatis in primis pulchritudini unicè addictus Theodoſius. Eam cùm in oculis ſemper haberet, ad inſtar Sanctiſſimi Jobi, pepigit fœdus cum oculis ſuis, ne unquam de virgine cogitarent, conſcius per ſenſuum, maximèque oculorum feneſtras mortem ſolitam aſcendere, indeque ad cordis intima penetralia facili dilapſu altè deſcendere. Ideo ſingulari ubique modeſtia ſe, ſuaque perpetuò circunſpiciens intentam oculorum aciem nulli unquam rei ad-

admovit, quam corde concupiſcere non liceret.

140 Fæmina quædam haud parum ſpecioſa, uxor viri Anglici Regii tibicinis Principem aliquando convenit, ubertim effuſis lacrymis ingentem dolorem atteſtantibus. De viro ſuo conqueritur, à quo indigniſſimè habetur; eadem mox ut juſtis querimoniis fidem faciat, cicatricibus deformatum pectus aperit, Principi conjugis ſævitiem probatura. Oculos Ille à fœdo avertit ſpectaculo non minus pudibundus, quàm miſericors, imperatque comitanti alteri fæminæ, ut ſociam obvelatam componeret; tunc ad eandem jam compoſitam converſus, iniquamque ipſius ſortem miſeratus blandis ſolatur verbis, maritumque ad ſe arceſſiri jubet è veſtigio, graviſſimè reprehendit, graviori afficiendum ſupplicio niſi in poſterum reſipiſceret: & quidem reſipuit veritus ne reincidens in Principis juſtam indignationem incideret. Ille tamen non proprios tantùm oculos, etiam alienos ſummæ pudicitiæ non nihil infenſos verebatur. Idcircò præter vultum, manusque, nullam ſui corporis partem, vel minimam pedum ſumitatem etiam ſe veſtientibus aſpiciendam unquam permiſit; cùm è lecto ſurgeret, jam intimis quibuſque veſtimentis circumamictus prodire, ſeque ſolis exterioribus adornandum id muneris obeunti committere, tam in gynecæo, quàm in proprio palatio; ſimiliter dum ſub noctem cubitum iret; hujuſce adeo inſolitæ propèque incredibilis modeſtiæ teſtem producere oportet ipſius Principis Magiſtrum, à quo id ſe accepiſſe quidam è noſtris Vir maximæ auctoritatis mihi admirabundus atteſtatus eſt; id ipſum confirmante ipſius Principis Claviculario Antonio Roderico Almeyda viro indubiæ fidei, qui primo mane quotidie Principem jacentem primus excitare, ab eodem jam diſcumbente ſingulis noctibus poſtremus excedere ſolitus.

141 Similis in ore, auribusque Theodoſii pudicitia enituit. Nemo illum unquam minus pudicum, aut de hac re jocoſum verbum proferentem audiit: nec è contra illum hujuſmodi Princeps audiit, quin graviter reprehenderit. Ex illius ore quaſi ex oraculo pendere omnes, ipſiusque verba bis ad limam concinnata, quàm ſemel à lingua prolata honeſtatem perpetuò ſpirantia expendere: vel in caſtigata, caſtaque elocutione ſive Latina, ſive Luſitana caſtitatis amor eminebat; ſi cui, eo audiente, minùs honeſtum fortè verbum excidit, acerbam ejus cenſuram non effugit. Apud Alcantaram levis impudicitiæ umbram in aliquorum jocoſis verbis, graviſſimis inſectatus eſt: ſeriò admonitis colloquentibus, indigna eſſe illa verba quibus alicujus honeſti viri, ne dum Principis aures polluerentur. Ibidem è feneſtra Regii palatii fortè audiit anteambulonem quendam incompoſitis verbis prætereunti fæminæ inſultantem; eum illicò ad ſe vocari juſſum adeo ſeverè habuit, graveque indixit ſupplicium, niſi deinde à ſimilibus abſtineret, ut tremebundus homo liberum è conſpectu irati Principis nactus exitum, commilitonibusque Principis minas, & earum cauſam referens, ſimilem ſuo terrorem eorum animis injecerit; non vulgari exinde fructu ad honeſtatis proſecutionem ſubſequuto; cunctis verba execrantibus, quæ Princeps tantopere deteſtaretur: at quid mirum exercuiſſe Theodoſium caſti Zeli aculeum adverſus ignobilem anteambulonem, ac ſimiles, qui nec magnatibus, aut majeſtatibus minima quælibet, ac leviſſima condonabat.

142 Fortè Romphæam in ampliſſima rotabat aula Princeps ſeque unà cum ejus artis Magiſtro magna virium oſtentatione plurimis adſtantibus exerce-

ercebat; cùm è magnatibus unus ad proximum ſibi muſſitans verba protulit Principis futurum conjugium unicè reſpicientia, in quibus ad plurimùm non nihil otioſum leviter ineſſe poterat; ea tamen etſi è longinquo, ſuoque implicitus exercitio excepit Princeps, qui ad ſecretò muſſitantem converſus: *Ne ſis* (inquit) *delirus Comes.* Is cum à ſe prolata innocenter, ſanaque intentione verba excuſare tentaret, rediit iterum Princeps: *Jam tibi dixi, ac iteratò edico Ne ſis delirus.* Tam caſtis Principis auribus abſona fuere verba, quæ vel leviſſimè caſtitati diſſonarent. Id ipſum luculentiùs adhuc in ſequenti exemplo poterit quis deprehendere. In Regia bibliotheca legendis ſolito demore libris vacabat aliquando Theodoſius, quæ ipſe deſignaret exemplaria ſubminiſtrantibus hinc Regio Bibliothecario, à quo id accepi, illinc quodam Eunucho Præsbytero, Principique ob egregias dotes, & virtutes acceptiſſimo. Ad Bibliothecam interim etiam divertit Sereniſſimus Rex laxandi animi gratia, Eunuchumque Principi librum ſuggerentem intuitus, Quemnam (inquit) librum Principi offers, Ariſtotelem ne de generatione, & corruptione? Tunc audita Sereniſſimi Parentis voce, ad eum reverenter converſus Theodoſius: *Abſit* (inquit) *à Veſtra Majeſtate verbum otioſum.* Iterantem verò lepidos, quibus abundabat, ſales, Regem iterum modeſtè interpellat Theodoſius *Meminerit, quæſo, Veſtra Majeſtas reddendam à nobis apud ſupremum Regem de quolibet otioſo verbo exactiſſimam rationem.* Hic Rex ſolito ſeverior: *Parciùs* (ait) *iſta, non mihi, ſed aliis à Principe objicienda.* Ad quæ Princeps obmutuit, oſculataque ſuppliciter Sereniſſimi Parentis dextra illinc diſceſſit, monito tamen Bibliothecario, ut ſe revocaret, cùm à bibliotheca Parentem ſuum exire videret. Qui recedente Principe pauliſper cum geminis, qui remanſerant, familiariter de Principis modeſtia collocutus ingenuè fateri non dubitavit; plus ſe Theodoſii Filii reprehenſionem jam virum revereri, quàm olim Parentis Theodoſii redargutiones juvenis vereretur.

143 Præclara quidem ſunt hæc aliorum de caſtitate Theodoſii teſtimonia; majus tamen & pluris faciendum, quod ipſe de ſe data occaſione aliquando proferre coactus eſt. Ægrotanti Principi pro miniſteriis opportunis ſedulam navabat operam honeſta quædam notæ ſimplicitatis fæmina, quæ inſita ſynceritate ſic Principem ſemel eſt allocuta: *Mi Princeps vulgò dicitur Veſtram Celſitudinem ideo improſpera uti valetudine, quòd amoribus minimè indulgeat.* Simplicis fæminæ innoxiam confidentiam graviter tamen modeſtus Princeps redarguit, ſerìoque monuit ne deinceps ſimilia verba, vel audiret, vel temerè audita ſibi referret. Non abſimile quiddam alius prudentior, at verbis modeſtioribus apud eundem Principem iterum pronunciavit valetudinarius miniſter, qui à Medicis præſcripta remedia eidem opportunè ſubminiſtrabat: *Accepi* (inquit) *à quodam dynaſta nimiam Veſtræ Celſitudinis caſtitatem iſtius ægritudinis fuiſſe cauſam.* Cui Princeps: *Si unquam aliàs ab eo dynaſta, vel ab alio ſimile quid audieris, edicito illi meo nomine, mihi adeo in animo firmum, ſixumque eſſe Deum non ſolum lethaliter non offendere, quod hactenus ipſius divina gratia confirmatus præſtiti, ſed neque venialiter à me offendendum, quanvis propterea totius mundi Rex efficerer.* O Principem vel eo tantùm nomine totius orbis imperio digniſſimum! Ab eodem in eadem ægritudine, quæ illi fuit extrema requiſivit idem artis medicæ ſcientiſſimus, an aliquoties in ſomnis aliquas ſoleret pati nocturnas pollutiones, quò nimirum cognito ejus temperamento ſalutaria eidem pharmaca poſſet applicare? Nunquam ſe talia expertum

reſpon-

reſpondit immaculatus omnino Princeps, non modò vigilans, & ſui compos, ſed etiam per ſomnum ſui ſimillimus, & caſtiſſimus. Luculentiſſimum eſt in hac re de caſtiſſimo Principe teſtimonium prolatum à Petro Soſiâ olim ipſius Principis Villaviſſoſæ puero ingenuo; cujus hæc ſunt concepta verba ex manu ſcripta relatione decerpta, latinèque à me donata: *Neſcitur* (inquit) *vel ſenſuali cogitatione unquam tentatum. Immò aſſeverabat ille ſi eo infelicitatis deveniret, ut corde ſuo ſenſualitatem conciperet, violentas ſibi priùs manus illaturum.* Tali exaggeratione adversùs hoc vitium mortale odium, erga oppoſitam virtutem ſummum amorem profitebatur.

144 Juvat adextremùm pro pleniori hujuſce argumenti complemento non nulla jam à me alibi commemorata brevi recolere, digniſſima quidem multiplici repetitione. Supra vidimus quàm ardenti amore Sanctiſſimam Deiparam proſequeretur; ab eo nempe intemeratæ virginitatis puriſſimo fonte illibatam hauſit virginitatem Theodoſius. Idem cùm erga plures cœlites mirificè afficeretur, in S. Joannem Evangeliſtam, ut diximus, S. Catharinam, S. Thomam, S. Benedictum, S. Franciſcum Seraphicum, S. Xaverium propenſiori ferebatur affectu, quòd inter cæteras virtutes virginitatem impenſiùs adamarint. Si quos in vivis adhuc agentes noverat caſtitatis amatores, eos indulgentiùs, & liberaliùs habere. Si quos è contra impuris voluptatibus emancipatos deprehenderat, eos averſari, neque ſuæ clientelæ addictos pati; quiſquis Theodoſii famulatui adſcribi optaret, honeſtatem profiteri oporteret; ſuos clientes vellet, æmulari animalis illius candidiſſimi genium, cui multò eſt acerbius luto infici, quàm à venatoribus interfici; omneſque geſtare cordibus impreſſam epigraphem ab illo deſumptam: *Mori potiùs, quàm coinquinari.*

Lib. 3. §. 14. & 35.

Ibid. §. 36, 37, & 38.

145 Non contentus verò caſtiſſimus Princeps prædictis erga virtutem hanc planè Angelicam eximiis intimi amoris ſignificationibus extremam edidit, qua majorem à Principe ampliſſimæ Monarchiæ hærede, nemo ſperare auderet. Votum nimirum illibatæ caſtitatis, de quo ſupra meminimus, ſub decimum quintum ætatis annum, emiſit, illique, repetita ſingulis diebus renovatione, ſe arctiùs adſtrinxit. Id verò caſtitatis votum multò antea ſub annum ætatis ſuæ nonum emiſſum à Principe conſtat ex quadam epiſtola ipſius Confeſſarii Epiſcopi Japonenſis ad P. Franciſcum Araneam tunc Rectorem noſtri Collegii Elvenſis; in qua expreſſis verbis: *Nono* (inquit) *ætatis anno Caſtitatis votum nuncupavit.* Unde conceptum nono, repetitum cum duobus aliis decimo quinto ætatis anno caſtitatis votum exiſtimo. Meminit ejuſdem voti nono ætatis anno emiſſi Petrus Soſia in ſua relatione; plurimique alii confeſſarii teſtimonio irrefragabili adhærentes. Non tamen dubito, quin viri politici, humana tantùm prudentia prædíti, ex illaque, ut ſolent, Principum facta expendentes damnandam potiùs, quàm laudandam eam noſtri Principis actionem ſibi, ac ſui ſimilibus perſuadeant. Ita quidem judicavit, cùm primùm de hujuſmodi voto certior factus eſt Principis ipſius prudentiſſimus certè Confeſſarius, eumque ab hujuſmodi propoſito maximis, de quibus alibi, rationum momentis, licèt fruſtra, deducere conatus eſt. Iiſdem ego quoque facilè aſſentirer, niſi me ab aſſenſu deterritum, divinitus prolata Theodoſii vox reddentis rationem ſuo Confeſſario ſuſcepti conſilii penitùs convinceret, ac in ſuam ſententiam pertraheret: *Certò* (inquit) *velim ſcias, non potuiſſe me aliter me habere; quis enim poſſit efficaci Dei compellentis reſiſtere voluntati?*

Lib. 3. §. 47.

Hoc lib. §. 47. & 48.

lantati? Ardua quidem, arcta, & anguſta; licèt ad cœlum recta deducens virginitatis ſemita non eſt vulgò Principibus inſiſtenda; quorum Regia prole ſtabilitum regnum, & per mutua connubia exterorum Principum potentiæ copulatum, longè, latèque ad poſteros protenditur, & perennat. Siquis temerè ductu ſuo, neque divino, eoque manifeſto impulſu motus, eam Principi Regni hæredi perſuadeat, is inconſultæ, pernicioſiſſimæque temeritatis notam, immò totius Regni juſtum odium non effugiet. Verùm ſi omnipotens, omniſciusque Deus, cui uni, quid mortalibus ſit optimum, quid ſibi glorioſius innoteſcit; cujus viæ, cogitationesque longè diverſæ ſunt à viis, & cogitationibus noſtris, Principem aliquem à communi exceptum lege, à vulgari, minùsque tuta via reductum per virginitatis ſemitam, quam divinus Princeps ejus Filius inſtitit, dignetur potenti manu abreptum ad cœlum inoffenſo pede quaſi deducere, quis conſilii expers conſiliarius ejus erit? Quis cymmeriis ignorantiæ tenebris involutus, Divinum ejus conſilium audeat improbare? Quis divinæ demum ipſius omnipotentiæ valeat obſiſtere? Jam verò rationem Divini conſilii, cui obſequutus eſt Princeps Theodoſius, etſi multiplicem prudenti conjectatione aſſequi, & proferre pronum foret, multò conſultiùs duco humili judicii ſubjectione venerari, quàm curioſa indagatione perſcrutari.

146 Divinitus tamen (quod prætermittendum non eſt) eam Theodoſio mentem injectam; ut caſtitatis votum emitteret, multa quidem ſunt, quæ prudenti rerum æſtimatori facilè perſuaderent. In primis ipſius Principis indubium teſtimonium ſuo præſtitum confeſſario, prædictis proximè verbis, quæ palam faciunt, Illum non niſi divinitus impulſum hujuſmodi votum, ſimulque alia duo à nobis alibi commemorata, nuncupaſſe. Deinde mira ejuſdem Principis conſtantia in aſſerendo emiſſo à ſe virginitatis voto, vel contra ſui Confeſſarii apertè illud improbantis expreſſam opinionem. Illius quidem ſententiæ, non modò propalatæ, ſed quomodolibet indicatæ in rebus ſpiritualibus omnino acquieſcere ſolitus; in hoc uno Deo potiùs palam imperanti, quàm homini conſulenti obtemperandum meritò judicavit. Mox quotidiana hujuſce voti repetitio, ad extremum uſque vitæ halitum longè producta. Quæ humanis tantùm rationibus conſilia innituntur facilè diſſolvi ſolent; quæ divinis, perpetua ſunt, penituſque indiſſolubilia perſeverant. Præterea certò conſtat, ſæpe à Sereniſſimis Parentibus inita conſilia de Theodoſii matrimonio, factamque non ſemel ſuis legatis amplam poteſtatem ſub honeſtis, & magnificis conditionibus conveniendi; quin & manifeſtis vulgatum eſt teſtimoniis à plurimis, iiſque prudentiſſimis Hiſpaniæ magnatibus adeo atrocis belli tædio, & publicæ incolumitatis deſiderio inductis pacem avidiſſimè optatam, immò tentatam Luſitani Principis conjugio paciſcendam, ut quas vetus matrimonium bellicas flammas accenderat, recentes nuptiales tædæ interpoſitæ prorſus extinguerent. Haud latebant hæc Theodoſium ardentioribus interim promiſſæ virginitatis affectibus in dies inflammatiorem, exteriùs neque annuentem, nec palam abnuentem; certum à Deo, cui ſe penitus devoverat, facilè diſturbanda humana conſilia divinis aliò ſpectantibus obluctantia. Et quidem præter omnium expectationem in ventos abiere irriti Regii conatus, Deo, ut par eſt credere, illos diſflante, qui ex integro ſibi oblatum Regium Adoleſcentem non Hiſpanis tædis, non Gallicis; ut probabilior ſpes erat, ſpectabilem, ſed virgineis ſpecio-

ſiòrem liliis in ipſo cœlibatu ad cœlum tranſtulit, Angelicis, quibus convixerat, cætibus aſſociandum.

147 Tandem Authore Deo Theodoſium, etſi Luſitanæ Monarchiæ hæredem, prudenter voviſſe virginitatem facilè credet, nec audebit improbare, quisquis Eccleſiaſticis Authoribus legendis aſſuetus, in iis paſſim obſervabit memoranda quidem exempla maximorum Principum, Regum, & Imperatorum, qui Deo ipſo auſpice, ac ſuadente, vel perpetuam virginitatem, vel caſtitatem abdicatis, aut retentis ſceptris coluere, ſummis propterea laudibus à prudentiſſimo quoque Chriſtianæ Religionis profeſſore celebrati. Aliquorum nomina dedimus ſupra, quibus addo Vencislaum Bohemiæ Regem, Caſimirum Caſimiri tertii Poloniæ Regis filium, Eduardum Angliæ Regem, Henricum primum Germaniæ Imperatorem. Hîc unicum Principem Emericum filium Sancti Stephani primi Ungarorum Regis data opera dabimus noſtro Principi Theodoſio ſimillimum in colenda ex divino præſcripto virginitate, immò illi fortè aliqua ex parte in ipſo conjugio caſtiſſimè traducto ſuperiorem. Igitur Emericus cùm nocte orans in Eccleſia D. Georgii cogitaret quodnam poſſet gratiſſimum Deo munus offerre? Ecce tibi cum cœleſti fulgore vox de cœlo: *Præclara* (inquit) *res eſt virginitas. Itaque mentis, & corporis virgineam integritatem à te exigo: hanc offeras Deo, & in ea conſtanti animi propoſito perſeveres.* Obſecutus eſt ille; ſtatuitque Virgo permanere. Verùm cùm Pater juberet, ut uxorem forma, genere, & moribus ſpectatiſſimam duceret, quæ filios Regni hæredes pareret, paruit ipſe; ſed cum uxore quaſi cum ſorore vixit in perpetua virginitate. Rarum hoc in juventutis flore, & Regiis deliciis, puritatis exemplum; ſed ipſe carnem, ne laſciveret, cilicio edomabat. Contigit, ut Conradus quidam, qui ſpurciſſima, & enormia ſcelera perpetrarat, illorum pœnitens, Pontificis juſſu loricam ferream ad nudum corpus adſtringeret, cum charta in qua ejus crimina ſcripta erant, ac varia Sanctorum ſepulchra inviſeret, donec lorica ſolveretur, & ſcriptura obliteraretur. Cùm varia inviſiſſet incaſſum, venit tandem ad ſepulchrum S. Stephani ubi orans ab eo audiit: *Surge amicè, & Emerici filii mei monumentum, quod juxta eſt, adito.* Ille *quòd carnis ſervanda integritate præcipuam apud Deum gratiam promeruerit facinorum tuorum veniam tibi impetrabit; Ex eorum enim numero eſt qui non inquinaverunt veſtimenta ſua, ſequunturque Agnum quocunque ierit; & ante thronum Dei cantant canticum novum.* Evigilat homo, illico ad B. Emerici ſepulchrum ſe confert, fundit preces, atque opinione celeriùs diſſiliunt ferrei nexus, charta reſignata nullum habet literæ veſtigium. Id audiens Ladislaus Hungariæ Rex honorificè elevari curavit corpus S. Emerici, eumque Sanctorum Catalogo adſcribi. Ad diem 5. Novembris.

Hoc lib. c. 10. §. 121.

P. Adam in polit. l. 3. c. 12. §. 17.

Surius 5. Novemb. ex Bonfin. & aliis.

148 En uterque Princeps Hungariæ Emericus, Luſitaniæ Theodoſius, nulla Regni ſucceſſionis habita ratione, illibatam virginitatem Deo imperanti devovit, ſine cujus certa inſpiratione talia tentare intutum eſſet: ſuo uterque Regno glorioſior, & utilior virgo, quàm foret Parens fœcundiſſimus; ſuis enim precibus apud ipſum Deum, cui ſunt ob virginitatis aureolam acceptiſſimi maximarum felicitatum cumulos, & in primis Regni ſucceſſores, qui propterea non defuere in poſterum impetrabunt, impetrareque non ceſſabunt; Deo, qui ex lapidibus filios Abrahæ poteſt educere, prolem Regiam aliunde ſupplente, ac fæcundante. Is enim ludens in orbe terrarum, cui univerſi rotunda machina inſtar luſoriæ pilæ illam, quocunque libet impellit,

certoque ſemper, & ad ſui majorem gloriam directo ictu percutit, in altum elevat, in imma deprimit; imperia & monarchias, nunc ad hanc, nunc ad illam gentem traducens pluris facit virtutis cujuslibet exercitium, quàm potentiſſimum quemlibet exercitum; pluris divinæ ſuæ gratiæ vel minimum gradum, quàm totius orbis maximam quamlibet amplitudinem. Idem ut Martyrii rubentes roſas, ſic virginitatis candida lilia ex omni ſtatu etiam regio quandoque colligit, ut ex ſimilium exemplo diſcant Reges, ac Principes ante nuptias virginitatem, poſt illas conjugalem caſtitatem ſanctè colere; magnates ſimiliter, & potentes admoneantur magnas, & impotentes frænare libidines, unicèque voluptuoſam vitæ rationem eſſe voluptatibus,& libidinibus non indulgere: univerſos ut pudeat niſi caſtos Principes aut æmulentur, aut ſaltem debita æſtimatione veluti è cœlo delapſos, & ad cælum divinitus factos revereantur.

149 Coronidem huic de Principis virginitate capiti non prætermittendum Epigramma ignoti, at egregii vatis imponat; in quo mentio fit candidæ aviculæ Principis jam ſepulti tumulum obeuntis. Ita ſe habet inſcriptio.

Ad Sereniſſimi Theodoſii tumulum, quem candidiſſima ſupervolitans Avis aliquot luſtravit dies.

EPIGRAMMA.

Theodoſii cineres, quos ætheris aſtra futuros
Virginitas amat, & virginitas animat;
Vrna ne vos ſepelit? Venit immortalis ab urna
Virginitatis odor, virginitatis amor.
Vivitis in tumulo: nova nam, mirabile viſu,
Theodoſii tumulum candida luſtrat Avis.
Ludit, ovat, plaudit tumulo circùmque, ſupraquè
Noctes, atque dies ambitioſa volat.
Illam virgineis traxiſtis odoribus; illam
Vos nivei niveam ſollicitaſtis Avem.
Vos colit illa. Cohors ſeligiŋis inſtar adulat,
Aulica, mentiri candida neſcit Avis.

Hoc Epigramma cum innumeris aliis intra ſupellectilem ejus Confeſſarii reperi.

CAPUT

CAPUT XIII.

Principis Theodoſii virtutes nonnullæ hujus Angelicæ Cuſtodes.

150 Nequis fortè hallucinetur, exiſtimetque ita inſitam fuiſſe Theodoſio Angelicam virtutem, naturalemque in eandem propenſionem, ut abſque ullo aut externo labore, aut interna colluctatione quaſi corporis expers, cœleſtem in terris Angelum egerit, dicendum à nobis neceſſariò erit, qua potiſſimùm ratione, quibusque uſus mediis ſupernaturalem hanc, & difficillimam virtutem adeptus fuerit, adeptamque perpetuò aſſervarit; plurimis obiter, & eximiis explicatis virtutibus quæ ad iſtam vel aſſequendam, vel tuendam ab omni labe immunem magnopere conducunt. Non dubium quin divinæ gratiæ prævenientis præſentiſſimum auxilium, à quo omne datum optimum, & omne donum perfectum, à teneris annis Theodoſii animum ita confirmarit, ut adversùs ignita Diaboli tela, quibus inceſſanter mortalium corda inflammare contendit, galea ſalutis armatus, & fidei ſcuto circunquaque obtectus, illius frequentibus inſultibus facilè poſſet obſiſtere, ac prævalere. Verùm iidem divinæ gratiæ aſſiſtrici multifariam, multisque modis cooperatum ſtrenuè Theodoſium ita compertum habeo, ut efficaciorem tandem indies promeruerit. Felicitatis ſummæ fuerit divinæ gratiæ efficaciam accepiſſe, at eximiæ fuit virtutis ejus incrementa quotidianis virtutum exhibitionibus promovere.

151 Poſt Deum totius boni primum Authorem, prima quidem Theodoſii apud Villaviſſoſam, ſecundaque apud Ulyſſiponem, ſub optimis Magiſtris ad pietatem, & omnigenas virtutes educatio multùm quidem contulit, ut ad eam virtutem impenſiùs afficeretur, quæ à terrenis, fucatisque deliciis avocatum animum, cœleſtibusque abundè compenſatum, immaculatis beatorum ſpirituum (quod ſæpe audierat) ordinibus inſerit. Haud parum adhoc ipſum juvit, in pueritia cum ingenuis pueris, & honeſtis fæminis; in adoleſcentia, cum religioſis, ac doctis viris frequens, & domeſtica conſuetudo, quorum verbis, & exemplis ad virtutum proſecutionem, & vitiorum deteſtationem provocaretur. Serpit vulgò facili contagio morbus in proximos ſanos, non ita ſanitas in ægrotos; aliter uſuvenit in vitiis, & virtutibus, quæ viciſſim ex familiari conſuetudine contrahuntur; facilioribus nempe animis, quàm corporibus ad contraria ſuſcipienda. Plurimos ſæpe vidimus è vitiorum cæno bonorum conſortio ad virtutem emerſiſſe; bonos item ſimilium convictu optimos evaſiſſe, divinæ gratiæ præſentibus auxiliis lapſæ naturæ in deteriora propenſionem evincentibus. Ab omni ſceleris contagione liber Theodoſius, non à virtutum ſibi tenaciori glutino, promptus alienas æmulari, proprias aliis, quibus aſſueverat, æmulandas exhibere; At quia optimam ſortiri divinis præmunitam auxiliis indolem, benevolenti Deo tribuendum eſt, Sereniſſimis verò Parentibus honeſtam

inter optimos nanciſci educationem, hæc, quæ jam expedio, ex ſuo adhibuit remedia Theodoſius, maximè quidem opportuna pro abſoluta hujuſce virtutis aſſecutione, perpetuaque conſervatione.

152 Otium inprimis Principum aulis familiare ſummo ſtudio declinare deliberavit, conſcius eſſe illud maximum laborioſæ caſtitatis venenum, noxiique amoris pulvinar; quem appoſitè definivit Theophraſtus: *Amor paſſio, ſeu morbus eſt animi otioſè viventis*; Et certè inerti otio animi vires franguntur, virtutes langueſcunt, vitia certatim erumpunt, maximèque advenerem inducentia; enim verò, *Quam platanus rivis gaudet, quàm populus unda, & quàm limoſa canna paluſtris humo, Tam Venus otia amat, &c.* E contra, *Otia ſi tollas periere Cupidinis artes, contemptaque jacent, & ſine luce faces.* Otio deditum Principem nemo unquam vidit, utilibus, & honeſtis exercitiis perpetuò vacantem, omnes obſervarunt: Nullam ſibi paſſus eſt utilem horam perire, diurnas, nocturnasque illa, qua diximus, ratione ita diſtinxerat, ut nullam vacuam tranſigeret. Amanuenſe illi erat miro elaboratum artificio horarium hujuſmodi epigraphe inſcriptum *Nulla labitur fruſtra*; Qua frequenter inſpecta optimus Princeps admonebatur, nullam ſibi aut diei, aut noctis horam ab honeſto labore immunem traducendam. Ejuſdem præterea per certa horarum intervalla excitatoris tintinabuli pulſu impelli ſolitus ad elevandam mentem in Deum, ad quem ubique præſentem ſuas omnes actiones, & cogitationes referebat; cui placere in omnibus, nullatenus diſplicere, unica illi erat ſollicitudo. In hujuſmodi curas intentum Principem quî poſſet otioſus Cupido arcus ſui otio languentem chordam intendere! *Fruſtra jacitur rete ante oculos pennatorum*! Fruſtra certè ſuis artibus irretire conaretur cæcus Puer Theodoſium pervigiles habentem oculos ad præcavendas ipſius inſidias, columbæque pennatas alas explicantem, quales optabat Regius vates, *Quis dabit mihi pennas, ſicut Columbæ, & volabo, & requieſcam?* Quibus ad ſumma, & cœleſtia prætervolans lutulenti amoris ſpurcitias tutò deſpiceret. At mirum dictu eſt, in otioſa vulgò aula, neque otium, neque delicias otii aſſeclas ad Theodoſium irrepſiſſe.

Ovid lib. 1. de rem.

Lib. 1. cap. 14.

Prov. 1. 17.

Pſ. 54. 7.

153 Inter alia laudabilia exercitia quibus penitus addictus Theodoſius ignavum otium evitabat; literaria primum ſuo quaſi jure locum apud eum obtinuere. Ut caſtitatis exemplar evaderet Theodoſius pertinaciſſima literarum ſtudia effecerunt; ſapientiæ amantem, liberaliumque artium ſtudio deditum animum impuri amores haud pertentant, ne dum penetrant; cæcus meritò pingitur Cupido, certò nimirùm indicio, captos eſſe oculis, prorſusque inhabiles perlegendis libris eos, qui ſe illius obſequiis emanciparunt; clarum ſcientiarum lumen excipere is nequit, cui oculorum lumina deſunt. E converſo Minerva ſapientiæ Dea pudica fingitur ab antiquis, & Muſæ ſcientiarum præſides, ſimulque virgines ab iiſdem celebrantur; ut ſignificarent caſtitatem non modo ſapientiæ comitem, ſed etiam cauſam, & conſervatricem eſſe. Idcircò Bozius numerat plures illuſtriſſimas fæminas non modò caſtitatis, ſed ſapientiæ ſimul gloria inſignes olim in Germania. Cùm igitur tanta ſit cognatio ſapientiæ cum caſtitate; quis neget ex amore ſapientiæ, aſſiduaque librorum lucubratione multùm profeciſſe Theodoſium ad amorem, obſervationemque caſtitatis? Illud hîc minimè prætermittendum: cùm ſit evidens argumentum animi prorſus abhorrentis ab omni umbra, vel

Boz. l. 22. de ſign. eccleſ. c. 2.

leviſſi-

loviſſima quæ caſtitati poſſet officere. Volutandis omnigenis libris aliqua ex parte utilibus inſita cupiditate inhiabat Theodoſius, Idem ad impudicos, vel delibandos nulla unquam ratione adduci potuit; quidquid aut reconditæ eruditionis, aut lepidi acuminis continere dicerentur; id totum illibatæ pudicitiæ firmo propoſito poſtponens, maluit minùs eruditus, quàm minus pudicus cenſeri; Lacedæmoniorum exemplo; qui libros Archilochi civitate Val. l. 6. c.
ſua exportari juſſerunt, quòd eorum parum verecundam, ac pudicam lectio- 3. ext. n. 1.
nem arbitrabantur. Noluerunt enim ex librorum lectione liberorum ſuorum animos imbui, ne plus moribus noceret, quàm ingeniis prodeſſet.

154 At non literariis tantùm exercitationibus molli otio, & libidinibus exinde oriri ſolitis declinandis incubuit Theodoſius; aliis longè ſublimioribus, multòque ad comparandam caſtitatem efficacioribus ſedulam, & aſſiduam navavit operam. Orationi quotidianæ, divinarumque rerum contem- Infra c. 14.
plationi, de quibus capite ſequenti mox dicendum, totum ſe devovit: eo verò amuleto nullum eſt præſentius ad vincendas venereas tentationes, ad caſtitatis lauream aſſequendam; illius divinæ quidem virtuti tribuit meritò Auguſtinus glorioſum caſtæ Judithæ triumphum: *Ecce* (inquit) *Glorioſæ fæminæ* S. Aug. ſer.
caſtitatem ſervavit oratio, & hoſtem ſervare non potuit multitudo; lugentem civita- 228. de
tem una fæmina potuit vendicare, & tantus exercitus Regem non potuit cuſtodire. temp.
Oratio enim, & cœleſtium, inferorumque meditatio Chriſtianæ fidei adhærentes, mentem à terrenis, & noxiis cupiditatibus abſtractam, ad Deum veræ voluptatis fontem elevant; eædem promiſſa caſtis præmia æterna, intentata impudicis ſupplicia ſimiliter æterna expendunt. Qui in carcere poſt latam ſententiam extremo ſupplicio damnatus eſt, jam ante oculos malam crucem, aut rogum intuetur: quem vitæ dubium naufragia pulſant, qui in acie palleſcit in hoſtium mortem ſtricto ferro minitantium conſpectu, illi metus libidinoſam omnem cogitationem excutit: ita quoque ardorem voluptatum blanda commotione ſerpentem æterni ſupplicii ſeriò meditata fides, & formido extinguit. Neque minùs idem penitus obruitur cœleſtium bonorum, & voluptatum attenta conſideratione, præ quibus ſordida quælibet terrena voluptas penitus evaneſcit, contemptui, & execrationi habenda. Aliud præterea non minùs efficax remedium aſſerendæ caſtitati adhibuit Theodoſius, nimirum ſacramentalis Confeſſionis quotidianum uſum, & ſingulis hebdo- Lib. 3. c.
madis Sacræ Euchariſtiæ frequentem ſuſceptionem, de quibus ſupra dixi- 27. ad 30.
mus. Quàm hæc valeant ad totius ſceleris, maximè libidinoſi plenam abolitionem, quiſquis experiri animum inducat, planè intelliget indubio exinde fructu percepto, certoque comparato auxilio adſuperandas turpiſſimi Diaboli machinas, & ſubdolas ſubſtructiones. Nihil tam reformidat fallax hoſtis, quàm ſuas, quibus maximè fidit, inſidias per Confeſſionem aperiri, iis propalatis proditum ſe, ac perditum lamentatur. Idem ſceleſtus veſpertilio, infamiſque noctua cimmeriis inferni tenebris aſſuetus divinum Solem, è Sacra Synaxi ardentiſſimi amoris radios evibrantem ferre non valens longiſſimè aufugit, ac cæcis ſe ſe occulit inferni umbris; neque audet omnipotentis Dei præſenti præſidio inexpugnabilem humani cordis arcem admotis machinis oppugnare. Ad extremùm, pro expugnando penitus luxuriante Lib. 3. c.
hoſte præſentiſſimum immaculatæ Deiparæ Virginis auxilium ſingulari, de 34. & 35.
qua diximus, devotione promereri ardentiſſimè Theodoſius ſtuduit: *Mentem* Tum. Theod. in A-
(judicioſa ſunt verba in ipſius illuſtriſſimo Tumulo inſcripta) *ut in contamina-* mer. elogio 1. § 7.

tam in ſaculo inquinato ſervaret, cuſtodiendam Matri Virgini tradidit: eidem obſequio ſervus, affectu filius, ita ſedulus aſtitit cultor, ut per Mariæ amores Ieſum lucratus, lutulentas terræ vias puro pede tranſierit, & arctiores cæli januas impedimentis liber intrarit. Aſceterium ſibi aulam conſtituens, pœnarum deſiderio à delitiis transfuga pietatis ſuæ ſitim ſolatus eſt lacrymis, famem jejuniis.

155 Sub ejuſdem Deiparæ Virginis victricibus vexillis, quæ Terribilis, ut caſtrorum acies ordinata nuncupatur, didicit Theodoſius ſtrenuè rotare arma, quæ ad caſtitatis defenſionem opportuniora eſſe vulgò compertum eſt: S. Aug. de honeſt. mulier c. 2 *Inter omnia certamina Chriſtianorum* (monet rectè Auguſtinus) *ſola dura ſunt prælia caſtitatis, ubi quotidiana eſt pugna, & rara victoria. Gravem nanque ſortita eſt caſtitas inimicum, cui quotidie reſiſtitur, & ſemper timetur.* Aſſiduum cum inteſtino hoſte bellum gerimus; ideo perpetuò armatos, inermes nunquam eſſe oportet Chriſtianos milites, ad victoriæ lauream adſpirantes. Cant. 3. 7. Hinc caſtum Salomonis lectulum ambiunt ſexaginta ex fortiſſimis Iſrael. Quin & veteres Palladem Virginitatis, & Sapientiæ Deam armatam pingebant. Et Aſtrologi ſignum Virginis in cœlo, medium collocant inter Libram, & Leonem; ut indicent virginitatem indigere leonina fortitudine, ac librata temperantia. Et quidem ex fortitudinis, ac temperantiæ armamentariis deſumenda ſunt arma, quibus adverſùs Caſtitatis hoſtes acerrimè præliandum. Ea verò ſunt, flagella, cilicium, jejunium, ſobrietas, mortificatio, tam externa ſenſuum, quàm interna paſſionum. Omnigenis uſum Theodoſium nonnullis confirmo argumentis, quæ mihi innotuere, cætera, quæ plurima fuiſſe non dubito, nobis eripuit ejus humilitas, in occultandis propriis virtutibus ſolertiſſima.

156 Villaviſſoſæ ante quàm ſeptennium expleret, jam ſolitum Theodoſium flagellis tenerum, innocenſque corpuſculum macerare, idque in ſecretioribus palatii latibulis, accepi à Sereniſſima Regina Matre; nec niſi certo adeo teſtimonio rem tam inſolitam credere, ne dum proferre auderem. Ejuſdem non modo ad ſecretas, verùm etiam ad publicas flagellationes eo ætatis propenſionem propalat in ſua relatione hiſce verbis ipſius minor Nutrix D. Maria Calada Romaa: *Vidit* (inquit) *ſe flagellis publice, acerrimèque cædentes in quadrageſima, illicoque illos æmulandi ſtudio apta ſibi ad id muneris inſtrumenta confici ſummis precibus adnixus exoravit; elaborataque illi tunica eſt, quam hactenus apud me in ſumma veneratione habeo.* Hìc obſervandum hujuſmodi terrifico aſpectu hominum proprio ſanguine largè effuſo madentium, ſolitos vulgò tenellos conſternari pueros, & à matribus, vel gerulis nutricibus adfuturos eos minantibus deterreri; è contra Theodoſius eorundem intuitu adeo delectari, ut illis ſimillimum ſe reddere ardenter expetierit. Jam tunc in adeo immatura ætate præcoces intempeſtivæ pœnitentiæ fructus prolaturus. Vix in virginea terra vitiorum tribulos, ad ſpinas adhuc germinare neſcia, innocentiæ primitivi flores eruperant; cùm tempus putationis, ſeu per flagella inciſionis adveniſſe putavit: in cæteros mitis, & ſuavis ſibi uni ſævus, & immitis, aliena crimina, ſe ipſum cædendo vindicabat, ne unquam poſſent propria pullulare. Contremuit credo, & expalluit ad tantilli Theodoſii non quaſi aëra verberantis, ſed innoxios articulos caſtigantis acceptum ſonitum Idalius Puer; ſeque ante congreſſum à tenello Puero pudicitiæ vindice victum puduit, quem ſpontaneis plagis obduratum ſuis ſenſit ſagittis in poſterum impenetrabilem. Non dubium, quin major natu, auctis cum ætate viribus cæptam Villaviſſoſæ pugnam adverſùs domeſticum hoſtem Ulyſſipone animoſiùs

mofiùs proſequeretur: illic certè intra Regiæ aulæ abdita penetralia, manus verberibus armatas ſecum ipſe conſeruit; hic jam acri militia robuſtior adhuc Puer auſus in apertum campum deſcendere ſimilibus inſtructus armis violentas ſibi ultro manus intulit, utrobique novo victoriæ genere ſuimet ipſius triumphator.

157 Alcantaram ſingulis hebdomadis conſtituta die, unà cum Sereniſſimo Parente in Regia villa ruſticaturus procedebat Theodoſius haud mediocri exultantis animi voluptate, non tam genialibus oblectationibus, quàm ſpiritualibus exercitiis ibi liberiùs vacaturus. Hîc ad venationem longiùs progrediente cum aſſeclis Sereniſſimo Rege, intra Regiæ villæ pomæria ſubſiſtere vulgò ſolitus Theodoſius cum ingenuis pueris genio indulturus. Ibidem poſtquam vario puerilium ludorum oblectamento commilitonum voluptati aliquandiu faceret ſatis; quaſi ludendi laſſitudinem levi deambulatione levaturus, ab eis aliquando ſecedere, monitis iiſdem, cæptis ut ludis inſiſterent, ſeque brevi rediturum opperirentur: mox unico adlecto ſocio, cujus virtuti, & ſecretò maximè fideret (à quo hæc didici) per amæniſſimas quaſque ſaltuum, fontium, laberinthi, & viridarii regii ſtationes divertere, donec ad optatiſſimam ſibi omnium deveniret; ubi modicus aſſurgit colliculus, facili ex ſuperiore ipſius dorſo circumquaque proſpectu, multiplicique magiſtræ manus ludentis artificio supernè conſpiciendus; neque minus infernè plurimis in orbem hiatibus immam ejuſdem radicem ambientibus, prætereunteſque illàc, quaſi apertis receptaculis ad hiberni frigoris, vel æſtivi caloris placidum ſubterfugium invitantibus; eorum nonnulli prægrandibus, & inconditis ſaxis ex muſcoſo fornice pendentibus nativa deformitate ſpectabiles; alii opere Moſaico diſcurrentibus lapillis eleganter variegati, naturam arte ſuperante, conſpicui; omnes aptis, aut ex vivo, aut expolito ſaxo ſedilibus inſtructi, vel eo ſolo nomine Theodoſium ſolitudinis alioqui amantem illuc frequenter ire, ibique jucundiſſimè immorari provocabant. Tunc ſocio ex edito ſupercilio ſubjectam latè planitiem juſſo ſpeculari, ac ſiquis è longinquo fortè veniret ſibi, facto ſtrepitu, nuntiare, in unam ex ſecretioribus ſpeluncis introgreſſus, flexis genibus, Deum, qui ſolus videt in abſcondito, demiſsè reveritus laconicam, ſed inflammatam orationem longiori flagellatione proſequebatur: ejus ſonitum vel duras cautes illius rupis emollientem, & ad intima cœli penetralia facilè pertingentem, dum ſolitò lentiùs expendo, non dubito quin attentas, & attonitas præbeat aures quiſquis mecum ſumma memorabilis actionis capita per otium ſedulus obſervabit.

158 Quæ antea fuerant antra naturæ blandientis, artiſque cùm natura certantis jucundum ſpectaculum, fuere deinceps longè illuſtrius divinæ gratiæ monumentum; ex quo illius impulſu innocentis Theodoſii horriſonis flagris intonuere: eadem non ad hoſce conſtructa uſus, ſed feſtivis aſſueta genio indulgentium plauſibus, in ſolitam admirata ſunt metamorphoſim, dum ſe diliciarum hactenus ſedem in religioſæ pietatis, & anachoreticæ auſteritatis ſimulacrum ſenſere transformata. Et quis non miretur Theodoſium modò palam cum ingenuis pueris in patenti area genialiter colludentem, modò clam omnibus, in abdito antro ſolitarium, puerilibus oblectamentis ſeriò illudentem: jam cum iiſdem in propatulo impigrè ſaltantem, jam in latibulis ſibi hoſtiliter inſultantem; nunc illos humaniſſimè, nunc ſe acerbiſſi-

mè

mè habentem, eundem ex ſuo ſacratiori antro Delphicis, & Sibyllinis multò certiora oracula, caſtitatis candidatis, non blandis, & ambiguis, ut plurimùm verbis, ſed aſperis, & ſonoris verberibus proferentem? Siquis Theodoſium in tenera pueritia ex tyrannide cæci Pueri ad hujuſce antri aſilum fugientem aſpiceret, illum meritò Paulum Eremitarum Principem in ſimili ætate acerbas Tyranni crudeliter ſævientis minas declinantem, ſeque in ſuam ſpeluncam recipientem appellaret. Siquis Angelicum Puerum illinc exeuntem inflammato vultu flagellum adhuc ad oſtium ſpeluncæ proferentem animadverteret, eum Cherubinum terreni Paradiſi cuſtodem flammeo, & verſatili gladio armatum veneraretur. Illum certè haud multò poſt, ne longiori mora proderetur, ad ſe redeuntem, ingenui pueri feſtivis acclamationibus vulgò excipere, lætum pæana ingeminantes, Victor io, Victor io noſter Princeps; neſcii quàm verè victorem eum compellarent, qui divino Principi ſimilis ex ſuo antro, ſive pœnitentiæ domicilio *Exivit vincens, ut vinceret*; Victor ſcilicet ſui, quod eſt longè difficillimum, ut cæteros caſtitatis adverſarios faciliùs vinceret. De hujuſmodi exercitiis luculentum extat D. Mariæ Caladæ Principis olim minoris Nutricis in ſua relatione teſtimonium: *Ad jejunia* (inquit) *& flagella, inſita propenſione puellulus adhuc ferebatur. Alcantara apud ſe poſitam ſpeluncam ſe flagellis excipienti aderat D. Ludovicus Meneſius, ejus tunc puer ingenuus, fraterque Comitis Eiriceriæ; Princeps enim non niſi optimis adhærebat. In ea ſpelunca ex duplici paxillo conſtructa cruce, coram illa ſe flagellabat. In urbano agenti palatio ſecretum erat lararium, quò ſe à cœna Cubiculariis comitatus ſingulis noctibus orationi vacaturus recipiebat; ibi certis diebus flagellationi dabat operam, aſſervatis in cujuſdam ſcrinii loculamento flagellis: de quo cùm Sereniſſima Regina dubitaret, neque mihi referenti fidem haberet, à dormientis Principis marſupio extracta ſcrinii clave, reſeratiſque loculamentis educta flagella Sereniſſimæ Reginæ oſtendi; ſæpeque obvias aulicas fœminas verberum ſonitum excepturas teſtes appellavi.*

Apoc. 6. 2.

159 Ad extremùm, pro abſoluto hujuſce argumenti complemento, minimè hîc prætermittendum exiſtimo Confeſſarii ipſius ea de re teſtimonium, etſi laconicum, certè ad faciendam tali, tamque inſuetæ Principibus virtuti fidem valde luculentum. Is in eo brevi, unicoque folio, cui Theodoſii virtutes eximias à ſe olim pro dignitate commemorandas commiſerat, hujuſmodi notas obſervatu digniſſimas inſcripſit: *De Principis diſciplinis.* Quibus palam nobis fecit indubium ſibi fuiſſe, quin omnigenis diſciplinis excolendo animo aptis addictiſſimus Princeps, iis quoque uteretur, quæ in officio continendi corporis ſunt aptiſſima inſtrumenta. Ab aliis item accepi præ cæteris pueris ingenuis unum Principi fuiſſe maximè gratioſum, cui ſciret frequentem ſimilium diſciplinarum uſum eſſe valde familiarem. Quinam is fuerit, etſi certò non auſim affirmare, haud ambigo fuiſſe vel illum, quem Alcantaræ, proximè diximus à Principe adlectum ſocium, conſciumque hujuſce laudabilis exercitii ſumma ſecreti eidem commiſſi obſervatione; vel alium qui poſt ejus mortem noſtræ Societati nomen dedit Franciſcus Vaſconcellos. Pronior certè propendet nimius affectus in eum, quem tuis affectibus nimis propenſum animadvertas. In omnibus, at in hoc maximè Sereniſſimum Avum Theodoſium ſibi propoſuerat æmulandum. Qui tum adoleſcens, tum grandævior ita ſe acerrimè verberabat, ut non niſi effuſo largè ſanguine à cruento ſui corporis ſacrificio abſtineret; à quo ne proderetur

linteamina cruorem exceptura ſubſternebat; ea verò aulicæ fœminæ, cujus commendabili ſecreto maximè fideret abluenda committebat. Idem cum ad Regiam ſylvam ruſticaturus procederet ſæpe ad ſacellum Divi Euſtachii ſe recipiens, juſſis ſtapedariis ſacelli oſtium cuſtodire, ab eoque venientes longè arcere, violentas ſibi manus flagris armatas inferebat. Ita P. Guerreyro in ſua funebri concione.

160 Hinc facilè adducor, ut credam cilicii quoque uſum, utpote ſecretiorem fuiſſe Theodoſio frequentiorem; moveor in primis, quoniam adverſùs domeſtici hoſtis aſſiduas inſidias pervigil caſtus Princeps nequaquam ab eo ceſſaret armorum genere, quibus illius effrænatos impetus faciliùs, ſecretiùſque comprimi certò ſciret. Carnem, ne laſciviret Virgineus (de quo ſupra meminimus) Hungariæ Princeps Emericus cilicio edomabat. Quid mirum illius veſtigiis inſiſteret Princeps Theodoſius per omnia eidem ſimillimus? Memor idem Regis Davidis ita de ſe ipſo loquentis: *Cum mihi moleſti eſſent induebar cilicio.* Præterea, poſt obitum ipſius Confeſſarii, cui è vivis abeunti ſuprema miniſteria ritè præſtiti, inter alia religioſiſſimi viri pauperrimæ ſupellectilis inſtrumenta, omnigeni cilicii quinque diverſas reperi ſpecies; quorum nonnullas à Principe jam extincto pro ditiſſima hæreditate acceptas, illiuſque uſu conſecratas religioſè obſervaſſe vehemens mihi ſuſpicio inſedit; maximè poſtquam certior factus ſum brachialibus ciliciis uti ſolitum Ephebum illum Principi acceptiſſimum, quibus ſimilia inter confeſſarii memoratam ſupellectilem obſervavi, quæ propterea præcipua veneratione à me hactenus aſſervantur; ſive illa Theodoſio adſcribenda ſint, ſive illius confeſſario egregio ſimilium virtutum obſervatori. Siquis tandem ex his quæ jam diximus, & mox dicemus attentè reputet ad omne mortificationis genus intentum Theodoſium, neque vulgaribus contentum, ſed exquiſita, extraordinariaque ſectantem, non inanes eſſe noſtras præſumptiones judicabit, ingenuèque fatebitur ſolita, & communia bonis omnibus pœnitentiæ irritamenta non omiſiſſe, qui ad excogitanda, exercendaque inſolita fæcundum pectus, & ingenium vel inter ludendum ſeriò non ſemel excuſſit. Certè hujuſmodi corporeas afflictiones, non ad infirmam, & effætam ſenectam viribus plerunque deſtitutam, differendas, ſed in adoleſcentia, juventute, virilitateque vigoroſis exercendas aptiſſimo latino apologo propria manu ſcripto idem monitum voluit: *Erat* (inquit Princeps) *ovium paſtor, qui diuturnas cum quodam lupo inimicitias, ovium ſuarum cauſa exercuerat;* neque unquam ei (quanvis omnia tentaſſet machinamenta) *de aſtuto lupo ulciſci licuit, cùm canis etiam, qui gregis erat cuſtos; curſus, iraſque lupus ipſe ſæpe illuſerit. Poſt plurimas elapſas hyemes cæpit paſtori lupus videri ſegnior; non enim, ut ſolebat, ovibus abripiendis intendebat. Accidit autem quadam die, cùm paſtor intraſſet nemus, canis ſui propiùs latratus audit; accurrenſque viſurus, quidnam id eſſet, lupum aſpicit, canemque ita ignaviter morſibus ſe petentes, ut ad oſcula potius concurrere viderentur. Tunc paſtori canem incitanti reſpondet lupus. Quid voce aïra rumpis? non meam vides canitiem, & quàm ſim delumbis, canem etiam & viribus, & dentibus deſtitutum? Non iidem ſumus, qui jam aliquando fuimus, nec iii nobis opitulantur animi. Fabula oſtendit ætatem omnia ferre, &c.* Omnia quidem fert ætas, animos quoque, ſed vires in primis ad confligendum cum hoſtibus. Longè aliter ipſe Princeps, qui à tenera pueritia corpuſculum bene durare, ac male habere occepit.

Sup. §. 147

Pſ. 34. 13.

161 Puer adhuc & cum ingenuis pueris in Regio viridario ludicris inten-

-rus exercitiis Theodoſius, cum eorum nonnullis, quorum ad virtutis munia ſeduliorem propenſionem haberet exploratam ſæpe ad occultiora recedebat, ubi à cæteris obſervari non poſſent, commiſſa inſuper eorum uni vigilandi cura, nequis incautos repente deprehenderet; mox in genua prorſus nuda, nudæque humo affixa provolutus divinum ſuppliciter auxilium implorare, commilitonesque monere, ut ſimili mortificatione, Deum demereri contenderent; id illi Principis exemplo, & monitis obſequuti libenter obibant; ſi-
Hoc lib. 4. 119. mulque aliam, de qua ſupra diximus, humiliationem, mortificationemque ignota Principibus vocabula, noſtro tamen Principe ad eorum, & ſimilium ſingula præeunte. Idem Eccleſiaſtica jejunia, quibus per ætatem, & valetudinem omnino ſe immunem ſciret, nihilominus quàm poterat exactè obſervabat, maximè in vigiliis ſolemnitatum Chriſti Domini, Deiparæ Virginis, & Apoſtolorum. Ad cætera fortis viribusque prævalidus, inſita debilitate ſtomachi univerſum piſcium genus reſpuentis à puero laboravit; hinc ex medicorum præſcripto carnes perpetuò edere ſolitus; non verò à jejunio propterea ceſſare, quoties jejunio indicta dies recurreret; tunc enim ad prandium unicam tantùm dapem, non qualemcunque, ſed ægrotis permitti ſolitam deguſtabat. Extra conſueta jejunii tempora, qua ſobrietate, moderationeque quotidiano cibo, ac potui indulgeret, ab Authore Theodoſii, tumuli oculato ipſius frugalitatis teſte diſcendum; ubi ſic: *In victu parcus, invitus men-*
Tum. Theod. pag. 11. *ſæ aſſidebat; corpore ad epulas abjecto, mentem ſuperis inſerebat, alta meditabatur: voluntariè finiebat, quem neceſſitate ceperat ſumere.* Siquis nimiam ejus à cibo, potuque abſtinentiam incuſaret, utpote viribus, corpori, ac ſanitati noxiam, morbisque plerunque obnoxiam; hìc Theodoſius longa, quam perſequi non eſt otium, oratione confirmare, tum ex Sacra Pagina, tum ex Sanctorum PP. teſtimoniis, & exemplis, immò ex medicorum etiam aphoriſmis, jejunio, & abſtinentia nihil ſalubrius, nihil confirmandis viribus efficaciùs, nihil denique perſanandis animi, corporisque morbis, ac vitæ prorogandæ ſalutarius. Utinam, quàm id verum eſt, tam ventri, abdominique deditis, ac delicioſis helluonibus optimus, eruditusque orator perſuaderet. Idem pro ſuis aulicis ad ſobrietatem inſtituendis, ac revocandis eorum cupiditatibus rationis expertibus ad ſobrium judicium, cum Socrate damnabat, ſimulque irridebat illos, qui fructus præcoces magnò emerent: eos ajebat deſperare quòd ad tempus maturitatis eſſent perventuri. Alioquin ſtultum eſſe pluris, & deteriùs emere, cùm paulòpoſt liceat, & minoris, & meliores.

162 Ille quidem ſibi perſuaſum ſemper habuit neminem poſſe de inteſtino hoſte abſolutam reportare victoriam, niſi externis ſenſibus, & internis paſſionibus perfectè domitis, omnigenisque deliciis non contemptis modò, ſed penitus profligatis. Quàm externos ſenſus habuerit in poteſtate, ſatis li-
Lib. 3. à 6. 139. & 143 quet ex iis, quæ diximus de viſu, auditu, tactu, & guſtu; de odoratu, quem nec præſtrinximus, id unum dicam; mollibus unguentis, & odoribus turpiter effæminatos ſolere à Theodoſio exagitari Epigrammatarii celebri verſi-
Martial. l. 2. epig. 10. culo: *Non bene olet, qui bene ſemper olet.* Seu; quod in idem recidit, externum odorem corpori, aut veſtibus immodicè adhibitum interni fœtoris, & corrupti animi eſſe manifeſtum indicium. Ambarum, moſchum, bethum, & ſimilia ſacris veſtibus, & altaribus maximè adhibenda; ſiquis eiſdem aliter, ac plùs nimiò abuteretur, eum vel malè ſanum, vel inſanum ſe profiteri. Eorum tamen qui deceret uſum munditiei, ſanitatis, & cerebri confirmandi

cauſa in propriis veſtibus libenter, at modicè permittebat. Florum ſimiliter innocenti odore delectabatur, quos tamen ſuo dilecto Nazaræno Crucifixo virtutum omnium ſuaviſſimum odorem ſpiranti frequenter offerebat. Quàm foret idem internarum paſſionum quaſi monſtrorum domitor, quàmque haberet univerſas prudentis rationis fræno coercitas, argumento ſunt ejus de quibus jam diximus, eximiæ virtutes tam politicæ, quàm chriſtianæ. Tandem quàm averſaretur, immò haberet odio deliciarum corruptelam inde patet, quòd aſpera quæque, dura, & inſuavia, quibus duratur corpus, animusque confirmatur, ſemper impensè amavit, & ſtudioſè coluit. Idem cùm tam eſſet Luſitanæ Monarchiæ ad majorem Dei, & ſuorum gloriam æternandæ cùpidus, neceſſariò delicias odiſſe debuit, quibus nulla eſt, aut fuit unquam peſtis exitialior evertendis imperiis, & Monarchiis abolendis; veterum exemplis exploratæ jam veritati fidem indubiam conciliantibus. Perſæ fortes, & agreſtes vicere Babilonicos, viros, ut verbo dicam, meritricios. Perſas jam enervatos Macedonum ruſtica durities: illos Romani non dum vulgatis libidinibus imbecilles: hos Heruli, Gothi, Hunni, aliique barbarorum, donec & illi deliciis effæminati fortioribus ſuccumberent. Salsè ac cynicè Diogenes Græcis objecit, eos balneo, & libidine dum viverent corpora putrefacere; eadem verò mortua, unguentis, & aromatibus contra putrefactionem condire. Præpoſterum omnino ſtudium vivos putrefacere, mortuos impendiis exſiccare. Quanto demum ſtudio Theodoſius delicias inſectaretur eleganter exprimitur in ejuſdem aureo verè Tumulo; hujuſmodi aureis notis: *A deliciis ita abhorruit, ut ſolo animo videretur conſtare; ut eas vehementiùs odiſſet, turpes putavit, nihil enim magis abhorruit, quàm quod turpe.* Hinc etiam eſt illud ejuſdem in educandis infantibus opportunum conſilium in ſua Macariopoli expoſitum; quos non molliter, ſed quadam cùm duritie præcipit educandos: *Aërem* (inquit) *externum duriuſculum ferre doceantur, atque ad ſeptennium uſque nudis pedibus, & capitibus incedant.* Tum. Theod. n. Laudat. Macar.

163 Non contentus Theodoſius propriam caſtitatem illibatam omni ratione tueri, alienam quoque omni ope, ac ſtudio promovere adnixus eſt, probè conſcius Principis publicam perſonam agentis partes eſſe, non ſuæ tantùm, ſed ſibi commiſſæ Reipublicæ utilitati ex æquo proſpicere: cui nihil poteſt evenire felicius, quàm ſi ex optima inſtitutione, inducta univerſis ordinibus morum integritate, omnes effrænatæ libidini, cæteriſque ab eo turbido fonte vitiis promanantibus omnino aditus, exituſque præcludantur. Id quò faciliùs præſtare poſſet, plurima, eaque publicæ honeſtati reducendæ, ac ſtabiliendæ optima conſilia ſecum agitabat; quorum non nulla illo ſuperſtite, bonis omnibus plaudentibus, executioni mandata ſunt: alia, quæ ipſius cita mors intercepit, poſterorum Principum memoriæ fuere à me alibi fuſiùs commendata, in gratiam minimè vulgarem, tantique Principis laudem, reviviſcente aliquando ejus caſto Zelo effectum fortè olim habitura. Non verbis modò, & exemplo, ſcriptis etiam caſtimoniam ſuis Macariopolitanis commendatam reliquit. *Ante matrimonium* (monet ille in ſua Macariopoli) *tam viri, quam fœminæ provocentur ad continentiam, & quibuſdam rebus à nimia incontinentia ſe tueantur, ut geſtando aliquos lapides, herbas, & confectiones, quæ non impediunt talem appetitum niſi dum geſtantur.* Interim, ſiquis fortè adhuc in aula deliciosis illecebris afluente, inter maxima laſciviæ irritamenta, in florente adoleſcentia vulgò ad illicitas, & allicientes animum voluptates prona me- Lib. 1. a §. 267 ad 274 & lib 2. §. 172. 226. Macar.

ritò admiratur, Angelicam prorſus vitam ab omni libidinis contagione immunem traduxiſſe; non nihil, credo, & concepta prudenter admiratione remittet, ubi ex proximè recitatis, ſecumque reputatis animadverterit, quibus adeo efficacibus mediis propoſitum ſibi aſſerendæ perpetuò Virginitatis finem ipſe fuerit aſſequutus; quibuſque potiſſimùm gradibus ad ſublime hujuſce Angelicæ virtutis culmen rectà conſcenderit, niſi fortè longè admirabilior eidem denuo videatur talium mediorum difficillima quidem executio, quàm finis ipſius mirabilis planè aſſecutio. In Theodoſio, certè credo, placuiſſe omnipotenti Deo ſummam ſuæ divinæ gratiæ virtutem extremis hiſce adeo corruptis temporibus, orbi ad omne perverſæ libidinis genus proclivi oſtentare, ſimulque cunctis mortalibus palam facere, candida virginitatis lilia æquè poſſe in regiis, ac religioſis viridariis provenire, ibique immarceſſibili nitore vernantia cæleſtem ſpirare odorem; maximè ſi utrobique divini Spiritus placidiſſimæ auræ, utroſque aſſiduè perflanti hortos, illoſque cæleſtibus auxilis inceſſanter irroranti, frequentis orationis perennis irrigatio adhibeatur. Cujus tandem virtutis caſtitati, cæteriſque nutriendis omnino neceſſariæ quàm ſedulus exiſterit cultor Theodoſius jam à nobis ad extrema properantibus erit explicandum.

CAPUT XIV.

Principis Theodoſii orandi ſtudium, & aſſiduitas.

164 ETſi univerſos *Oportet ſemper orare, & non deficere*, ne plurimis defectibus, & infortuniis ſint obnoxii, niſi ad orationem afficiantur; at Regibus in primis, & Principibus expedit frequentiùs orationi vacarè; cùm eos in præcipiti poſitos plura, & graviora undique circunſtent pericula, quibus expedire ſe, non niſi divinæ opis implorato aſſiduè auxilio, facilè poterunt. Iidem non ſibi ſolis, ut cæteri mortalium, ſed regendis ſuis etiam nati, eòque innumeris in ſingula momenta difficultatibus, & immenſa negotiorum mole propè obruti, ea rite obire, ſuumque munùs implere haud valebunt, quin valde propitiato continuis precibus Deo, in quo vivimus, movemur, & ſumus; cum eo de ſumma rerum conferant, ac deliberent, eundem ſæpe conſulant, in dubiiſque reſponſa, & aſſiſtricem ſapientiam exorent. Jam verò ſi Princeps, ut par eſt, ad virtutum omnium encyclopediam optimo regimini omnino neceſſariam adſpiret, orationis præſidio maximè indiget; *Author enim, parens, fons, & radix bonorum omnium, & innumerabilium oratio eſt*. Theodoſio igitur ad omnes virtutes ſumma contentione innitenti, & impoſiti ſibi ex principatu muneris grave pondus expendenti, ne illo ſeccumberet, neceſſariò in deliciis habenda fuit frequens oratio, quæ præterquam quòd virtutum omnium eſt fæcunda parens, ſedulaque nutrix, à Deo facilè impetrat quidquid ad rectè imperandum maximè opportunum eſſe prudentes politici diſſeruere.

Luc. 11. 1.

S. Chryſ. hom 4 de incom. Dei nat.

165 Multis modis poſſe, debereque orare ſemper non emeritos modò viros Deo penitus addictos, ſed quoſcunque alios etiam plurimis curis diſtractos, & maximis hujus ſeculi negotiis implicitos ſacri docuere Interpretes: eorum præcipuis præſtrictis, quàm exactè, ſingulas chriſtiani oratoris partes expleverit Theodoſius, palam faciam. Orat quidem ſemper juxta Chriſti Domini

mini conſilium, aut juxta Paulum, *ſine intermiſſione* ; vel qui quidquid agit, Apud Bar. cogitat, aut loquitur, ad ipſum Deum refert, cui in omnibus placere, ſummo- tom. 1. c. 11. in lit pere diſiderat; vel qui diu, noctuque crebras ex intervallis precationes, ſed eas tamen breviſſimas, & raptim quodammodo jaculatus, Deo offert; vel tan- 1. Theſſal. dem qui nulla die, nocteve deſtinata longiori mentali, aut vocali orationi 5. 17. tempora intermittit; cùm verò ſe hujuſmodi habeat, quamvis in diverſa frequenter ſtudia, & ſolicitudines divinæ legi minimè contrarias abripiatur, verè ſemper, & ſine intermiſſione orare dicendum eſt. Vbi primùm evigilaret Theodoſius Deum ſibi ubique præſentem, omniaque ipſius facta, dicta, & cogitationes, obſervantem cogitare: inde in omnibus ita ſe cautè gerere, nihil, quod poſſet divinis oculis diſplicere ſibi aliqualiter placiturum, apud ſe ſtatuere; ſicut nullum eſt momentum, in quo divinis beneficiis non fruamur, ita nullum fore ſibi decreverat, in quo Deo ſe gratum non exhiberet. Hinc ſive libris, ſive aliis quibuſque honeſtis, & libero Principe dignis exercitiis operam daret, ſive tandem cibo, potuique, aut ſimilibus tuendæ vitæ neceſſariis indulgeret, omnia ita peragere, ut oleum, operamque in nullo perderet, univerſis ad maiorem Dei gloriam ſedulò relatis; D. Baſilii in Ju- D. Baſil. de ditta Martyre admonentis, ſalutaribus conſiliis ad impletis; *Accumbens* (in- Martyre Iulitta, quit) *menſæ ora, edens panem, largitori gratiam rependito: tunicam inducris? Gratias age benigno largitori: amiciris pallio? fac in te augeſcat interior erga Deum charitas, qui integumenta largitus eſt.* In hunc maximè modum nullum faciens de præſenti Deo cogitandi modum, ſingula, univerſaque divino digna obtutu faciebat; dumque honeſtè ſemper operaretur, orare ſemper, vel inter edendum, & ſobriè bibendum dicendus erat.

166 Aliter idem continuæ orationis ingenioſum excogitavit inventum, dum in ſua Macariopoli, ſive Civitate ſancta erigendum templum decernit, in quo cives viciſſim perpetuæ orationi vacare deberent, & perennis divinæ laudis, ad inſtar cæleſtium incolarum, munia rite obire. *Omnibus* (in- Macar. quit ille) *diebus permutatim ſemper aliquis ex civibus in templo per horam orans adſit.* Ut quoniam per ſe ipſe orationi perpetuò indulgere nequiret, ſubditorum ſibi civium ſedulitate orandi perpetuum exercitium nuſquam interpolandum ſuppleret.

167 Longè potiori jure ſemper orabat Theodoſius, dum ſæpe quotidiana, quibus vacabat, exercitia frequentibus brevium orationum quaſi ſagittis abrumperet, mente ad cæleſtia è terrenis elevatâ; in Deum, à quo enutriebatur, jactata cogitatione. Hiſce veluti ignitis jaculis (unde jaculatorias preces appellari placuit) expugnando cælo aptiſſimis, ut olim ſolitos in Ægypto veteres Eremitas Author eſt D. Auguſtinus, quos deinde, non ſine ingenti S. Aug. ep. proventu ſpirituali, plurimi alii ſunt æmulati; utroſque tandem Theodoſius 121. ad eò laudabilior, quòd anachoreticæ orationis rationem ex ſolitariis tuguriis in Prob. frequentem aulam, niſi fortè primus, nulli certè ſecundus in eo abſque intermiſſione orandi genere, invexit. Divini amoris ignis Theodoſii pectore incenſus, & ſi aliquandiu ſub terreſtrium curarum cineribus ſopitus, levi qualibet aurà, vel halitu excitatus in flammas nonnunquam, in ſcintillas ſæpius emicabat. Innumerabiles fidei, ſpei, & charitatis actus, à ſe tamen artificioſis globulis, de quibus alibi diximus, numerari ſolitos paſſim iterabat, non lib. 3. § 1 omiſſis interim aliarum virtutum, ad quas mirificè afficiebatur, inflammatis, affectibus: Maximam ſolidæ diei partem liberalium artium ſtudia ſibi ven-

dicabant, quæ ita ejus animum ſciendi cupidiſſimum abripiebant, ut interea de re alia cogitandi adempta ſibi poteſtas videretur. Et tamen ejus huic ingenti voluptati, quâ major ex humanis nulla ei unquam fuerat, præponerat multò vehementiùs rerum cæleſtium ſtudium, & inter ſtudendum ex his, quæ legerat, aut cogitarat occaſionem facilè arripiebat erigendi ſtudioſum animum ad cæleſtia, Deumque ipſum; cui modò ingenii acumen difficillima penetrantis acceptum referebat; modo ſe, ſuaque ſtudia conſecrabat; nunc uberiorem adipiſcendis ſcientiis lucem de precabatur; nunc humanæ ſapientiæ cognita vanitate, ac exilitate, divinam implorabat. In cæteris ſive domi ſeriis negotiis, & colloquiis intentus, ſive foris genialibus oblectationibus indulgens ſimiliter ſe habere; ſi poſſet ſe totum, ſin minùs ſaltem animam, & cogitationem à conviviis, à ludis, & confabulationibus raptim ſevocare, ad Deumque furtim, ne ab aliquo deprehenderetur, advolare.

168 Præter haſce furtivas, eòque dulciores, certè ardentiores mentis à terris penitus alienatæ ad cœlum elevationes, duplex productiori mentali orationi tempus unicè deſtinatum, ſibi præfixerat; unum matutinum, nocturnum alterum, utrunque ad orandum omnium longè opportuniſſimum. Singulis diebus ſingulari exactione Deo à ſe impendi ſolitum; appetentis diei, noctiſque tunc diſinentis, ſub auroram, ſimiliter ſub veſperum noctis ſe primò intendentis, diemque tunc eliminantis initium, finemque, intermedia oratione committens, ab eadem nunquam ceſſabat; Deum qui eſt rerum omnium principium, & finis, alpha, & omega in deſinenter precatus, ut à quo principium auſpicatò duceret, eidem auſpicatiſſimè ſua omnia deſinerent. Solem ille orientem antelucanis precibus præveniens, eidemque occidenti nocturnis ſubſidiariis veluti radiis ſubveniens, ſole ipſo fulgentiorem ſe ad huc in ipſis tenebris illuceſcentem exhibuit: Iam verò quo inflammati animi ardore, quandiuque quotidianum hujuſce matutinæ, ac nocturnæ orationis penſum aut inciperet, aut abſolveret ex duplici, eoque indubiæ fidei teſtimonio jàm è tenebris, quibus hactenus tegebatur, in lucem profero: utriuſque autographum apud me diu retinui conceptis iiſdem verbis ex Luſitano idiomate à me Latino fideliter redditis hîc ſcribendum.

169 Primum eſt Antonii Roderici Almeyda clavicularii Principis, propterea que teſtis oculati eorum, quæ atteſtatur: ſic ille. *Vbi primùm evigilaret, per integram horam mentali orationi quotidie vacabat, me interim humili ſervo, cujus fidei hujuſmodi ſecreta committere dignatus eſt, ad oſtium conclavis extubante, donec aulici à cederent; tunc introgreſſus Principem adibam: quem non ſemel opus fuit manu apprehenſum, ac extra ſe raptum mundo reddere. Sub noctem cæteris abeuntibus è quodam ſcrinio extractam devotiſſimam Chriſti Domini effigiem Principi tradebam candelabri luce ita attemperata, ut effigiem feriret, iterumque ad excubias redibam. Sic duas nonnumquam horas orando tranſigebat; præceperat nanque ne interpellaretur donec aliquis adveniret. Ad exteriorem, ubi eram, domum intima penetrabant ſuſpiria, quæ mihi (Deum teſtor) non mediocrem tremorem injiciebant.* Memorabile ibidem narrat exemplum hujuſce ad orationem propenſionis alibi à me commemoratum. Quæ vera omnino eſſe juramento ad extremùm confirmat. Secundum ſit ex verbis Doctoris Ioannis Piſſarro quæ ſic habent. *Quatuor ante Principis obitum menſibus, ſub finem exeuntis Ianuarii, ad ſeptimam pomeridianam horam, fortè in ipſius aderam palatio. Quem ad ſuum lararium contendentem animadvertens, ipſo me neque invitante, neque repellente ſum ſub ſe-*

Lib.1.§ 394

quutus,

quntus. Poſtquam introgreßi, mihi ut introrſum oſtium obſerarem edicit; recitatis Chriſti Domintni verbis. Intra in cubiculum tuum; & clauſo oſtio ora Patrem tuum &c: *Mox in genua provolutus orationem auſpicatur ſolitis ſibi affectibus, & ſuſpiriis ex intimo cordis erumpentibus à me animadverſis. Sic exactâ ferè ſemihorâ, hujuſmodi verbis me aggreditur. Quid quaſo in divina magnitudine in his, qua operatus eſt, aut operari adhuc pergit, plus admiraris? Reſpondi, Domine nihil certè tam admiror ex omnibus divinis operibus, quàm Chriſti Domini animam divina omnipotentia maximum, meâ ſententiâ omnium monumentum; Hîc Princeps, Nonne venia cuidam peccatori à Deo impertita maximam tibi movet admirationem? Id verò (dixi) ſummum quidem eſt divina miſericordia argumentum. Proſequutus eſt Princeps in hac verba: Quoties mecum reputo quid ad me potiſſimùm ſpectare poßit ex his, qua pro me Chriſtus Dominus paſſus eſt, V.g. ex verberibus, cæteris interim omißis, obſtupeſco planè cogitans, quid pro illo me oporteat agere, ac pati? Iam verò quoad cognitionem divina magnitudinis tantum lucis mihi hactenus affulſiſſe credo, quantum per minimum foramen aquale grano ſinapis poterit in hanc domum tenebris undique circumfuſam penetrare: id quidem eſt; quod mihi videor aſſequi poſſe, & fortaſſe multò minus. Mox ad me, Nunc (inquit) abi bonis avibus. Ad quem ego: Cur hic ad finem uſque non ſubſiſtam? Diutius hic (reddit, Princeps) immorabor; enim verò primam horam, fidei, & ſpei actus ſibi vendicant, in ſecundâ ad actus amoris voluntas excitatur. Obſtupui, habitis Deo gratiis; ac paulò poſt abii. Proximâ, qua ſequuta eſt, die à conſciis certò cognovi ſingulis diebus per id temporis ſolitum Principem duas continentes horas mentali orationi impendere.* Mihi quidem Theodoſium ſpatio trium horarum orationi, ac trium virtutum Theologalium exercitio quotidie vacantem veneranti, ſubit mentem recolendum illud Symbolum, quo Sereniſſima Beatrix Emmanuelis noſtræ Luſitaniæ regis filia uſa fertur; depicta nempe manu tribus accenſis facibus flagranti, quibus leonem effugabat, coronâ ſupernè appenſâ, ſuperaddita inſcriptione *Cum iſtis*: Vt planum faceret trium earum virtutum quaſi triplici ardenti face tartareum à ſe fugandum leonem, & cæleſtem coronam comparandam. Quantò certiùs à Theodoſio non penicillo; præ oculis expreſſas, ſed oratione cordi impreſſas habente tres eas virtutes tartareo leoni formidabiles, cæleſtique aſſequendæ coronæ aptiſſimas judicandum!

Mat. 6. n. 6

Ex Anſelmi de Sood.

170. Ex his planè conſtat ad minimùm tres quotidianas horas ſolere Principem natu jam majorem mentaliter orando benè collocare. Eſt, qui ſcriptis prælo mandatis, quartam orationis mentalis horam tribus prædictis ſuperaddat. Certè ipſius Confeſſarius Epiſcopus Iaponenſis in ſuis laconicis remiſſionibus non duo tantùm, ſed tria tempora mentali orationi deſtinata Principem habuiſſe atteſtatur: ejuſdem hæc ſunt concepta verba latinè à me reddita ex quadam epiſtola familiari ad Amicum de virtutibus Principis ſciſcitantem: *Ter quotidie orationi vacabat; in qua ultra tres horas omnino explebat, ab eâ vulgò exiens inflammato vultu, at affectibus, quos in eo quis deprehenderet, longè inflammatioribus.* Non dubito quin aliquoties per quatuor, aut plures horas cum dilectiſſimo ſibi Deo Princeps deliciaretur vel cùm à quotidianis curis, & negotiis foret liberior; vel cùm ipſe Deus, cujus deliciæ ſunt eſſe cum filiis hominum, dignaretur effuſioribus cæleſtium gratiarum influxibus illius animam ſibi penitus devotam, ut ſolet; aliquando, inundare. Verùm tribus tantùm quotidianis horis irrevocabili perſeverantiâ Principem Deo unicè indulſiſſe ſatis, ſuperque fuerit ad ſummam cujuſque devotiſſimi religioſi, nedum Principis tanti perfectionem aſſerendam.

171 Qua ætate cæperit Theodoſius mentali orationi primùm inſiſtere non habeo exploratum; at eximia ejus ad omnem pietatem à primâ pueritiâ propenſio, & inſtitutio ſatis probabilem faciunt conjecturam jam à teneris illum cæleſti huic Exercitio aſſuevíſſe, aucta indies cum ætate, ac ſpiritualium librorum aſſiduiori lectione, divini conſortii, & alloquii familiaritate. Libri autem à quibus didicit orandi methodum, quorumque præviâ lectione ſe ad orandum comparabat fuere in primis Exercitia ſancti Parentis noſtri Ignatii, item Via vitæ æternæ P. Antonii Sucquet; ac Patris Ludovici de la Puente utriuſque noſtræ Societatis, ac tandem Gerſonis; ex quibus optima quæque, meditandi, orandi, & contemplandi documenta haurire pariter, & exercere ſolitus. Iam verò qualis fuerit frequentior ejus orationis materies? reperio tum in ipſius Confeſſarii brevibus remiſſionibus, tum apud alios; nimirum vita Chriſti Domini, vita æterna, ſumma Dei perfectio in divinis hujus attributis illuceſcens, Dei amor erga homines, gratitudo magna hujuſmodi amori debita, & ſimilia. Ex oratione verò inflammato vultu prodibat Princeps, divini amoris igne intimis concepto præcordiis in facie emicante, univerſiſque in illo oculos intendentibus devotionem, & reverentiam inſpirabat. Eum verò divinum ignem, etſi poſt quotidianam orationem accenſo vultu præſe ferret, poſt hebdomariam Communionem ardentiùs ſpirabat, redditis adminimum per ſemihoram Deo gratiis; tunc enim in illius facie videre erat ſimilem ardorem, quem ſacram Euchariſtiam excipientibus optabat D. Chryſoſtomus, cujus hæc ſunt ignita verba: *Tanquam leones flammas ſpirantes ab illâ menſâ diſcedimus terribiles facti Diabolo.* S.Chryſ. hom. 61. ad popul.

172 Quàm uberem ex aſſidua orandi contentione fructum perceperit Theodoſius, inclytæ ipſius, de quibus hactenus diximus, virtutes tam politicæ, quàm chriſtianæ planè atteſtantur; quas veluti legitimas filias fæcunda parens oratio felici partu in lucem edit, eademque ſedulæ inſtar nutricis blando ſinu fovet, cæleſtibus cum Deò colloquiis erudit, ſuaviſſimo lacte infantulas, majores natu, jamque robuſtiores ſolidiori cibo innutrit, & validioribus confirmat exercitamentis. Ex orationis certè opulentiſſimo theſauro nova, & vetera protulit ditiſſimus noſter Princeps virtutum omnium ornamenta, quibus quaſi pretioſis margaritis ornata hæc noſtra ipſius effigies omnium in ſe oculos, cupidoſque animos non ſine admiratione convertet. Hic tandem eſt cæleſtis planè, ac perennis fons in illo terreſtris Paradiſi fonte adumbratus, quem memorat ſacra pagina in ipſo ſui ortu in quatuor diviſum flumina univerſam terræ faciem irrigaſſe pariter, & fæcundaſſe. Gen.2.10. Vt enim ille quadripartitò ſectus univerſam, quam alluit terram, mira florum varietate, fructuumque ubertate locupletat; ſic oratio, cujus animum cæleſti rore perfuderit, aut uberiori pluviâ inundarit, in eo virtutum omnium odoriferos flores, & peregrini ſaporis fructus uberrimos cogit paſſim, perpetuòque germinare: eoſdem, ne primos tentationum moriantur ad auſtros; aut conſtringente ſiccitate decidentes pereant, aſſidua irrigatione continet. In hoc prætereà fonte non ſumma tantùm labra, ſed totum, quàm magnus erat, animum ſitibundus cæleſtium Theodoſius proluebat; in eodem, veluti criſtallino ſpeculo leves maculas intuebatur ſimul, & abluebat: In eodem Narciſſo longè prudentior ſui, ac Divini ſolis ibi ardentiores radios intendentis imaginem contemplatus ſe oderat, illum amabat: ibidem illius prodigioſi fontis, qnem ferunt immiſam in ſe ardentem facem extinguere, ac mox accendere

dere miraculum frequenter innovabat; extinctis modò in hujuſce fontis aquis rerum humanarum voluptatibus, modò cæleſtium accenſis inibi deſideriis.

173 Hi ſunt præcipui, pluriſque faciendi orationis fructus, quos Theodoſius ad ſatietatem, at ſemper inſatiabilis deguſtavit: alios præterea eſſe, ſuaviſſimos illos quidem, propèque in explicabiles probè norunt ſanctiores animæ oratione frequenti, Deoque penitus addictæ, quas divinus Rex,& dulciſſimus ſponſus aliquando in cellam vinàriam introducit ſupernæ dulcedinis vinum meraciſſimum iiſdem propinaturus; aliquando uſque ad tertium rapit cælum viſuras ibi arcana, quæ non licet hominem loqui: hujuſmodi ſunt, extraordinariæ illuſtrationes, raptus, revelationes, apparitiones, animi deliquia, omnigenæque cæleſtium dulcedinum, quibus quodammodo inebriantur, fruitiones. An haſce dilicias vel ſaltem delibarit, vel ad plenum exhauſerit Theodoſius? Et ſi poſt ſedulam de hac re, inquiſitionem nihil certum aſſequi potuerim, præter illud quod proximè attigi ex teſtimonio ipſius clavigeri, cui conſonant, quæ alibi etiam inculcavi: tamen ſi humana licet componere divinis, ac de cæleſtibvs humanum captum longè ſuperantibus conjecturam facere, tandemque ad hominem Deum argumentari, ejuſque promiſſa implenda certè allegare, facilè mihi perſuadeo ſummis, quæ dilectiſſimo cuique divinitùs impertiri ſolent gratiis, fuiſſe a Deo Theodoſium cumulatum; ſic ſuo quaſi jure ipſius eximiis meritis, & inſolitis virtutibus exigentibus. Enim verò ſi terreni reges ſibi gratioſos omni familiaritatis genere, beneficiiſque inſolentibus proſequuntur, quid cæleſtis Monarcha, cujus eſt incomparabilis liberalitas; erga Theodoſium adeo ſibi gratioſum, ut baptiſmalis gratiæ quandiu vixit tenaciſſimus extiterit? Qui ad ignem, vel ſolem propiùs accedit, faciliùs utriuſque calorem, ceteraſque impreſſiones experitur: Theodoſium igitur ad ipſum divinum ſolem,& ignem proximiùs accendentem, neminique in virtutibus concedentem, quid ni Deus clarioribus ſuæ lucis radiis illuſtrarit, & ardentioribus ſolitò divini ſui amoris incendiis liquefactum in ſe ipſum tranſmutarit? Certiſſima quidem eſt D. Auguſtini regula, Quantò quis profundiùs jacit humilitatis fundamentum, eò altiùs ædificii illi incumbentis molem erigendam. Humillimo ergo, ut ſupra vidimus, Theodoſio ad infima ſe demittenti ſumma cæleſtium gratiarum moles fuit imponenda. Tandem, *Date* (verba ſunt Chriſti Domini nequaquam irrita,) *& dabitur vobis: menſuram bonam, & confertam, & coagitatam, & ſupereffluentem dabunt in ſinum veſtrum. Eâdem quippe menſura, quâ menſi fueritis, remetietur vobis.* Si ergo cumulatiſſimam meritorum ſupereffluentium menſuram Theodoſius Deo præſtit, cur à Deo etiam in hac vita ſuis centuplum pollicenti beneficiorum longè cumulatiorem non acciperet? Accepit quidem Deo acceptiſſimus Princeps, eam tamen humanis humillimè ſubtraxit oculis, divinis unicè placendi percupidus; & ſub induſtriæ humilitatis modio immodicam abſcondit lucem, olim, ſi Deo humilium exaltatori placeat, ſuper candelabrum collocandam, ut luceat omnibus qui in domo ſunt.

lib. 1. § 394

D. Aug. ſerm. 10 de verb Dom.

Hic c. 10

Luc. 6, 38.

174 Ipſius ad extremum orationis eſt impetrare à Deo, quidquid ab illo juſtum, debitiſque circumſtantiis poſtulatur, ipſo met Chriſto Domino huic veritati fidem irrefragabilem paſſim faciente; unum ex plurimis profero teſtimonium: *Propterea dico vobis, omnia quæcunque orantes petitis, credite, quia accipietis.* Ex quo mirabilem hujuſce virtutis potentiam, divinæ æmulam omni-

Marc. 11, 24.

potentiæ admirari licet, cum ipſa poſſit à Deo aſſequi quidquid Deus poteſt, dummodo id expediat. Eum quoque fructum ſuæ orationis abundè percepit Theodoſius; qui tamen præter ſuam, & proximorum æternam ſalutem, nihil à Deo petere ſolitus abſolutè; omnia ſub ea conditione, ſi Deo placitum foret. Vnde cùm in ſuis precibus ſolius Dei voluntatis, & majoris ipſius gloriæ rationem haberet, quidquid demum eveniret, ſemper voti compos, nunquam divinam repulſam orando paſſus eſt. Impetravit igitur à Deo ſuis aſſiduis precibus (quod caput eſt, & præ omnibus expetendum) virtutum omnium encyclopediam, quibus inter omnes, qui eum præceſſere Luſitaniæ reges, & Principes, præcellentem ſe, ac omnium qui eum conſequentur, animarum exemplar exhibuit. Obtinuit deinde ab ipſo Deo, ut par eſt credere, pro Luſitanâ monarchia ſummas, quibus in præſentiarum fruimur, felicitates; at inprimis glorioſas, quas univerſus orbis admiratur Victorias; eas nanque non tam victricibus exercitibus, quàm frequenti orationum exercitio tribu-
S. Aug. ſer 228. de temp. endas judicat Auguſtinus. *Vbi aſſiduis* (inquit) *precibus pulſatur cælum potentia ſemper calcatur armorum.* Nunc ad cælum elatis, nunc in morem crucis expanſis manibus orantem Theodoſium nonnulli ejus orationis conſcij memoriæ
Hoc lib. § 18. & 19 prodidere, de quo nos alibi. Quàm verò hujuſmodi corporis inter orandum compoſitio efficax ſit reportandis glorioſis victoriis monuit ſtrenuiſſimus
Pſ. 17. 35. bellator æque ac Orator Rex David. *Poſuiſti ut arcum æreum brachia mea.* Juxta
S. Ephr. de panopl. ſpirit. D. Ephremi ſenſum. *Vere enim arcus æreus contra inimicos expanſæ in oratione manus; ſicut etiam ſagitta directè emiſſa ab eo, qui arcum vibrat.* Et cui aptè concinit Nazianzenus. *Pugnantibus manuum, extenſio innumerabilium copiarum inſtar erat,*
Nazianz. de pace orat. 2. *orationis operâ trophæa erigens.* At debellatricis orationis victricem virtutem nihil magis commendat, quàm divini ducis noſtri Chriſti Domini apud hortum Gethſemani, ad imminentem cum hoſtibus conflictum ſe comparantis; neque aliis, quàm divinæ orationis armis noſtram humanam imbecillitatem præmunientis. Certè cæleſtis Ductor ante orationem. *Cæpit pavere, & tædere;*
Marc. 14. 33 poſt illam hoſtilem exercitum terruit, ac proſtravit. *Abierunt retrorſum, & ce-*
Ioan. 18. 6 *ciderunt in terram.* Fuſis nimirum ad Parentem Deum precibus irruentes in ſe hoſtes fudit pariter, & confudit.

175 Hiſce divini Ducis veſtigiis inſiſtens Theodoſius probè conſcius quàm validum eſſet ad profligandos hoſtes telum oratio, univerſæ Luſitaniæ armis à sereniſſimo Parente præfectus, primum omnium ſatis elegantem, devo-
Lib. 1. § 379 tamque, alibi à nobis tranſcriptam, compoſuit orationem, quà divinum auxilium enixè ſingulis diebus exorabat. Idem non contentus adeo prolixâ, eâque quotidianâ mentali oratione Deum ſibi, ſuiſque propitiari, plurimis aliis vocalibus precibus univerſam cæleſtem militiam ad Luſitani regni præſidium, hoſtiumque tum viſibilium, tum inviſibilium excidium quotidie invocabat. Deiparæ Virginis precarios globulos cæpit percurrere à primâ pue-
Pſ. 18. 6 ritiâ; ex quo *exultavit ut gigas ad currendam viam* perfectionis Matre Dei monſtrante viam, ipſiuſque inoffenſos greſſus dirigente; cujus eam coronam regiâ ſibi debitâ longè pretioſiorem capiti ſuo unicè imponendam jam tunc prætulerat. Ipſius etiam virginis Lauretanas, præter Sanctorum litanias ſub idem tempus recitare aggreſſus eſt, glorioſis Deiparæ titulis, ſed illo in primis, Matris admirabilis, mirificè delectatus. At quò interim cumulatior Deiparæ honos haberetur, univerſos, qui aliquando aderant aulicos ſibi recitanti juſſerat reſpondere; nequis à magnæ Matris aut laudibus, aut patrocinio

immu-

immunis foret. A ſeptennio ejuſdem officium ſibi officioſè obeundum deliberavit. Cui à duodecimo ætatis ſuæ anno divinum inſuper officium, ſacerdotum divinum penſum, nunquam à ſe deinceps intermiſſum, ſuperaddidit. Præterea ſingulis diebus eam orationem, cujus ſupra meminimus, à Sancto Franciſco Xaverio pro fidei propagatione, infideliumque converſione conditam iterabat. Quatuor item reſponſoria quotidiana, quorum primum pro anima Sereniſſimi Theodoſii ſui Avi; ſecundum pro anima Sereniſſimi Infantis Eduardi ſui Patrui; tertium pro anima ſui Magiſtri D. Petri Pueros; quartum pro fidelium omnium jam vitæ functorum animabus. Tandem præter miſſæ vel ferialis, vel ſolemnioris ſacrificium, cui ſumma cum devotione tum interna, tum externa ſemper intererat, diverſas alias vel Sanctorum Litanias, vel orationes rite obibat, per quendam libellum cui titulus *Paradiſus animæ*, compoſitum à Jacobo Merlo, ubi videri poſſunt à cap. 6. ſection.4. Singulis noctibus ad publicum campanæ pulſum ter ſalutationem Angelicam flexis genibus recitabat exceptis diebus Saturni, ac Solis; tunc enim ſtans juxta Eccleſiæ ſolemnem ritum.

Lib.3.§. 39.

Hoc lib. § 188, ad 195.

176 Prædicta omnia per ſingulos dies ea exactione implere ſolitus Princeps, ut jam in provectiori ætate publicis negotiis admotus quantumvis eorum aut gravi mole, aut multitudine premeretur, non ideo unum jota, aut unum apicem ſuarum devotionum ſibi elabi pateretur. Earum præcipuis adimplendis matutinum tempus omnium optimum deſtinarat: idcirco, licèt nihil ſibi foret voluptuoſius quàm cum ſuo Confeſſario familiares miſcere ſermones vel de rebus divinis, vel literariis; tamen illi præceperat, ne matutinis horis ſe conveniret, niſi forte res magna urgeret, quo eas liberiùs Deo, cœlitibusque impenderet. Accidit quadam die obſervatum ab uno ex aulicis Principem nimis ſolicitum pro recitando completorio, quod ſibi fortè exciderat. Tunc aulicus ad Principem: *Quis, quæſo, eſt adeo reformatus Anacoreta, qui faciat, quæ Veſtra Celſitudo perficit?* Cui Princeps: *Et quis erit Anacoreta tam Deo, quam ego ſum oppigneratus?* Crediderim tunc excidiſſe Principi completorium interrupto fortaſſis divini Officii penſo magni alicujus momenti nimis urgenti negotio: quod ſi fortè interveniret vel ipſam, ut alibi animadvertimus, mentalem, orationem intermittebat, ne ſuo muneri deeſſet; quod Deo longè acceptius prudenter exiſtimabat: expedito autem, quàm brevi poterat, negotio, ad optatum animæ otium feſtinatò redibat. Ultimam cujuslibet diei clauſulam terminabat conſcientiæ accurato examine in ſuarum omnium cogitationum, verborum, & operum commiſſa diligenter inquirens, maximè in obeundis ſpiritualibus his exercitiis. Id verò examen bis ab eo ſingulis diebus fieri ſolitum expreſſis verbis tradit ejus Confeſſarius: ea verò conſuetudine nihil pulchrius, nihil utilius eſſe dixit olim prudens Seneca, cujus de Sextio hac in parte laudes, Theodoſio, ſola nominis inverſione aptari poſſunt: *Animus* (inquit) *quotidie ad rationem reddendam eſt vocandus. Faciebat Sextus ut conſummato die, cùm ſe ad nocturnam quietem recepiſſet, interrogaret animum ſuum, quod hodie malum tuum ſanaſti? Cui vitio obſtitiſti? Qua parte melior es? Deſinet ira, vel moderatior erit, qui ſciet ſibi quotidie ad judicem veniendum. Quid ergo pulchriùs hac conſuetudine excutiendi totum diem? Qualis ille ſomnus poſt recognitionem ſui ſequitur? Quàm tranquillus, quàm altus, ac liber?* Tandem poſt cubitum ante initum ſomnum familiarem noſtris devotionem uſurpabat. Solent illi eo temporis univerſum cubiculi, aut ſaltem lecti ambitum

Lib. 1. § 338.

Senec. l. 3. de ira.

bitum expreſſis Chriſti Domini, Deiparæ, reliquorumque cœlitum, pro cujusque devotione, imaginibus cogitando exornare; vel ut earum præſidio nocturnas illuſiones, turbidaque in ſomnia faciliùs devitent; vel ut propterea modeſtiùs, ac religioſiùs diſcumbant; vel tandem, ut die poſtera evigilantes, earundem imaginario aſpectu promptiores redditi, celeriùs à lecto exurgant, futuram orationem impigrè auſpicaturi. Id ipſum ſingulis noctibus exercere ſolitum Theodoſium etiam in ſomnis, ſi humanæ fragilitatis ſomnolentia pateretur, orationi libentiſſimè indulturum, in ſuis remiſſionibus, & in quadam familiari Epiſtola ejus Confeſſarius atteſtatur.

177 At meritò quis hoc loci dubitabit; qui fieri potuit, ut tot quotidie horis in oratione tum mentali, tum vocali inſumptis ſuperfuerit ſtudioſo Principi tempus tot literariis exercitiis obeundis, tot libris, & opuſculis componendis? Huic ego non dubito id reſponſum adhibere, quo Seraphicus Doctor plenè ſatisfecit Angelico Doctori à ſe curioſè inquirenti, è quibusnam fontibus, ſive libris, hauriret ea Divinæ ſapientiæ, quibus abundaret, fluenta? Cui oſtendit myſticum librum illum ſcriptum intus & foris, id eſt imaginem Chriſti Domini Cruci affixi, apud quem diutius orando, quàm libros alios lectitando mirabilem adeptus eſt ſapientiam, qua Eccleſiam illuſtravit. Id verò quàm eſſet verum proprio experimento edoctus approbavit S. Thomas; cui etiam acciderat uberiorem Divinæ Sapientiæ proventum ex aſſidua oratione, quàm ex frequenti ſtudio collegiſſe. Nil mirum igitur, id ipſum Principi Theodoſio accidiſſe, pluſque orando, quàm ſtudendo in ſcientiarum aſſecutione profeciſſe. Nihil obeſt, immò multùm quidem ſapientiæ prodeſt oratio; ut cæteras virtutes, ita ſtudioſitatem in primis promovet, cujus ope intellectus cœleſti luce perfunditur, ingenium acuitur, cæteræque potentiæ ad propria obeunda munia mirificè confirmantur. Hinc vulgari experimento compertum eſt eos cæteris extitiſſe ſapientiores, quibus inter ſtudendum orationis ſtudium fuit familiare; immò vel eos qui ſoli Deo vacare ſoliciti, literas nec à primo, ut ajunt, limine ſalutarunt; Deo totius ſapientiæ fonte in ſuos familiares divinæ, humanæque ſapientiæ fluenta largiùs derivante. Ad hæc Theodoſius acerrimo præditus ingenio, à quinquennio ad nonum ſupra decimum ætatis annum ea, qua diximus contentione aſſequendis ſcientiis adeo ſtrenuam impendit operam, ut citra miraculum, univerſas, quibus excelluit, potuerit comparare: enim verò, ſi labor improbus omnia vincit, quid probi Adoleſcentis à prima pueritia avidè ſuſcepta, nunquamque intermiſſa, niſi divinis colloquiis, laborioſa ſtudioſitas? Catonem Uticenſem diceres, *Qui* (teſte Valerio Maximo) *ita doctrinæ cupiditate flagravit, ut ne in Curia quidem, dum ſenatus cogitur, temperaret ſibi quo minus libros græcos lectitaret. Qua quidem induſtria oſtendit, aliis tempora deeſſe, aliis temporibus ſupereſſe.*

Lib. 1. c. 2.

Valer. l. 8. c. 7. n. 1.

CAPUT

CAPUT XV.

Chriſtianarum Principis Theodoſii virtutum Reliquiæ.

178 UT Cœleſtis illius, myſticæque mulieris, Deo penitus addictæ Apoc.12.
animæ effigiem exprimentis ſupremum caput plurima con-
junctim ſidera irradiabant, ſic in hoc extremo capite Perfecti Principis ve-
ram effigiem ultimò expromenti plures, quæ ſuperſunt Theodoſii virtutes,
quaſi emicantia copulatim ſidera conſultò exhibemus; ne quid perfectionis
in abſoluta numeris omnibus imagine deſideretur. Earum quanlibet non in
peculiare caput, ut cæteras hactenus conjecimus, quia Theodoſii brevis ætas,
vel diutina humilitas, plurima quæ forſitan edidit, noſque latent, earum
virtutum exempla, juſtum caput formandum nobis invidit. Eleganter, ut Tumul.
ſolet, Author ipſius Tumuli: *Fuerunt* (inquit) *quædam, quas non exercuit, ſive per* Theod.
ætatem, ſive per occaſionem virtutes: ſed eas etiam habuit animo, quas exercere non pag.113.
potuit, erant intus fontes, licet rivuli non apparerent, &c. Ego tamen, bona tanti
Authoris venia, reor omnigenas à Theodoſio exercitas virtutes vel internis
actibus, vel externis, ut plurimùm, actionibus, neque fontes modò, ſed ri-
vulos quoque virtutum ab ejus animo licèt per occultos humilitatis aquæ-
ductus effluxiſſe, hujuſmodi verò virtutes quaſi reliquias ex obliviosſo ſepul-
chro erutas quantunvis minimas, multùm certè venerabiles placuit tandem
haud incongruè ſub reliquiarum titulari appellatione propalare.

179 Summæ ſpei Principem, & Theologum ſpectabilem Theodoſium *Spes divi-*
ſpes Theologalis virtus maximè decebat; illius quidem haud minori, quàm *na.*
Fidei, & Charitatis ſtudio ſemper exarſit. Hinc quoties Fidei, Charitatiſque
actus eliceret, Spei quoque ſimultaneum octies ſupra quadragies ſingulis
diebus (quod alibi explicatiùs adnotatum) repetebat. Nec dubium, quin Lib.3.4.9.
toties repetiti hujuſmodi affectus ſupernaturalis ſpei habitum efficerent ſum-
mam in Deo ſperandi facilitatem difficillimis quibuſque temporibus indu-
centem: *Magnæ indolis eſt* (inquit Florus) *ſperare ſemper.* Unde cùm adeo ex-
celſa indole præditus eſſet Theodoſius, maximamque de ſe omnibus ſpem Flor.l.4.
faceret, nil mirum, ſi vel deſperatis rebus firmiſſimam ſpei anchoram jace- c.8.
ret, qua jactatam adverſis ventis, & tempeſtatibus navim ſuſtineret. Æmu-
labatur inclytum illum Venetorum Ducem ſexageſimum nonum Nicolaum
Marcellum, quem ad confirmandam in Deo unicè collocatam ſpem maxi-
mis in periculis, Noemicæ Arcæ in edito monte conſiſtentis, ad illamque *Anſelm.*
advolantis columbæ, Olivæ ramum præferentis imagine uſum memoriæ Boot.
proditur, addita inſcriptione: *Bona Spei.* Ut nimirum ſignificaret retinen-
dum ſibi vel in ſummis periculis, & laborum inundanti diluvio divinæ ſpei
clavum, cujus præſenti ope confirmata humanæ fragilitatis navis, quominus
à tumultuantibus infortuniorum fluctibus, aut abſorbeatur, aut reſolutis
compagibus dehiſcat, demum efficitur: *Spem* (inquit Auguſtinus) *in illam ter-* S.Aug.
ram quaſi anchoram præmiſimus, ne in iſto mari turbati naufragemus.

180 Idem contra bellicos terrores ſcuto ſpei, & auxilii divini præmuni-
tus, cùm à ſuis nimiam hoſtium potentiam extolli, noſtram deprimi ani-
mad-

Pſ.19.8. madverteret, Davidicum illud uſurpabat: *Hi in curribus, & hi in equis, nos autem in nomine Domini Dei noſtri invocabimus; ipſi obligati ſunt, & ceciderunt, nos autem ſurreximus, & erecti ſumus.* Rurſum, ſiquis numeroſam hoſtium multitudinem noſtrorum militum exiguitati fortè opponeret, multiplici reſponſione quidam refellebat allegationem, ubique intrepidæ ſpei plenus. Modò
Virg. lib. 5 Æneid. Virgilianum illud intonans *Exiguus numero, ſed bello vivida virtus*: modò ſa-
4. Reg. 6. [illegible] cratioris vatis Eliæ ad formidoloſum Puerum adhortatione repetita: *Noli timere, plures enim nobiſcum ſunt, quam cum illis.* Facta nimirum ad auxiliares Angelorum cohortes, utriuſque dilectæ gentis tum Hebrææ, tum Luſitanæ
Levit. 26. 7. favitrices, alluſione. Nunc divinis promiſſis commemoratis: *Perſequemini inimicos veſtros, & corruent coram vobis. Perſequentur quinque de veſtris centum alienos, & centum de vobis decem millia* Tandem animoſi Jonathæ memorabili
1. Reg. 14. 6. ad Armigerum redintegrata fiducia: *Non eſt Domino difficile ſalvare vel in multis, vel in paucis.* Sic ſuam Theodoſius ſpem inſtar fixæ acus polarem divini auxilii ſtellam perpetuò reſpicientis indies intendebat, ab omni turpis deſperationis conſternatione immunem, memor prudentis illius admonitio-
Vall. l[illegible] c. 9. nis: *Ipſi meliora de nobis ſemper cogitemus, memores ſtultum eſſe perpetuæ infelicitatis ſe damnare, ſpemque, quæ etiam incerta ratione fovetur, interdum certam indeſperationem convertere.*

181 Incredibile dictu eſt quantùm ad ardua quæque præmii ſpes unumquenque impellat: *Non eſt* (ait Caſſiodorus) *quiſquam, qui non ad morum ſumma nitatur, quando irremuneratum non relinquitur, quod conſcientia teſte laudatur, &c.*
Caſſiod. l. 2 var. ad Sen. Rom. At non is erat Theodoſius, qui terrena ſolùm à Deo ſperaret, in cœleſtibus expectandis longè ardentior: cui proinde non immeritò aptandum judico ſymbolum illud, quod univerſis Principibus immortalitatis candidatis propoſuit Nicolaus Thronus Venetorum Dux ſexageſimus octavus. Hic pulcherrimæ puellæ imaginem depingi curavit, inter palmam, & laurum pedibus laqueos, & retia proculcantis, oculis in cœlum intentis, ac in id ipſum ſagit-
Apud Ancelmid. Boodt. tam emittentis, addita epigraphe: *Immortale quod opto.* Ubi puella pulcherrima generoſi Principis animam exprimit; laquei, ac retia, mundi fallacias, quas proterit, palma, laurusque præmia, honores, & famam, quæ contemnit; ſagitta, oculique in cœlum directi, cœleſtium ſpem, ac deſiderium, cui unicè debeat Princeps attendere. Hic certè fuit Theodoſianæ ſpei unicè collimatus ſcopus; huc ſua univerſa ſtudia, vitæque rationem potiſſimùm referebat. Hinc in ejus ore, paſſim ab intimo cordis eructantia verba illa Regii
Pſ. 121. 1. vatis, ardens cœleſtis patriæ deſiderium atteſtantia: *Lætatus ſum in his, quæ dicta*
Lib. 3. §. 6. *ſunt mihi: in domum Domini ibimus*, ſimileſque jaculatoriæ preces, quarum alibi à nobis mentio facta eſt. Hinc in ipſius ſinu repoſita ſpes videndi ſalvatorem dilectiſſimum, quam inflammatis conceptam præcordiis Sanctiſſimi
Job. 19. 27 Jobi, ad inſtar accenſis fovebat ſuſpiriis; cupiens diſſolvi, & eſſe cum Chriſto. Hinc tandem ad appetentis jam mortis viciniam ejus incredibilis ala-
Lib. 1. §. 413. critas, & inſolita exultatio, de qua ſupra diximus, cùm ardentiori animæ cœleſtia immodicè cupientis, quàm corporis febri correptum, unica dilatæ ſpei exeundi è mortali carcere avidiſſimum affligeret mora, & torqueret.

Timor Dei 182 Spem divinam timor Dei: *Qui* (Tertulliano teſte) *Fundamentum eſt*
Tertul. lib. de cultu fæmin. c. 2 *ſalutis*; excipiat; utrique magna ineſt affinitas; humana ſpe fallente ſæpiùs erramus, deteſtanda, & timenda ſperantes; iidem falſo timore decepti appetenda,

tenda, ſperandaque ſæpe timemus: utrunque errorem emendat ſpes divino auxilio innixa, quæ nos tutos reddit, corrigit Dei timor, qui nos ſecuros efficit. Theodoſius ut in ſolo Deo ſpem ſuam perpetuò collocavit, ita ſolum Deum timuit. Sic nec ſpes unquam pavit inanes, nec vario timori ſuccubuit. Intrepidus alioquin, humanique timoris expers, ſolius divini particeps, Chriſti Domini monitis obtemperavit: *Noliſe timere eos, qui occidunt corpus, animam autem non poſſunt occidere, ſed potiùs timete eum, qui poteſt & animam, & corpus perdere in gehennam.* Mat.10.28. Erat verò Theodoſii erga Deum timor non ſervilis, ſed filialis; ei ſimilis, quo ingenui filii parentes chariſſimos reverentur, caventque nequid vel minimum admittant, in quo illis diſpliceant: *Quem timorem* (inquit Caſſianus) *non pœnarum terror, nec cupido præmiorum, ſed amoris generat magnitudo; quo filius indulgentiſſimum patrem ſolicito reveretur affectu; dum ejus non verbera, neque convicia, ſed vel tenuem amoris formidat offenſam; atque in omnibus non ſolùm actibus, verùm etiam verbis attonita ſemper pietate diſtenditur, ne erga ſe quantulumcunque fervor dilectionis intepeſcat.* Caſſian. collat.11. c.13. Non aliter ſe habuiſſe Theodoſium planè agnoſcet, qui univerſam ejus vitæ ſeriem curioſè obſervabit. Eum dum Sapientiſſimum admirabitur, Deum quoque timentem ſuſpiciet, in quo ſitam eſſe veræ ſapientiæ plenitudinem ſapiens atteſtatur: *Plenitudo ſapientiæ eſt timere Deum.* Eccl.1.16. Eundem dùm virginitatis laurea inſignem, & cœleſtem planè adoleſcentem prædicabit, perpetuò trepidantem, & ad omnem divinæ offenſæ umbram expaveſcentem fateatur neceſſum erit: *Trepidare nanque virginum eſt*, teſte Ambroſio, D.Amb.l. 2.in Luc. cœleſtium verò ſphærarum proprium trepidationis motu cieri, ex optimis Mathematicis.

183 Illum prætereà dum eximia præditum fortitudine commendabit, totam eam impavidi, ac præſentis animi celſitudinem à divino timore profectam animadvertet. Aptè S. Nilus tunc Dei metum dixit invictum: *Nullus timorem Dei vincit amor mundi, & ipſe omnes vincit mundi timores.* D. Nil. de orat.c.93. Invictus, & victor eſt timor Dei: *Planè fortitudinis virtutem*, ut Lactantius ait, *nihil aliud quàm metus Dei fecit.* Lact.l.6. c.17. Itaque non avellendus, ut Stoici, neque temperandus timor, ut Peripatetici volunt, ſed in veram viam deducendus eſt; auferendique ſunt metus, ſed ita ut is ſolus relinquatur, qui quoniam legitimus, ac verus eſt, ſolus efficit, ut poſſint cætera omnia non timeri. Neque enim ſolùm periculorum aſylum, ſed timorum eſt timor Dei: nam qui timet Deum, nec timenda, nec timores patitur: ſupra pericula eſt, ac extra metus. E contra qui Deum non timet, ipſa non timenda timet, nec fugit timores, ſed fingit: *Sæpe facit metui non metuenda metus.* Pœna non timentium Deum eſt multa, immò omnia timere. Pavet facilè mala conſcientia: nam ſcelerum conſcius animus ubique ſupplicia formidat. Deinde cupiditatibus ſerviens pro tot timet rebus, quot deſiderat. Tandem qui Theodoſium juſtum, omnibusque cumulatum virtutibus recolet, eas omnes timori divino tribuendas ducat, cum Sapiente: *Deum time, & mandata ejus obſerva, hoc eſt enim omnis homo*, ideſt, Eccl.12.13. hæc eſt definitio hominis, ut ſi quæras, Quis eſt homo? Reſpondeat Salomon: Eſt is qui timet Deum; cæteri enim quidem videntur homines, ſed re vera ſunt leones ſuperbi, harpyæ tenaces, tigrides truculentæ, voraces lupi, &c. Non ſunt hominis appellatione digni, qui ut oculis placeant calamiſtro utuntur, qui refugos a fronte capillos gerunt, qui holoſericati incedunt, qui pallio ab uno in alterum humerum rejecto, protrudere in viis volunt

prætereuntes; non qui deliciis, & divitiis affluunt, aut rerum potentes ſunt. Qui Deum timet, & mandata ejus obſervat, hic homo eſt, hic non ficti hominis larvam gerit, ut aſoti, & intemperantes, ſed veri ſpeciem, ut modeſti, & frugales; qualem fuiſſe Theodoſium filiali timore Dei, eoque virtutum omnium cumulo ſpectabilem.

Patientia. 184 At nullius, quàm Chriſtianæ patientiæ commendatione illuſtrior: cùm nullum ſit vel divinis oculis jucundius ſpectaculum, quàm quod illis præbet vir patiens adverſæ fortunæ compoſitus, monti Olympo ſimilis, cujus latera, & radices etſi furibundi perflent venti, feriantque metuenda fulmina, ſerena ſemper facie, ac extanti ſupra nubes cacumine iniquorum temporum injurias deſpicit, & irridet. Ex omnibus Dei attributis nullum judicabat Theodoſius admirabilius ipſius divina patientia, qua illatas ſibi paſſim à mortalibus offenſas non diſſimulat modò longanimis, ſed condonat facilis reſipiſcentibus. Eam æmulari tam Regibus, & Principibus dignum, ducebat, quàm indignum proprias injurias vindicare: illas ut divinum tolerare, ſic perſequi barbarum, & ferinum eſſe dicebat; de quo nonnulla ſunt à nobis exempla commemorata, dum illius clementiam, & manſuetudinem expoſuimus. Ex omnibus, quibus aſſueverat exercitiis ſolitus erat Theodoſius ſtabiliendæ patientiæ ſalutaria documenta elicere. Si Monochordum, aut Barbiton, ut ſæpe, pulſaret, utrunque patientis viri optimum ſymbolum prædicabat. Ut enim hæc muſica inſtrumenta intacta ſilent, pulſata reſonant, ſuaviſſimæque harmoniæ concentum reddunt; ita injuriarum, & calamitatum impulſu laceſſitum patientem virum jucundiſſimum edere ſonum ab omnibus cum admiratione auſcultandum. Si arma tractaret, in rotandaque machæra ſe frequenter exerceret, monitum Pyrrhi eximii certaminis gymnici præceptoris; qui præcipere diſcipulis quos exercere ſolebat, Ne iraſcerentur, cùm ira perturbet artem, & quà noceat; non quà caveat aſpicere ſinat, apprimè obſervabat. Idem flagitandis, vel circumagendis equis de more operam daret, eum vulgare optimum, qui faciliùs fræni, atque ſeſſoris patiens, admotis leviter calcaribus ad curſum admitteretur; è contra effrænem, refractarium, ſternacem, & calcitronem nihili prorſus faciendum.

Lib. 1. §. 67. ad 69.

185 In legendis verò frequentiùs tum ſacris, tum prophanis libris, frequentiora patientiæ monumenta, frequentiſſimas ad confirmandam æquè Spartanam, & Chriſtianam patientiam ſententias, & exempla obſervabat, ſimulque ad oppoſitam patientiæ iram evincendam; quæ ut infinitum, & laborioſum eſſet recenſere, Theodoſio voluptuoſum erat memoriæ, ac executioni committere, rebus, & occaſionibus ita exigentibus Non interim omittendus D. Cyprianus, dum patientiæ præcellentes laudes, & eximias utilitates recenſet: *Nec invenio* (inquit) *inter cæteras cæleſtis diſciplinæ vias; Quid magis ſit, vel utiliùs ad vitam, vel majus ad gloriam, quàm ut qui præceptis Dominicis obſequio timoris, ac devotionis innitimur, patientiam maximè tota obſervatione tueamur.* Et mox: *Patientia eſt, quæ nos Deo commendat, & ſervat; ipſa eſt, quæ iram temperat, quæ linguam frænat, quæ mentem gubernat, pacem cuſtodit, diſciplinam regit, libidinis impetum frangit, tumoris violentiam comprimit, incendium ſimultatis extinguit, coercet potentiam divitum, inopiam pauperum refovet; tuetur in virginibus beatam integritatem, in viduis laborioſam caſtitatem, in conjunctis, & maritatis individuam charitatem; facit humiles in proſperis, in adverſis fortes, contra injurias, & contume-*

D. Cypr. de bono patient. ſer. 3.

tumelias mites; docet delinquentibus citò ignoſcere; ſi ipſe delinquas, diu, & multum
rogare; tentationes expugnat, perſecutiones tolerat, paſſiones, & martyria conſumat:
ipſa eſt, quæ fidei noſtræ fundamenta firmiter munit. Idem ſtudioſo cuilibet ad
comparandam vel divinam, vel humanam ſapientiam nihil tam expedi-
re, quàm patientiam affirmabat; tot quidem literis ſapientia, quot pati-
entia conſtat, qua niſi quis ſciendi cupidum animum confirmet, obviis
paſſim difficultatibus, aut ſuccumbet, aut cæptum literarum ſtudium oleo,
& opera deperditis, indecorè abrumpit. Ideo ſapientiam muliebri habitu,
& eleganti vultu præ cunctis fœminis ſpecioſiſſimam animo concipiebat,
dextra theſauros cœleſtes, ſiniſtra omnigenas divitias indigitantem, è cu-
jus ore aureis deſcripta characteribus hujuſmodi ſententia prodiret: *Patien-*
tiam habe in me, & hæc omnia reddam tibi. E contra nihil tam ſapientiæ aut
addiſcendæ, aut exercendæ noxium quàm iracundiam differebat: ut enim
fumus oculos luce mulctat, ſic ira mentem ratione. In tumultu nemo bene
auditur, nec à tumultuanti corde irati hominis audiri ratio poteſt: nullius
vitii appetitus magis erroneus eſt; non excæcat modò, ſed etiam dementat
ardor iræ, turbato, immò convulſo penitus tranquilli animi ſtatu. Unde
Pyſiſtratus cum multa in eum conviva quidam iratus convicia effutiret;
nec deeſſent, qui vellent ulciſci, placido animo tulit, atque irritantibus
reſpondit: *Non magis illi ſe ſuccenſere, quàm ſiquis obligatis oculis in ſe incur-*
riſſet.

186 Tandem ut Sereniſſimi titulo Regibus, & Principibus Luſitanis fa-
miliari ſe dignum probaret Theodoſius, ab omni peſtiferæ iræ contagio pa-
tientiæ ſalutari amuleto præmunitus ſe immunem omnino præſtitit; conſ-
cius nihil tam vultus, animique ſerenitati oppoſitum quàm iracundiam;
quæ pulcherrimas alioquin genas corrumpit, fœdiſſimèque deturpat, ac
torvum, ex tranquillo reddit vultum; ea dominante venæ tument, artus
trepidant, manus tremunt, colla diſtenduntur, rabidæ eruptione vocis, &
crebro pectus concutitur ſpiritu: minax vultus, torva facies, micantes
oculi, tremula labra, verſus color, vehementiùs, & crebro acta ſuſpi-
ria, latentem animi furorem indicant, quem à ſapientiæ, ſerenitatisque
ſtudioſis execrandum mirificè ponit ob oculos tranquillitatis egregius
commendator Seneca: *Furentium* (inquit) *certa indicia ſunt, audax, & mi-* Senec. l. 3
nax vultus, triſtis frons, citatus gradus, inquietæ manus, color verſus: flagrant, de ira.
& micant oculi, horrent, & ſubriguntur capilli; comploſæ ſæpius manus, pulſata
humus pedibus, & totum concitum corpus, magnaſque iræ minas agens; fœda vi-
ſu, & horrenda facies depravantium ſe, & intumeſcentium. Neque minùs ele-
ganter illum depingit, ſeverèque carpit Satyricus Perſius: *Nunc face ſuppo-* Perſ. Sa-
ſita flaveſcit ſanguis, & ira, ſcintillant oculi; dicisque, facisque, quod ipſe Non tyr. 3.
ſani eſſe hominis non ſanus juret Oreſtes. Tam fœda oculis imago monſtrum in-
fecti vitio iracundiæ animi objicit: non niſi peſſimus ſpiritus corpus tam
male afficit. Periculoſiſſimum certè habuit Hippocrates morbum, in quo
oris habitum mutat ægrotus, & ſui fit diſſimillimus. Ira nullus periculo-
ſior animi morbus, quæ vultum, vocem, inceſſum, animumque immu-
tat, nec diſſimilem, ſed prorſus alium iraſcentem reddit. Quà quid inge-
nuo quolibet viro, ne dum Sereniſſimo Principe indignius Theodoſius ju-
dicaret?

Perſeverantia.
D. Gregor hom. 5. in Evang.
D. Bern.
Idem ep. 129. ad Genuenſ.

187 Ille quidem ſuis omnibus vir tutibus tam politicis, quàm Chriſtianis coronidem impoſuit, iiſdem ſupremo perſeverantiæ diademate coronatis. Eam eſſe virtutum & totius boni virtutem docuit D. Gregorius: *Virtus* (inquit) *boni operis perſeverantia eſt.* Eandem appellat meritò D. Bernardus virtutum omnium fructum, conſummationem, & repoſitorium: *Quid* (inquit) *currere prodeſt, & ante metam curſus deficere? Perſeverantia eſt virtutum fructus, earumque conſummatio, totius boni repoſitorium.* Idem alibi perſeverantiam mirificis, at meritis cœlo tandem inſerit elogiis: *Et nunc, quid reſtat chariſſimi, niſi ut admoneamini de perſeverantia; quæ ſola meretur viris gloriam, coronam virtutibus? Prorſus abſque perſeverantia, nec qui pugnat victoriam, nec palmam victor conſequitur: vigor virium, virtutum conſummatio eſt, nutrix ad meritum, mediatrix ad præmium, ſoror eſt potentiæ, conſtantiæ filia, amica pacis, amicitiarum nodus, unanimitatis vinculum, propugnaculum ſanctitatis. Tolle perſeverantiam, nec obſequium mercedem habet, nec beneficium gratiam, nec laudem fortitudo. Denique non qui cœperit, ſed qui perſeveraverit uſque in finem, hic ſalvus erit.* Mira certè fuit maximèque commendabilis in ſuſcepto ſemel virtutis, aut laudabilis cujuslibet exercitii propoſito Theodoſii perſeverantia: priùs illum vita deſtituit, quam ſcientia, & virtutum exercitatio, quæ ipſum ad extremum uſque vitæ exitum proſequuta eſt:

D. Hier. l. 1 contra Jovin.

Incipere multorum eſt (inquit S. Hieronymus) *perſeverare paucorum; unde & grande præmium eorum, qui perſeveraverint, &c.* Paucis quidem, quos æquus amavit omnipotens, contigit onuſtam pretioſis virtutum divitiis animæ navim ad cœleſte littus tutò deducere; at paucioribus in hujuſce mundi oceano multorum naufragiis infami perpetuò navigantibus ita ſe gerere, ut nunquam ad vitiorum ſyrtes, aut ſcopulos impegerint; ex

Lib. 3. §. 23. ad 25.

pauciſſimis unum fuiſſe Theodoſium ſupra diximus qui divina ſe protegente gratia in baptiſmali ad extremum uſque innocentiſſimæ vitæ halitum, ipſius Confeſſarii teſtimonio, totius lethalis culpæ immunis perſeveravit; quo ut nihil difficilius, maximè in aula plurimis, & aſſiduis graviter prolabendi occaſionibus obnoxia, ſic nihil majus, aut excellentius de viro eximiè Sancto dici, cogitari ve poteſt. Hæc ſumma Chriſtianarum omnium virtutum eſt, hic intemeratæ Sanctimoniæ ſupremus ſcopus, quem colineant perfectiſſimi; at ex is rari admodum feriunt; hæc tandem ultima exquiſitæ perfectionis meta, quam qui attigerit mortalium, votorum ſummam adeptum ſe., unà cum Theodoſio poterit meritò gloriari. Utinam eam, qui Theodoſium conſequentur Reges, ac Principes ipſius æmuli virtutem aſſequantur.

CAPUT

CAPUT XVI.

Maximorum Principum, ſapientium, & prudentium de Principis Theodoſii vita, obitu, dotibus, & virtutibus obſervanda judicia.

188 POſtquam Sereniſſimi Principis Theodoſii cœleſtem planè, licèt compendiariam in terris vitam, Ipſiusque non minùs invidendum, quàm dolendum exitum, ac tandem præcellentes politicas, & Chriſtianas virtutes, quàm maxima licuit fide, tribus proximis libris exhibuimus; ad extremùm quid de Illo maximi quique Principes, prudentes, ac ſapientes viri exiſtimarint, quid in ipſius vita, obitu, & præcipuis actionibus memoratu dignum obſervarint, operæ pretium, ſtudioſoque lectori haud injucundum ſuperaddere viſum eſt. Et quidem ea, quam exprimere profitemur, Perfecti Principis vera effigies; cuique ultimam jam imponere manum, æquum eſt, ut numeris omnibus abſoluta expectatiſſimam diei lucem hauriat, extremis hiſce ſuper inductis lineis Apelleam manum longè ſuperantibus, fuit jure ſuo perficienda. Ex quibus, & hactenus à me ſyncerè commemoratis, plena, certiſſimaque fides conſtare poterit; ac demum, qualis, quantusque fuerit Theodoſius omnino innoteſcere, tot illuſtribus teſtimoniis omni exceptione majoribus ejus poſthumæ gloriæ patrocinantibus. De Philoſopho Zenone vita functo illuſtre olim tulit teſtimonium Rex Antigonus; de Principe Theodoſio immatura morte ſublato aptiùs proferendum: *Antigonus* (inquit Plutarchus) *Zenone defuncto, quem unum ex Philoſophis maximè ſuſpiciebat, dicere ſolebat, geſtorum ſuorum theatrum eſſe ſublatum; quòd ad illius viri judicium componeret ſuas actiones; quem unum præ multis hominum millibus habebat, &c.* Humanæ vitæ brevi evaneſcentis Principem Theodoſium fuiſſe ampliſſimum theatrum, in quo & mortalis gloriæ fluxam inſtabilitatem, & cœleſtium virtutum expreſſam imaginem, ac ſcientiarum Encyclopediam mortalibus ſpectandas Deus ediderit, haud infiebitur, qui per otium, attentaque mentis acie Illius vitam, obitum, & ſuſpiciendas virtutes inſpexerit. Eum cryſtallinum extitiſſe ſpeculum, ad cujus adſpectum non reges modò, Principes, & magnates, ſed vel perfectiſſimi religioſi ſuas poſſint, ac debeant componere actiones, idem fatebitur; Ipſumque tandem inſtar multorum millium, & præ omnibus maximi habendum. Sed jam fidem faciant locupletiſſimi teſtes indubia fide digniſſimi. Plut. in Aph.

189 Inter omnes cunctis nominibus, neque humano tantùm, ſed divino etiam jure optimo primus Sanctiſſimus Urbanus Octavus Pontifex maximus primum vendicet locum. Qui cum ſummæ fidei viros eximias Principis Theodoſii dotes, & virtutes commemorantes auſcultaret, ita dixiſſe, vel prædixiſſe (utinam minus certò) fertur: *Hujus Principis non erit diuturna vita; quem ſibi talem Deus perfecit: non meretur Portugallia Principe adeo perfecto diu frui.* Ab Italo id ſe accepiſſe Author eſt Petrus à Soſia, vir ſumma dignus fide Principis olim puer ingenuus in ſua relatione. Jam verò in eadem fuiſſe ſen-

tentia Eminentiſſimum Cardinalem de la Cueva ſummis Principis Theodo-
Lib.2.§81 ſii auditis virtutibus ſupra diximus. At non minoris faciendum Sereniſſimi Joannis quarti, etſi Parentis, de Principe Filio judicium; de quo non ſemel verba faciens, conceptam de ſe modeſtam prorſus, de Illo magnificam opinionem ingenuè propalare minimè dubitavit: *Scio ex imperatoriis virtutibus Luſitanæ regendæ Monarchiæ neceſſariis plurimas in Me deſiderari; omnigenis Theodoſius ita inſtructus eſt, ut Illum ſuperare nemo, æquare vix ullus auſit: quiſquis ad eum proximè accedat, illum ego ſummis Principibus adnumerabo.* Vix dicas in hoc regio teſtimonio, quid potius venerari oporteat; ſummam ne in ſe plus nimiò demittendo inclyti Regis modeſtiam; an exploratam in Filio Theodoſio, extollendo veritatem? Ipſius Sereniſſimi Regis in Epiſtola ad ſuum Cubiliarchum Angliæ legatum, qua de Principis obitu meminit, luculentum extat de Illius virtutibus teſtimonium Pontificio non abſimile: *Mirabilia* (inquit) *ejus vitæ, ac in obitu exempla ea fuere, ut aliquale dolori levamen attulerint, dum exploratum habemus, non fuiſſe Illum à Deo exquiſitè adeo elaboratum, niſi ut eo ſibi mox aſſumpto frueretur.* Pontificium, Regiumque teſtimonium utrique proximum excipiat judicioſum planè Sereniſſimi Principis Coſmæ tertii Etruriæ magnæ Ducis maximi; cujus hæc ſunt ex eleganti ad hujuſce libri Authorem epiſtola, eadem omnino latina verba: *Utique voluit Deus in Theodoſio propriæ bonitatis menſuram oſtendere, dum & breviſſima vitæ periodo, immenſa virtutum ſpatia dedit percurrere, earumque faſtigia feliciter attingere; Ducis aſſecutus coronam iis gradibus, per quos longæva Patrum ſæcula vix tyrocinio ſuffecere, &c.*

190 Non intra Europæ tantùm, etſi ampliſſimos fines Theodoſii fama, ejuſque virtutes meritis laudibus celeberrimæ claudebantur; per univerſum jam diſperſæ orbem debitam Illi venerationem ubique conciliabant. In Aſia maximè, ubi longiùs, latiùſque Luſitana protenditur Monarchia, auguſtum Theodoſii nomen ſuſpiciebatur; quod unico, at Imperiali teſtimonio, cæteris omiſſis, jam confirmo. In India multiplici rerum humanarum, & cœleſtium viciſſitudine celeberrimus eo temporis habebatur Vigiapala regnorum Candiæ legitimus Imperator, idem Mattalle Princeps dux Vellare, Cardinalis Langatilica, Rex regnorum Ura, Dominus Anarazepere Candajure, Digaghandula, &c. Virum domi olim, bellique clarum, de Luſitanis optimè meritum, & fraterna, & Luſitani Præfecti atrox injuria Goam compulerat, promiſſum ſibi auxilium adversùs fratrem natu minorem Hollandis fæderatum, paternique imperii per ſummum nefas invaſorem imploratum; juſtamque vindictam de Luſitano Præfecto pretioſiſſimæ imperatoriæ ſupellectilis expilatorem impetratum. Sed juris æquitati prævalente interim utriuſque iniquitatis potentia, dum humanum auxilium expectatione ſeriùs differtur, divinum in tempore ſupplici adfuit Imperatori. Qui ex frequenti cum doctis, & religioſis viris conſuetudine divina præventus gratia de inanium Deorum ejurando cultu, orthodoxaque ſuſcipienda religione deliberavit. In ea poſtquam apprimè fuit inſtructus, ſolemnis dies Imperiali baptiſmo dicitur ingenti omnium ordinum concurſu, inſolita, ut par erat, pompa, & lætitia celebrato. In eo auguſtum Theodoſii ſibi nomen imponi voluit, in obſequium noſtri Principis, ac exinde Theodoſius Imperator ab omnibus appellari cœpit. Deo, ut ſæpe ſolet, temporaria infortunia æternis felicitatibus compenſante, ampliſſimique imperii jacturam, & amiſſas terrenas opes longè ampliori apud ſuperos (ut pium eſt credere) imperio, & cœleſtibus divitiis abun-

dè reſarciente. Idem lethali contracto morbo ſub annum 1651, vigeſima tertia die Septembris Imperatorium planè, ac piiſſimum, cujus autenticum tranſumptum ſæpius legi, condidit teſtamentum: illius extremam clauſulam ad Sereniſſimum noſtrum Principem ſpectantem ex Luſitano idiomate in Latinum à me traductam hìc inſerendam judicavi; ad perpetuam rei minimè contemnendæ, immò maximi faciendæ memoriam.

191 *Declaro Luſitaniæ Principi meo Nepoti (ſic Principem Theodoſium amoris, & honoris ergo appellat) me commendare, Illique injungere, ut pro ſua exiſtimatione, Luſitanæque nationis decore, nullius alterius habita ratione, recta deferat juſtitia, quam ab annis decem à Rege meo Fratre imploro; Illumque rogo, ut jubeat inſpici, quæ habeo ſummo ſecreto recondita inſtrumenta, eidemque Principi cedo univerſum jus, quod in illis mihi eſt; Ipſique præterea lego argenteum quendam inauratum, & cælatum Dienſem ornatum, quem à Franciſco Peyxoto emi, &c.* Hoc fuit maximi certè habendum Imperatoris Theodoſii moribundi de Principe Theodoſio judicium; quo ſibi vir prudens perſuaſerat unicum eum eſſe, apud quem publici, privatique decoris ratio cæteris quantumvis validiſſimis rationibus prævaleret, eundem exequendæ integræ juſtitiæ adversùs potentiſſimum quemlibet adamantinum Rhadamantum. Illi propterea totius juris obſervantiſſimo cedit meritò jus totum, quod in re maximi utique momenti habere ſe non dubitaret. Addit verò immediatè, quod in gratiam utriuſque Theodoſii propagandæ fidei, exercendæque pietatis ſtudioſiſſimi à me ſuperadditum, nemo improbabit: *Iubeo (*inquit*) ut Brevia, quæ ſummus Pontifex meus Parens ad me miſit, cum aliis literis Sacræ Congregationis tranſmittantur ad Principem meum Filium, ut animadverſo amore, quo Me ſua Sanctitas proſequuta eſt, ad amplectendam Chriſtianam religionem, quod unicè opto, moveatur; ad hoc enim jam antea fuerat à me diſpoſitus, & inſtitutus: denique meam Animam hæredem ex aſſe inſtituo eorum omnium quæ ſatisfactis mei hujuſce teſtamenti legatis ſuperfuerint; ex quibus tres omnino æquales partes conſtituantur; quarum primam mei Teſtamentarii (fuere illi hoc ordine ab eo ibi deſignati, Archiepiſcopus Miræ, Archiepiſcopus Primas, Patriarcha Æthiopiæ, Inquiſitor Apoſtolicus) in miſſarum ſacrificia, & pauperum hujus Civitatis beneficium expendent. Secunda committatur Reverendo Patri Guardiano Cœnobii Sancti Franciſci; tertia Reverendo Patri Præpoſito Boni Ieſu hujus Civitatis Goanæ; ut ambo illas expendant in id quod judicabunt fore ad majorem Dei gloriam, meæque animæ utilitatem, &c.*

192 Ad Europam iterum ex Aſia nobis redeundum, ubi regalia, eaque non minùs luculenta, quàm proxima de Principe Theodoſio teſtimonia reperiemus. Primum ſit Sereniſſimæ Chriſtinæ Sueciæ Reginæ; quæ, ut alibi Lib. 1. §. 266.
diximus, occaſione libri Macariopolis ſibi à Principe Theodoſio tranſmiſſi, magnifica de Illo tunc, & ſæpe aliàs pronuntiavit, Patre Antonio de Macedo noſtræ Societatis regium oraculum auſcultante, mihique poſtea renuntiante: Ab eo dum curioſiùs inquiro, quid potiſſimùm in maximo Principe Sereniſſima Regina commendarit? Ita reſpondit: *In primis maximam prudentiam, mox ſingulare ingenium, deinde præcellentem eruditionem, & quod caput eſt, ardentiſſimum erga orthodoxam fidem, & omnigenas virtutes ſtudium, quæ omnia in ejus libro, & epiſtolis elucerent ſummis laudibus Sereniſſima Regina cumulavit; Regiumque Adoleſcentem ſummæ quidem expectationis eſſe tandem prædixit.* Cui conſonat Author tumuli Theodoſii, de quo in prologo, in hæc verba: *Iuſtæ molis tomum compoſuit, Doſithei Macariopolim inſcriptum, Theodoſii urbem beatam calamo exprimebat, quam animo cogitabat. Vrbem ad ſuperos, & mentem erigebat, qui humani*

 fines

fines tranſcenderat, & in confinio ſuperum verſabatur. Illum Regina Suecia dono miſit; quæ maturum Authoris ingenium admirata in illa ætatis acerbitate divinum ſapientia Principem, atque ab omni parte beatum prædicavit. Simile neque minoris æſtimandum de Filio Theodoſio Sereniſſima ejuſdem Regina Mater Aloyſia judicium proferre non ſemel audita eſt: *Nimirum à Sereniſſimo Parente illum frequenter ſummis de rebus conſuli ſolitum, non modò, ut ſapientem, & eruditum, ſingularique prudentia præditum, ſed ut ſanctum, cui proinde ſibi acceptiſſimo ſalutaria Deus ipſe conſilia omnino exequenda dictaret.* Id à Sereniſſima Regina ſe audiviſſe atteſtatur Frater Antonius Ferràs noſtræ Societatis: Regia æquum eſt claudat teſtimonia Sereniſſimæ Catharinæ, magnæ Britanniæ Reginæ, digniſſimæ-
Lib.3.§.5. que Theodoſii Sororis luculentiſſimum judicium. Dignata eſt (ut alibi dixi) ſua Majeſtas, mihi oſtendere in ſummo pretio ſibi meritò habitos precarios globulos, quibus Princeps quotidianos divini amoris actus numerabat: eos religioſiſſimè à ſe aſſervari dixit, non modò pro fraterni amoris unicè à ſe recolendi monumento, ſed præſertim pro illuſtrium, & innumerabilium ejus virtutum, quas memori mente in numerato perpetuò eſſet aſſervatura memoriali. Annuat quæſo Deus æquiſſimis, ſupplicibuſque magnæ Britanniæ, ac Luſitaniæ communibus votis, ut pretioſum id mutui amoris monumentum, & cœleſtium virtutum memoriale diutiſſimè Sereniſſima Regina ſervet, illudque tandem poſt longam felicium annorum ſeriem, ad memores regios poſteros pretioſiſſimis illigatum margaritis pro pretioſiori totius Britannici theſauri gemma perpetuò ab iiſdem aſſervandum tranſmittat.

193 Hic, rebus ita exigentibus, duplex aulicarum nobilium matronarum non abſimile teſtimonium inſerendum. Primum eſt deſumendum ex relatione, quam ad me miſit D. Maria Calada Roma, Principis Theodoſii apud
Hoc lib.§.156. Villaviſſoſam minor nutrix, dum meminit ejus tunicæ (de qua ſupra mentio à nobis facta eſt) quam publicæ flagellationi in quadrageſima adumbrandæ ſibi conficiendam impetravit, ſic atteſtatur: *Quam hactenus apud me in ſumma veneratione habeo, unà cum alia ejuſdem Principis ſupellectili; quæ omnia non modò, ut magni Principis, ſed ut magni ſancti utenſilia aſſervando veneror.* Conſonat hujuſmodi exiſtimationi D. Maria Graneros Caſtellana nobiliſſima matrona, quam ſecum ex Bætica duxit Sereniſſima Regina Mater, eam de Sereniſſimi Principis, cui naſcenti, viventi, ac morienti perpetuò adſtitit, dotibus, ac virtutibus colloquentem non ſemel audivi; eadem inter alia mihi retulit, *Religioſè admodum à ſe aſſervari, ac pro pretioſis reliquiis haberi Principis Theodoſii capillos.* Illi quidem licet unanimi Philoſophorum conſenſu inanimes, & caduci capitis excrementa vulgò judicentur; at longè certiori Chriſti Domini judicio veluti ſanctæ animæ nunquam peritura, maximique facienda ſpolia nu-
Luc.21.8. merantur: *Capillus de capite veſtro non peribit.* At non veſtibus modò, & capillis, propriis etiam characteribus eorum, qui maximarum virtutum commendatione in vivis claruere, ſimilis ſolet veneratio impertiri. Eam certè Principis ſcriptis exhibuit ejus Confeſſarius præ omnibus conſcius virtutis id honoris promerentis, quem in proprio Breviatio, pro ſacris icunculis pa-
Lib.1.§.174. pyracea fragmenta Principis characteribus exarata geſſiſſe non ſemel diximus. Id eſſe vehemens mihi, nec improbabilis eſt ſuſpicio, cur tam pauca extent operum Principis autographa, cùm alioquin tam multa Ipſe ſcripſerit; iis, in quorum venere manus, divitis inſtar theſauri ea inviolabili ſecreto aſſervantibus.

194 Summos Principes, pontificia, & regalia Principi Theodoſio teſtimonia perhibentes excipiant illuſtres, prudentes, ac ſapientes quique viri, quorum tamen maximi ducenda judicia nullo nobilitatis, antiquitatis, alterius ve præeminentiæ ſervato ordine, ſed prout res ipſa poſtulabit, erunt à nobis recenſenda. Præclarè quidem, conceptam à ſe de Principe Theodoſio jam vita functo exiſtimationem expreſſit Joannes Rodericus Sà Meneſius Comes Cubiliarchus extra ordinem in Angliam Legatus. Ille quo die Principi Theodoſio Londini regifico apparatu juſta perſolvit, inter alia maximi artificii, ſingularisque magnificentiæ monumenta, quæ luculenta ediſſerit eà de pompa relatio, ſpecioſam Luſitanorum regum arborem expreſſit, in qua omnium effigies, addito unicuique nomine, compendioſoque lemmate præcipuas cujuſque virtutes exponenti. Hîc nomina tantùm, & lemmata in Principis Theodoſii gratiam, cujus ſuprema imagine Regiæ arboris apex terminabatur, eo, quo ſibi Luſitani Reges ordine ſucceſſere, delibanda, qui hujuſmodi eſt: *D. Alphonſus Enriquius. Digna Miraculi Fides. D. Sancius I. Maurorum Expulſor. D. Alphonſus II. Fortitudo in fide. D. Sancius II. Pacifica religio. D. Alphonſus III. Martia Aquila. D. Dioniſius. Inſuperabilis clementia. D. Alphonſus IV. Indomita virtus. D. Petrus. Scelerum vindex. D. Ferdinandus. Digna imperii Pulchritudo. D. Ioannes I. Regiarum virtutum exemplar. D. Eduardus. Clarus in adverſis. D. Alphonſus V. Maurorum terror. D. Ioannes II. Legum Auctoritas. D. Emmanuel. Felicis ſæculi initium. D. Ioannes III. Pacis Typus. D. Sebaſtianus. Vltra modum Magnanimus. D. Enricus. Fidelis Pietas. D. Ioannes IV. Felicior Regni ſecuritas. Princeps D. Theodoſius. In uno cuncta.* Addit verò relationis Author: *Enim verò in Illo reperiebantur omnes virtutes, quæ glorioſos Ipſius Majores illuſtrabant. Quòd ſi mors immatura nobis alicujus experimentum fortè ademit, maximarum habitus certiſſimè indicabant fore, ut univerſos in omnibus adæquaret.*

195 In eadem verò relatione honorifica fit mentio ſummæ in qua Principem Theodoſium habebant æſtimationis Angliæ, Galliæ, Sueciæ, Hollandiæ, Amburgi, aliorumque Principum Miniſtri; qui omnes honoris, & amoris ergò lugubri ea occaſione Luſitanum Legatum convenientes, publicis, privatisque nominibus eidem condoluere, in laudes demortui Principis latinis, vernaculisque panegyricis effuſi. Cæteris, brevitatis cauſa omiſſis, de Prolegato Chriſtianiſſimi Regis, in hæc verba meminit: *Præſidens Monſieur de Bordeos advenit etiam ſuum præſtaturus obſequium eadem die, quà Parlamentum ſuum ſignificavit dolorem; exaggerato eo, cui Rex Chriſtianiſſimus indulgeret, ob mutuas utriuſque Coronæ rationes, Poſtea per ſuæ Celſitudinis virtutes latè diſcurrit, quæ non modò in Gallia libenter audiebantur, verùm etiam apud hoſtes in ſumma erant veneratione, &c.* Certè quam hauſerint ipſi de Principis dotibus, & virtutibus opinionem, ſatis conſtat ex iis, quæ alibi ſæpe commemoravimus.

Lib. 1. §. 250. 251. & 319. & lib. 2. §. 78, & 80. & lib. 3. §. 140. & 142.

196 Conſonat prædictis luculentiſſimis teſtimoniis Orator Conimbricenſis in hæc verba: *Quid enim acerbius feret Luſitania, quàm quòd ſibi ſublatum, videat Theodoſium, quo nihil habebat pretioſius, quo nihil ſalutarius, & charius nihil. In eo nanque omnium Luſitanorum regum inclytas virtutes tanquam in arcano theſauro, tanquam in ſacrario reconditas ſedula aſſervabat. In eo quot, ac quanta, eaque egregia facinora Luſitaniæ Principes, & ad gloriæ incrementum, & ad regni utilitatem, tracto ſæculorum ſpatio, geſſere, tot, ac tanta, immò longè illuſtriora ab uno gerenda Theodoſio ſpes noſtra non adulando pollicebatur. Alphonſum etenim primum, qui Deo Authore in Orichienſi campo inſigni de Mauris parta victoria, piè, ac fortiter Luſitaniæ*

Regnum

Regnum nobis aſſeruit, Theodoſius inſignis pietate, ac fortitudine referebat: Dionyſium literarum cura, qua omnes orbis Principes facile anteivit: Alphonſos robore; Joannem primum amore in patriam; ſecundum animi prudentia, & regnandi artibus, ſi non præibat ſaltem adæquabat. Quid plura? Petrum juſtitia, Emmanuelem (ah ſinerent fata!) augurata felicitate; Joannem tertium, & Enricum religione; Sebaſtum animoſitate ſimulabat; Eundem Joannem quartum ſuum, & Patriæ Parentem chariſſimum, cui vitam, & felicitatem ſemel, atque iterum precamur, ſic ad vivum exprimebant Theodoſii virtutes, ut & Parentes, & Avos tot in ſe uno ad miraculum collectos nobis ante oculos perpetuò ponere videretur, & quæ ſingulos diſperſa facinora, atque animi dotes beaverant, arctiſſimo connexa vinculo hoc uno in Theodoſio, aut conſociata veneraremur, aut conſocianda auſpicaremur. Planè promiſſis ſtetit ſpes, dum talem nobis præſtitit Principem, qualem habueramus in votis; ſed fallax nimium evaſit; cùm jucundiſſimam Theodoſii vitam, quam æternam precabamur intra breviſſimos viginti annorum terminos contentam, immò abſolutam, dolemus vehementer, &c. Idem paulò inferiùs lucu-lentum de Principis eximiis virtutibus judicium tulit: *Principem (inquit) contemplamini divina Philoſophia plenum, divinisque moribus inſtitutum: minus enim eſt, quod Ethica de virtutibus docet verbis, quàm quod Theodoſius expreſſit factis; &, quod majus eſt, floridis annis virtuti inſervivit. Eum Principem habuiſtis, qui veſtræ Philoſophiæ vota ſuperavit, cùm ſingulæ in eo virtutes, quæque alteram præcellere (cum neutra cederet) viderentur. Cum majeſtate comitas amicabili diſcordia componebatur: admittebat humanitatem majeſtas; miſericordia æquitatem juſtitia; liberalitas parcimoniam; candor animi ſagacitatem; fortitudinem pietas; affectatæque aliis virtutes (ut uno dicam verbo) Theodoſio inſitæ videbantur.*

197. Neque vero ſolis Luſitanis Regibus viſus eſt Princeps Theodoſius tum Comiti Cubiliarcho, tum Conimbricenſi oratori meritò conferendus, immò ex illius ſententia præferendus; fuere viri prudentes & eruditi, qui cum maximis quibusque retroactæ antiquitatis Heroibus non æquipararent modò, ſed iiſdem ſuperiorem judicarent. Sæpe cum Ipſius Confeſſario viro tum notiſſimæ prudentiæ, tum præcellentis eruditionis laude conſpicuo de Principis Theodoſii, nativis dotibus, & acquiſitis virtutibus verba feci; ille verò cùm alioquin ab omni exaggeratione foret prorſus alienus; ita ſuum vulgò de Principe judicium proferebat: *Incomparabilem quidem fuiſſe adoleſcentem Theodoſium, cui cæteri poſſent invidere, Ille nulli; plurimos certè olim extitiſſe qui plures alicujus virtutis actus frequentiori data occaſione protulerint; at excellentiores proculdubio à Theodoſio, & prolatos, & proferendos, ſi eidem ſimiles offerrentur occaſiones. Eoſdem verò in multis aliis fuiſſe à Principe facilè ſuperatos, qui univerſis ita excelluit virtutibus, quaſi unicam tantùm illarum coleret.* Cùm aliquàndo Illi opponerem Principem Eduardum Principis ipſius patruum, cujus inſignes dotes, ac virtutes ipſe ſuſpicerem; univerſique illius conſcii venerarentur, ita reſpondit: *Certè quàm ætate Principi Eduardo Theodoſius, tantùm eximiis dotibus, & virtutibus Theodoſio Ille decedit.* Idem Confeſſarius cum de Principe ſermonem haberet, non quidem Principem Theodoſium, ſed antonomaſticè *Principem Sanctum*, vulgò appellabat; quam appellationem in ipſius manuſcriptis ſæpe inveni. Confeſſarii judicio adhæſit vir alius noſtræ Societatis eruditiſſimus quidem, & in hiſtoricis monumentis apprimè verſatus. Hic Principem Theodoſium, & cum Luſitanis Regibus, & cum clariſſimis ſuperioris ævi Heroibus committens ſuam panegyrim à nobis ſæpe citatam, & cum optimis conferendam hujuſmodi ſententiis concludit: *Tametſi Luſitania in multis, ac-*

latiùs

latiùs mutata; non poſſumus obliviſci antiquam; unus integram refers; regiam ſcilicet Avorum tuorum gloriam; Alphonſos fortitudine, Sancios religione, Dioniſium pace, Petrum juſtitia; patria amore Ioannes, omnigena laude Emmanuelem. Theodoſius ſingulis major, omnibus par. Si cum alio loquerer Principe, avitas proponerem imitandas virtutes, ut dijudicaretur purpura juxta purpuram, Tibi neminem præpono, ſed Te omnibus. Nam tua generoſa indoles certos nos facit, Te fore præteritorum decus, præſentium incitamentum, poſterorum exemplar, omnium ſpeculum. Pudet igitur intra Luſitaniæ anguſtias, auguſtas admodum coarctare virtutes. Virtus, quæ Te ab incunabulis inſtituit, vel jam conſtituit vel parat conſtituere, in Eccleſia Conſtantinum; in Republica Lycurgum; in Academia Salomonem; in exercitu Scipionem; in acie Cæſarem; in judicio Minoem; in adverſis, vel proſperis ferendis Carolum; in pauperibus, & miſeris fovendis Ludovicum; in ſapientibus ornandis Iuſtinianum; in militibus curandis Germanicum; in tuendis civibus Codrum; in amicitiis colendis Ionatham; in lenta feſtinatione Auguſtum; in clementia Theodoſium; in affabilitate Trajanum; in juſtitia Theodoricum; in arcano Metellum; in expediendo Veſpaſianum; in elargiendo Alexandrum.

198 Talem, ac tantum futurum Theodoſium ſi diutius viveret meritò credidit vir eruditus. Talem verò eum fuiſſe ſibi perſuaſit R. P. Fr. Franciſcus S. Auguſtini verè Luſitanus Tullius in elegantiſſimo, quod Romæ condidit poſt Principis obitum elogio; ubi ſic: *Non Luſitania tantùm, verùm univerſa quoque Europa Principem deflet extinctum, bello clarum, pace juſtum, conſilio gravem, animo invictum, ſapientia præſtantem, prudentia ſupra ætatem, felicitate ſupra invidiam, meritis ſupra laudem, domi egregium, foris admirandum; quo meliorem ſæcula multa non viderunt. Non tam Ille Luſitaniæ lugendus, quam Orbi; cum majori hominum damno (ut de Tito dictum) quàm Patria ſublatus ſit, &c.* Idem ad extremùm hæc addit: *Procero Ille corpore fuit, forma eleganti, liberali facie, glaucis oculis, cæſarie humeris undante, perſonam dignam Imperio referebat. Excelſo animo, egregia indole, ſubtili ingenio, judicio maturo, memoria firma; omnibus animi, & corporis dotibus tam inſtructus, ut poſteris æmulandi ſe ſe ſpem inciderit, extra aleam poſitus, ultra famam, ſupra opinionem, &c.* Inſignis olim, ac celeberrimi in Conimbricenſi Academia Magiſtri veſtigiis inſiſtat in eandem rem ſimile famigeratiſſimi diſcipuli teſtimonium hiſce verbis in funebri Eborenſi oratione prolatum: *Status* (inquit) *corporis ſublimis, rectus, ad auctoritatem imperii compoſitus; apta deſcriptione membrorum, & firmitate laterum præſtantiam animi exprimebat. Species vultus liberalis, barba pubeſcenti, cincinno uberi, ac ſubnigro, crinium ornatu neglecto; prorſus, ut ex totius corporis, & oris habitu, qui tacitus eſt index animorum, ſedatum Iuvenem facile crederes, fortem faciliùs diceres: adeo pulchritudo corporis, & oris dignitas famam virtutis impleverat, &c.*

199 Reverendus admodum P. Doctor Fr. Ludovicus Sà in ſua funebri Concione aſſumptis pro argumento verbis illis. 2. Reg. 23. *Sedens in Cathedra Sapientiſſimus Princeps inter tres*, & aptiſſimè quidem, & copioſiſſimè confert Principem Theodoſium cum tribus ejuſdem nominis Imperatoribus, univerſiſque Illum præfert. Primus fuit Theodoſius Hiſpanus, Hiſpalenſiſque; ſecundus Theodoſius Honorii Imperatoris ex patre nepos; tertius Theodoſius Conſtantinopolitanus; omnes pace, belloque Viri clariſſimi, omnes imperatoriis virtutibus, rebusque præclarè geſtis præcellentes; quibus tamen quaſi Triumviris unicum præfert Principem noſtrum Theodoſium longè, maximis ejus virtutibus longiſſimè commemoratis. Eidem argumento, &

2. Reg. 23. 8.

& pa-

& parallelo compendioſiùs ſumma cum laude inſiſtit in ſua etiam Mirandenſi funebri Concione Doctor Ludovicus Machado Pereyra Pinto noſtro Principe Theodoſio compoſito non ſolùm cum duobus ejuſdem nominis inclytis Brigantinis Principibus ; quibus illum fuiſſe multò commendabiliorem confirmat. Utriuſque Doctoris ſententiam breviori, at omnium luculentiſſimo complectitur elogio, in ſuo latino. R. P. Magiſter Fr. Franciſcus à Sancto Auguſtino hujuſmodi elegantiſſimis verbis : *A ſummis Principibus natus apicem nobilitatis tenuit, & univerſos Europæ Reges ſanguine contigit. Majori ornamento Theodoſius Regibus, quàm Reges Theodoſio fuere, cùm ingentem virtute ſua cumulum ad majorum ſuorum gloriam addidiſſet. Fauſtum Theodoſii nomen in omen cæleſte adamavit, ab Avo clariſſimo Principe deductum, ut nomen divinum factis impleret prope divinis: Avum virtutibus redderet humaniſſimum. Fama par; utroque Theodoſio major: duos unus in amoribus habuit, moribus expreſſit; at non expreſſit, quod exceſſit. Inter Minorem, & Majorem Theodoſium, Luſitanus Maximus, qui deerat, eminuit. Ceſſit Græcus Latino, & Hiſpanus Luſitano primas conceſſit; cùm Juniorem conſilio, Seniorem robore anteiret. Suum terra parens in ortu Principis honorem accepit; quia dedit: ſuam ſibi Cœlum gloriam arrogavit Theodoſii nomine, quia indidit. Ne altera de altero quereretur, utrunque ſibi partem felicitatis adſcivit, & totis hinc, inde beneficiis, & officiis concurrens naſcentis magnitudini præluſit.*

200 Jam verò, nequis fortè miretur à prudentibus adeo, & ſapientibus Doctoribus non componi modo, ſed palam præponi tot inclytis Heroibus, ætate grandævioribus Regium Adoleſcentem, hujuſmodi admirationi appoſitè quidem occurrit R. P. Doctor Fr. Joannes à Sylveyra Carmelitanus in ſua funebri oratione verba illa Eccleſiaſtici 43. *Sol in aſpectu annuntians in exitu, vas admirabile, opus excelſi.* Explicans, ex Janſenio, & aliis de Sancto Rege Joſia. Ubi aptè inquirit, cur inter tam multos, & eximios Heroas eo loci ab Eccleſiaſtico recenſitis ab Adamo ad ſui ævi glorioſos planè viros longiſſimo contexto catalogo ſolùm Joſiam Regem appellet: *Vas admirabile, opus excelſi,* ſive ut Arabicus vertit, *Admiratio, opus excelſi?* Reſpondet ſibi vir doctiſſimus; verum quidem eſſe, inclytos in omni virtute fuiſſe alios ibi commemoratos Heroas, Abrahamum, Iſacum, Jacobum, Davidem, Eliam, Eliſeum, & ſimiles; at in matura jam ætate, annorumque diuturnitate maximis virtutibus, & rebus geſtis claruere; quare non tam ſunt admirandi, atque Rex Joſias, qui eadem, quæ illi nimis longævi memorabilium exempla virtutum edidere, fortaſſisque illuſtriora, in ipſa viridi præſtitit juventute. Cui ſimillimus Theodoſius qui non dum inita juventute, in ipſo crudæ adoleſcentiæ flore iis excelluit dotibus, ac virtutibus, quos grandæviores priſci Reges, ac Principes Europæ vix tot labentium annorum ſpatio ſunt aſſequuti. Qua propter meritò Joſias Rex, ac Princeps Theodoſius digni ſunt, qui præ cæteris quantumvis magnis Heroibus, appellentur Admirabiles, immò ipſamet admiratio, & opus excelſi.

Eccleſ. 43. 2.

201 De Principis omnigena, eminenti, vulgaremque fidem prope ſuperante ſapientia, quid Sapientiſſimi judicarint, etſi paſſim jam, maximè primo, & ſecundo libro multa ſatis dixerimus, pauca hîc ſed non parvi facienda erunt nobis teſtimonia recitanda. De illa meminit ejus Panegyriſtes his verbis: *Theodoſius totus liber eſt, totus ſapientia; totam exhauriret, qui totum legere potuiſſet; ſapiens verò Princeps non legitur, nec intelligitur totus. Inhibeo igitur calamum plura parantem. Unus Theodoſius omni libro, & calamo major, &c.* R.P.Doc-

tor

tor Fr. Joannes à Sylveyra hujuſmodi perhibet de Principis ſapientia teſti-
monium hiſce conceptis verbis *Mirum eſt, quam ſapientiam Principi Deus contu-
lerit: Dexteritas, perſpicacia, & acumen, quibus in omnibus pollebat Scientiis, Philo-
ſophia, Theologia morali, & ſpeculativa, Iure Canonico, & Civili, Mathematica, ſum-
ma erant. In omnibus verò hiſce ſcientiis notabili cum maturitate diſputabat, illarum-
que difficillima quaque diſſolvebat. Inſolitum quidem; adeo brevi annorum numerò
tot potuiſſe comprehendi ſcientias, quarum qualibet exigat diuturnitatem. Conſum-* Sap.4.13.
matus in brevi explevit tempora multa. Vel juxta Græcum *Perfectus in brevi ex-
plevit tempora longa, &c.* P. Antonius Velozo noſtræ Societatis in ſua funebri
Concione Conimbricenſi ſic atteſtatur: *Erat Sua Celſitudo Archangelus in cog-
noſcendo, cæleſtis Intelligentia in judicando, Seraphinus in ſapientia, Proprio ingenio
addidit curioſitatem, ac ſtudium, quibus aſſequutus eſt maximam notitiam naturalium
ſcientiarum Philoſophiæ, Mathematicæ, Aſtrologiæ, Coſmographiæ. In omnigenis hiſ-
toriis ſacris, & prophanis fuit ſatis peritus. Latino idiomate dexterrimè, ac eleganter,
ſplendidèque utebatur. In ſacra Theologia quidquid addiſcendum ſuſcepit, penitus com-
prehendit. Adeo fuit in rebus obſcuriſſimis percipiendis felix, ut repetitione nunquam
opus habuerit. Nonnullis politicis, & hiſtoricis tractatibus ſedulam impendebat ope-
ram, qui ſi publicam prœli haurirent lucem, opera, quibus Caſtellæ, Neapoliſque ſapien-
tes Reges illuxere, certè obſcurarent, &c.*

202 Infinitus eſſem, ſi omnia, quæ de Principe Theodoſio viri ſapientes,
vel honorificis verbis, vel ſcriptis evulgarunt proferre vellem; cùm poſt ejus
obitum vix ullus fuerit alicujus nominis, aut ingenii Luſitanus, quin ſoluta,
vel ligata oratione amabiliſſimi Principis manibus debiti amoris pignora,
dolorisque monumenta ipſi acceptiſſima impertiret; ut quem præſenti vitæ
reddere haud poſſent, hiſcè vitalis ingenii monumentis, per quæ ſpiritus,
& vita redit bonis, Illum æternæ poſterorum memoriæ commendaret. Uni-
cum tamen ad extremum R. P. Doctoris Fr. Ludovici Sà, idque luculentiſ-
ſimum teſtimonium ſilere omnino haud poſſum; in quo germanam, meo ju-
dicio, explicat rationem maximarum virtutum, & ſcientiarum quibus ſupra
omnem vulgarem fidem admirabilis Princeps fuit cumulatus. Ita Ille in ſua
toties à me citata concione: *In Principe Theodoſio depoſuit Deus magnum quen-
dam virtutum theſaurum: in Latina lingua extitit peritiſſimus; Græca, Hebraicaque
notitiam adeptus eſt; peculiaremque Philoſophiæ, & vel Sacræ Theologiæ intelligenti-
am, quod ſæpius maxima cum rari adeo ingenii admiratione ſum expertus. In Ma-
thematica ſcientiſſimus; in pulſandis quibuslibet organicis inſtrumentis, ac cythara; in
equitandi arte, univerſiſque tractandis armis dexterrimus. Fuit denique verè ſapiens
non tam ex mortalium Magiſtrorum induſtria, quàm divino magiſterio, cui tribuenda
cæleſtis planè ſapientia, quam brevi adeo annorum circulo complexus eſt. Enim verò,
ut verè dixit S. Leo Papa, O quam velox eſt ſermo ſapientiæ; & ubi Deus Magiſter eſt,* S. Leo ſer.
quàm citò diſcitur, quod docetur, &c. Aſſentior omnino Sapientiſſimi Viri ſen- de S.Spir.
tentiæ: neque enim abſque divino, eoque præſentiſſimo, & ſpeciali auxilio,
potuit regius Adoleſcens adeo frequenti procerum, militum, religioſorum,
& popularium ad ſe quotidie confluentium concurſu impeditus, tot regii pa-
latii muniis, ac diverticulis neceſſariò implicitus adeo brevi, abſolutèque ad
ſummum ſcientiarum, & virtutum omnium culmen conſcendere, niſi om-
nipotentis Dei dextera illuc elevaretur. Abſque piaculo judicium illuſtriſſi-
mi Domini Ferdinandi Meneſii Comitis Ericeirienſis maximi faciendum
minimè præterirem. Viro inclyto, & de Theodoſio, univerſaque re literaria

Lib. 1. §. 191. & 192. optimè merito, de quo alibi non nihil præſtrinximus, noſtrum hoc opus non tam legendum, quàm corrigendum, ſiquid fortè à vero deviaſſet commiſimus; de quo, ac de ipſius Principis dotibus, ac virtutibus pereleganti latina Epiſtola hujuſmodi cenſuram tulit, quam hic tranſcribere, pro veritatis à me profeſſæ ratione, aureique ipſius ſtyli commendatione non abs re duxi. Ita ſe habet familiaris tanti Viri Epiſtola, quæ ſit hujuſce capitis extrema clauſula.

203 Cum per hoſce dies in Ericeriam meam ſecederem; oppidum quippe amænum, mari prominens, auris undique, ac ventis patens, ſævientis Caniculæ rabiem non reformidat, ubi animus curis vacuus procul negotiis; ad lectionem intentior, Theodoſium tuum, immò noſtrum (omnium nanque animos virtutis pellexerat ſplendore) non legendum ſolùm, ſed lectitandum curavi. Tam veram perfectiſſimi Principis effigiem inveni, ut non Apelles, non Zeuxis penicillo redderent emendatiorem. Nam eorum imagines fictis tantùm modò coloribus adumbrantur; at Principis noſtri, quoniam ex virtutibus conſtat, nullam temporis injuriam expaveſcit. Quid ex aliis ſupereſt præter memoriam; quam nobis decora ſcriptorum ingenia reliquerunt? Sic tu effigiem Principis noſtri ad vivum effingis, ut adhuc ſpirare citra periculum videatur. Quidquid de Illo memoras, non adulationi, aut gratiæ, ſed Sanctiſſimi Principis meritis tribuendum: nàm quas virtutes per alios ſors diviſit, in eo velut æmulatione conjunxit. Si hanc effigiem Tacitus invenisset; non eam utique ex Trajano, Mucianoque formaret cùm dixit: *Egregium Principis temperamentum, ſi demptis vitiis ſolæ Virtutes miſcerentur.* (Tacit.) At Theodoſius ita virtutes coluit, ut nullo vitiorum confinio læderetur. Jubes, ut quid de Hiſtoria tua ſentiam liberè dicam. Hoc velim potiùs tranſire ſilentio, quàm culpa deterere ingenii: non Diſcipulus ſupra Magiſtrum, Præceptorem ago. Ipſe quidem Diſcipuli nomine glorjabor. Sed quoniam ea, qua polles auctoritate, imponis ut ſententiam proferam; dicam ingenuè, ut obedientiæ potiùs, atque amoris ratio conſtet, quàm ut videar cenſoriam mihi auctoritatem vendicare. Addit animos illud Plinii ad Tacitum: *Neque enim ulli patientiùs reprehenduntur, quàm qui maximè laudari merentur.* (Plin. ad Tacit.) Abſit omnino, quod reprehendam, cùm à te, velut à perenni ſcientiarum fonte, doctrinæ, atque eruditionis latices cupiam exhaurire. Opus mihi viſum eſt doctum, elegans, amænum, ut verbo dicam, numeris omnibus abſolutum. Stylus tam purus, ut Muſas crederem latinè loqui, atque omnem Parnaſi ambroſiam inſtillare; quia non ſolùm earum delitias, ſed etiam Apollinis cupedias deguſtaſti. Perge ire; Latium reduces: non invidebimus exteris elegantiam. Si amiſſum lugemus Theodoſium, nunc redivivum, & æternitati redditum celebramus. Exegiſti enim *Monumentum ære perennius; quod non imber edax, non Aquilo impotens poſſit diruere, aut innumerabilis annorum ſeries, aut fuga temporum.* (Horat.) Cadunt Pyramides, pereunt Mauſolea, urbes, regna ipſa, atque Imperio ruinam miſerrimè patiuntur. At ſcriptorum inſignia monumenta extra Fortunæ aleam poſita non tempora, non homines perhorreſcunt: *Jam ſeges eſt, ubi Troja fuit*, (Ovid.) & adhuc vivit in Homeri, atque Virgilii monumentis. Quid Græcorum, quid Romanorum gloria, niſi eorum facinora ſcriptores egregii poſteris tradidiſſent? Sic tu non ſolùm Theodoſium noſtrum nobis, poſteritatique reſtituis, ſed dum ejus actiones, virtutesque commemoras, imaginem, ac prototypon oſtendis Principibus, quo ſe poſſint à mortalita-

te vendicare: quo diſcant tandem, virtutes Catholicas à politicis non abhorrere; nec malum hominem, bonum eſſe Principem: quia ut ait Boetius: *Non ex dignitate virtuti, ſed ex virtutibus dignitati honos accedit.* Gratias ago, quòd cum Principis noſtri memoria Fratris chariſſimi Ludovici, aliorumque extendis, qui mihi ſunt, & ſanguine, & familiaritate conjuncti; qui omnes pro laude, ac immortalitate tibi meritò gratulantur. Ne me immemorem tanti Principis omnino credas, librum mitto, quem ei viventi conſecraveram. Cupiebat animus vicem rependere, & in laudes tuas calamum temperare: ſed ingenium primò meum, deinde modeſtiam tuam reformido; occurritque illud Plinianum: *Non minùs conſiderabo, quid aures tuæ pati poſſint, quàm quid virtutibus debeatur.* At ne me omnino præcepti tui oblitum exiſtimes, aliqua adnotavi, maximè quæ ſpectant ad Hiſtoriæ fidem, quam religioſiſſimè obſervas; quod non tibi, ſed aliorum incuriæ, à quibus accepiſti, puta tribuendum. Vide, ac æſtima, quod elegeris approbabo. Sed de his coram. * Faxit Deus, ut quam modò veneramur Hiſtoriam, in lucem editam brevi celebremus. Vale. Ex ædibus noſtris pridie Kalend. Auguſt. Anno Domini 1671.

Boet.

De quo l. 1. §. 191, & 192.

* Commiſi poſtea cum illuſtriſſimo Comite, quæ ille conſultiſſimè minùs certa obſervarat; & omnia ex illius prudenti judicio vel omnino deleta, vel exactæ fidei ex integro reſtituta.

Ex affe. Tuus

Comes Ferdinandus Meneſius.

CAPUT XVII. & ultimum.

Memorabiles aliquorum obſervationes in Principis Theodoſii vitam, obitum, eximias dotes, atque virtutes.

204 Ultima tandem perfecti Principis abſolutiſſimæ Imagini manus imponenda; commemoratis, minimè prætermittendis, immò maximè recolendis nonnullorum eruditis obſervationibus, quæ Theodoſii vitam, obitum, dotes, atque virtutes reddunt ex integro commendabiliores. In his primum ſuo ſibi jure locum vendicant Samarthani Fratres, inclyti hujuſce noſtri ævi ſcriptores, qui de primo Theodoſii ortu memorabile judicium protulere. Obſervarunt nempe, octava Februarii die anni 1634 in lucem editos unà cum Principe Theodoſio duos alios Principes ejuſdem conſanguineos, Carolum Erneſtum Auſtriacum, Ferdinandi III. Imperatoris filium, & Carolum Emmanuelem hujus nominis ſecundum Sabaudiæ Ducem, ac Principem Pedemontanum. Hactenus illi. At ulteriùs obſervandum cenſeo in ſimili, parique ortu adeo diſſimilem, ac diſparem exitum. Duobus primis, Theodoſio, & Carolo Erneſto immatura morte ſublatis ſuperſtes Carolus Emmanuel apud Allobroges adhuc rerum potitur; qui maximam hactenus orbi ſpem fecit, fore ut utriuſque ſibi coævi Principis expectationem, atque virtutes, in ſe uno memorabilibus factis impleat cumulatiſſimè. Urinam poſt Neſtoreos annos ſummis felicitatibus cumulatos ſibi, conſanguineoque Theodoſio debitos, ſimili, quo ille fato vitam claudat undequaque auſpicatiſſimam; cùm nulli Principi felicius quidquam optari

Tom. 4. l. 44. fol. 909.

 poſſit,

*Hæc ſcripſeram ſuperſtite adhuc auguſtiſſimo Principe; nunc eidem maximo ſuorum, nec minore Luſitanorum dolore mortali jam vita functo, immortalis, in qua ſumma, & vera felicitas unicè optanda, vel eam magnis ejus meritis exigentibus gratulanda.

poſſit. * Nec valde mirandum eademmet die, at diverſis parentibus, & Regionibus natos Principes in diverſa prorſus abiiſſe: cùm præter plures alios, duo illi uterini Fratres Jacob, & Eſau (juxta magni Gregorii obſervationem) iiſdem parentibus, eodem pene temporis momento in lucem editi; adeo diſſonis ſtudiis, moribus, & mortibus mutuò diſcreparint. Ex quo rectè S. Doctor evincit non dari fatum, neque ita mortales dominantium aſtrorum potentibus quidem influxibus ſubjacere, ut ſub eodem ſydere nati eandem vitæ, necisque rationem ſubire neceſſariò debeant; cum univerſi divinæ, potiùs providentiæ de ſuis creaturis pro libito diverſimodè ſtatuenti unicè, omnimodèque ſubjiciantur.

205 Certò præterea conſtat Principem Theodoſium in terris egiſſe novem ſupra decem annos, menſes tres, ac dies ſeptem; utpote qui vitalem hauſit lucem die octava Februarii, anno à partu Virginis 1634, idemque à vivis abiit die decima quinta Maii anni 1653; ut alibi diximus. At ſæpe à nobis laudatus R. P. M. Fr. Ludovicus Sà in ſua funebri Concione, meritò contendit vigeſimum ætatis annum non inchoaſſe tantùm, ſed omnino impleviſſe Theodoſium; habita ratione novem menſium ab illius conceptione, unde cujuslibet juſti vita ſupputatur, juxta magni Alberti mentem, ita definientis: *Juſtus incipit Deo vivere à conceptione ſua; malus à die nativitatis in mundum, quia ſolùm mundo natus eſt.* Quare novem ſupra decem annos, tribus menſibus, ac ſeptem diebus, quos vitali aura fruens explevit, additi novem menſes, abſolutiſſimum viginti annorum circulum, quos divinis obſequiis unicè impendit, planè, pleniſſimèque conficiunt. Exinde plurima infert eruditiſſimus vir in Theodoſii ſummam commendationem, quæ luculentis Sacræ Paginæ teſtimoniis ſatis copioſè, ingenioſèque confirmat, ubi Theodoſium appellat primogenitum mortuorum, Principem Regum terræ; illumque appoſitè confert innocenti Abeli vigeſimo ætatis anno juxta optimos chronologos, extincto.

Lib. 1. §. 4. & 425.

Tom. 1. de laud. virg.

206 Idemmet eodem loci obſervat, quatuor omnino fuiſſe Luſitanos Reges, quibus auſpicatiſſimum alioquin Joannis nomen contigit, ex immaturo progenitorum Principum ortu extitiſſe univerſos parum felices; cùm eorum nulli primogenitus ſuperſtes, rerum fuerit potitus, patriumque thronum inſederit. Enim verò Alphonſus Sereniſſimi Joannis primi natu major ex Sereniſſima Regina Philippa, poſt Blancam primò genitam, exacto decennio Braccaræ Auguſtæ deceſſit, ac tumulatus eſt. Similiter Sereniſſimi Regis Joannis ſecundi primogenitus Alphonſus ex Sereniſſima Eleonora ſuſceptus Scalabi concitato ex equo prolapſus expiravit; Bataglia;que in Regio Dominicani Cœnobii templo conditur. Alphonſus deinde Sereniſſimi Joannis tertii primogenitus ex Sereniſſima Catharina in prima pueritia ſupremum diem clauſit, & in Bethlemico, juxta Ulyſſiponem, templo ſepelitur. Mirum dictu, tres primogenitos Alphonſos à totidem cognominibus Parentibus procreatos immatura morte ſublatos! Poſtremus omnium fatalis primogenituræ lugubre documentum acceſſit Sereniſſimi Joannis quarti, ex Sereniſſima progenitus Aloyſia Theodoſius, quem in ipſo vigentis adoleſcentiæ flore abſtulit atra dies, & funere merſit acerbo; de quo nobilis vates illuſtre hoc cecinit diſtichum.

Vaſconc. in ejus vita §. 16.

Idem in ejus vita §. 2.

Idem in ejus vita §.

Sol erat; occiduis properè ſol mergitur undis;
Flos erat; in terris, flos ſolet eſſe brevis.

c c 2 Abſit

Abſit verò, ut prorogandæ, vel contrahendæ alicujus vitæ nudis nominibus nonnulla vis ineſſe credatur ſoli Numini adſcribenda; cùm ſit certo certius à ſolo Deo, qui via, veritas,& vita eſt, mortalium omnium, maximèque Principum longiorem, vel breviorem pendere vitam, cui prout libet, ac ad eorum æternam ſalutem magis conducit, certos ipſe præfixit terminos, qui nullatenus præteriri poſſunt.

207 Ea propter nihili faciendam exiſtimo duplicem aliorum Nominalium obſervationem, quibus nominandis idcirco, data opera, ſuperſedeo. Primus meminit duorum Principum, & Balthazaris Catholicorum, & Theodoſii Luſitanorum Regum primogeniti: utrunque verò breviſſimi ævi, & celerrimi fuiſſe obitus verè affirmat; falsò tamen eam rapidiſſimi facti acerbitatem alienigenis nominibus, non à majoribus, ſed aliunde acceptis tribuendam ducit, ominoſaque, ac infauſta eſſe nomina contendit citato illo Naſonis hemiſtichio: *Porta caret culpa, ſed tamen omen habet.* Parcendum quidem Ethnico vati veræ fidei luminis experti, eòque res mortalium fortuito fato, non divina regi providentia exiſtimanti: non Catholico, & Sapienti Viro, quem longè aliter ſentire, ac de inani prorſus nominis cujusvis pondere judicare oporteret; certè Princeps Balthazar appenſus in ſtatera, divina utique inventus eſt non magis (ut vir alioquin Sapientiſſimus liberè interpretari voluit) ſed minus habens; in minorique ætate raptus eſt, ne malitia mutaret intellectum ejus. Principi verò Theodoſio non extraneum, ſed duobus aliis Brigantinis Principibus ſatis longævis familiare nomen inditum. Tandem inſolens majoribus nomen nullatenus infelicitatem præſagire vulgari experientia compertum eſt. Enim verò, ut in numeros alios ſileam, Sereniſſimus Rex Emmanuel inſolitum hactenus Luſitanis Regibus nomen invexit; & tamen omnium fortunatiſſimus olim fuit, ac etiam nunc ab omnibus meritò prædicatur.

208 Secundus, pro mitigando aliqua ex parte immodico dolore à Luſitanis concepto ex acerbiſſimo Principis Theodoſii obitu, in quadam funebri Concione mentionem injicit trium Principum Caſtellanorum, quos continuatis funeribus immitis olim Parca involuit, præciſo ſucceſſivis ictibus triplici regio funiculo, qui difficilè rumpitur, quo Caſtellanæ Monarchiæ maximè ſpes continebantur. Hi fuere Ferdinandus, Carolus, & Laurentius Philippi ſecundi, & Auſtriacæ Annæ filii; quorum nullus octavum puerilis ætatis annum exceſſit; ereptas verò divinitus tribus Regiis pueris vitas credit, affirmatque religioſus orator, ob ereptum à Brigantinis Principibus Luſitanum ſceptrum, introductosque in Luſitaniam tres Reges Philippos. Addit verò (vere ne? Judicent optimi rerum æſtimatores omni patritio affectu liberi) per triplicem eum obitum portendi Luſitanæ Monarchiæ à Caſtellana ſejunctionem, poſt tres Philippos Reges vita functos perficiendam; è contra unicum Theodoſii obitum certum fore auſpicium feliciùs indies confirmandi Luſitani ſceptri, & majoribus incrementis amplificandi. Jam verò quibus potiſſimùm argumentis utrique confirmando propoſito ingenioſus plane vir, patriæque amantiſſimus inſiſtat, non eſt cur diutius immoretur ſcriptor, cui vel ipſius patriæ inſito amore (quo nullus fortior mortalium pulſat animos) veritas debeat eſſe antiquior; cujus aſſerendæ cauſa, illud in primis ab eruditis expendendum cenſeo; non ſatis conſtare illius ternarii numeri complicationem, cui hujuſmodi prædictio innititur; non enim ſoli

Vaſconc. in ejus vita §. 15.

tres prædicti filii Catholico Philippo ſecundo ſuperſtiti periiſſe, ſed primum omnium Principem Carolum ex Sereniſſima Maria Luſitana ſuſceptum,& ex Auſtriaca deinde Anna, Mariam progenitam citatum Vaſconcelium, cæteroſque Caſtellanos ſciptores conſulenti planum fiet. Quare non propterea mihi perſuadeo poſt trium Philipporum Regum occaſum Luſitanum imperium Brigantinis Principibus reſtitutum; ſed quia eo temporis divinæ juſtitiæ utriuſque nationis merita, vel demerita æqua trutina expendenti, regnaque nunc huc, nunc illuc pro majori ſua gloria immutanti, fuerit factum ſatis. Libentiùs alteri optimi oratoris ſententiæ aſſentiar,dum Luſitanis perſuadere conatur, poſt obitum Theodoſii maximas iiſdem obventuras felicitates; Illo eas apud propitium ſibi Deum ſolicitante; modò ejuſdem ſucceſſores illius eximias æmulentur virtutes, pergantque pro eximiis adeo beneficiis divinæ munificentiæ gratos ſe perpetuò exhibere. At ſi (quod miſericors avertat Deus) aliter ſe habebunt, longè graviora, quàm majores noſtri perpeſſi ſunt, multò majoribus quàm illi beneficiis denuo prægravati, & obſtricti, ſupplicia meritò pertimeſcamus.

209 Et quidem omnium longè maximum Luſitanum inflictum ſupplicium, nonnullis publicis fortè ſceleribus illud exigentibus, fuiſſe adeo anguſtis terminis circunſcriptam Principis Theodoſii vitam, adeo intempeſtivam alieno Luſitanæ reipublicæ tempore, concitatamque mortem ſapientes plurimi conſultiſſimè obſervarunt. Abſolutum omnigenis dotibus, & virtutibus Principem non abſolutè, ſed conditionatè, ut par eſt credere, Luſitanis annuit Deus, tanto beneficio diu fruituris, ſi debita gratiarum exhibitione, ſimilium morum profeſſione, totiuſque ſceleris deteſtatione ſe illo dignos præberent; ſin minùs brevi cœleſtis doni jactura multandis, dum terrena cœlo, vitiaque virtutibus præhabentes, & mundanis potiùs, quàm divinis obſequiis addicti, Theodoſio ideſt Dei dono indignos ſe prorſus redderent. At non Luſitaniæ modò, ſed univerſo terrarum orbi, cujus imperio digniſſimus fuit Theodoſius, illum immerenti eripuit Deus. Britanno Rege Oſuvaldo modeſtiſſimo digna non eſſe ſuperba regna, immò nec orbem olim palam recitavit Sanctus Aidanus Lindisfarnenſis Pontifex; idem de Principe Theodoſio, ſi fortè in ipſius tempora incideret, meritò prolaturus. In Urbe Ulyſſiponenſi ejus amplitudinis admirabundus ſe vidiſſe orbem alienigena quidam apud ſuos concives quondam jure optimo prædicavit. Non immeritò igitur propediem diſceſſurus in cœlum; ab Urbe domina gentium, & ab orbe intra illius mænia incluſo exceſſit Princeps Theodoſius, Deo impellente, ac eo ſeceſſu propalante Urbem, orbemque illo eſſe indignum.

Apud Faſtos Marian ad 31. Auguſt.

210 Alii haud minùs prudenter, eruditèque, altiùs repetita veterum eventuum memoria; in immaturo Theodoſii obitu adnotarunt annuiſſe miſericordem Deum ſupplicibus primi Alphonſi Luſitani Regis precibus; cujus hæc ſunt ad Crucifixum Dominum ante Orichienſe, adversùs quinque Mauritanos Reges prælium, ſibi humaniſſimè blandientem, concepta verba: *Ego* (inquit Rex in ſuo juramento) *ut hæc audivi, humi proſtratus adorans dixi. Quibus meritis, Domine, tantam mihi annuntias pietatem? Quidquid jubes faciam; & tu in prole mea, quam promittis, oculos benignos pone; gentemque Portugallenſem ſalvam cuſtodi: & ſi contra eos aliquod paraveris malum, vertè illud potiùs in me, & in ſucceſſores meos; & populum, quem tanquam unicum filium diligo, abſolve, &c.*

Monarch. Luſit. 3.p. c.5. l.10.

Suis verò poſtulatis placidè annuiſſe Deum in hæc verba ipſemet atteſtatur: *Annuens Dominus* (inquit) *Non recedet ab eis, neque à te unquam miſericordia mea; per illos enim paravi mihi meſſem multam, & elegi eos in meſſores meos in terris longinquis. Hæc dicens diſparuit; & ego fiducia plenus, & dulcedine redii in caſtra; & quod taliter fuerit juro ego Aldephonſus Rex per ſancta Ieſu Chriſti evangelia hiſce manibus tacta, &c.* Non ultra proceſſiſſe reor ardentiſſimam Moyſis ſuorum, quos ducebat, Hebræorum amantiſſimi charitatem, dum placando adverſus protervum populum irato Deo intentus, intentatas illorum ſceleribus pænas enixè deprecatus in ſuum ipſius caput deflecti anxiè poſtularet. Immò (ſi fas eſt dicere) illuſtriores emicuere in Alphonſo Rege, quàm in Ductore Moyſe erga ſuos paternæ charitatis flammæ: Moyſes uni ſibi, deſtinata divinitus ſuo populo, ſupplicia appetebat; Alphonſus verò non in ſe tantùm, ſed in ſucceſſores ſuos licèt innoxios, in filios nimirum, ac nepotes, quos optimi parentes propria vita multò habent chariores averti debita ſuis Luſitanis damna demiſsè apprecatus eſt: eoſdem, quod pluris faciendum, non ut filios tantùm chariſſimos, ſed ut unicum filium, erga quem longè indulgentior vulgò paternus unicè blanditur affectus, à ſe diligi profitetur: *Etſi contra eos (addit) aliquod paraveris malum, verte illud potiùs in me, & in ſucceſſores meos; & populum, quem tanquam unicum filium diligo, abſolve, &c.* Succeſſorem, ac nepotem primi Alphonſi fuiſſe primogenitum Theodoſium quis inficietur? In eodem immatura morte prærepto, ſi unquam aliàs, tunc maximè voti compotem extitiſſe Alphonſum quis neget? Dum ſtrictus fortè divinæ juſtitiæ verſatilis planè adversùs Luſitanam gentem gladius, Alphonſi precibus in Theodoſium converſus illius innocenti ſanguine hebetatus à feriendis Luſitanis, in eoſque publicis inferendis ſat meritis pænis abſtinuit? Unum pro cunctis datum caput; unicaque publicæ incolumitatis placabilis, ac Deo acceptiſſima cecidit victima Theodoſius; cui ſuorum unicè peramanti adeo fuit dulce, ac decorum pro patria, & patritiis Luſitanis occumbere, quàm illis invitis acerbum, ſuo dilectiſſimo Principi extincto ſupereſſe; cujus vitam propriæ jacturâ millies redimere univerſi præoptarent.

211 At non tam indignantis, quàm miſerantis fuiſſe Numinis crediderim Theodoſium nobis noſtra expectatione citiùs ſibi adciſcere. Fuiſſe id quidem, & Luſitanis valde ſalutare, ac ipſi Theodoſio utiliſſimum, præter vulgarem, præpoſterè ſentientium opinionem, cœleſtium, & humanarum rerum, prudentes nonnulli hujuſmodi evincunt minimè contemnendis argumentis. Primùm omnium, quod caput eſt, majoriſque habendum, ad virtutum æmulationem plurimùm nobis profuit cita mors Theodoſii, ſeu potius concitatus in ipſa florenti adoleſcentia ad cœlum procurſus. Enim verò, ſi aut vir ævi maturus, aut emerita ſenectute, quod maximè optabamus, decederet Theodoſius, non tam forent illius nobis ſuſpiciendæ virtutes, univerſoque admirandæ orbi; neque acribus adeo ſtimulis nos ad æmulandum incitarent. Nam quòd in annoſo ſene longo rerum uſu edocto, prudentia, ſapientia, cæteræque longævitati quodammodo innatæ virtutes contrariis vitiorum incentivis jam tunc minimè reluctantibus, ſed per effætam ætatem vel ſilentibus, vel penitus ſopitis emineant; vulgare quidem eſt, plurimiſque commune, neque tam excitat in adoleſcentibus, & juvenibus admirationem, & quæ inde provenit, imitationem. Similiter quæ in maturo viro viget magnanimitas, fortitudo, conſtantia, liberalitas, reliquuſque heroicarum vir-

tutum apparatus commendabilis quidem , at non tam admirabilis, & ad æ-
mulationem provocans, quàm in adoleſcente , qui virilium , juxtaque ſeni-
lium virtutum pompa , & ſcientiarum Encyclopedia cumulatus in florida
ætate omnium præcoces quidem, at maturiſſimos fructus tulit. Quem non
pudeat ſimiles in ipſa virilitatis æſtate, vel ſaltem in ſenectutis autumno præ
ſe ferre, quos in frigeſcenti adhuc pueritia, & Vernanti adoleſcentia fæcun-
diſſimè protulit Theodoſius? Niſi nos virtutis amor ad inſiſtendum Theo-
doſii veſtigiis incitabit, certè impellat pudor è carceribus adhuc vix ſolven-
di eo ætatis, qua jam ille metam attigerit; primaque cœleſtis ædificii funda-
menta jaciendi, cùm jam ille ad editiſſimum culmen evaſerit. His adde,
ſegniùs, ac remiſſiùs ex frequenti ſenis cujuslibet occaſu , efficaciùs , & in-
tentiùs ex cujusvis adoleſcentis , ne dum Principis inſolentiori obitu com-
movemur mortales : uterque inſtar ſpeculi rerum humanarum evanidas ſibi
objectas reddit ſpecies: at ſicut vetuſtum, longoque ſitu obſitum , ac ſemila-
cerum ſpeculum obſcuriùs ; recens , ac nitidum clariùs rerum imagines re-
præſentat, ſic adoleſcentis Principis, quàm longævi Regis expreſſiùs manifeſ-
tat, quàm ſint terrena omnia deſpicienda , quàm ſint cœleſtia ſuſpicienda:
quæ Theodoſio celerrimè occumbente veriùs nemo præſtitit.

212 Neque ad cætera minùs fuit efficax , ac ſalutaris Luſitanis feſtinatus
Theodoſii obitus ; ipſomet ſuam olim Sereniſſimis Parentibus , & Ulyſſipo-
Lib.1.§. nenſis plebis Tribuno fidem obſtringente , utiliorem ſe poſt obitum , quàm
400, & vivens fuerat ſuis futurum Luſitanis : datam verò fidem quàm verè ſolverit
410. ſatis abundè alibi, etſi laconicè confirmavimus. In quo divinæ providentiæ
Lib 2.à §. miris, & inſcrutabilibus modis ad Luſitaniæ protectionem omnimodè inten-
446, ad tæ arcana conſilia ex prudentiſſimorum accurata obſervatione , reverenti
450. calamo liceat hìc exprimere. Reſtituto divinitus Brigantinæ Domui Luſita-
niæ ſceptro triplicem, eamque maximam publicis tuendis, ac promovendis
rebus ſpem Luſitani concepere : primam in Sereniſſimo Eduardo apud Ger-
manos illuſtribus jam diu editis facinoribus inſignis militaris peritiæ, ac for-
titudinis celebritatem adepto collocaverant ; ſub tali, ac tanto Imperatore
incolumem, & victricem Luſitaniam haud immeritò præſumentes : ſecun-
dam in Sereniſſimo Principe Theodoſio raris dotibus , & virtutibus milita-
ribus , politicis , & chriſtianis ſummam de ſe orbi univerſo expectationem
jam à teneris faciente; quo ſoſpite res equidem tutas, omninoque protectas
Luſitanas, immò ad ſummum felicitatis apicem provehendas ſperabant.
Supremam tandem in Sereniſſimo Rege Joanne IV , cujus feliciſſimis auſpi-
ciis, & eximiis dotibus Neſtoreos annos, & fauſta omnia ominabantur. Hiſ-
ce tribus quaſi firmiſſimis anchoris undique ſtabilitam Luſitanæ Monar-
chiæ navem univerſis hoſtilium tempeſtatum incurſibus parem, nullis infidæ
fortunæ reflantibus turbinibus imparem ſecundiſſimum poſſe tenere cur-
ſum, & ad optatum tandem amabilis pacis , quæ optima rerum, & felicita-
tum omnium cumulus meritò habetur, appellere portum exiſtimabat. Ve-
rùm intra ſexdecim annorum brevem admodum circulum , quibus Sereniſ-
ſimus Rex Joannes rerum potitus eſt , ſublatis iis omnibus immaturo, ut
Lib.1.§. ſupra diximus fato in ipſo vel adoleſcentiæ , vel virilitatis flore , univerſis
425. planè innotuit fluxas eſſe, ac fallaces ſpes, quæ in perituris hominibus , non
Lib.2.§. in unico, æternoque Deo totius experte mutabilitatis innituntur . Ad eum
77. Lib.3.§.91 igitur, humana devoluti ſpe penitus converſi Luſitani, in arctiſſimis, pro-

pèque deploratis rebus, illum ſupra omnem expectationem propitium ſibi experti ſunt: pro iiſdem, ut piè creditum, ipſeque promiſerat, Theodoſio ſupplicibus, & potentibus precibus exorante. Hinc ſub Sereniſſima Regina Aloyſia, etſi virilis animi, at infirmi ſexus; & mox ſub Sereniſſimo Alphonſo ſexto ex tenerrima ætate, corporiſque invalitudine multò infirmiori, præter plurimas alias, tres extremas maximi momenti victorias quas alibi delibavimus, noſtri ævi longè illuſtriſſimas compararunt; quibus repoſita in tribus Principibus vita functis ſpes, eorumque jactura compenſata eſt, quarumque intuitu concupita bonis omnibus, oblata nobis, & æterna, ut ſperamus, pax ſancita demum fuit. Lib. 1. à §. 430. & 451

213 Ex quibus prudentes plurimi, prudentiores ipſa magiſtra experientia effecti erectis in ſaniorem ſpem animis, obſervatiſque divinæ benevolentiæ erga Luſitanos adeo manifeſtis ſignis, illi uni tot magnifica beneficia referre accepta, & inter cætera raptum ſibi ad ſuperos Theodoſium recenſere; unde ſublimi veluti ex ſpecula ſuis proſpicere Luſitanis, & apud ipſum Deum eorum promovere incrementa, caducis aliis liber ſolicitudinibus commodiùs pergat. Iidem memores divini promiſſi, quo ſe olim in Orichienſi apparitione primo Luſitaniæ Regi Alphonſo hiſce conceptis verbis oppignoravit: *Ego enim ædificator, & diſſipator imperiorum, & regnorum ſum: volo enim in te, & in ſemine tuo imperium mihi ſtabilire, ut deferatur nomen meum in exteras gentes: & ut agnoſcant ſucceſſores tui datorem regni, inſigne tuum ex pretio, quo ego humanum genus emi, & ex quo à Iudæis emptus ſum, compones; & erit mihi regnum ſanctificatum, fide purum, & pietate dilectum, &c.* Ex quibus Luſitanum Regnum, futurum olim maximum omnium imperium peculiari adoptionis jure, ad ipſum Deum pertinere, ab illo indulgentiùs haberi, ac ſpecialiùs regi certi, agnoſcentes velle ipſum rerum feliciter geſtarum gloriam ſibi uni tribui ac in ſe, non in Luſitanis Regibus, aut Principibus ſuis legatis ſpem omnino ſitam eſſe deliberarunt: ſimili prorſus ratione, qua olim Ezechiæ Regi (ut alibi adnotatum) Author fuiſſe creditur flammis abſumendi librum, quo Salamon ſalutares omnium herbarum virtutes expoſuit; ne dilecta ſibi tunc Hebræorum gens aliunde, quàm à ſe ipſo ſuis morbis præſens auxilium emendicaret; non quidem ab irriguis hortis, ſed à divino Hortulano univerſas cœleſtibus influxibus irrigante; non à creaturis, ſed à Creatore certiùs, & commodiùs expetendum. Monarch. Luſit. l. 10. c. 5. Lib 3. §. 100. & 101

214 At non modò Luſitanis, ſed ipſimet Theodoſio fuit ut feliciſſimus, ita utiliſſimus ejuſdem concitatus è terris ad cœlum tranſitus, vel ipſo id non ſemel atteſtante; cùm ardentiſſimum exeundi è mortali carcere; ad cœleſtem patriam ab exilio tranſmigrandi; terrenum tugurium cum cœleſti palatio commutandi; Deumque perpetuò videndi in ſuprema ægritudine (quod alibi oſtendimus) propalavit. Certè felicior, ac utilior illius habetur ſors, qui è carcere citiùs educitur, quàm qui diutius in illo detentus longo ibi ſqualore, ac miſeriarum omnium cumulo marceſcit. Fortunatior quidem peregrinus, qui feſtinatò patriam repetit, quàm qui per longiſſimas viarum ambages hàc, illac errabundus diu deviat. Multò auſpicatiùs, & commodiùs illi contigit, qui ſecundis uſus ventis, nullis retardatus infidi pelagi tempeſtatibus optatiſſimi portus dicto, & vento citiùs, plenis ſubit oſtia velis, quàm qui moroſæ navigationis tædia diu perpeſſus, vel adverſis turbinibus aliorſum abreptus, vel naufragiis, & obſtaculis, qualia multa mari nautæ experiuntur Lib. 1. à §. 411. & 425

riuntur

riuntur in alto, poſt diutinam obluctationem ad littus tandem ſerò nimis appellit. Si Theodoſius vitam longiùs protraheret, Sereniſſimoque Parenti ſuperſtes Luſitanæ Monarchiæ clavo diutiſſimè aſſideret, fortè neque à ſuis tàm ardenter dilectus, neque apud exteros adeo celebris, & glorioſus, ex quibus humana mortalium Principum utiliſſima conſtat felicitas, demum decederet; plurimis frequenter, neceſſariòque occurrentibus occaſionibus, etiam ipſo immerente, poſſet clientum in eum amor aut imminui, aut penitus extingui, quin immò in averſionem verti; glorioſaque de illo exiſtimatio labefactari: nunc quoniam brevì periit, illibatum omnium amorem, & glorioſi nominis celebritatem ſecum tulit; quæ peribunt nunquam; immò quandiu orbis erit, cum ipſa æternitate certatura perennabunt. Præterquam quod non brèvis, ſed diutiſſimæ vitæ longiſſimam periodum abſolviſſe Theodoſium ex prudenti conſultiſſimorum hominum ſententia exiſtimandum nobis eſt: *Brevî* (inquit ejus Tumuli Author) *extinctus eſt; at non citò; nec enim citò moritur, qui omnia virtutis officia præſtitit, & numeros omnes abſolvit, cui nihil obeundum ſupereſt, nihil implendum. Vno die ſol oritur, occiditque; nemo citò dixerit, cùm totum quantus eſt orbem obierit: citò diceretur occidere, ſi quid ſpatii decurrendum ſupereſſet. Brevi Theodòſius vixit, at non citò eſt mortuus, cùm brevi illo, quo vixit, ſpatio totum officii, & virtutis orbem confecerit. Vbi ad metam venit, diſceſſit; itaque non tam deſiit, quàm ei mortalia defuerunt, quæ exiguis anguſta finibus Theodoſium capere non potuerunt, &c.* Breviùs quidem, & ad inſtitutum aptiùs. Eborenſis orator: *Hic fuit* (inquit) *Magni Theodoſii finis, qui clauſit feliciſſimè vitam ſanctiſſimè tranſactam. Non potuit inter nos diu morari, quem breviſſimo curriculo immenſum ſpatium conficientem jam diu æternæ ſedes expetebant. Vel certè illius vita licèt nonnullis breviſſima videatur, re ipſa, longiſſima fuit. Nam ſi ille tantùm diu vixiſſe dicendus qui bene ſemper vixit, & vita eò diuturnior, quò ſanctior, aptè dicetur Theodoſius vitam ſuam in Neſtoris ſæcula prorogaſſe.*

Tum. Theod.

215 Ad hæc, gratia, quæ ſera eſt ingrata eſt gratia, contra, quæ feſtina venit gratia grata magis. Cum igitur ſumma divinæ gratiæ commendatio ſit, homines cœlo natos ſæculi periculis liberos in tuto collocare, cœleſtique felicitate donare, quemcunque Deus illuc citiùs transfert æſtimabiliori utique afficit beneficio. Eò divinitus avocatum è terris, dum obiit, abiiſſe Theodoſium, de ſuo palam atteſtatur S. Ambroſius: *Ille quidem* (inquit S. Doctor) *abiit ſibi in regnum, quod non depoſuit, ſed mutavit, &c.* Quàm potiori jure de noſtro id ipſum altiùs proclamaret Theodoſio, ſi ejus innocentis vitæ integritatem nulla unquam lethali macula infectam, omnigenis, iiſque maximis virtutibus conſpicuam contemplaretur? Quid ſi deinde ipſius recolendum obitum per omnia traductæ in ſumma innocentia vitæ ſimilem, multiplici æternæ felicitatis præſagio bene ominatum expenderet? De hujuſmodi feliciſſimo quidem obitu, ſive in cœlum abitu luculenter æquè, ac verè, ut aſſolet, ita diſſerit Author ejus Tumuli: *Emigrandum* (inquit) *Theodoſio erat ex anguſtiis, & loci, & temporis, quarum ingentem illam animam pudebat, conſortium corporis exoſa, quod illis obnoxium erat; eoque migrandum, ubi neque mortalitatis vinculis, nec carceribus loci, nec temporum terminis clauderetur. Spiritus ille terris major debebatur ſuperis: ſed ille quoque ſuperum Creditor ſua ab iis repetebat. Vtrinque mutua obligatio erat; cælo, jure ſuo exigente virtutes; Theodoſio præmia repetente. Non poterant diſſolvi debita, niſi nexus animi cum corpore ſolveretur. Soluto utrique & Theodoſius, & ſuperi ſolvendo fuerunt. Poterat differri ſolutio, ſed obruebatur uterque*

S. Ambr. in Obitu Theod.

Tumul. Theod. pag. 138.

debitor

debitor mole debitorum. Morte levandi erant, quæ ut crudelis videatur, injuſta certè
non eſt, cùm & perfectum abſtulerit naturæ, quæ impar erat; & ſuperis obnoxium, & ſu-
peros ei obſtrictos reddiderit.

216 Ea propter etſi mortuum, ut ſuperis novum decus additum Theodo-
ſium lacrymis minimè proſequendum non incongruè nonnulli perſuadent
ſapientes. In cujuslibet amici obitu ſervandum modum aptè monet pru-
dens Seneca; neque nobis fore à lacrymis penitus abſtinendum; neque illis
immodicè indulgendum: *Nec* (inquit) *ſicci ſint oculi amiſſo amico, nec fluant; la-* Epiſt. 64.
crymandum eſt, non plorandum. Aptiùs tamen, & ad Orthodoxæ fidei ſenſum
proximiùs Tertullianus: *Cur doles, ſi periiſſe non credis? Profectio eſt, quam putas* Lib. de Pa-
mortem: non eſt lugendus qui præcedit, ſed planè deſiderandus. Cur immoderatè feres tient.
abiiſſe, quem mox ſequeris? Hæc in communi perſuadent prudentes viri; non
aliter in peculiari Theodoſii obitu Conimbricenſis orator; qui ubi ſcientia-
rum omnium, quas regia illa profitetur Academia Magiſtris, ac diſcipulis
immodicè dolendi cauſas expoſuit, mox, lætandi potiùs eorum cuilibet ap-
poſitiſſimas proponit rationes, licèt ſolatia luctus exigua ingentis; tandem-
que ſic univerſos alloquitur Luſitanos: *Vos tandem omnes, ò Luſitani, ſeu armata,*
ſeu qui togata Palladis albo nomen datis, à lacrymis temperate; cœlum nanque per æthe-
ra conſcendit Theodoſius, ut Luſitaniæ militet æther; vitam deſeruit mortalem, ut æter-
na frueretur. Cùm enim mortales nihil amplius, aut illuſtrius temporis diuturnitate
gerant, quàm quod brevi geſſerit Theodoſius, jam illarum virtutum præmium, quibus
ſpreto otio, ſemper incubuit, accepturus in cœlum migravit. Nec diſſonat eximius o-
rator Eborenſis: *O fortunatum* (inquit) *fortunatiſſimi Principis exitum non lacry-*
mis, ſed deſideriis, non lamentis, ſed applauſibus proſequendum. Alia demum, nec
abſimili tamen via incedit Author Theodoſii Tumuli hujuſmodi uſus oppor-
tunis quidem ingenti leniendo dolori documentis: *Et quidem* (inquit) *juſta* Tumul.
eſt, ejus, quàm amiſimus expreſſa virtutum effigies conſolatio, Cùm illam nobis partem Theod.
repræſentet, quæ mori non poteſt; quanquam & illud ſit dolendum, quod abſentem in-
nuat, quo præſente frui non licuit. Verùm ſi ad ejus voluntatem oculos convertamus, &
quantum illi mortis deſiderium fuerit cogitemus, neceſſe erit abſtinere dolore, ne ab eo
diſſentire videamur. Ita quippe mortuus eſt Theodoſius, ut ſi votum ſpectes, omnino ex-
iſtimes minùs in morte neceſſitatis fuiſſe, quàm voluntatis. Optabat mortem, quaſi vi-
tam odiſſet: ſed odium illud non erat, erat divinæ obſequendi ſtudium voluntati. Poſt-
quam enim decedendum ſibi eſſe cognovit; ſuprenias ad Deum curas convertit, & viven-
di cogitatione abjecta, ita ſe ad mortem comparavit, ut animo mortuus videretur. Ne-
mini tam chara unquam vita fuit, quàm grata illi mors extitit. Itaque & optavit ne
quæ pro ſalute ſua deprecationes fierent, ne vota nuncuparentur, quòd mallet divinæ ſe
voluntati penitus agendum, gubernandumque committere.

217 Ego ad extremùm Doctoris maximi in longè diſpari Nepotiani Bleſ-
ſilæ, Lucini, & aliorum occaſu ſenſui, & ſententiæ, paucis mutatis adhærens,
juſtum ex Theodoſii obitu dolorem æquiſſima lætitia ex illius præſumpta
meritò æterna felicitate modificandum; utrunque debita illuſtrium ipſius
virtutum æmulatione judico cumulandum. Et verò intimi doloris exhibita
ſignificatione Theodoſium vita functum proſequendum nemo niſi totius ex-
pers humanitatis inficiabitur. Quæ enim aures tam duræ, quæ de ſilice exci- S Hier. ad
ſa præcordia, & Hircanarum tigrium lacte nutrita poſſunt ſine lacrymis ex- Pamach.
tincti Theodoſii audire nomen? Quis parturientem roſam, & papillatum co- in obitu
rymbum, antequàm in calathos fundatur orbis, & tota rubentium foliorum Paulinæ
tom. 1.

panda-

pandatur ambitione immaturè demeſſum, æquis oculis marceſſere videat? Idem ad Paulum in obitu Bleſillæ. Fractum eſt pretioſiſſimum margaritum; virens ſmaragdi gemma contrita eſt. Plus ſenſimus quod habuimus, poſtquam habere deſivimus. Quis præterea ſiccis oculis recordetur viginti annorum Adoleſcentulum, tam ardentis fidei levaſſe vexillum? Quis ſine ſingultibus tranſeat orandi inſtantiam, nitorem linguæ, memoriæ tenacitatem, acumen ingenii? Flebant & Sorores Lazarum, Idem in Epitaph. Nepotiani. quem reſurrecturum noverant; & ut veros hominis exprimeret affectus, ipſe ſalvator ploravit, quem ſuſcitaturus erat. Quantò ille felicior tantò ampliùs nos in dolore, quòd tali caremus bono. At modus adhibendus in dolore. Deſiderium abſentiæ ejus ferre non poſſumus, non illius, ſed noſtram vicem dolentes. Idem in Epitaph. Luciani. Deſiderandus eſt nobis Theodoſius, ſed gaudendum, regnare illum cum Chriſto: quia raptus eſt, ne malitia mutaret mentem ejus; placita enim erat anima illius, & in brevi ſpatio tempora multa complevit. Nos dolendi magis, qui quotidie ſtamus in prælio, peccatorum vitiis ſordidamur, accipimus vulnera, & de otioſo verbo reddituri ſumus rationem. Ille ſecurus, & victor nos aſpicit de excelſis, & favet laborantibus, ac juxta ſe locum præparat: & certè ad emolliendum luctum, irritandumque gaudium nihil cogitari poterit efficacius.

218 Verùm non in dolore modò, & exultatione juſtis adeo ex cauſis ſiſtendum; æmulationi præterea, Theodoſio longè optabiliori, nobiſque utiliori eſt inſiſtendum; niſi hujus fiat acceſſio, vana prorſus, & inutilis erit, utpote vel ipſis Ethnicis communis, quælibet in alicujus obitu doloris, vel gaudii ſignificatio. Non eſt veræ amicitiæ nomine, laudeque dignus, qui abeunti amico ſuperſtes, laudabiles illius mores vera ſimilium expreſſione referre non fatagit: hac potiſſimùm ratione ſpiritus, & vita redit bonis, eoſque ab interitu vendicamus, quorum memorabilia exempla, ne unquam pereant, æmulando efficimus. Id quidem maximè fuit, cur hanc Theodoſii, ſive Perfecti Principis veram effigiem, ejus eximiis virtutibus illuminatam tantopere ultima donare manu optarim, non modò ut in ea vivum tanti Principis monumentum ære perennius perpetuò extaret, ſed in primis, quò illius imitatione univerſis provocatis, tot redivivos ſuſpiceret orbis Theodoſios, quot Sereniſſimus Princeps Theodoſius ſui æmulatores nanciſcetur. Quod ſi optabilem bonis omnibus effectum, ut ſpero, ſortiatur, uberrimum ſanè, quò ampliorem nemo exoptabit, & laborioſæ in eo collocatæ induſtriæ fructum, & votorum ſummam aſſequutum me gloriabor. Neque verò dubito, quin hujuſce unici voti facile compos efficiar, ſi, ut certa mihi ſpes eſt, Sereniſſimus ipſe Princeps Theodoſius, propitiato ſuis precibus Deo, è cœlo annuat, & meis æquiſſimis optatis, & ponderoſis verbis Authoris ſui Tumuli; quibus ille ſu- Tumul. Theod.
um prologum, ego meum claudo librum: *Illa* (inquit) *Sanctiſſimi Principis imago divinis virtutibus animata perpetuò manebit Luſitanorum* (adderem, & cæterarum gentium) *cordibus tam altè impreſſa, ut per omnem conſequentis poſteritatis memoriam æternitati tranſmittatur.*

F I N I S.

INDEX RERUM.

A

Abſtinentia. Maximè ſalutaris, Lib. 1. §. 169. Theodoſii abſtinentia, Lib. 3. §. 161.

Acclamatio, Regia memorabilis ſeries, & complementum, Lib. 1. à §. 51. ad 62. Illius ſecretum ſeptenni Theodoſio commiſſum, Lib. 1. §. 50. & lib. 2. §. 46. Illius Authores præ cæteris remunerandi, §. 57.

Acumen in dictis, Prælog. §. 2. Lib. 1. §. 23. 24. 44. 108. Lib. 2. §. 52. 53. 54. 101. Lib. 3. §. 32. 45. 52. 99. 100. 101. 118. 129. 130. 139.

Acus fixæ ratio inveſtigatur à Theod. Lib. 2. § 91. 92. Illi confertur Theodoſii voluntas, Lib. 3. §. 80.

Adhortationes variæ. Adverſus Brigantinum Principem, Lib. 1. §. 32. Adverſus præpoſterum Madrientium Miniſtrorum conſilium, §. 46. Pro excutiendo jugo, Regnoque capeſſendo, §. 48. Sereniſſimi Ioannis ad Fæderatorum legatos, §. 54. Eorum ad Illum, ibid. *Theod. ad Seren. Parentem, §. 79. Ejuſdem ad coævos ſibi pueros belli ſimulacra ſcientes, §. 82. Ejuſdem ænigma explicantis, §. 84. Legati Galli, & Luſitani ad ſuos, §. 86. Seren. Regis Ioannis IV. ad Comitem Obidenſem primi exercitus Ductorem maximum, §. 87. Aulicorum apud Theod. Caſtellanam potentiam exaggerantium, §. 88. Theod. ad hæc reſpondentis, & Luſitanam virtutem commendantis, §. 89. Molinguerni, & Albuquercii ad proprios milites, §. 138. Theod. duellum improbantis, §. 107. Ejuſdem ad ſuos aulicos, §. 129. Aulicorum ad Seren. Regem pro extrahendo Principe jam adulto è gynæceo, §. 186. Aulicarum Virginum ad Theod. §. 188. Ipſius ad eaſdem reſponſum, & ad virtutes adhortatio, §. 188, & 189. Improborum hominum ad improbum Aſſaſſinum, §. 199, & 102. Luſitanorum aliquot, ad Seren. Regem pro vindicando audaci ſcelere, §. 205. Seren. Regis ad eoſdem, §. 206. Magiſtri ad Diſcipulum Theod. §. 215. Aliquorum ad hujuſce libri Authorem, §. 245. Authoris ad eoſdem, 246. Caroli ſecundi magnæ Britanniæ Regis, per literas ad Seren. Ioannem IV. §. 277. Theod. ad Robertum Principem Palatinum, §. 281. Blæi Parlamenti Architalaſſi ad Seren. Regem Ioannem IV. §. 283. Seren. Regis reſponſum,* ibid. *Theod. ad Seren. Parentem, §. 313. Ejuſdem ad commilitones, §. 314. Aulicorum ad Seren. Regem, §. 344. Aliorum ad Principem, §. 345. Theod. ad quendam Aulicum, §. 364. Ejuſdem ad Cubicularios, §. 366. Ejuſdem ad S. Eliſabetham Reginam, §. 366. Ipſius ad Seren. Parentem, §. 367. Conſiliariorum ad Seren. Regem, §. 373. Theod. ad Cetobricenſes, §. 392. Lib. 2. Theodoſii ad ſuos aulicos, §. 55. Ejuſdem ad Seren. Parentem, §. 56. Ejuſdem ad univerſos Reges, §. 59. Cubicularii ad Theod. 59. Ejuſdem ad Cubicularium,* ibid. *Theod. ad Sereniſſimum Regem, §. 65. Ipſius ad univerſos, §. 66. Ejuſdem ad ſuos Aulicos, §. 68. Cænobitæ cujuſdam Caſtellani ad Catholicum Regem, §. 78. Coloneli cujuſdam Flandobelgici ad eundem, §. 80. Seren. Regis*

Cubiliarchi ad Theod. §.87. *Theod. reſponſum*, Ibid. *Magiſtri ad Theod.* §. 98, & 99, & à §. 174. ad 192. *Lib.* 3. *Theod. ad Aulicos*, §.10. *Confeſſarii ad Theod.* §. 47. *Theod. ad Confeſſarium*, §.59. *Illius ad Theod.* Ibid. *P. Ioannis Nonii ad Theod.* §. 63. *Illius reſponſum*, Ibid. *Confeſſarii ad Theod.* §. 106, & 107. *Ejuſdem Confeſſarii ad Theod.* §. 109. *Theod. ad Seren. Parentem*, §. 128. *Theod. pro miniſtris, & Gubernatoribus*, §. 129. *Aulici cujuſdam ad Theod.* §. 137. *Ejuſdem ad Aulicum*, §. 137. *Theod. ad impudicam puellam*, §.138. *Theod. ad Aulicos*, §. 139.

Adoleſcens probus rarum quid, *Lib.* 1. §. 403. *Lib.* 2. §.44. *In adoleſcentia, qui magnis viris excellit, maximis, & mirabilis habetur*, *Lib.* 3. §.231. *Adoleſcentum virtutes magis provocant æmulationem quàm ſenum*, §.242.

Admiranda plurima, quæ Theod. obitum præceſſere, *Lib.* 1. à §.396. ad 406.

Adverſa. In adverſis amicitia, *Lib.* 2. §.139 *In iiſdem conſtantia*, §.152.

Adulatio, deteſtanda maximè in conſiliariis. *Lib.* 1. §.180. 181. *A Theod. acriter pungitur*, §.348. *Lib.* 2. §. 51. *Adulatoriæ ſententiæ pernicioſa*, §. 55. *In aula frequentiſſima*, §. 117. 118. *Lib.* 3. *Illi infenſus Theod.* §. 89. 117. 118. *Adulationis deſcriptio, peſtis, &c.* Ibidem.

Ægroti quàm promptè debeant obedire medico, *Lib.* 3 §.98.

Æmulatio in ſcientiis multum prodeſt, *Lib.* 2. §.13. *In aliis*, §.85. 87.

Ænigma factum, & explicatum à Theodoſio, *Lib.* 1. §.84.

Æthiopum iniqua emptio, & venditio reprehenditur, *Lib.* 2. §.61.

Affabilis Theodoſius, *Lib.* 1. §. 22. *Lib.* 2. §.136.

Affectus pravi ne noceant, exuendi, vel domandi maximè à Conſiliariis, *Lib.* 1. §. 179. *Affectus pravos ſuperare ſuprema eſt victoria; illis ſuccumbere ſumma ignavia*, *Lib.* 2. §.75, & 76.

Alas, quibus quilibet volare poſſit, pene conficit Theod. *Lib.* 1. §.164.

Alconchel inexpugnabile oppidum, expugnatur à Luſitanis, *Lib.* 1. §.96 & 97.

Alexander Magnus. Ejus apud ſuos efficax exemplum, *Lib.* 1. §. 393. *De illo Theodoſii, & alterius judicium*, *Lib.* 2. §.83, & 87. *Pauperi Diogeni meritò invidet*, *Lib.* 3. §.132.

Alexander Farneſius obvia comitate in militari epulo Vvalones ſibi devincit, *Lib.* 1. §. 44. *Illius undecennis, jam arma frementis exemplo inflammatur Theod.* §.314.

Alexius Collotes de Iantillet egregius Scriptor, *Præloq.* §.16, & *Lib.* 1. §.474.

Aloyſia Sereniſſima Luſitaniæ Regina Theod. Mater, *Lib.* 1. §. 3. *Illum à Deipara à Gratia precibus impetrat*, §. 7. *Cujus beneficio aborſu liberatur*, §. 14, & 15. *Optat, obtinetque, ut prima infantis Theod. vox matrem exprimat, & quomodo*, §. 16. *Regni prædictione confirmatur*, §. 27. *Dubium adeundi Regni Sereniſſ. conjugem confirmat*, §. 49, & 50. *Vlyſſiponem triumpho invehitur*, §. 68. *Prudentiſſima*, §. 172. *Theod. in ſuo palatio inviſit*, §. 188, & 189. *Servatrici Euchariſtiæ auguſtiſſimum templum ponit*, §. 210, & 211. *Erga Confeſſarium Regium ſumma ejus benevolentia, & beneficia*, §. 233, & 237. *Ejuſdem de Theod. Elvenſi expeditione judicium*, §. 343, & 369. *Amantiſſima Societatis Ieſu*, *Lib.* 3. §.52. 57. *Ejuſdem eximiæ dotes, monumenta, & præclaræ res geſtæ*, à §. 92. ad 95.

Aloyſius Novarinus, *Lib.* 2. §.161.

Alphonſo primo Luſitaniæ Regi promiſit Deus Imperium, & ſacra ſtigmata pro gentilitio ſtemmate largitus eſt, *Lib.* 3. §.78. *Ejus in ſuos Luſitanos ardens amor, & juramentum*, §. 241. 244.

Alphonſi Sexti Sereniſſimi Regis ortus, & baptiſmus, Lib. 1. §. 83. effigies ipſius recens nati à Theodoſio graphicè depicta mittitur Eboram ad Seren. Parentem, Ibid. *An Luſitaniæ Regnum ad ipſum, an ad Theod. pertineret? Lib.1.§.168. Illi Regia dignitas prædicitur à Theod. Lib.1.§.214, & 397*

Alphonſi tres hujus nominis Principes Luſitani ſuperſtitibus Parentibus, quibus Ioannis nomen contigit, vita functi, Lib.3. 237.

Alphonſus Albuquercius. Lapis offenſionis cauſa in arce Malacæ ab eo collocatus, Præloq.§.13. Mahometis oſſa conatur è ſepulchro extracta Goæ comburere, Lib. 2. §.90. Nilum aliò deflectere cogitat, Ibid.

Amici. Præſidia regni ſunt, Lib.2. §.125. Illis Reges maximè indigent, §.125. De veris amicis falſum, & improbum axioma, §.166. Sunt theſauri, Lib.3. §.55. Amici mors quomodo flenda? §. 247. 248.

Amor. Inordinatus valde noxius, Lib.1. §.179. Humanus brevis, divinus diuturnus, §.436. Regius non uni tantùm ſit addictus, ſed communis omnibus, Lib.2. §. 133. 134. Erga optimates, à §.128, ad 132. Conſtans, & perpetuus, nulli ſciſuræ obnoxius, §. 138. Non modò in proſperis, ſed etiam in adverſis firmus, §. 139. Amoris veri, fictique hieroglyphica, Ibidem. *Virtutes omnes morales continet, §. 172. Iniquum de amore conſilium,* Ibidem. *Ordinati, & inordinati genius,* Ibidem. *Ejus perpetua duratio, Lib. 3. §. 23. Amor Theod. erga nobiles, Lib.1.§.29. Lib.2. §.128, 134. Erga populares, Lib. 2. à §.133. ad 137. Erga militares, §. 190, 320. 321. 322. 324. Erga ſapientes, Lib. 2. à §.39. ad 42. Erga religioſos, Lib.1. §.190. Lib.3. à §.45. ad 48, & à §.49. ad 67. Erga ſuos omnes, Lib.1.§.164. 365. 396. 417. Lib.2. à §. 125. ad 142. Dilectus omnibus, Lib. 1. §.382. 392. 409. 434. Lib.2. à §.140. ad 142.*

Andreas Albuquercius. Equitum Magiſter, & Caſtrorum Præfectus, ejus per Theod. cum Seren. Rege anteafacta reconciliatio, & encomia, Lib.2. §.130, & 131.

P. Doctor Andreas Ferdinandus Societatis Ieſu. Illi primùm committitur Theod. vita ſcribenda, Præloq.§.3. Primarius Rhetorices Magiſter Eboræ Tragœdiam Euſtachium *Brigantino Principi exhibet, Lib.1.§.31. Tertius Theod. Confeſſarius, §.68. Ejus ad Theod. adhortatio pro modificandis ſtudiis, §.75. Ejus dotes, §.218. Ejuſdem vita, mors, ac de virtutibus elogium, à §.219. ad 238. Occaſio prima ipſius apud Theod. gratiæ, §. 220.221.222. Illuſtre de illo teſtimonium, §.238. Quando primùm renuntiatus eſt Theod. Confeſſarius, §.318. Hortatur Theod. ad vovendum pro ſalute, & fruſtra, §.411. Appetentis mortis viciniam aperit Theod. §.413. S. Xaverii reliquiariam thecam illi ante obitum donat Theod. §.234. De illo Theod. teſtimonium, Lib.2. §.77. Aliud alterius de illo teſtimonium, §.238. Summam Theod. gratiam veritatis profeſſione colligit, §. 124. Argumenta ipſius Theod. per literas objecta, à §.193. ad 206. Frequens, & quotidianus excipiendis Theod. Confeſſionibus eum convenire jubetur, Lib.3. §.27. 28.29. Improbat à Theod. concepta vota, §.47. De ardentiori ergo ſocietatem amore cum Theod. certat, §. 57. Satisfacit Theod. rationibus pro ſocietatis adverſus dignitates inſtituto, §.59. Quàm illi obediens Theod. §.103. Ejus egregiæ dotes, ac virtutes, §. 104. Ipſius conſtans humilitas in recuſandis ſummis dignitatibus ſibi oblatis, aliiſq; pro ſuis conſanguineis, à §.105. ad 110. Illius de Theod. virtute teſtimonium, §.124. Illi præcipit Theod. ne ſe matutino tempore conveniat, & quare? §.176. Poſt Theod. obitũ eligitur Confeſſarius à Seren. Rege, cui cùm viventi, tum morienti extitit utiliſſimus, §.204. Illius de Theod. dotibus, & virtutibus judi-*

judicium, §.224. 228. Ejuſdem varia ad Theod. adhortationes. Vide verb. Adhortationes. Variæ ad illum Theod. epiſtola. Vide verb. Epiſtolæ ad Confeſſarium.

Angeli. Erga univerſos ardens Theod. devotio, Lib.3. §. 36. Erga Angelum Cuſtodem, Ibid. Angelis caſti præhabendi, §.135.

Angolæ recuperatio, Lib.1. §.448.

Animarum ſalus à Theod. impensè procuratur, Lib.3. à §. 68, ad 79.

Annibal Vlyſſiponenſis fœmina filius, Lib. 2. §.28.

P. Antonius Vieyra Societatis Ieſu Viſitator Maranoniæ miſſionis. Ejus luculenta epiſtola, in qua honorificum de Regio Confeſſario teſtimonium profert, Lib. 1. §.238.

P. Antonius Macedo Societatis Ieſu Legatur à Sereniſſima Regina Chriſtina ad Pontificem maximum Innocentium X. Lib. 1. §.265. Ejus epiſtola de hac legatione, ac de Macariopoli Theod. §. 266.

Antonius Galvanus Theod. Magiſter eximius in equitandi arte, Lib.1. §.127.

Apologi Theodoſii, Lib.1. §. 82. Lib.2. §. 31. 139. Lib.3. §.68. 160.

Apophtegmata Theod. Lib.1. §. 21. 23. 29. 37. 41. 69. 89. 113. 129. 153. 154. 161. 166. 167. 185. 310. 319. 323. 327. 331. 333. 336. 382. 397. 408. 411. 412. 423. Lib. 2. §. 34. 46. 47. 50. 51. 52. 57. 60. 63. 65. 66. 68. 70. à 74. ad 77. 101. 105. 108. 109. 110. 114. 118. 119. 120. 121. 122. 123. 128. 129. 132. 134. 136. 136. 139. 142. 145. 149. 150. Lib. 3. §. 4. 7. 15. 19. 25. 33. 42. 57. 58. 84. 97. 98. 117. 118. 122. 125. 126. 128. 129. 133. 139. 170. 180. 185. Vide verb. Axiomata Theodoſ.

Apophtegmata aliorum. Prolog. §. 2. Lib. 1. §. 87. 143. 151. 153. 171. 173. 177. 179. 180. 181. 182. 183. 184. 194. 195. 204. 210. 233. 264. 462. 508. Lib. 2. §. 9. 47. 48. 66. 69. 118. 122. 125. 130. 132. 141. 151. 153. Lib. 3. §. 66. 93. 97. 161. 184. Vide verb. Axiomata aliorum. Et verb. Sententiæ.

Ariſtoteles. In lucubrando fuit ſtudio infatigabili, Lib.1. §.77, & Lib.2. Eum averſatur Theod. & quare? §. 34. & 161. Aliqui ejus errores, §. 166. In captanda gloriola immodicus, & damnabilis, Lib.3. §.116.

Arrabidæ incondita ſylva, cæteraque ibi viſenda, Lib.2. §.154.

Arrogantia fugienda eſt, Lib.2. §.151.

Aſſaſſini cujuſdam tentatum execrabile facinus in Seren. Regem Ioannem: ejus ſeries, & exitus, Lib. 1. à §.199. ad 211. Alterius juſtum ſupplicium à Theod. infligi juſſum, à §. 325. ad 329.

Aſtra Illorum in cujuſque ortum influxus, Lib.3. §.235.

S. Auguſtinus Theodoſio acceptiſſimus, Lib. 3. §. 37.

Avicularum diſſidium, & cauſæ; Lib. 2. §. 71. Avis, cui nomen Apus mirabilis genius, elegansque deſcriptio, Lib.3. §.131.

Aulæ Luſitanæ ſplendor, Lib.1. §. 65. Mobilis eſt aura, à qua veritas jam diu exulat, Lib.2. §. 117. Adulatio frequens in aula, Ibid. Lib.3. §.117. Aulæ genius §.136. Aulicorum mores, & artes, Lib. 1. §.345. Lib.2. §.58. 68.

Aureum ſæculum, Libellus à Theod. compoſitus; Lib. 2. §.31.

Authores ex quibus vita Theod. Prolog. à §. 14. ad 20. De nonnullis judicium Theod. Lib.2. §.161, & 166.

Antimi Ducis Hollandici generoſum, & pium factum, Lib.1. §.457.

Axiomata Theod. Lib. 1. §. 29. 64. 73. 74. 108. 120. 161. 244. 321. 322. 326. 385. 387. Lib.2. §. 49. 55. 56. 65. 87. Lib.3. §. 40. 41. 45. 64. 82. 87. 96. 115. 126. Vide verb. Apophtegmata Theod.

Axiomata aliorum, Lib.1. §. 26. 32. 46. 63. 64. 108. 115. 231. Lib.2. §. 48. 98. 99. 104

Vide

Vide verb. Apopthegmata aliorum, & verb. Sententiæ.

B

BAlala, Pigmeus dono miſſus Theodoſio, Illique percharus, Lib. 1. §. 163.

Balthazar Princeps Caſtellæ. De illius obitu judicium, Lib.3. §.238.

Barcellos oppidum Luſitanum prodigioſis Crucibus quotannis certis diebus apparentibus celebre, Lib. 1. §. 405. Idem ex apparitione Spineæ Coronæ celebrius, §. 406.

Beatus, quis dicendus, Lib.2. §.221.

Bellum, Bello ingruenti, oportet Principem in armis eſſe; præmiaque ſolis militibus niſi rarò deſtribui, Lib. 2. §. 49. Deteſtandum quia mendaciorum feraciſſimum, §. 129. Ex infructifero alioquin bello, æternæ ſalutis uberrimi fructus in Luſitania provenere, Lib.3. §.131.

Beneficia, quibus, & quomodo deſtribuenda? Lib. 2. à §. 56, ad 58. Beneficia obvia pluris facienda, §. 104. Belli tempore quomodo conferenda? §.131.

Benedictio, mane, ac veſpere qualis uſurpanda? Lib.3. §.192.

S. Benedictus Theodoſius percharus, Lib. 3. §. 37. Vaticinium de iis qui mortui ſunt primis 300. annis in ordine S. Benedicti, §.68.

Benevolentia timore potentior, Lib. 1. §. 33. Benevolentia Theod. erga milites, Lib.2. §. 149.

Biblia ſacra Theodoſio familiariſſima, Lib. 2. §.21, & 113.

Bibliothecam magnificam ad æmulationem magnorum Principum cogitat Theodoſius, Lib.2. §.10.

Blacus Britanici Parlamenti Architalaſſus appellit Ulyſſiponem, Lib.2. §.283. Ejus inibi tentamenta, Ibid. *Ejuſdem cum Palatinis, & Luſitanis navalis congreſſus, §. 311.*

S. Bonaventura plus orando, quàm ſtudendo in ſcientiis profecit, Lib.3. §.177.

S. Borgia. Vide verb. S. Franciſcus Borgia.

Brigantini Principatus Sedes Villaviſſoſa, Lib. 1. §. 2. Illius conditores, §. 3. Illius antiquitas, amplitudo, & opulentia, §. 157. 158, & 159. Denuo confertur Regio diplomate Principi Theod. ejuſque ſucceſſoribus Regum Primogenitis, §. 156. Illius laudabilis conſuetudo, Lib. 3. §. 33. In eo maxima erga S. Ioannem Evangeliſtam devotio, §.37.

C

CApilli, & varia Theod. ſupellex in ſumma veneratione habentur, Lib. 3. §. 224.

Caput viride. Ut eò remittantur PP. Societatis Ieſu rogat moribundus Theodoſius, Lib. 1. §. 417, & Lib. 3. §. 79.

Carceris diuturnitas damnatur à Theod. & quare? Lib.2. §.66.

PP. Carmelitani Diſcalceati cur à Seren. Regina præficiantur templo, & Cœnobio à ſe condito? Lib. 1. §. 211. Eorum elogium, Ibid.

Carolus Magnus, & Carolus Quintus. De illis Theod. judicium, Lib.2. §.171.

Carolus Stuardus primus hujus nominis magnæ Britanniæ Rex à Parlamentariis per ſummum ſcelus jugulatur, Lib. 1. §. 275. Cur, & quomodo? §. 281. Ipſius dictum eximium, §. 304. De illo Theodoſius, Lib.2. §. 177.

Carolus Secundus magnæ Britanniæ Rex in adverſa fortuna omnimode à Sereniſſimo Ioanne IV. juvatur, Lib. 1. §. 276. Ejus literæ ad eundem, §. 277. Ejus cauſa cum rebellibus Parlamentariis bellum ſuſcipit Rex Ioannes §, à . 275. ad 311. Illius bellica virtute inflammatur Theodoſius ad arma capeſſenda, §. 312.

Illius poſt variam fortunam regia inauguratio à Theod. prædicta, §. 399.
Conjugium cum Sereniſſima Catharina, §. 448. De ipſo Lib. 2. §. 84, & 173.
Carolus Erneſtus Auſtriacus, & Carolus Emmanuel hujus nominis ſecundus Dux Sabaudiæ eadem, qua Theodoſius die in lucem editi, Lib. 3. §. 235.
Caſtellani, ſive Hiſpani, Prælog. §. 13. Luſitanis bellica virtute ſuppares, in nonnullis ſuperiores, in quo inferiores? Lib. 1. §. 358. Quali uti ſoleant prudenti ſtratagemate, vel in ipſis amiſſis victoriis? §. 140. 146.
Caſtitas. Vide verb. Virginitas. Ejus aſſiduum, & periculoſum bellum. Lib. 3. §. 155.
S. Catharina Senenſis, Praeligit aurea ſpineam coronam, Lib. 1. §. 406. Commutat cum Chriſto D. cor. 410.
S. Catharina Alexandrina Theodoſio amabiliſſima, Lib. 3. §. 37.
Catharina Sereniſſima magnæ Britanniæ Regina, Illi prædicit Theod. Britannicum ſceptrum, Lib. 1. §. 397. Eadem in ſumma habet pretio Theod. precarios globulos, Lib. 3. §. 5. Eandem ad cæleſtia invitat Theod. §. 6. Singulis menſibus ſanctos ſortitur, §. 37. Cur Theod. amabilior? §. 40. Ejuſdem de Theod. judicium, §. 223.
Catharina Sereniſſima Brigantina Princeps, ex qua certum jus Brigantinis Principibus ad Luſitanum ſceptrum, Lib. 1. §. 3. Lignum Crucis caput majoratus à ſe inſtituti Brigantinæ Domui donat, §. 426.
Cauſidicus, Vni inflicta pœna, Lib. 2. §. 62.
Celeritas, aliquando damnabilis, Prælog. §. 2.
Cerei diu ardentes in exequiis Theod. idem, quod antea pondus retinentes, Lib. 1. §. 441.
Cetobrica munimenta à Theod. capta, Lib. 1. §. 383, & Lib. 2. §. 88. Cetobriga, vulgo Setubal, condita à Tubale Iapheti filio, & Noemi nepote, Lib. 2. §. 28.
Charitas Dei, ſola ex virtutibus Theologalibus cœlum intrat, Lib. 2. §. 138, & Lib. 3. à §. 1. ad 11. Illius actus ſæpe à Theod. repetiti, §. 169. Ipſius erga Deum, Lib. 1. §. 410. 415. 419. 420. 421. Lib. 3. à §. 1. ad 11. Erga Chriſtum D. Lib. 1. §. 412. 419. 425. Lib. 3. à §. 12. ad 22.
Chriſtina Sereniſſima Suecia Regina, Ejus elogium, Lib. 1. à §. 253. ad 266. Illius tituli ſolemnes, §. 256, & 261. Theod. ad eandem epiſtola, ibid. Mutua utriuſque æſtimatio, §. 257. Virtutum, & ſcientiarum omnium compendium, §. 258, & 259. Miſſam ſibi à Theod. Macariopolim maximi facit, à §. 260, ad 266. Ejus ad Orthodoxam fidem converſio, & Romæ triumphus, §. 263, & 264. Hiſtoria Suecica, & Gothica eidem mittenda componitur à Theod. à §. 268, ad 270. Ejus de Theod. judicium, Lib. 3. §. 220.
Chriſtus D. Illius imaginem Regum prototypon Seren. Parenti legat Theod. Lib. 1. §. 416. Erga illum amor, §. 412, & Lib. 3. à §. 12, ad 22.
Cibus, quinam ſuavior? Lib. 2. §. 119. Quinam ſalubrior? §. 121. Cibi parciſſimus Theod. Lib. 2. §. 7, & §. 161.
Cilicium, Ejus uſus Theodoſio, ut creditur, familiaris. Lib. 3. §. 160.
Claſſis Caſtellana ſub Oquenda miſerabilis exitus, Lib. 1. §. 36. Claſſis Gallica, §. 40. Palatinæ, Parlamentariaque varii eventus, §. 276. 278. 283. 311. Luſitana Palatinæ auxiliatur, §. 311. Parlamentaria nonnullas capit Luſitanas onerarias, ibid. Claſſis Luſitana ſub Salvatore Correa de Sà Benavides, §. 448. Claſſis Luſitana ſocialis ſub Petro Iaquio Magallanio., §. 449. Claſſis alia Luſitana, & Caſtellana ſub D. Ferdinando Maſcarenia Comite à Turre, §. 449.
Clementia, quæ laudabilis? Lib. 1. §. 326. Commendatur, & illuſtratur Theodo-

ſii exemplis, Lib. 2. à §. 63. ad 71. Sit juſtitia conjuncta, ibidem. *Item Lib.1. §.329. 333. Vide verb. Manſuetudo.*

Clementis X. gentilitia ſtemmatis aſtra in Luſitaniam benignè influentia, Lib. 3. §.72.

Cæli deſiderium, Lib. 1. §.411.412. 413.

Collegium Eborenſe Societatis Ieſu excipit Principem Brigantinum, Lib.1. §. 31. Eundem jam Regem iterum excipit, §.81.

Collegium Eborenſe Deiparæ à Purificatione novis redditibus Eccleſiaſticis amplificare cogitat Theod. Lib. 2. §. 42.

Colloquia ſpiritualia Theodoſii, Lib. 1. §. 169.

Columba prodigioſa in funere Theod. Lib. 1. §. 438.

Columnæ duæ templi Salomoniei æſtimatæ octoginta ſex millionibus, Lib.3. §. 126.

Commercium promovendum, Lib. 2. §. 49.

Cometa paulò ante obitum Theod. Lib. 1. §. 403, & 404. Illorum cauſa morales, §.404. Cometa in ingreſſu cænobii Principis Ioannæ, ibid.

Comitatis urbanæ, ad conciliandos animos mira vis, Lib.1.§.44.

Comitia prima Vlyſſipone habita, quibus Sereniſſimus Ioannes Rex, & Theod. Regni Princeps inaugurati ſunt, Lib. 1. §.61, & 62.

Communio ſpiritualis quotidiana Theod. Lib.3. §.31.

Concilium Luſitanum à ſtatu quale, quibuſque pateat? Lib.1.§.171.

Confeſſioni Sacramentali addictiſſimus Theod. Lib.1. §.20, & 21. Eidem moribundo frequentiſſima, §.418. Quotidiana, ac generales Theod. confeſſiones, Lib.3. à §. 26, ad 29. Hebdomadariam confeſſionem ſuis commendat Macariopolitanis, §.31. Præſens contra omnia vitia remedium, §.154.

Conformitas Theod. cum divina voluntate, Lib.1. §. 410, 411. 421, Lib. 3. §.11, & 247.

Conimbricæ expectatur Theod. Lib. 1. §. 395.

Conſilia petenda à pluribus, ab uno definienda, Lib.1. §.462. Lib.2. §.49. Eorum vis magna, §. 81. Cum Deo priùs conferenda, Lib.1. §.387.

Conſiliarii Regum optimi, rari, & plurimi faciendi, Lib.1. §.171. Quænam præcipuæ illorum dotes? §.173, & 174. & à §.177, ad 185. Pauci, an plurimi adhibendi? §.185.

Conſtantia Theod. Lib.1. §.328.329.387. Lib.2. à §.152, ad 155.

Conſuetudo difficilia reddit facilia, Lib.1. §.82. Qualis legitima? 326.

Contemptus regni, ac mundi à Theod. Lib.1. §.213. 411. Lib.2. §.83. Lib.3. §.4, & à §.124, ad 132.

Controverſiarum liber ſcribendus à Theod. tentatur, Lib.3. §.79, & 83.

Controverſiæ variæ politicæ, ac bellicæ, contrariis rationum momentis ventilatæ, Lib.1. §.27. 94. à §.124, ad 126. Item 167. 168. Inter Palatinos, & Parlamentarios, à §. 285, ad 309. Alia §. 319. 321. 322. à §. 325, ad 329. De Theod. Elvenſi expeditione, à §. 349, ad 362. Lib. 2. §. 28. 29. 35. 36. 55 64. 65. 119. 120. 121. à §. 193. ad 206. Lib. 3. §. 71. 84. à §. 92, ad 102. Vide verb. Problemata.

Contumacia damnabilis maximè in Conſiliariis, Lib.1. §.181.

Convictus bonorum fructuoſus, Lib.2. §. 150.

Cor cum Chriſto commutat S. Catharina Senenſis, & commutari optat Theodoſius, Lib. 1. §. 410. Cor lingua conſonum, Lib.2. §.119.

Corona ſpinea prodigioſa inter Barcellenſes cruces viſa proximè obitum Theod. Lib.1. §.406. Illius ad ſpineam Coronam Chriſti D. colloquium, ibid. *Corona ſpinea Chriſti D. aurea à Theod. præhabetur §.167. Corona Deiparæ quotidiè à Theod. recitatur, Lib.3. §. 34.*

Cornelius Tacitus. Vide verb. Tacitus.

Coſmus tertius Etruriæ magnus Dux univerſam luſtravit Europam, Lib. 1. §. 200. *Luculentum Ipſius de Luſitanis, & eorum rebus teſtimonium.* Ibidem. *Ejuſdem de Theod. judicium, Lib.*3. §. 220.

*Creaturæ, Illarum amori divinus præhabendus, Lib.*3. §.10.

*Cromuelis nimia potentia, & execrandum facinus, Lib.*1. §. 275. *Ad Illum variæ undique legationes,*275. *Immittit claſſem contra Palatinos,* §. 283. *De illo judicium Theod.* §. 294. *Lib.* 2. §. 174.

*Crucifixi Domini ſacra effigies dextram è Cruce refigens in die Regiæ Acclamationis; hujusque prodigii ſignificationes, Lib.*1. §. 55. *Eadem Eboram à Seren. Rege deducitur, & qua occaſione?* §. 89, & 105. *Vlyſſipone cum gratiarum actione exponitur,* §. 209. *Crucifixum floribus ornat Theod.* §. 412? *Illum Seren. Matri legat.* 416. *Erga Crucifixum D.Theod. affectus, Lib.*3. *à* §.18, *ad* 22.

Crux, Brachia in Crucis figuram componere jubet Theod. Lib. 1. §.169. *Vnà cum Cruce orat tumulari Principis Confeſſarius,* §.235. *Cruces Barcellenſes prodigioſæ certis anni diebus,* §.409. *Lignum Crucis caput Majoratus à Sereniſſima Catharina inſtitui, Domui Brigantinæ aſſignatur,* §.426. *Theod. erga crucem affectus, Lib.*3. §.18.19.20, & 158.

*Cubicularii Theod. primi, Lib.*1. §.187. *Eorum ſumma dignitas, Lib.* 3. §. 50.

*Curruum uſus, & abuſus, de quibus Theod. judicium, Lib.*1. §.129. *Currus puerum protriturus in funere Theod. prodigioſè ſiſtitur, Lib.*1. §.440.

D

*Deipara à Conceptione Seren. Regem protegit, Lib.*1. §.207. *Ejus templum Villaviſſoſæ magnis auxerat incrementis,* §. 15. *Idem templum ex Elviis addit Theod.* §.339.

Deipara à Conceptione, Lib. 3. §. 35. *Adverſus omnia vitia maximè venerea efficax remedium,* §. 154. *Theod. erga Deiparam ſingularis affectus, Lib.* 1. §. 13. *Ejus beneficio aborſus periculo liber,* §. 15. 169. *Lib.* 3. §. 34, & 35.

*Deliciæ, Illis qui non capitur, fortiſſimus, Lib.*2. §. 152. *Monarchias evertunt, Lib.*3. §.162. *Quam illas oderit Theod.* Ibid.

*Detractores averſatur Theod. Lib.*1 §. 332. 333. *Lib.* 2. §. 137. 150. *Lib.*3. §. 122.

*Deus. A Deo auſpicandum bellum, Lib.*1. §. 37, & 379. *Illi tribuenda victoriæ,* §. 154. *Parcendo maximè omnipotentiam manifeſtat. Lib.* 2. §. 67. *Deò perfectiones. Lib.*3. §.1. 2. 3. *Immenſitas,* §. 10. *Dei amor, à* §. 1. *ad* 11. *A Deo dies auſpicandus.*

Dicteria jocoſa, & aculeata, Lib. 2. §. 53, & 54.

*Didacus Gomeſius à Figueyredo Principis Theod. Magiſter eximius in arte gladiatoria, cæteriſque dotibus, Lib.*1. §. 128.

*Diploma Regium, quo Theod. Brigantinus Dux, & Braſiliæ Princeps renuntiatus eſt, Lib.*1. §.156. *Aliud, quo ſupremus armorum Arbiter fuit pronuntiatus,* §. 378.

*Diſcipuli quomodo ſe debeant gerere, Theod. exemplo, erga Magiſtros; Lib.*3. §. 96, & 97.

*Diſci exercicium, Lib.*1. §.129. *In eo eximius Theod.* Ibid.

*Divitiæ, Illarum contemptus à Theod. Lib.*3. §.77, & *à* §. 124, *ad* 133. *Illarum uſus, & abuſus,* §.126.

*Docilitas commendabilis maximè in Conſiliariis, Lib.*1. §. 181. *Lib.* 2. §. 154. 179. *Docilitas Theod.* Ibidem, & §. 179.

Dolor immodicus valetudini maximè noxius,

xius, Lib. 1. §. 389. Summus omnium in obitu Theod. §. 426. 435. Lib. 2. §. 142.
Duces. Quomodo in prælio ſe habere debeant? Lib. 1. §. 87.
Duellum execratur, & validiſſimè confutat Theod. Lib. 1. §. 107. Lib. 2. §. 59.
Durandus, ejuſque ſectatores, Lib. 2. §. 161.

E

Ebora excipit Regiis obſequiis Brigantinum Principem Ioannem, Lib. 1. §. 30. & 31. Eborenſis motus initia, progreſſus, & finis, §. 34. 35. & 36. Eboram ſecundò adit Seren. Ioannes jam Rex, ibique excipitur, & moratur, §. 80, & 81. Eboræ nova munimenta à Theod. cœpta, §. 383. Ebora expectatur Theod. §. 395.
Ebrios averſatur Theod; illorum deſcriptio, Lib. 2. §. 147.
Eclypſis Solis, & Lunæ paulò ante obitum Theod. Lib. 1. §. 403. Alia Solis eclypſis poſt ejus obitum, §. 442.
Eduardus Princeps Luſitanus Brigantinus, Theod. judicio glorioſior Chriſtiana exhibita patientia, quàm Germanicis triumphis, Lib. 2. §. 77. Pro illius anima quotidianum reſponſorium recitat Theod. Lib. 3. §. 175. De eodem §. 243.
Educatio, quanti ſit momenti, Lib. 1. §. 63, & 64. Lib. 2. §. 87. Lib. 3. §. 151. 162.
Eleemoſyna facienda, Lib. 2. §. 102.
Elegia elegantiſſima in obitu Seren. Ioannæ Luſitanæ, Lib. 1. §. 221.
Eleonora Rodrigues Eborenſis variæ prædictiones, Lib. 1. §. 36. 55. & 58.
S. Eliſabetha Regina Luſitana templum promittitur à Theod. eo, ubi obiit loco, Lib. 1. §. 366. Idem expetit moribundus, §. 417.
Eliſabetha Regina Caſtellæ prudentiſſimum apophtegma, Lib. 2. §. 141.
Elogia Theodoſii, Lib. 1. §. 70. 72. 128. 133. 160. 161. 162. 168. 247. 251. 339. 340. 341. 343. 383. 384. 386. 394. 402. 431. 433. 438. Lib. 2. à §. 1. ad 8. & §. 20. 21. 22. 27. 38. 46. 78. 79. 80. 81. 124. 126. 127. 140. 149. 152. Lib. 3. §. 46. 71. 118. 133. 134. 154. 161. 162. 169. 178. & à §. 219. ad 234.
Elogia varia. Patrum Carmelitanorum Diſcalceatorum, Lib. 1. §. 211. D. Petri Pueros, à §. 212. ad 216. P. Doctoris Andreæ Ferdinandi Societatis Ieſu Confeſſarii Theod. à §. 217. ad 238. Seren. Chriſtinæ Sueciæ Reginæ, à §. 253. ad 266. Andreæ Albuquercii, Lib. 2. 130. Optimorum optimatum, §. 128. Principis Roberti, §. 182. S. Xaverii, Lib. 3. §. 38. Sanctæ Romanæ Sedis, §. 72. Tribunalis S. Inquiſitionis, 73. Seren. Regis Ioannis IV. §. 90. & 91. Seren. Reginæ Aloyſiæ, à §. 92. ad 95.
Eloquentiæ vis magna, Lib. 1. §. 179.
Elvii eorum munimenta promovit Theod. Lib. 2. §. 88. Elvenſis Theod. expeditio, Lib. 1. à §. 312. ad 378, & Lib. 3. §. 86.
Emblema, Lib. 1. §. 322.
Emendatio, Opus à Theod. conditum. Lib. 1. à §. 239. ad 252. & à §. 260. ad 274. 385. 386.
Emerici Principis Vngariæ virginitas, & miraculum, Lib. 3. §. 147.
D. Emmanuel Alphonſus Peres Guſman, Avus maternus Theod. Dux Aſſidoniæ, Lib. 1. §. 6.
Emmanuelis Pacheco à Mello memorabilis conflictus cum Parlamentariis navibus, Lib. 1. §. 311.
Epigrammata optima, Lib. 1. §. 404. 426. Lib. 2. §. 37. Lib. 3. §. 149.
Epiſtola Theod. Ad Seren. Parentem, Lib. 1. §. 83. 315. 329. 330. 347. 391. Ad Seren. Chriſtinam Sueciæ Reginam, Lib. 1. §. 256. & 261. Ad ſuum Confeſſarium Epiſcopum Iaponenſem, Lib. 1. §. 131. 134. 222. 223. 272. Lib. 2. §. 30. 40. 77. 92. Lib. 3. §. 103.

Epiſtolæ aliorum. P. Antonii Vieyra Societatis Ieſu ad amicum, Lib. 1. §. 238. Ioannis Friderici Triſſendorſi ad Theod. à §. 250. ad 252. P. Antonii Macedo Societatis Ieſu ad amicum, §. 266. Caroli ſecundi magnæ Britanniæ Regis ad Ioannem IV. Luſitaniæ Regem, §. 277. Seren. Regis ad Theod. §. 342. & 349. & 391. & 353. Sereniſſimæ Reginæ ad eundem, §. 343. & 369. Ludovici à Souſa ad Theod. Confeſſarium, §. 371. P. Emmanuelis à Mendoſſa ad amicum, §. 404. P. Ioannis à Payva Societatis Ieſu ad amicum, §. 406. Comitis Eiriceirienſis ad Authorem, Lib. 3. §. 234.

Epitaphium triplex Theod. Lib. 1. §. 431. 432. 433. Epitaphium cujuſdam Principis Cyprii prudentiſſimum, Lib. 2. §. 48.

Epulones inſectatur Theod. illorum conditio, Lib. 2. §. 146.

Equi Luſitani generoſi, Lib. 1 §. 127.

Equitandi ars Principibus digniſſima, Lib. 1. §. 127. In ea eximius Theod. §. 127. 128. 129. 161. Equeſtri ludi deſcriptio, Lib. 3. §. 56.

Eremiticæ vitæ æmulatio, Lib. 1. §. 169.

Ericus optimus Gothorum Rex, Lib. 1. §. 269. Ejus optimum Regimen, §. 270.

S. Euchariſtia Seren. Regem à vitæ periculo eripit, Lib. 1. §. 207. Euchariſticum Viaticum ſuſcipit Theod. §. 414. 415. S. Euchariſtiæ devotiſſimus Theod. Lib. 1. §. 71. Lib. 3. §. 19. Frequentiſſimus in illa excipienda, §. 30. & 31. Ejus uſum ſingulis Dominicis diebus commendat ſuis Macariopolitanis, Ibidem. *Præſentiſſimum adverſus omnia vitia remedium, §. 154. Ex illa prodibat divini amoris flammas ſpirans, 171.*

Eventus non habenda ratio, ſed conſiliorum, Lib. 2. §. 178. & 179.

Examen conſcientiæ quotidianum bis Theod. perficit, Lib. 3. §. 176.

Exempli maximè Regii magna vis, Lib. 1. §. 79. Exemplorum ſpiritualium recitatio, §. 169. Magnatum ad reformationem utilitas, §. 240. Exemplo à Principe ſubditis præeundum, §. 393. 394. Principum exemplo ſubditi trahuntur, §. 55.

Exequiæ in obitu Theod. Lib. 1. §. 434. 435. Etiam Londini, §. 448.

Exercitus primus Luſitanus Caſtellam invadit, & quo ſucceſſu? Lib. 1. à §. 78. ad 107.

Experientia multum valet in Conſiliis, Lib. 1. §. 182. 183.

Experimenta curioſa, & utilia, Lib. 1. §. 164, & Lib. 2. à §. 207. ad 220.

Ezechias librum Salomonis de plantarum uſu combuſſit, Lib. 3. §. 100. At quare? §. 102, & 244.

F

Facilitas aliquando in Principe laudabilis, Lib. 2. §. 151.

Fœderati, qui ſe habuerint in Regia acclamatione, Lib. 1. à §. 51. ad 58.

Fæminæ prima laus caſtitas, prima infamia impudicitia, Lib. 2. §. 74.

Fæminæ Ouguellenſis memorabile facinus, Lib. 1. §. 136.

P. Famianus Strada Societatis Ieſu, eximius de Bello Belgico Hiſtoricus, Prælog. §. 6. Illius elogium, Lib. 2. §. 116.

Farfacis nimia potentia, & execrandum facinus, Lib. 1. §. 275. De illo judicium Theod. §. 294. Lib. 2. §. 174.

Fatum non datur, ſed omnia divinæ ſubjacent voluntati, Lib. 1. §. 235.

Favor Regius eſt vitalis, Lib. 2. §. 71.

D. Ferdinandus Meneſius Comes Eyriceyrienſis Author Libri continentis vitam Seren. Ioannis primi à Theod. maximè commendatur, Lib. 1. §. 191. & 192. Idem Author elegantiſſima cenſura hujuſce libri, Lib. 3. §. 234.

Fidei Catholicæ zelus, Lib. 1. §. 419. Lib. 2. §. 111. Lib. 3. à §. 68. ad 79.

Fidei actus ſæpe repetiti, §. 5. 39. 47.

Lib. 1. à §. 279. *ad* 281. 425.

Fides data inviolabiliter maximè à Regibus ſervanda, Lib. 1. §. 303. 304. *Fides Regibus debita: in ea dubii, quomodo habendi? Lib.* 2. §. 60. *Fidem veritas parit, honor ſuſtinet, amor nutrit,* §. 108. *Fides omnibus, etiam hoſtibus ſervanda,* §. 122. 123. *Debet vitæ præferri,* Ibid.

Fiducia non in hominibus, ſed in uno Deo collocanda, Lib. 3. §. 243.

Finis, non initium probat victoriam, Lib. 1. §. 145.

Flagella Theodoſio familiaria, Lib. 3. à §. 156. *ad* 159. *Olim ſimiliter ejus Seren. Avo Theodoſio,* §. 159.

Flores. Illis Theod. frequenter ſuum Nazarenum Crucifixum ornare ſolitus, Lib. 1. §. 412. *Lib.* 3. §. 20. *Vlyſſipone perpetuò vernant,* Ibid.

Fortitudo maxima Conſiliario neceſſaria, Lib. 1. §. 181. *Prima viri laus, Lib.* 2. §. 74. *Se ipſum, & pravos affectus vincere ſumma eſt fortitudo,* §. 75, & 76. 77. 172.

S. Franciſcus Seraphicus Theodoſio per charus, Lib. 3. §. 37.

S. Franciſcus Xaverius, Vide verb. Xaverius.

S. Franciſcus Borgia. Illius apophtegma de juſtitia, Lib. 2. §. 59. *Illius devotiſſimus Theod. Lib.* 3. §. 37. *Illius de vita functis in Societate Ieſu vaticinium,* §. 68.

D. Franciſcus Tutavilla Dux S. Germani Theod. adventum Elvios feſtivo habitu celebrat, Lib. 1. §. 352.

D. Franciſcus à Mello Marchio Ferrarienſis. Ejus connubium, Lib. 1. §. 29. *Illius generoſum factum,* Ibid. *Varia de illo, prædictiones,* §. 35, & 58.

D. Franciſcus à Faro Comes Odemirenſis. Ejus cum Theod. recolendum colloquium, Lib. 2. §. 51, & 52.

Franciſcus à Mello Marchio de Sande. Illius de Sereniſſima Regina Aloyſia teſtimonium, Lib. 3. §. 92.

Franciſcus Barreto Pernambucum ab Hollandis extorquet, Lib. 1. à §. 454. *ad* 458.

Fr. Franciſcus à S. Auguſtino Tullius Luſitanus, Lib. 1. §. 249.

Franciſcus de Vaſconcellos ob inſignem pietatem Theodoſio acceptiſſimus, Lib. 3. §. 16, & 43. *Societati nomen dat, in eaque ſanctiſſimè vivit, & obit,* Ibid. *De illo,* §. 159.

Franciſcus Britto Freyre eximius Author Braſilicæ Hiſtoriæ.

Frequentia contemptibilis, Lib. 2. §. 151.

Fructus præcoces, & immaturi, qui cariùs imprudenter emuntur, Lib. 3. §. 161.

Fuga aliquando honeſta, & laudabilis, Lib. 1. §. 143.

Funus Theod. ſeptem presbyterorum millibus aſſociatum; centum ſæcularium millibus inſpectantibus lacrymabile, Lib. 1. §. 428.

G

Gallorum Luſitanis auxiliantium militaris virtus, Lib. 1. §. 86.

Generoſitas Theod. Lib. 1. §. 23. 41. 60. 79. 107. 319. 323. 333. 336. *Lib.* 3. §. 156.

S. Georgius Luſitanorum in præliis Tutelaris, Lib. 1. §. 87. *Illius auxilio victoria Montigienſis adjudicatur,* §. 154.

Georgius Cardoſo Luſitani Agiologii Author, Præloq. §. 17.

Gladiatoria Ars digna Principibus: in ea eximius Theod. Lib. 1. §. 128. *De portandis gladiis Theod. judicium,* §. 129.

Gladius mirabilis, & fatalis à Theodoſ. tentatur, Lib. 1. §. 164, & *Lib.* 2. §. 63.

Globuli precarii artificioſi, quibus Theod. numerabat actus Fidei, Spei, & Charitatis, Lib. 3. §. 5, & 223.

Gloria humana, divinaque appetitus, Lib. 2. §. 83. 86. 87. *Gloria vana ſervientes damnantur, Lib.* 3. §. 115. 116. *Ab illa multum alienus Theodoſ.* §. 132. 133.

Coniarupes flammas ſimul, & aquas eructans, Lib 2. §.63.

Gothica Hiſtoria conditur à Theod. Lib. 1. à §.268. ad 270.

Grammatica. In ea eximius Theod. Lib.2. §.14. & 15. & 16. De modo illam addiſcendi Theod. judicium, §.169.

Gratia divina baptiſmalis à Theod. intemerata perpetuò ſervatur, Lib.3. §.23. 24. 25.

Gratia Principum, Lib.2. §.26.27. Gratioſi an debeant Regi eſſe? §.133.134. Gratia Principum inconſtans, & fluxa, §.138. Virtuti maximè deferenda, Lib. 3. §.40.

Gubernator laudabilis, qui Anteceſſoris veſtigiis inſiſtit, Lib.1. §. 96. Gubernatores ultramarini conſultiſſimè à Theod. inſtruuntur, Lib.3. §.77. Ad eoſdem optima monita, §. 129.130. Vide verb. Proreges.

H

HÆreſes univerſas confutare ſtatuit Theod; Lib.2. §.31, & Lib. 3. §. 79, & 83. Lib.2. §.113. Hæretici plurimi Luſitanis auxiliares Orthodoxam fidem amplectuntur, Lib.3. §.75. Hæreticos libros comburit Rex ſeren, §. 83.

Henricus Infans Seren. Ioannis I. filius, primus Indicæ navigationis Author quem in eo æmulari maximè cupit Theod. Lib.1. §.192. Lib.2. §.19.

Henricus à Morle Dux Gallus ſtrénuam Luſitanis operam navat in prælio Montigienſi, Lib.1. §.139. & 149.

Hipparchi Regis præcellens dignitas, Lib. 2. §.49.

Hiſtoria, Otium, ac diuturnitatem exigit, Prælog. §. 2. Illius prima laus, veritas, §. 3. Politica, & prophana Religioſum ſcriptorem minimè dedecet, §. 6. An allegationes patiatur? §. 9. Non modo ſeria, & magna, ſed ludicra, & minima narret, Lib. 1. §. 108. Ejus lectio ad virtutem utiliſſima, §. 267. Ejus laudes, & utilitas; Theod. amabilis, Lib.2. §.17. Luſitana ex Tubale Iapheti filio, & Noemi nepote auſpicanda, §.28. Eam præſtantiori totius Europæ Hiſtorico Latino committere optat Theod. §. 29. 30. Gothicam, & Suecicam longiſſimè proſequitur, §. 30. Illius lectio ſupplet peregrinationem, ad prudentiam maximè utilis, §. 45. Hiſtoricæ leges, §. 115, & 116. Allegat Theod. à ſe conditas hiſtorias, §. 167. Quam pauci modò optimi Hiſtorici, §.170. Hiſtorici laudantes illaudabilia, vituperandi, Lib. 3. §. 116.

Hollandi primi omnium Legatos ad Cromuelem mittunt, Lib.1. §.275. Varias Luſitanæ ditionis ultramarinas Vrbes, & oppida capiunt, Lib.1. §.447. Pelluntur à Maranónio, & Inſula D.Thomæ, §. 447. ex Angola, §.448. Tandem ex Pernambuco, à §. 449. Forma denique pax cum illis ſtabilitur, §. 450.

Homo, non niſi ſapiens, Lib.2. §.9. Hominis prima laus, fortitudo, prima infamia, ignavia, §.74. Quis verè dicendus homo? Lib.3. §.183.

Honor. Ad Honoris templum, non niſi per virtutis Ædem aditus patet. Lib. 3. §. 41.

Horatius. Ejus ſatyras averſatur Theod. Lib.2. §.32.

P. Horatius Turſelinus Societatis Ieſu eximius Scriptor compendii hiſtoriæ univerſalis ab orbe condito, Lib. 2. §. 29.

Horologia elegantiſſima conficit Theod. Lib. 1. §. 109, 160. Ejus horologium artificioſum æquè, ac bellicoſum, Lib.2. §. 73. Horologium optimi Regiminis hieroglyphicum; §.134. Excitat Dei memoriam, Lib.3. §.5, & 152.

Horoſcopi varii à Theod. conditi, Lib. 1. §. 213. 397. Horoſcopus Theodoſii, §. 400. Sereniſſimorum Fratrum, & Sororum, Lib.2. §.27. Cur eorum, non verò Seren. Parentum horoſcopum confece-

fecerit? §.85.

*Humanitas, vel in ipſas feras commendatur, Lib.*2. §.70, & 71.

Humilitas, in recuſandis magnis honoribus maxima, Lib. 3. à §. 106. *ad* 110. *Reges,ac Principes maximè decet*, §. 111. *Illius elegans deſcriptio*, §. 112. *Theodoſ. humilitas., Lib.* 1. §. 247. 261. 273. 293. 417. *Lib.*2. §. 100, 102. *Lib.* 3. 89, & à §. 111. *ad* 122, & §.169.

Hypocriſis, à Theod. damnatur, Lib. 3. §.44.

I

FR. *Iacobus à Leyria Franciſcanus primus Principis Theodoſii Confeſſarius, Lib.*1. §.68.

Iaculatoriæ preces pro extremo conflictu à Theod. præparatæ, Lib. 1. §.402. 419. 422. *Aliæ ab illo frequenter uſurpatæ, Lib.*3. §.5. 6. 17. 167.

*Iejunium Theod. familiare, Lib.*3. §.161. *Lib.*2. §.11.

*Ieſus. Frequenter Sanctiſſimum hoc nomen uſurpat Theod. Lib.*3. §.17.

S. Ignatius Fundator Societatis Ieſu protector Seren. Regis, & Theod. Lib. 1. §. 208. *Quàm illi deferret Theodoſ. L.*3.§.59. *Illum in intellectuali obedientia imitatur Theod.* §.94. *Illius exercitiorum ſpiritualium Liber valde familiaris Theod.* §.171.

*Ignorantia etiam in ſapientibus reperitur, Lib.*2. §.166. 167. 168.

*Infelicitas humana. Ejus ſigna. Lib.*1. 55. *Lib.*2. §.223. *ad* 226. *Omnium ſumma qualis? Lib.*3. §.7.

*Infidelibus data fides à Regibus intuta, Lib.*1. §.36.

*Ingenium Theodoſii, Lib.*2. §.11.

*Ingratitudo, ſumma. Lib.*1. §.208. *Ariſtotelis erga Magiſtrum Platonem, Lib.* 2. §.34.

*Injuria remittenda, illarumque oblivio expetenda, Lib.*2. §.69.

*Innocentes protegendi adverſus potentiorum injurias, Lib.*2. §.71. & 136.

Inquiſitionis Sacrum Tribunal maximè ſuſpiciendum, Lib. 3. §. 73. *Ejus Elagium*, Ibidem. *Libros prohibitos non legit Theod. niſi raro, & impetrata venia*, §.83.

Invidia ex prænominatione, Proloq.§.13. *exitialis maximè in Conſiliariis; ejus incommoda, Lib.*1. §. 71. *In bello noxia victoriis*, §.358. *An etiam in avibus? Lib.*2. §.71. *Aulica invidia peſtilens aura*, Ibid. *Invidia ſoli nocet invido; invidendum altius elevat, Lib.*3. §.110.

S. Ioannes Evangeliſta præcipuo affectu à Theodoſ. colitur, Lib. 1. §. 70. 415. *Ejus imaginem moribundus Sereniſ. Sorori Ioannæ legat*, §. 416. *De illo, Lib.* 3. §. 77. *Erga illum ſingularis devotio utriuſque Theodoſii, & Avi, & Nepotis*, Ibid.

*Ioannes I. Luſitaniæ Rex X. Briganti ni Principatus Conditor, Lib.*1. §. 3. *Quomodo ſuos ante prælium adhortaretur?* §.87. *Ejus vita compoſita à D. Ferdinando Meneſio Camite Eyriceyrienſi Theodoſio dicata commendatur*, §. 192. *Ejus exemplum in pedeſtri itinere Theodoſ. æmulatur*, §. 393.

Ioannes II. Luſitaniæ Rex XIII. Ejus erga benemeritos eximius affectus, Lib. 2. §. 132. *Optimum ejus pro gratioſis apophtegma*, §. 133. *Eidem obtemperabant omnes, imperabat nemo*, Ibid. *Patria pater, & ſuorum amantiſſimus*, 139. *Luſitanos, ut filios habebat*, §. 141. *Antonomaſticè Homo*, §. 149. *Princeps perfectus Theod. judice, Lib.* 3. §.42.

*Ioannes III. Luſitaniæ Rex XV. ſuum palatium in publicum transfert Areopagum: & quas ibi juſſerit appendi effigies? Lib.*2. §.62.

*Ioannes IV. Luſitaniæ Rex XVIII. Theod. Parens, Lib.*1. §.3. *Eximius Vir-*

 ginis

ginis à Conceptione cultor, §. 15. *Regnandi incuriosus* , §. 27. *Eboram contendit Regio apparatu Marchioni Ferrariensi nuptias congratulaturus*, §. 30. *Plauſus, & obſequia illic ei exhibita* , §. 30, & 31. *Ejus induſtria in compeſcendis popularibus motibus* , §. 35, & 36. *Almadiam contendit ſummus armorum Arbiter, & quomodo ibi ſe geſſerit?* à §. 39. ad 47. *Singulari facilitate in militari epulo Luſitanorum Procerum ſibi animos devincit.*, §. 44. *Ejus Regiæ acclamationis cauſæ , initia, progreſſus , exitus* , à §. 43. ad 62. *Invisit Margaritam Mantuanam Regni Gubernatricem* , §. 45, & 46. *Adit Ulyſſipone Regnum eadem die, quo Conimbricæ Alphonſus I. Luſitaniæ Rex obiit* , §. 57. *Ter, ut olim idem Alphonſus I. Rex ſalutatur* , §. 61. *Præcipua illius, poſt initum Regnum regia cura*, §. 64. *Cur , & quo ſucceſſu primum Luſitanum exercitum in Caſtellam immiſerit?* à §. 78, ad 107. *Eboram iterum adit jam Rex; ibi excipitur , & aliquandiu moratur*, §. 80. & 81. *Ejus adhortatio ad Comitem Obidenſem primi exercitus Ductorem* , §. 87. *Raræ magnanimitatis edit exemplum* , §. 95. *Muſices , et ſolius Eccleſiaſticæ peritiſſimus, illique addictiſſimus*, §. 120. 124.

Theodoſium, cæteroſque Regnum Luſitanorum Primogenitos inſtituit Braſiliæ Principes, Brigantinoſque Duces, §. 156. *Feliciſſimus habitus* , §. 171. *Evidenti vitæ periculo divinitus eripitur*, à §. 193. ad 211. *Ejus magnanimitas, & ſummo in Deo fiducia*, §. 206. *Sacra Euchariſtiæ, ac Deiparæ à Conceptione ſtudioſiſſimus*, §. 207, & 209. *In templo Sancti Vincentii extra muros ſub Sacra Euchariſtia tumulum eligit*, 209. *Divinis beneficiis gratiarum Actor eximius* , Ibid. *Novum Apoſtolicorum miſſionum tribunal erigit*, 229. *Sereniſſimi Caroli Secundi magnæ Britanniæ Regis cauſa bellum ſuſcepit cum rebellibus Parlamentariis*, à §. 275. ad 311. *Quomodo ſe geſſerit cum Theodoſ. in expeditione Elvenſi?* à §. 312. ad 368. *Ejus genius , ac dotes* , §. 363. *Sexdecim annis à Theodoſio ante prædictis Luſitano ſceptro potitus eſt* , §. 398. *Summa ejus felicitas* , §. 461. *Iuſtitiæ obſervantiſſimus*, Lib. 2. §. 57. *Torturam in ſemipleno probatione adhibendam mordicus tuetur*, §. 64. & 65. *De illius devotione erga Deiparam à Conceptione, iterum*, Lib. 3. §. 35. *Ex Theodoſii convictu in virtutibus proficit.* §. 41. *Libros hæreticos flammis donat, igne regio manu adhibito*, §. 83. *De illius rebus geſtis , dotibus, & virtutibus elogium*, §. 90. & 91. *Ejus modeſtia, & judicium de Theod*, §. 220. *Variæ ipſius adhortationes. Vide verb. Adhortationes.*

Ioannes Quatuor Luſitani Reges hujus nominis, quibus ſuperſtitibus Primogeniti obiere, Lib. 3. §. 237.

D. Ioannes Auſtriacus filius Caroli quinti ad Militenſe bellum proſilit; cujus exemplo accenditur Theodoſius, Lib. 1. §. 314.

Ioanna Sereniſſima Luſitana prodigioſum funus eleganti elegia deſcriptam. Lib. 1. §. 221. *In ejus ingreſſu cœnobii Cometa, in obitu luna deficiens , quare?* §. 404.

Ioanna Sereniſſima Sorori prædicit obitum Theod. Lib. 1. §. 397. & 398.

Ioannes Rodericus Sa Meneſius Comes Cubiliarchus Regis Luſitaniæ Londini juſta Theod. perſolvit. Præloq. §. 16. *Ejuſdem militaris virtutis memorandum exemplum*, Lib. 1. §. 102. *Legatus in Angliam, cum Parlamentariis ſtabilitam pacem Theod. patrocinio tribuit*, §. 446. *Ejus de Theod. dotibus, & virtutibus judicium*, Lib. 3. §. 225. 226.

Ioannes Nonius à Cunha Indiæ Prorex Comes Sancti Vincentii, &c. Præloq. §.18.

Ioannes Fridericus Triſſendorfus. Illius elegans ad Theod. epiſtola, Lib.1. à §. 249. ad 252. De illo teſtimonia Theod. §.256. & 249.

P. Ioannes d' Almeyda Societatis Ieſu, prædicit Angolæ recuperationem, Lib. 1. §.448.

P. Ioannes Nonius Societatis Ieſu. Secundus Theod. Confeſſarius, Lib.1. §.68. Ab eo in maxima æſtimatione habitus, Lib.3.§.44. Diſſuadet Theod. conſilia ineundæ Societatis, §.63. Quam illi obediens Theod. §.103.

P. Ioannes de Buſſieres Societatis Ieſu. Eximius Gallicæ Hiſtoriæ, ac Floſculorum Hiſtoriarum ſcriptor, Præloq.§.6. & Lib.2.§.29.

Iram ne, an metum ſuperare difficilius? Lib. 2. §.74. & 75. Ira in certamine gymnico multum nocet, Lib.3. §.184. Sapientiæ officit, §.185. Irati hominis deſcriptio,§.186.

Iudices, quales optaret Theodoſius? Lib. 2. §.62.

Iuris prudentia oportet ut ſit nota Principi; Theodoſio ea fuit explorata, Lib.2. §.23. 54.

L

LApſis invidæ offenſionis cauſa in arte Malacæ ab Alphonſo Albuquercio collocatus, Præloq.§.13. Lapides innoxii ex prodigioſa ruina in funere Theod. Lib.1. §.439.

Latrones quomodo habendi? Lib. 2. §. 60.

Laus perennis, à Theod. in ſua Macariopoli jubetur, Lib.3. §.166.

Lectio ſpiritualis ad menſam, & ante cubitum Theod. ſolita, Lib.1. §.77. 419. 422.

Legationes variæ. Ad Romanum Pontificem Vrbanum VIII. Seren. Regis Ioannis IV. Lib.1. §.85. Ejuſdem ad Seren. Chriſtinam Sueciæ Reginam, §. 255. Ejuſdem ad Carolum Stuardum magnæ Britanniæ Regem, §. 276. Regum Europæ ad Cromuelem, §. 275. Caroli Secundi magnæ Britanniæ Regis ad Sereniſ. Ioannem IV. Luſitaniæ Regem, §.277.

Leges obſervandæ à Principibus, Lib.2. §. 54. 55. Legum multitudo præcidenda, §.62, & Lib.3. §.82.

Liberalitas. Optima pro illa axiomata, Lib. 2. §.98, & 99. Liberalitas Theodoſii, Lib. 1. §. 24. 189. Lib. 2. à §.94. ad 105, & §.109. 324. 335.

Libri optimi omnium Conſiliarii, Lib. 1. §. 184. Spirituales præ omnibus Theodoſ. voluptuoſi, Lib. 2. §. 25. Libri, quibus Theodoſ. afficeretur, vel adverſaretur, §. 32. 33. 34. Libri cujuſdam folium rumpit, & quare? §. 59. Libri qui Theod. jucundiores, §. 113. Hæretici vel refutandi, vel cremandi, §. 83. Ab impudicis abſtinendum, §. 153. Libri ſpirituales, quibus frequentius uteretur Theod. Lib.3. §.171.

Linguarum peritia inſtructus Theod. Lib. 2. §. 15. Latina, Græca, Hebræa præcipuæ fuere, Ibid. *Lingua cordi concors, §.119.*

Litania Lauretana, ac Sanctorum quotidie recitantur à Theod. Lib.3.§.35. & 37.

Lites ne diutius protrahantur adhibendum remedium, Lib.2. §. 62.

Lucanus maximi æſtimatus à Theod. Lib. 2. §.32.

B. Ludovicus Gonzaga. Ei ſimillimus Theodoſius, Lib.1. §.17.

Ludi honeſti, & ludicra oblectamenta etiam ſummos viros decent, exemplo Scipionis, Lælii, & Socratis. Lib. 1. §. 108. Aliter dedecent, Ibid. *Quibus indulſerit Theod. adhuc puer? à §.109. ad 126. Quibus jam adoleſcens? à §.127. ad 130. A quibus abhorreret? §. 132.*

Ludovicus à Souſa, Author Tumuli

Theod. Praloq. §.15. *Occaſio illius condendi, & quotannis exequias celebrandi*, Lib. 1. §.435.

D. Ludovicus Meneſius Comes Eyriceyrienſis Author Hiſtoria Luſitania reſtaurata, Praloq. §.19.

Luna deficiens ante obitum Theodoſ. Lib. 1. §. 403. 404. *Similiter in obitu Sereniſ. Ioanna Principis*, Ibidem.

Luna promontorium Luſitanum oppidum, vulgò Sintra, ejus deſcriptio, Lib. 3. §. 6.

Lupus à Siqueyra Dux ſtrenuiſſimus à Theod. mirificè commendatus, Lib. 1. §.333.

Luſitania Caſtella Regnis undique contermina, & quibus? Lib. 1. §.78. *Confertur Caſtella*, §. 514. *Luſitana Monarchia amplitudo, & excellentia*, Lib. 2. §.28. *Ejus initium à Tubale Iapheti filio, & Noemi nepote*, §.28. *Luſitania hortus deliciarum Chriſti D.* Lib. 1. §.443.

Luſitani. Eorum glorioſus genius, Praloq. §.13. *Appellantur meritò Hiſpani*, Ibid. *Eorum in Vrbe militaris memoranda virtus*, Lib. 1. §. 86. *De Luſitanorum virtute memorandum Domini Lanielis Galli teſtimonium*, §. 90. *In maximis adeundis periculis eorum certamen*, §. 91. & 92. *Cur Luſitani adeo, facilè Caſtellanum idiomo, è contra Caſtellani Luſitanum adeo difficilè uſurpent?* §. 152. *Eorum modeſtia; erga Romanam Sedem veneratio; erga Divinum cultum liberalitas.* §. 110. *Eorum genius*, §. 357. 358. 386. *Pravalebunt hoſtibus, quandiu apud illos divinus amor, ac timor pravalebunt*, §.397. *Luſitanorum Regum proprium Catholicam fidem evulgandam curare*, §.419. *De illorum bellica virtute Coloneli Flandobelgici teſtimonium*, Lib. 2. §.80. *Diu Roma patiuntur aquanimiter repulſam; quam venerabũdus excuſat Theod.* Lib. 3. §.72. *Luſitanorũ Regũ ſeries, nomina, & peculiares virtutes*, §.225. *Luſitanis ſe propitium fore perpetuò, pollicetur Deus*, §. 241. *Vult ab illis reportatas victorias, ſibi uni tribui*, §.243. 244. *Eorum illuſtriores. Vide verb. Victoria. Hiſtoria Luſitana. Vide verb. Hiſtoria.*

M

Macariopolis, ideſt, Civitas beata à Theod. condita, Lib. 1. à §.243. ad 252. *Libri hujuſce praſtantia*, à §. 245. ad 252. *Mittitur ad Seren. Chriſtinam Suecia Reginam., ab eaque maximi aſtimatur*, à §. 260. ad 266. Lib. 2. §.31.

Macariopolitani cives hujus Vrbis, Lib. 1. §. 249.

Macariotides liber à Theod. compoſitus, Lib. 1. §.267, & Lib. 2. §.31.

Magiſter multùm diſcit docendo, Lib. 2. §. 73. *Magiſtri ùt parentes amandi, & venerandi*, Lib. 3. §.96, & 97.

Magnanimitas. Ejus natura, Lib. 2. §. 83. *Ab illa magni aliqui appellati*, Ibidem. *Maxima in Theod.* Lib. 1. §. 25. 26. Lib. 2. §. 10, & à §. 83. ad 93.

Magnates in vitiis, vel virtutibus minima non habent, Praloq. §.7. & 8.

Magnes. Ejus ope tentat Theodoſ. mirabile inter abſentes colloquium, Lib. 1. §.164.

Mahometis oſſa conatur Alphonſus Albuquercius è ſepulchro extracta Goa comburere, Lib. 2. §.90. *Mahometani cujuſdam converſio Theod. induſtria*, Lib. 3. §.74.

Majeſtas. Illius natura, & munus, Lib. 2. §.149. *Qualis in Theod.* Lib. 2. à §. 148. ad 151.

Manſuetudo, Lib. 3. §.185. *In Theod.* Lib. 1. §.13. 130. 16. 163. Lib. 2. §.58, & à §.63. ad 71.

Maranonium capitur, & amittitur ab Hollandis, Lib. 1. §.447.

Marchionis de la Puebla prudens ſententia, Lib. 1. §.46.

Marchio Fontanenſis Chriſtianiſſimi Regis Legatus ſuos pro Luſitanis adverſus Caſtellanos Romæ adhortatur, Lib. 1. §. 85, & 86.

Marchio Torrecluſæ præficitur armis Caſtellanis, jubetque Ouguellam Luſitanum pagum oppugnari, Lib. 1. §. 136. Idem Molinguenum Baronem Luſitanis copiis objicit, §. 137.

Marchio Vellenſis Legatus Catholici Regis aggreditur manu armata Epiſcopum Lamecenſem Legatum Seren. Regis in Urbe; quo ſucceſſu? Lib. 1. §. 85, & 86.

S. Margarita prope Cetobricam, antrum à mari ad inſtar templi excavatum, Lib. 2. §. 154.

Margarita Mantuana Luſitaniæ Gubernatrix inviſitur à Sereniſ. Ioanne, Lib. 1. §. 45. Illius querulæ voces, §. 46. Hortatur, at fruſtra, Fæderatos; à quibus honeſta cuſtodia committitur, §. 54. Imperat Præfecto Ulyſſiponenſis Arcis, ne in ſubjectam Urbem detonet; mox ut Arcis faciat deditionem, §. 56.

Maria Virgo. Vide verbum Deipara.

D. Mariana ab Alencaſtro Principis Theod. maxima Nutrix lepido artificio evicta propalatur, Lib. 1. §. 67.

Mathematicæ ſcientiſſimus Theod. Lib. 1. §. 161. 162. 165. 166. Mathematicæ addiſcendæ aulam Elviis erigit, §. 339. Hujus ſcientiæ præſtantia, utilitas, & in ea Theod. excellentia, Lib. 2. §. 19. 20. 24. 27.

Mathias Albuquercius, primo Luſitano exercitui præficitur, Lib. 1. §. 95. Ejus præclarè res geſtæ in multiplici oppidorum, & arcium expugnatione à §. 96. ad 105. A Rege pro re præclarè geſta dignis honoribus afficitur, §. 105. Ejuſdem iterum Luſitanis armis Præfecti memorabiles res geſtæ, maximè in Montigienſi prælio, à §. 137. ad 155. Ibi ſuos adhortatur, §. 138.

Medicina mirabilis conficitur à Theodoſ. Lib. 1. §. 164. Illius fuit gnarus Theod. Lib. 2. §. 23.

Medici optimi munus, Lib. 1. §. 180. Medicorum laudes, & objecta contra illos oppoſita, à §. 194. ad 197. Medicos defendit Theod. Lib. 2. §. 121. Medicis deferendum, & obtemperandum, Lib. 3. §. 88. Pro illis, & contra illos argumenta, à §. 99. ad 102.

Memoriæ artem, cuidam promittenti reſponſum, Lib. 2. §. 69.

Mendacium Diabolicum, & ſervile vitium, Lib. 2. §. 110. Malitiæ extrema linea, §. 118. Fortes debilitat, in belloque creberrimum, §. 122.

Metum ne, an iram difficiliùs ſuperare? Lib. 1. §. 74. & 75.

S. Michaelis effigies ænigmatica à Theod. depicta, Lib. 1. §. 84.

D. Michael Portugallenſis primus ad Urbem legatus, ejuſque cum Marchione de los Velles congreſſus, Lib. 1. §. 84. 85. 86. Hortatur ſuos ad rem ſtrenuè agendam adversùs Caſtellanos, §. 86.

Michaelis à Vaſconcellos infelix exitus, Lib. 1. §. 52. & 53.

Miles. Cujuſdam gregarii memoranda virtutis exemplum, Lib. 1. §. 101. Milites ſtrenui duplicato ſtipendio remunerantur, 136. Militares quanti fecerit Theod; cæteriſque, honoribus, & præmiis præferendos dixerit, §. 320. 321. 322. Militarium erga Theod. amor, §. 223. 224. Militibus maximè omnium, deferendum, Lib. 2. §. 49. Illis præmia, & honores conferantur, §. 80. Militaria vel in pueritia Theod. exercitia, Lib. 1. §. 82, & 109. Ejus militaris virtus, Lib. 2. à §. 72. ad 82. Monarchia tandiu viget, quandiu in ea militarium maxima ratio habetur, Lib. 1. §. 322.

Minima in virtutibus, vel vitiis minimè ſpernenda, Præloq. §. 7. & 8.

Miracula à prudente non expectanda, Lib. 2. §. 34.

Miſſiones Evangelicæ ultramarinæ. Earum tribunal erigit Seren. Rex Confeſſariumque ſuum illi præficit. Lib. 1. §. 329. Commendantur ab eodem mori-

bundo Confeſſario Seren. Reginæ Gubernatrici, §.233. 237. *Commendantur à Theod. Seron. Parentibus*, §.417. *Miſſionarii maximè ſocietatis indulgentiſſime à Theod. habiti*, *Lib*.3. §.77. *Commendantur ab eodem Gubernatoribus ultramarinis*, Ibid.

Molinguenus Baro movet contra exercitum Luſitanum, *Lib*.1. §.137. *Suos adhortatur*, §.138. *Poſt magnam illatam, majorem acceptam cladem Talaveruelam redit*, §.140.

Monarchia tandiu viget, quandiu militarium ratio habetur, *Lib*.1. §.322. *Monarchias delicia everterunt*, *Lib*.3. §.162.

Montigenſe prælium. *Lib*. 1. à §. 136. ad 155.

Mora in ſcribendo excuſabilis, vel laudabilis, *Praloq*. §.2.

Morbi, non ex ſapientia, vel virtute, ſed ex inſipientia, vel vitiis orti, *Lib*.1. §.388 *Ex dolore vel mæſtitia*, Ibid. *Eorum maximè in magnatibus magna utilitas*, §. 407. *Lethalis morbi ſignum*, *Lib* 3. §. 186. *Illius remedium à Deo in primis ſperandum*, §.100, & 244.

Mortis contemptus, ac deſiderium in Theod. *Lib*. §.411.412.413.419. *Mortis rite obeundæ paradigma*, à §.407 ad 425 *Mortem non timere, genus fortitudinis*, §.84, & *Lib*.3.4.7. *Artem bene moriendi curioſè inquirit Theodoſ*. §.86. *Mortis deſiderium*, §.247.

Mortificationes, *Lib*.3. §.161.

Motus perpetuus artificialis ſtudioſè inquiritur à Theod. *Lib*.2. §.91.

Mundi quatuor plagæ, Europa, Africa, Aſia, America propriis inſignibus ſpectabiles Theod. obitum deplorant, & virtutes expanunt, *Praloq*. §.15. *Illius contemptus*, *Lib*.1. §.166.167.419.

Munimenta Regni à Theod. capta, vel promota, *Lib*.1. §.383.384. 395.

Muſica Theod. & magnis viris familiaris, *Lib*.1. à §.120 ad 124. *Muſicum inſtrumentum ſympaticas chordas habens*, §.120. *Aliorum judicium, Muſicam magnos viros minimè decere*, §. 125. 126. *A Iubale inventa*, §.121. *Ejus laudes*, §. 121. 122. 123. *Muſica quæ optima, quave peſſima?* *Lib*.2. §.121. *Inter muſicos optat Theod. divinas laudes celebrare*, *Lib*. 3. §. 33. *Muſices Eccleſiaſticæ peritiſſimus Rex Ioannes*, *Lib*.1 §.120. 124.

Myſtologia. *In ea ſingularis Theod*. *Lib*. 2. §. 25.

N

Navigationis ab Oriente in Occidentem cortæ ratio ſedulò à Theod. inveſtigatur, *Lib*.2. §.91.92.

Nilum alio deflectere cogitat Alphonſus Albuquercius, *Lib*.2. §.90.

Nobilitas vera qualis? *Lib*.1. §.333.340. *Ejus tantùm in adminiſtranda juſtitia, non habenda ratio*, *Lib*. 2. §. 60. *Nobilium propria veritas*, §.109. 110. *Nobiles optimi, maximi faciendi*, §. 128. *Mutuus inter eos; ac Regem amor, magni quidem eſt momenti*, §. 128.

Nomina glorioſa quando promenda? *Praloq*. §.13. *Nomina nihil felicitatis, vel infelicitatis in ſe habent*, *Lib*.3. §.237. & 238.

Nonius Alvarus Pereyra Brigantini Principatus Conditor, *Lib*. 1. 4. 3.

Nox. *Qui nocturna, diurnaque tempora invertunt*, *Lib*.2. §.147.

Numerus memorabilis luminum, & concurſus ad funus Theod. *Lib*.1. §.429.

O

Obedientia, *Lib*.3. à §. 80. ad 110. *Illius cum fide ſimilitudo*, §. 80. *Theod. obedientia divinis præceptis*, §. 80. *Eccleſiaſticis, & civilibus*, §.85. *Parentibus*, *Lib*.1. §.109.365.367. *Lib*.3. à §.84. ad 89. & 142. *Magiſtro*, *Lib*.1. §. 78. 164. 212. 213. 216. *Lib*.3. §.96.97. *Medicis*, *Lib*.1. §.410.419. *Lib*.3. à §. 98. ad 102. *Confeſſariis*, *Lib*.3. §.103.

Obli-

Oblivio aliquando memoria potior, Lib.2. §.69.
Obſcuritas in ſcriptis damnabilis, Lib. 2. §.34.
Obſervantiæ militaris memorandum exemplum, Lib.1. §.95.
Obſervationes in Theod. vitam, obitum, & virtutes, Lib.3. à §.118. ad 218. Vide verb. Teſtimonia, & verb. Elogia.
Oculi ſunt cordis ſpeculum, Lib.1. §.136.
Occupatio Regia, Opuſculum à Theod. conditum, Lib.1. §.242.243. Lib.2. §.37.
Odium amore impotentius, Lib.1. §.179. An à veritate oriatur? Lib.2. §.108.
Odores, quos probaret, improbaretve Theodoſ. Lib.3. §.162.
Oeconomus Regius. Ejus in Regia domo præcellentia, Lib.2. §.50.
Offenſiones. Eas remittere clementis Principis eſt, Lib.2. §.67.68.69.
Officium Divinum. A quo tempore illud recitare cœperit Theod? Lib.3. §.34.
Officium Deiparæ. Quo ætatis ſuæ anno illud recitare cœperit Theod? Lib.3. §.34.
Opera literaria à Theod. compoſita. Compendium Grammaticæ breviùs addiſcenda, Lib.1. §.160.161.162. Compendium Aſtrologiæ, & Aſtronomiæ. §.165. 167. Inſcriptio inciſa frontiſpicio templi à Seren. Regina conditi, §.111. Regia occupatio, §.240.241. Macariopolis, ideſt Civitas beata, Ibid. *à §.243. ad 252 Aureum ſæculum, 244. Macariotides, ideſt Regnum beatum. §.267. Hiſtoria Gothica, & Suecica, à §.268. ad 270. Hiſtoria generalis ab orbe condito, §.271, & Lib.2. §.29. & 30. Emendatio, ſive reformatio, Lib.1. à §.272. ad 274. Politica controverſia pro Palatinis Principibus, à §. 275. ad 311. Oratio, quam compoſuit Regni Archiſtategus renuntiatus, Lib.1. §.379. Tractatus de Mathematicis diſciplinis, Lib.2. §.27. Opera Philoſophica, §.30. Ejuſdem Epiſtola, Apologi, Hieroglyphica, Emblemata, Horoſcopi. Vide verb. Epiſtola, Apologi, &c*
Opera varia literaria, Theodoſio gratiſſima offeruntur, Lib.1. à §.191. ad 198.
Opportunitas attendenda, Lib.1. §.183.
Optimatum Luſitanorum virtus, & exempla militaria, Lib.1. §.100. Eos ſapientes eſſe optabat Theod. §.136. Solis optimatibus fidelibus committenda magni momenti ſecreta, §. 178. Vulgò mortis immemores ſunt, §.216. Illos benevolos habere oportet, §.329. Eorum in adminiſtranda juſtitia ratio non habenda, Lib. 2. §. 60. 62. Optimatum elogium, §. 128. Mutuus inter eos, & populares amor, §. 136. Stellis ſimiles, Ibidem.
Oppugnationes variæ Vrbium, arcium, & oppidorum, præclaraque inibi res geſta Oppidi Valverde, Lib.1. §.90, & 91. Pacis Auguſtæ, à §.92. ad 95. Albofeyra, Turris, & Almendral, §.96. Alconchel, §.96, & 97. Chelles, & Figueyra de Vargas, 98. Villa nova del Freſno, à §.99. ad 104. Membrillo, Salorim, & Villanova de Barcarrota, §.137. Villar d'El-Rey, Maſſanete, Ibid. *Montigium, & Povoa,* Ibid. *Oliventia, & Mouranum, §.461.*
Oquendi claſſis tempeſtate disjecta, Lib.1. §.36.
Oratio à Theod. compoſita, Lib.1. §.379. Alia à S. Xaverio, Lib.2. §.39. Præſens adverſus omnia vitia, maximè venerea amuletum, Lib.3. §.154. Quomodo poſſit eſſe aſſidua? 155. 156. 157. Victoriarum origo, 174. Orationes vocales quotidie à Theod. recitari ſolita, §. 175. 176. Oratio ad comparandas ſcientias plurimùm valet, §.177. Ad orationem Theodoſ. ſtudium, & aſſiduitas, Lib.1. §. 338. 387-394. Lib.3. 37.38. 39. & à §.164. ad 177.
Oſwaldo Britannorum Rege dignus non erat mundus. Lib.3. §.240.
Otium utile, & ignavum aliquorum, Lib. 1. §.108. Ignavi otii damna, Lib.3. §.152.
Ouguella oppidum Luſitanum ſtrenuiſſimè reſiſtit, Lib.1. §.136.

P

Palatini Principes Robertus, & Mauritius à Theod. impensè, omnimodèque foventur, & proseguntur, Lib.1. à §.275. ad 311. & Lib. 2. à §.173. ad 192. Summa eorundem fidelitas, §.285. De iiſdem, & eorum claſſe; à §.174. ad 192.

Palatium ſub Theod. virtutum, & ſcientiarum aula, Lib.1. §.249.

Papilio prodigioſus ante obitum Theod. Lib.1. §.437.

Paralella exempla varia, Lib. 1. §. 9. 12. 13. 17. 18. 22. 26. 28. 31. 34. 36. 41. 44. 49. 50. 53. 57. 60. 61. 77. 83. 88. 89. 108. 149. 153. 166 172. 175. 176. 192. 213. 235. 337. 340. 341. 356. 361. 377. 379. 380. 383. 384. 386. 393. 400 404. 406. 410. 413. 418. 424. 429. 437. 483. 487. 493. 499. 517. Lib. 2. §.2. 3. 6. 27. 36. 37. 43. 50. 52. 58. 59. 62. 63. 67. 69. 72. 73. 74. 83. 84. 87. 100. 102. 111. 126. 133. 137. 140. 149. 151. 152. 179. Lib. 3. §.23. 28. 29. 30. 33. 34. 38. 41. 43. 46. 55. 60. 66. 67. 76. 77. 108. 108. 111. 114. 119. 123. 135. 136. 138. 139. 158. 172. 179. 219. 225. 227. 228. 230. 231. 241. 244. 248. Vide verb. Similitudines.

Parlamentarii Anglici ſub Carolo I. Lib. 1. à §.275. ad 311.

Paſcoalis à Coſta Dux Ongnellenſis ob egregiam Oppidi propugnationem à Seren. Rege remuneratur, Lib. 1. §.136.

Patientia, quam cæteri triumphi glorioſior Lib.2. §.37. 145. Theod. patientia, Lib. 3. §.184. 185. 186. Patientiæ encomia, §.185.

Patriæ amor etiam cæleſtes tangit, Lib.1. §.516.

Patrocinium Theod. erga illud implorantes, Lib.1. §.444. 445.

Pauci Galli, & Luſitani plurimos in Vrbe ſuperant Caſtellanos, Lib. 1. §. 86. 89. Alibi 136. Pauci plurimis conferuntur, §. 515. 516.

Paupertas religioſa, ejuſque typus, Lib. 3. §.131. 132. 133.

Pauperum, & miſerabilium commiſeratio, Lib.2. §.136.

Pax cum Anglis firma, Lib. 1. §. 447. 448. Cum Hollandis firma tandem cum iiſdem, §.450. Armis, & militari potentia conſervanda, Lib.2. §.49.

Pax Auguſta tentatur ab Obidano exercitu, Lib.1. §.94. 95.

Peccatum veniale. Illud vitare Theodoſ. ſtudebat, Lib.3. §.25. 143.

Peccatum mortale, ſumma omnium infelicitatum, Lib.3. §.7. Ejus gravitas, & indignitas, §.22. Ab omni fuit immunis Theod. §.25. Neſciebat qui poſſet aliquis illius reus placido ſomno indulgere, Ibid. & §.143.

Pelicanus veri amoris typus, Lib.2. §.139.

Pernambucum ab Hollandis capitur, Lib.1. §.449. Ad illius reſtaurationem fruſtra nititur potentiſſima claſſis, §. 449. Recuperatur tandem, Ibid.

Perſeverantia. Coronat victoriam, Lib.1. §.145. Illius laudes, Lib.3. §.187. Theod. perſeverantia, Ibid.

Petri Seren. noſtri Principis ortus, & baptiſmus, Lib.1. §.198.

Petrus Pueros deſignatur Theod. Magiſter; quinam, & cujas is fuerit? Lib. 1. §. 66. A nimietate ſtudendi Theod. avocare ſtudet; ſed fruſtra, §.174. Ejus elogium, à §. 212. ad 216. Quam ſubjectus illi fuerit Theod. §. 212, & 213. Epiſcopus Egitanenſis deſignatur, §. 216. Ejus obitus, & ſepulchrum, Ibid. *De eodem, Lib.2. §.12. 46. 98. 99. & Lib. 3. §. 42. 87. 96. 97. 175. Variæ ad Theod. ejuſdem adhortationes. Vide verb. Adhortationes.*

Petrus Jaquius Magallanus ſocialis claſſis Præfectus ad Pernambucum recuperandum ſedulam, & ſtrenuam confert operam, Lib.1. §.450.

Philippi Secundi Regis Caſtellæ prudentia in ſeligendis miniſtris, Lib. 2. §.134. Mors filiorum ejus, ac de illa judicium Lib.3. §.239.

Philippi

Philippi Quarti Regis Caſtellæ prudens conſilium, Lib. 1. §.33.

*Philoſomia Theod. Lib.*3. §.129.

*Philoſophia. Eam didicit Theod. abſque ullius magiſtri ope, Lib.*1. §. 217. *Scientia Principe digna, in qua Theod. famigeratus, Lib.*2. §.21, & 22. *Philoſophica opera condita à Theod.* §.30.

*Pictura Infantis Alphonſi à Theod. eleganter delineata, Lib.*1. §.83. *Alia ab eodem D. Michaelis ænigmatica,* §. 64. *Eſt poeſis muta,* §.109. *Ejus laudes,* Ib.

*Pietas Theod. erga Deum, Deiparam, Cælites, ac res ſacras, Lib.*1. à §.18. ad 21. & 169. 170. 338. *Lib.*3. à §.32. ad 39.

*Pigmei cujuſdam extraordinarii deſcriptio, Lib.*1. §.163.

*Piſces omnigenos nauſeante ſtomacho Theod. averſatur, Lib.*3. §.161.

Poeſis eſt pictura loquens, Lib. 1. §. 109. *Poetica ediſcenda, grataque Theod. Lib.* 2. §. 16.

*Politica peritia, qualis optima, & unde haurienda? Lib.*2. §.18. *In ea eximius Theod.* Ibid. *Vera, & falſa,* §.15, & 16. *Politici noſtri ævi nonnulli Atheiſtæ,* §.172.

Pomum quodnam omnium ſapidius? Lib. 2. §.119.

*Pompejo nemo alio minus, nemo gloriam magis concupivit, Lib.*2. §.83.

*Populares. Mutuus inter eos, & nobiles amor Monarchiæ ſtabilimentum, Lib.*2. §.1.135. *Arenis ſimiles,* Ibid.

*Potentia nimia in tyrannidem vertitur, Lib.*2. §.171.

*Preces. Quod precibus impetratur, carò emitur beneficium, Lib.*2. §.164.

Præcepta legalia Hebræis olim impoſita fuere, 583. *vel* 613. *Lib.*3. §. 82. *In lege gratiæ unicum tantùm præceptum,* Ibid.

*Prædictiones memorabiles. Eleonoræ Rodrigues Eborenſis, Lib.*3. §.36. 55. 58. *Theodoſii,* §. 83. 89. 282. 294. 301. 305. 309. 364. 366. *Alia à* §. 397. *ad* 402. 411. 412. 507. 514. *Lib.* 2. §. 123. 142, 176. 177. 183. *Lib.*3. §.44. 68. 72.

Prælium Montigienſe, Lib. 1. à §.136. *ad* 155.

*Præmia in quos, & quomodo dividenda? Lib.*1. §.321. 322. *Lib.*2. à §.55. *ad* 58. *An liceat prætermiſſis dignioribus, ea dignis conferre?* §.56.

*Præſcriptio non valet contra veritatem, Lib.*2. §.108.

*Præſepii natalitii veneratio, Lib.*3. à §.12. *ad* 16.

Princeps ex virtute, ac ſapientia perfectus dicitur. Prælog. §.11. *Illi domo exeundum aliquando, Lib.* 1. §. 28. *Quanti interſit, ut ſit optimus,* §.63. 64. *Illius magna laus ex bona optimorum electione,* §.218. *Ipſius exemplum efficax ad publicam reformationem,* §.240. *Oportet ut ſit ſapiens,* §. 141. *Ut in armis verſetur, à* §.355. *ad* 362. *Principum obitum prodigiis prænuntiat Deus; & quare?* 396. *Princeps an debeat eſſe nimis ſapiens? Lib.*2. §. 35. 36. *Oportet eſſe bellicoſum,* §.36. & *in armis verſari,* §.41. *Boni, ac mali diſcrimen,* §. 50. *Iuſtitiam colat, legesque obſervet,* 54. 55. *Quomodo diſtributivam juſtitiam exercere debeat? à* §. 56. *ad* 58. *Quomodo punitivam?* 59. & 60. *Aliquando per ſe ipſum cauſas, maximè magnatum judicet,* §. 62. *Principi omnes obærati ſint, ipſe nemini,* §. 102. *Illius verbum æquipolleat aliorum juramento,* §.106. *Veritas illius præcipuum ornamentum,* Ibid. *Illius verbum ſcriptura firmius,* §. 123. *vide verb. Reges.*

Problemata politica, & militaria. De prælio Montigienſi, à §.136. *ad* 155. *De jure ſucceſſionis primogeniti,* §.167. 168. *De optimo Conſiliario,* §.177. 185. 244. *De ira, & metu, Lib.*2. §.74. 75. 77. *Vide verb. Controverſia.*

*Prodigalitas abſit à Principibus, Lib.*2. §. 97. 98. 105.

*Prodigia ſuſpicienda. Crucifixi in die Regiæ acclamationis dextram è Cruce refigentis, Lib.*1. §.55. *Alia plura eodem die,* §.53. *Alia paucis poſt diebus,* §.57. 58. 61.

58.61.154. Alia § 201. 202. 221. 238. Varia ante obitum Theod. à §. 403. ad 406. Item §. 425. 429. Poſt ejus obitum, à §.436. ad 445. Item 451. 480. 481. 482. 484. 499.

Proditores, quo ſupplicio afficiendi? Lib.2. §.60. Arcis, vel ſecreti proditores, Ib.

Pro reges ultramarini conſultiſſimè à Theodoſ. inſtruuntur, Lib. 3. §.77. Vide verb. Gubernator.

Prudentia ejus definitio, diviſio, munus, laudes, Lib.2. §.43. In puero, & adoleſcente difficilis, §.44. Ad eam comparandam multum juvant memoriam, uſus, & peregrinatio, §.45. Prudentia Theod. in continendo ſecreto, Lib.1. §. 50. In cæteris ejuſdem maximis, à §.171 ad 176. 272. à §. 325. ad 329. 338. 387. 422. Lib.2. à §.43. ad 53. In amando, §. 126. 127. 135. Lib.3. §.8. Vide verb. Apophtegmata, & verb. Axiomata.

Pueritia laudabiliter exercenda, Lib.1.§. 82. Rarò in illa prudentia invenitur, Lib.2. §.44.

Pulchritudo humana brevis, & quia caduca, deſpicienda, Lib. 3.§.6.

Pulvis ſympaticus conficitur à Theod. Lib. 1. §.164.

Purgatorium. Animabus in eo agentibus auxiliatur Theod. Lib.2. §.138, & Lib. 3. §.175.

R

RArum æſtimabilius, Lib.2.§.151.

Rationis in agendis unicè habenda eſt ratio, Lib.1.§.387.

Raymundus Lullius. Theod. de illo judicium, Lib.2. §.161.

Reformatio morum à Theod. impensè curatur, Lib.1. à §.239. ad 252. & à 260. ad 274. 385. 386. Lib.2. à §.156. ad 172. & à §.221. ad 227.

Reges vulgò non honeſtum, ſed utile attendunt, Lib.1.§.275. Lib.2. §.125. Vni gratioſo omnia ne deferant, §.133.134. Eorum gratia, ut plurimùm inconſtans, & fluxa, §.138. Arctiſſimi ſunt regiæ potentiæ termini, legum vinculis conſtricti, §.149. Bonos amore, malos odio proſequantur, Lib.3.§.41. Ne ſe Religioſis, & Eccleſiaſticis cauſis immiſceant, §.45. Divinis pareant præceptis, ut ſuis habeant ſubditos obtemperantes, §. 80. Reges maximè decet generoſa humilitas, §.111. 121. Quomodo uti, non abuti divitiis debeant, §.126. Reges, ac Principes nonnulli, qui ſe religioni, & virginitati perpetuò devovere, Lib.3. §.121. 147. Reges oportet ſemper orare, §.164. Vide verb. Princeps.

Regni cujuslibet ſtabilimentum, & felicitas, juſtitia, Lib.2.56.57.

Religioſi viri aſſidui Theod. in ſupremo agone, Lib.1.§.418. Eos quàm amarit, & indulgenter habuerit Theod. Lib.3. 45. ad 48, & à §.49. ad 67. Secularibus negotiis non implicandi, §.45. Sint plures, & pauciores, Ibid.

Reliquiæ ſacræ ad ægrotantem Theod. adducta, Lib.1.§.410.

Renovatio votorum bis quotannis in Societate Ieſu fieri ſolita à S. Xaverio, & Theod. quotidiana repetitione redditur commendabilior, Lib.3. §.76.

Rhetorica. Ejus utilitas, & in ea Theodoſ. excellentia, Lib.2. §. 16. 26. Ejus laudes, §. 170. Quàm pauci Rhetores optimi.

Robertus Princeps Palatinus Anglicæ claſſis Architalaſſus, Lib.1. §. 277. Illius cum Theod. familiares ſermones, §.279. 280.281. De illo, illiusque claſſe, Lib.2. à §.174. ad 192. Ejus elogium à Theod. §.182. Ejus defenſio, à §.181. ad 190.

S. Rochus protegit Seren. Regem, ac Theod. Lib.1. §.208.

D. Rodericus à Cunia Vlyſſiponenſis Archipræſul prodigioſum Crucifixum præ ſe fert, in die Regiæ acclamationis, Lib. 1. §. 55. Quanti ejus virtutes faceret Theod. Lib.3. §. 42.

Roma. Ibi maximè Caſtellani prudenter ſatagunt ſuæ potentiæ formidabilem opinionem ſtabilire; cura Lib. 1. §.414. Vrbs hæc orbis caput, Ibid. A Luſitana femi-

fœmina, quæ Roma dicebatur nomen accepit octingentis ſeptuaginta tribus ante Romulum annis, Lib.3.§.72. Romana Sedes, ſive S. Petri, & ſucceſſorum Pontificum Cathedra ſuſpicienda, ejus elogium, §.72.

Ruſticus ne, an ſapiens magis ſit obnoxius fidei erroribus? Lib.3. §.71.

S

SAcerdotes. Illis reverentiam maximam habet Theod. Lib.1.§.393. Illis invidet. §.31.

Sacris audiendis maximè intentus Theod. Lib.1.§.18, & 19. Sacrificio Miſſæ quãdo, & quomodò intereſſet Theod. Lib.3. §.132. Similiter de cæteris, §.33.

Sævitiæ militaris deteſtanda documenta, Lib.1. §.78.

Salomonis librum de plantarum uſu combuſtus ab Ezechia, Lib.3.§.100, & 102.

Salvator Correa de Sà Benavides Hollandos Angola pellit, Lib.1.§.448.

Salus æterna. Illius ſummum in Theodoſ. ſtudium, Lib.1.§.417.418.419. Salus æterna Theodoſ. aliquibus argumentis propalata, §.443.444.445.

Samaritani, inſtabilis in adverſis amicitiæ typus, Lib.2.§.130.

Sapientia, & virtus perfectum Principem reddunt, Præloq.§.11. Præ omnibus æſtimanda, Lic.1.167. In conſiliis maximè neceſſaria, §.184. 185. Non eſt morborum, ſed ſanitatis cauſa, §.388. Rationibus oppugnatur, & propugnatur, Lib. 2.§.35, & 36. Sapientes quanti ſint faciendi à Principibus, à §.39. ad 41. Sapientiæ, caſtitatisque conſenſio, §.153. Patientiæ multum affinis, Lib.3.§.185. De Theod. ſapientia, Lib.2. à §.9. ad 42. Lib.3.§.232.233. Ipſius in ſapientes amor, Lib.2. à §.39. ad 42. Vide infra proximè verb. Scientia.

Scientia: De ſcientiis, Theod. judicium, Lib.2. §.170. ad amandum Deum conducunt, Lib.3.§. Quo loco à Theod. haberentur, §.40. Scientia, quibus excelluit Theod. Lib.1.§.160.161.165.166. 217. Lib.2. à §.9. ad 42.

Scombergius, Vide verb. Fidericus.

Scotus, & Scotiſtæ, Lib.2.§.161.

Secreti rarum exemplum in puero Theod. Lib.1. §.50, & Lib.2.§.46. Ejus neceſſitas, & commendatio maximè in conſiliariis, Lib.1. §.177.178. & Lib. 2. §.46. Secreti proditor quomodo habendus? §.60.

Sectarii ſunt vilia Magiſtrorum municipia ex Theod. ſententia, Lib.1.§.275.

Senectus qualis apta conſiliis, Lib.1.§.182. 183. Ut plurimum prudens, Lib. 2. §. 44. Senum virtutes non tam provocant æmulationem, quam adoleſcentum, Lib. 3.§.242. Item §.74. 75. 89.

Sententia. Præloq.§.2.3.7.10. Lib.1.§.4. 33.108.142.143.155.171. 173. 175.178. 179. 180. 183.184.189. 218. 227. 231. 236.239. 277. 281. 286. 326.340.341. 351. 354. 355. 360. 361. 380.382. 383. 384. 436. 462. 473. 477. 515. Lib. 2. §. 13. 44. 46. 47. 53. 67. 94. 98. 99. 103. 108. 125. 126. Lib.3.§.23.40. 57. 80. 110. 111. 123. 137. 146. 151. 159. 183. Vide verba Apophtegmata, & Axiomata.

Sermones ſpirituales, Lib.1. §.419. 420. Lib.3.§.8. 9. 10. 60. 61.

Silentium commendatur, Lib.1.§. 178.

Similitudo morum gignit amorem, Lib.2. §.128.

Similitudines, Præloq. §.1.3. 5. 7.12. Lib. 1. §. 1. 6. 10. 11. 12. 28. 29. 32. 33. 99. 101. 108. 120. 126. 127. 136. 140. 145. 150. 178. 179. 180. 181. 182. 183. 189. 205. 236. 239. 240. 263. 277. 286. 287. 294. 319. 343. 365. 373. 380. 386. 400. 402. 409. 411. 413. 420. 423. 424. 430. 436. 443. 449. 464. 470. 491. 505. 506. 507. 508. 515. 116. Lib. 2. Antiloq. & §.1. 2. 4. 12. 16. 21. 22. 34. 35. 44. 46. 55. 59. 60. 62. 63. 65. 66. 68. 72. 73. 75. 78. 81. 98. 99. 105. 108. 109. 117. 126. 135. 138. 139. 142. 151. 152. 153. 156. 169. 176. Lib. 3. §.1. 8. 23. 24. 30. 33. 34. 59. 72. 77. 81. 82. 92. 93.

92. 93. 96. 114. 117. 118. 123. 135. 136. 154. 172. 109. 219. 242. 243. 245. 248.

Sintra. Vide Lunæ Promontorium.

Societas bonorum, vel malorum, Lib. 3. §. 151.

Societas Ieſu Theod. acceptiſſima, Lib. 1. §. 317. 335. 339. 408. Lib. 2. §. 10. 115. Lib. 3. §. 13. 14. 15. 17. 20, & à §. 49. ad 67. *Quales Societatis adverſarii ex Theod. ſententia?* §. 58. *Societati cur non omnigena Infula deferenda*, §. 59. *De ineunda Societate cogitat Theod. & à Confeſſario diſſuadetur*, §. 62. 63. 64. *Peculiaria quædam in Societate*, §. 66. *Societatis præcipuum ſtudium in propalanda Fide Catholica, propriaque, ac aliena ſalute procuranda*, §. 68. *Prædictiones circa eorum æternam ſalutem, qui in Societate moriuntur*, Ibid. *Societas in convertendis Hæreticis fructuoſam operam collocat*, §. 73. *Renovatio votorum familiaris Societati*, §. 76. *Solemni ſe vota adverſus univerſas dignitates præmunit*, §. 107. *Cur Societatem inire optaret Theod?* §. 121. *Calceis noſtris ſimilibus utitur Theod.* §. 120. *Solemnis in Societate devotio*, §. 176.

Solis defectio ante obitum Theod. Lib. 1. §. 403. 404. *Ejus intrepida fortitudo*, §. 411. *Alia ſolis ecclypſis poſt Theod. obitum*, §. 442.

Somnus. Somni parciſſimus Theod. Lib. 2. §. 161.

Spes divina. Lib. 1. §. 89. 411. *Illius actus ſæpe repetiti*, Lib. 3. §. 5. 169. *Spes Theodoſii penitus in Deo repoſita*, §. 179. 180. 181.

Speculi natura, Præloq. §. 12. *Mutui amoris hieroglyphicum*, Lib. 2. §. 125. *Speculum cryſtallinum Theod. cum Deiparæ effigie*, Lib. 3. §. 34. 242.

Spelunca Alcantarenſes Theod. orationibus, & flagellationibus conſecrata, Lib. 3. §. 157. 158.

Strategemata. Eorum, qui victi celebrant victoriam, quaſi à ſe partam, Lib. 1. §. 140. 146. *Mathiæ Albuquercii in expugnatione oppidi Alcanchel*, §. 97. *Aliud ejuſdem in prælio Montigienſi*, §. 149. *Aliud Principis Theod.* §. 337. *Aliud politicum*, §. 87.

Studioſitas Catonis, Lib. 3. §. 177. *Theod. ſumma*, Lib. 1. §. 11. & à §. 71. ad 77. & à §. 131. ad 136. 161. 162. Lib. 2. à §. 9. ad 42.

P. Suarius Granatenſis, ejuſque doctrina, Lib. 2. §. 161.

P. Suarius Luſitanus, Lib. 2. §. 34.

S. Sudarium Chriſti Domini Vlyſſipone aſſervatur, Lib. 1. §. 410.

Suecica Hiſtoria à Theod. compoſita, Lib. 1. à §. 268. ad 270.

Suffragia in ſcriptis proferre optimum, Lib. 1. §. 175. *Suffragia ſpiritualia expetita à Theod.* §. 417.

Supplicationes pro ſalute Theod. Vlyſſipone, alibique indictæ, Lib. 1. §. 410.

Supplicia quibus, & quomodo inferenda? Lib. 2. §. 59. & 60.

Sybillis legendis operam dat Theod. Lib. 2. §. 34.

Symbola, Lib. 1. §. 134. 139. 141. 152. 155. Lib. 3. §. 152. 153. 155. 169. 179. 180. 181. 184. 185.

Sympatia triplicis chordæ, Lib. 1. §. 140. *Sympatici pulveris virtus medicandis vulneribus*, §. 164.

T

Tacitus. De illo Theod. judicium, Lib. 2. §. 32. & à §. 114. ad 116.

Temperantia Theod. Lib. 2. à §. 143. ad 145.

Templa. Illorum violatio expilationibus, aliterque graviter à Deo punitur, Lib. 1. §. 497.

Tempus optimus omnium conſiliarius, Lib. 3. §. 182. 183. *Intermedium objicere conſultiſſimum*, §. 351. *Parens veritatis*, Lib. 2. §. 108. *Aliis tempora deſunt, alii temporibus ſuperſunt*, Lib. 3. §. 177.

Teſtimonia de Theod. ſapientia, cæteriſque dati-

dotibus,& virtutibus, Lib. 3. à §. 188. ad 248. Vide verb. Elogia, & verb. Obſervationes.

Theodoſius Princeps Luſitaniæ. Ejus patria, Parentes, nativitas, Lib. 1. à §. 1. ad 4. Publicus in ejus ortu plauſus, à §. 5. ad 10. Infantia, à §. 11. ad 16. Pueritia egregiis virtutibus illuſtris, à §. 17. ad 26. Quadriennis ob equitans populares motus compeſcit, §. 35. Luſitaniæ Princeps primis Vlyſſiponenſibus comitiis inauguratur, §. 62. Nova ejuſdem Vlyſſipone educatio, à §. 63. ad 77. Pueri ingenui, magna Nutrix, Magiſter, & Confeſſarius illi deſignantur, à §. 65. ad 68. Quantùm in virtutibus puer adhuc profecerit, §. 69, & 70. Quo primùm die Sacram Euchariſtiam ſuſceperit, §. 71. Eadem die ſacri Chriſmatis oleo inunctus, & militaribus Chriſti inſignibus inſtructus eſt. Summus ejus ad literarum ſtudium conatus, à §. 71. ad 77. Nec minor ad bellica exercicia, §. 79, & 82. Ejus adhuc pueri ludicra oblectamenta, à §. 109. ad 126. Pictura, horologiorum, muſicesque jam tunc ſcientiſſimus, §. 109. 120. 124. Ejuſdem jam adoleſcentis ſolidiores exercitationes, à §. 127. ad 136. Movet quæſtionem de Montigienſis prælii victoria, de illaque recolendum fert judicium, à §. 136. ad 155. Regio diplomate renuntiatur primus Braſiliæ Princeps, Duxque Brigantinus; & multiplex virtutum, ac ſcientiarum exercitatio illius commemoratur, à §. 156. ad 170. Conſiliarius à ſtatu nominatur decimo tertio ætatis anno; & quomodo ibi ſe geſſerit? à §. 171. ad 176. Praeſt quæſtioni, de optimo conſiliario, prudensque de illa judicium profert, à §. 177. ad 184.

E gynæceo ad peculiare palatiũ trãsfertur, & quomodo inibi ſe habuerit? à §. 186. ad 197. Evidenti vitæ periculo divinitus eripitur, à §. 193. ad 211. Author eſt inſcriptionis inciſæ frontiſpicio templi à Seren. Regina conditi, §. 211. Vita functo Magiſtro, alium ſibi adoptat cum ingenti virtutum, ac ſcientiarum profectu, §. 217. 218. Morum publicam reformationem molitur, & ſcriptis mandat, à §. 239. ad 252, & à 260. ad 274. Sua Macariopolis, ideſt, Civitatis beatæ librum ad Seren. Chriſtinam Sueciæ Reginam mittit; quem illa maximi facit, à §. 261. ad 266. Palatinos Principes Robertum, & Mauritium impensè, omnimodèque fovet, ac protegit, à §. 275. ad 311. Expeditionem Elvenſem deliberat, expetit, ac demum arripit; quibus de cauſis? à §. 312. ad 319. Brevi Elviis moratur; & quæ ibi geſſerit? à §. 320. ad ad 341. Iuſſu Seren. Regis, poſt multiplicem utrinque allegationem cogitur Vlyſſiponem redire, à §. 342. ad 370. Vlyſſiponem repetit: qualiter à Seren. Parente ſit habitus, ac Regni Archiſtategus pronuntiatus? à §. 365. ad 378. Intimi ejus doloris occaſio, §. 370. Ejus invalitudo, & cauſa, 389. Cetobricam adit, ac Ciſimbram; ibique ab eo geſta, à §. 392. ad 395. Admiranda plurima, quæ ipſius obitum præceſſere, à §. 396. ad 406. De aliis, maximèque de ſuo ipſius obitu valde memoranda prædicit, à §. 397. ad 402. Duobus extremis vitæ ſuæ annis ſe totum Deo, ejusque amori ſummo cum profectu committit, §. 402.

Extrema Theodoſii ægritudo maximaque in illa edita maximarum virtutum documenta, Lib. 1. à §. 407. ad 417. Ejus promiſſa Tribuno plebis Vlyſſiponenſis, & Seren. Parentibus facta, §. 409. & 410. Euchariſticum Viaticum, & Sacram ſuſcipit Vnctionem, §. 414, & 415. Munera Seren. Parentibus, & Seren. Sororibus dividit, §. 416. Quæ ab iiſdem viciſſim exorarit, §. 417. Morti proximus quomodo ad eam ſanctè, ſtrenuèque ſubeundam ſe religioſiſſimè compararit, à §. 418. ad 424. Invidendus ipſius è terris ad cælum exitus, §. 425. Summus Luſitanorum omnium, & univerſæ Europæ in Theodoſii obitu dolor; ac Regium ipſius funus, à §. 426. ad 435 Prodigia, quæ Theod. funus vel comita-

ra, vel ſubſequuta ſunt, à §.436. ad 445 Promiſſum Luſitanis è cælo patrocinium, in ultramarinis, Tranſtaganis victoriis, & felicitatibus à Deo impetratis exequitur; à §.446. ad 454.

Theodoſii dotes; & virtutes morales, ſive politicæ, nimirum Sapientia, Prudentia, Iuſtitia, Clementia, Fortitudo, Magnanimitas, Liberalitas, Veritas, Amor erga ſuos, Temperantia, Majeſtas, Conſtantia. Vide totum librum ſecundum; vel in hoc Indice prædicta verba, Sapientia, Prudentia, Iuſtitia, &c. Theodoſii Virtutes Chriſtianæ ſcilicet Charitas erga Deum, Charitas erga Chriſtum D; Gratia baptiſmalis frequentibus confeſſionibus, & communionibus aſſertæ; Pietas erga Deum, Deiparam, cæteroſque cælites; Virtutis, ac Religionis ardens ſtudium; erga Societatem Ieſu ſingularis amor; Fidei, & ſalutis animarum zelus; Obedientia, Humilitas; Contemptus mundi, ac divitiarum; Virginitas, Oratio, Spes divina, Timor Dei, Patientia, Perſeverantia. Vide librum tertium per totum; vel in hoc Indice prædicta verba, Charitas erga Deum, Charitas erga Chriſtum D. Gratia baptiſmalis, &c.

Varia de Theodoſio. De illius vita, obitu, dotibus, & virtutibus ſapientûm, & prudentûm judicia, L.3.§.188. ad 203 De illius vita, obitu, & virtutibus eorundem obſervationes, à §.204. ad 218 Quandiu vixerit? §. 205. Sol fuit, & flos vitæ breviſſimæ, §.206. Illius nomen non infauſtum, nec extraneum, §. 207. Illius brevis vita, & cita mors ingens Luſitaniæ, ac totius orbis ſupplicium, §.209.241. Eadem miſerantis Dei potiùs beneficium, §.211. 212. 213. Eadem ipſius etiam Theodoſii beneficium, §. 214. 215. Licet brevi deceſſerit, diutiſſimè tamen vixiſſe judicandus, §.214. In ejus obitu, & lugendum, & exultandum, à §.216. ad 217. Ejus æternæ felicitatis probabilitas, à §. 214. ad 218. Opera literaria, quæ condidit. Vide in hoc Indice verb. Opera literaria. Scientiæ, quibus excelluit; Illius Apophtegmata, Axiomata; Adhortationes, Prædictiones. Vide verb. Scientiæ, Apophtegmata, Adhortationes, Prædictiones. De illo Elogia. Vide verb. Elogia.

Theodoſius II. Dux Brigantinus VII. & Principis Theodoſii Avus, Regem Philippum III. Vlyſſiponem uſque comitatur, Lib.1.§.29. Recuſat obſequium Ferrarienſis Marchionis, Ibid. Vndecennis ad Mauritanum bellum cum Sebaſtiano Rege procedit, §.79. Cujus exemplo incitatur Theodoſius Princeps ad Elvenſem expeditionem, §. 312. Similiter ad S. Ioannis Evangeliſtæ devotionem, Lib.3.§.37. Quàm illum coleret, §.42. Illius aſperrimas flagellationes æmulatur, §.159. Pro illius animâ quotidianum recitat reſponſorium, §.175.

Theodoſius I. Imperator. Caligo inſolita in illius obitu, Lib.1.§.404.

Theodoſius Candiæ Imperator in India. Ejus ad orthodoxam fidem converſio; & judicium de Principe Theodoſio; ejuſque teſtamentum, Lib.3.§.190.191.

Theodoſiis celebrioribus confertur Princeps Theodoſius, Lib.3.§.199.

Theologia. Magnam ejus partem addiſcit Theod. abſque ullius Magiſtri ope, Lib. 1.§.217. Lib.2.§.21, & 22.

S. Thomas Doctor Angelicus. Theod. acceptiſſimus, Lib.2.§.113. Lib.3.§.37. S. Thomas, & Thomiſtæ, Lib.2.§.161. Plus orando, quàm ſtudendo in ſcientiis profecit, Lib.3.§.177.

S. Thomæ Inſula, capitur, & amittitur ab Hollandis, Lib.1.§.447.

Fr. Thomas Campanella Dominicanus Theod. teſtimonio vir incomparabilis, Lib.1.§.273. Lib.2.§.34. 161.172.

Timor Dei filialis in Theod. eximius, Lib. 3. §.182.183.

Titus. Qualis omnium in ejus obitu dolor? Lib.1. §. 426. Ob eximias virtutes amor, & delicium humani generis, Lib. 2. §. 140.

Tormentariorũ mira dexteritas, L.1.§.103

Tor-

Tortura in ſemiplena probatione, quando, & quomodo adhibenda, Lib.2.§.64.65.
Tributa popularium motuum cauſa, Lib.1. §.33. Iuſta, & injuſta, §.380. 381. 382. 383. Lib.2. §.49.
Trochi laudabile exercitium Theod. familiare, Lib.1. §.129. 334. 335.
Tumulus Theodoſii liber, & ejus Author, Praloq. §.15.

V

VAlverde Caſtellani oppidi expugnatio, Lib.1. §.90. & 91.
D. Vaſquius Maſcarenia Comes Obidenſis primi Luſitani exercitus Præfectus maximus, Lib.1.§.87. Quomodo in eo munere ſe geſſerit? à §.90. ad 95. Valverde oppidum expugnat, & incendit, §. 90. & 91. Pacem Auguſtam oppugnat, §.92. & 93. Inde recedit, & Præfectura multatur, §.94. & 95.
P. Vaſquius Theologorum ſummus à Theodoſio habitus, Lib.2.§.34. & 161.
Venatio, injucunda Theodoſio, Lib.1.§.130 131. Divina qualis? Lib.2. §.59. A venatione abhorruit Theod. §.70.
Veniam ab offenſis exorat Theod. Lib. 2. §. 69.
Verboſus vulgò timidus, Lib.1. §.181. De eodem, Lib.2.§.120.
Veritas, prima Hiſtoriæ laus, Praloq. §.3. Lib.1. §. 4. Commendatur maximè in Conſiliariis, §. 180. 181. Lib.2. §. 51. Quanti debeat à Principibus æſtimari, Lib. 2. §. 106. 107. Ejus pulchritudo, nobilitas, & excellentia, à §. 108. ad 110. Veritas an odium pariat? §. 108. Etiam imbecilles corroborat, §.122. Veritas Theod. Lib.1. §. 164. 303. 304. 305. Lib. 2. §.65. 66. & à §. 106. ad 124. 207.
Veſtitus, ejus luxus moderandus, Lib.2. §. 49. Quinam elegantior? §. 119. In eodem moderatio, Lib. 3. §.130.
Viaticum Sacrum ſuſcipit Theod. Lib.1.§. 414. 415.
Victoria parta à fortiſſimis, etiam victis glorioſa, Lib.1. §.153. De cupiditatibus quàm de hoſtibus glorioſior, Ibid. Victoriarum cauſa oratio, Lib. 3. §. 174. Victorias vult Deus ſibi tribui, Lib. 3. §.243. 244.
Victoria varia, Montigienſis Luſitanis ne, an Caſtellanis ceſſerit? Lib.1. à §.136. ad 155. Victoria Suecica ſub Sereniſſima Regina Chriſtina, §.253.254. Elvenſis Canallenſis, Monticlarenſis, §.451.
Villa nova del Freſno expugnatur à Luſitanis, Lib.1. à §.99. ad 104.
Villaviſſoſa Brigantini Principatus ſedes, Lib.1. §.2. Vnde illi nomen? Ibid. Patria Theod. Ibid Villaviſſoſa motus quadriennis Theod. compeſcit, §.35.
S. Vincentius vivit in tormentis, moritur in deliciis, Lib.2. §.82.
Vincentius Belvacenſis. Theod. de illo judicium, Lib.2. §.161.
Virgines aulicæ Theod. adhortationibus ad virtutes, & religioſæ vitæ proſecutionem inflammantur, Lib.1. §.189.
Virginitas Theod. Lib.1.§.17. Votum Virginitatis emittit novennis puer, §.106 & Lib.3. §.47. & à §.133. ad 163. Pro virginitate comparanda, & conſervanda remedia, à §.150. ad 163.
Virgilius Theod. in deliciis, Lib.2.§.32.
Virtus. Virtutum politicorum ſive moralium, & Chriſtianarum diſcrimen, Praloq. §.4. Virtus, & ſapientia perfectum Principem reddunt, §. 11. Virtus non eſt cauſa morborum, ſed ſanitatis, Lib. 1. §.388. Virtutes omnes lugent in obitu Theod. §. 426. Virtutes aucupari ſumma, & ſyncera voluptas, Lib.2. §. 40. Virtutum politicarum, & Chriſtianarum diſcrimen, Lib.3. Antiloq. Virtutis ſumma æſtimatio à Theod. à §.40 ad 48. & à §. 49. ad 67. Non niſi per virtutis ædem ad Honoris templum patebat olim aditus, §. 41. Virtutis bellica memoranda exempla, Lib.1.§.101. 102. In adoleſcente, quàm in ſene admirabilior virtus magis provocet æmulationem, Lib.3. §.242.
Viſio memorabilis in obitu Theod. Lib.1. §.443.

§.443. & 444.
Vita. Ejus brevitas, Lib. 3. §. 6. 8. *Aliquibus eſt beneficium*, §.214. *Vita brevis juſtorum longiſſima eſt judicanda*, Ibid.
Vitia ſola rident in obitu Theod. Lib. 1. §. 426. *Vitia, quàm feras inſectari voluptuoſius ducit Theod.* Lib. 2. §. 70.
Vlyſſipo reformata maximi caput Imperii à Theod. deſignatur, Lib. 1. §. 248. *Illius nova munimenta à Theod. deſignata, captaque*, §. 383. *Ab Vlyſſe condita*, Lib. 2. §. 28. *Illius nova munimenta ſedulò promovet Theod.* §. 88. *Quibus denuò operibus eam amplificare cogitaret?* §. 89. *Illius portus capax viginti mille navium, & ultra*, Ibid.
Vnctio ſacra à Theodoſ. ſuſcepta, Lib. 1. §. 415.
Vota pro ſalute non vult emittere Theod. Lib. 1. §. 411. *Tria nuncupat vota*, Lib. 3. §. 47. *Eorum frequens renovatio*, §. 48. & 76.
Vrbani VIII. Pontificis maximi de Theod. teſtimonium, Lib. 3. §. 189.

X

S. Xaxerius. Ejus feſtum ritè celebranti Sereniſſimo Regi Ioanni Villaviſſoſæ renuntiatur ipſius Regia acclamatio Vlyſſipone peracta, Lib. 1. §. 57. *Ejuſdem Reliquiaria theca*, §. 234. *Illius effigies à Regio Confeſſario ad miſſionem Maranonicam miſſa*, §. 238. *Illius elogium*, Lib. 3. §. 38. *Oratio ab illo compoſita pro infidelium converſione à Theodoſio quotidie re[illegible]r*, §. 39. *Suo exemplo vo[illegible]ationem commendat*, §. 76 [illegible] *Theod. addictiſſimus*, Lib. 1. §. [illegible]. 234. 238. 239. 416. Lib. 3. §. 38. 39. 76.

FINIS.

Laus Deo, Virginique Matri.